Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In diuinum Iesu Christi Domini nostri Euangelium secundum Ioannem, Commentariorum libri X

https://hdl.handle.net/1874/428391

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection


Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board






16.
p.
Nº 30. p.



Biblia et interpretes
Folio 1.° 202.

ung q aurõe aplãus ⁊ aplare ſmuato ſelh ſc̃ auõ
ſlõ & ſc̃ ylcoſ eſt auxiu ⁊ po⁹ ex ceſſacõe ſc̃ ſlõ
& ſc̃ boñ ⁊ lau⁹ ſigñ eſt ſc̃ dñe ih̃ xp̃ nõ ſc̃ ⁊ ci
alq⁹ mozbi ⁊ de ſtrñdie ſide ſola ul⁹ q hu ſlicaſ
ul⁹ q nẽcoſte & ſſa ⁊ meſatia quo & ſtud ſ dicẽ
ego uoco a m rõe auctozitatẽ p⁹ m exp̃ſ xc̃ ueſtro
qñ uuenit⁹ poſſe h̃ ſ. ſi y. aut ac alĩ hñc aſſ
ſcãe uſtriñ vidiſſ hñ ſtetio dcã hñc tmiſſ ſcãe
boñ cẽt dia hu cauſoſ ⁊ ſſidoſ ⁊ ſtãtoſ acc̃ ſuſſe
hñ mozbi ⁊ eñ q ſc̃ ⁊ vñ purgõe cuncta ſc̃ dñe
ih̃ hu nulli pñ ſc̃ diſſoluñe ⁊ p vñaz ulñ ⁊ ẽ
ſanc ſc̃ aũ cuncteñ.

Qulñ quedz ãnua ſtũ ul longũ
tp̃ hñt oſ ncãe ⁊ emi ⁊ cacuaces
cauaſ ſtem

Qulñ q dñs elõgauit ⁊ nõ
ſmauit ul q pugnauit recdiuauit ncãe ⁊ ut dure
ſauet ul q hũ ad ipã cunctoſ ul q ulñ in dby ſc̃
ih̃ hu dñs cuncteſ ⁊ malaſ mueaſ qualeſcũq ul ih̃
magnẽ ⁊ poſſẽ ſuã q hñ vulñ vocauit ſm
p̃ phm ipãli diſſe uolẽtes vnct ipũ ⁊ aposſint
ih̃ quod chirunea uocãtes teuõiacẽ a chirone
p̃ hec ſmauit. ad celepheia a célepho d p̃ſmauit
ea. quod conſtã q ⁊ p ſſ ſiacẽ corp̃ſ vadit nõ ſũ
cutẽ ptmãt. alu formicaſ alu ugnẽ ſmã. q cutẽ
uicinẽ ⁊ cutẽ ptmãt vocauit cond q q vulñ pn
crepatiã nocẽt nõ cũ ſ vulñ ⁊ ad paſſio a vul
ñe ⁊ putredie qpõita ocãu. q ues mbra. putre
dinẽ ſũ vulñe pacta ⁊ quod ipa vulña q vocauit
hiſpala. hec vulña hñc uõia. hiſpule. parua. pau
uacn. alia q nõ ſ hñ vulñ ipũ anteq appella
vñt hu h̃ auſſ. p. cũ uñare uoluit. q vulña nõ
elongent uſq q oſſa pacauit q expl̃ ⁊ tẽ
ctatu. Oſcẽ n. ſmauit ⁊ paulo p̃ nunc ſtendo
ceñtũ. h̃ ſic q medĩa cutẽ ſ. mala oſſa ſn
uauit appent vulña q̃ ſana q m oñbz ſlicoñb
p̃manear cõprela q ſic cã ceñtendi cõẽ m
apiente ſmã ſeſſce ⁊ vulña ucanne ſacuce
⁊ ica nõ ſmauit q medĩa q̃ m l⁹ ſuo dñe de vul
ñby q̃ ẽ naranu. uj p̃. meg̃ntegnu. oj dia oĩ
vulña tenctan mayẽ ſi oſſa mala hñnc. cũ
ſicacoſ ẽ q̃ cõ⁹ appebit oſſe ⁊ oſ eſſhet p̃
ſauaꝛ ſ vulñ q̃ oſ eyez cãa remaz qcñes.

Qulñz gilbi ex aſmate ſũ. at
cuſſ aute uuenctutem penue.

Quo modo gilbotcaſ ſic m l⁹ de qcthenacõe

ũbroñ uñauit q aũ q cc̃ q lacũlaſ ſc̃ h̃ paſ
uacẽ acuez tonſ ſ ptẽ ucellãu. lubi ſuã
illũ ⁊ leũ. ẽ cũ hoc dicã q̃ ncãe ſũe Gilbot
caſ tonſ uẽe ex pauſſõe ſli caſu ſeu ex durſ vul
ñby uctonby q̃ aſſe ⁊ vna tonſ ſpodli ⁊ m pce
uctoꝛ exũcaꝛ uc od ſpodli ſn ſ gilbi ex aſſua
re ſũe aut cuſſ aũ uuenctutẽ peñe q̃ molestõep
ſonez facũe ih̃ mpſeq̃ mbroñ ſpualu. Gouñ
ẽ h̃ ſ cauſaſ nõ p̃ceſſe ſ pauſſo ex ſolo aplicedu
ro cauto ndigento uel vulña a aſſe ſuuce dñe
p ſpuentẽ log ⁊ duracẽ ex ſc̃ m loco nobli ex
uagno hauchẽ ſtez mnoz ⁊ pcldoꝛ. ex alq̃
culũ hñoſ m canalez plbiq̃ fluẽt. ſnẽ nuſq̃
hyd vulña nõ ſt dura ⁊ ſo alũ p⁹ ſquel ſic ⁊ m
ſuũ occidat vulña nõ eſſuccua nõ illico uſuũ
uomicãt q hu. gſſ cudi ⁊ dum ſt oſ q̃ ſ q
cuſſ ſmuẽ pcuſſ ⁊ occidit ſ ⁊ vulña q apte
pcuſſ aũ uuenctutẽ hec u. aut ſt uagnũ aut m
pcldoꝛ loco p̃ſoꝛ. ploc aũ ⁊ coſte eoꝝ pacẽ
ubi loca ea cpdacu. pua ſũt ⁊ augſtoꝛ. ſlõ
& cor ⁊ plõ creſce m ad uicẽ ſuſſtenẽ q gilbo
ſtenz pſcoꝛ ſpacũ augſtuc ⁊ ſo aſſua madũ
q ullaꝛ euaſe q̃ũ. oi aũ ſic aũ gilbotenaꝛ ſpẽ
augſtuc ih̃ ſolũ apli q̃ eo mag̃ ſt dñs creſcẽ
⁊ augmẽtaꝛ vulña. paſſoep a ſpẽ ulñe ſt dñe
p ypo. h̃ uoñ ſolũ poſſunt hur q̃ ſpuſſ pacaũe ſpũ
ſnẽ u. ſuuc ancſp ſpuſſtendiez ſpẽ ex augſtua
ul nimuſ ecclaſ uocaꝛe hauchẽ. ojodñi duracã
paſſoꝛ ſpoꝛ & nocẽ hauchaꝛ q ſic ſũ ſc̃. ⁊ pcſſ

Qulñz flõia aut fai
ofert hur ue flõaꝛe q̃ faꝛ dare

Palaua ⁊ & uceſſ q̃ hi dicẽ acuez ſũ quẽ
qu cũ ſl coſ purgauiuꝛ nõ dñs cuẽ ſnũ
ogt & u. vere ucao purgare hoꝛ q flõia ſi de
ple cue eanu. q golde ⁊ uoñeu ſi de corupaſ hu
dñs u. ulcoꝛ hñ cuſtodiuꝛ q u ſnagſiſ egſſ nec
ãnſ. mloꝛ q̃ podagꝛaſ aribenoſ nõ cũ adeo
ſonez nec pcſſdeꝛ dignes hi nũ ſhẽnũ ⁊ uctũ
paſſoep dicẽtes ſ pcelauuꝛ. q̃hd empuna
epliq ⁊ hi nũ purgõe flõia ad uli ⁊ medĩa oĩ
ũ paſſoñ de ple purgõ q̃ploc ⁊ noñe. oi gñli
accudi vna ee vi. q ſ q̃ali. nõ ⁊ vna q q̃hd
hoñby colleoꝛ hu. ꝓgnue q̃ac alnſ aluoꝛ q̃ſ ſ uap
mozboꝛ dñ aſſuetoꝛ dñſſoñe ſ purgãdi ſ eo
& cognouiſo q̃d cui ãnuati ſolꝫ eueñe manꝛ.
ſi nõ ſnurgꝫ coſ de q̃ mnare ſũ q̃ ueñe uiama
ncapiuꝛ ab hoc ea ſuccuꝛ cognoſ ⁊ q̃ uocꝫ
uñt dare ꝓgnõ q̃ene q̃ purgnen duo ſnẽ mun

kart 109
pol B no 10

N. 17. C.

D fo 202. (Kirch log. D 10/1

IN DIVINVM IESV Christi Domini nostri Euangelium secundum Ioannem, Commentariorum libri X.

per Heinrychum Bullingerum.

ACCESSIT operi Præfatio de uera hominis Christiani iustificatione, uera item & iusta bonorum operum ratione, unà cum Indice.

Ex donatione Bucelii



IESVS.
Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI APVD FROSCH. AN. M. D. XLIII.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA



De uera hominis Christiani iusti

ficatione, uera item & iusta bonorum operum ratione, ad amplissimum uirum D. Ioannem Rodolphum Lauaterum, Tigurinæ urbis Senatorem, & Quęstorem ærarium fidelissimum, Heinrychi Bullingeri in Commentariorum suorum libros ad euangelium secundum Ioannem

PRAEFATIO.

DICAM simplici breuiq; compendio de uera hominis Christiani iustificatione, deq; uera & iusta bonorum operum ratione: dicam autem non quid homines disputauerint, sed quid qui mentiri nescit deus, de ijs uerbo suo pronunciauit. Hoc uero argumentum ideo huic loco congruere putaui, quod scriptor hic noster Ioannes apostolus & euangelista totus ferè in hoc uersatur argumento, cui permultum lucis accessurum credidi, si ex uniuersa scriptura breue quoddam iustificationis & bonorum operum præfigerem compendium: deinde quod fides & religio nostra non habet aliud quod maiore cum dispendio ignoretur, rursus quod maiore cum fructu cognoscatur & intelligatur, quàm ratio iustificationis ac bonorum operum. Vitæ enim & salutis nostræ firmamentum & basis stabilissima est iustificatio. His accedit quod simplex & perspicuum alioqui negotium uarijs caliginosisq; contendentium nebulis inuoluitur hodie. Extant enim uariæ diuersorum de iustificatione opiniones. Hi enim constanter asserunt sola fide in dominum Iesum iustificari credentes. Illi hanc sentẽtiam ut hæreticam exibilant, damnant & explodunt, operibus autem hominis iustificationem tribuere audent. Sunt qui iustificationem æqualiter fidei & operibus partiuntur. Inuenias qui iustificationis initiũ tribuant fidei, operibus absolutionẽ, necdum interim omnium opiniones recensui. Inter hæc certamina ingeniorum afflictãtur & tentantur grauiter cõscientiæ. Ad assertionem itaq; ueritatis Christianæ, & ad introductionem in diuinissimum hoc S. Ioannis euangelium, de iustificatione hominis Christiani bonisq; operibus breue quoddam contexam compendium. Neq; hic quicq; asseram quod non sim ostensurus & approbaturus planis illustribusq; diuinæ scripturæ testimonijs: imò nihil hic aliud cõq; clariora scripturæ de iustificatione & bonis operibus testimonia conferam: ut post dispositionem & eloquutionem simplicem minimeq; picturatam, nihil meum sit futurũ, neq; quicquam pro meo agnoscam. Equidem in rebus religionis nostræ maximis ita agere conuenit.

Ante omnia uidetur nobis de certa uocis significatione constituendũ esse. Vocabulum Iustificare uarie in scripturis usurpatur. Significat enim laudẽ dare deo, cedere, ingenue ac libere confiteri, quod ipse solus iustus sit, nos peccatores & iniusti. Sic legis Lucæ 7. Et omnis populus audiens, & publicani, iustificauerũt deũ, baptizati baptismo Ioãnis. Significat præterea seipsum defendere, purgare ac pro iusto uenditare, quod Germanice dicimus sich selbs schönen/vnd für gråcht vargeben. Ita enim Pharisæos obiurgans dominus apud Lucam in 17. cap. Vos estis, inquit, qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra. In præsenti uero causſa nostra iustificare uerbum est forense, à foro petitum, ac significat eum qui accusatus est, ac iam postulatur ad pœnam, iustum pronunciare, id est, liberare à supplicio, absolutumq; declarare. Huic opponunt sacræ literæ, quod uocant Impiare, id est impium & pœnæ obnoxium pronũciare, adeoq; & ad supplicium *Iustificare.*

tradere. Vtrunq; lingua noſtrate ſic ferè efferimus, für gůt vnd böß/für grecht oder vn grecht geben/ledig vnd ſtraaffwirdig ſprechen/erlöſen oder pynigen. Nam Deut.25.cap.ita legis, Si fuerit contrauerſia inter uiros, ibunt ad iudicũ, ut iudices diſcernãt inter ipſos: & iuſtificabunt eum qui iuſtus eſt, & impiabunt eum qui impius eſt. Quod quid aliud eſt q̃ ſi dixiſſet, Iuſtũ abſoluent & liberabũt, impiũ ad pœnã condemnabunt? Iſaias enim in 5.cap. paulò apertius, Væ, inquit, illis qui iuſtificant impium propter munus, iuſtitiam aũt iuſtorum auferunt ab eis. Huiuſmodi enim eſt quod dixit, iuſtũ non pronũciant eſſe iuſtũ, neq; liberant à calumnia iniuſti & oppreſſoris, ſed accepto munere, libidini oppreſſorũ permittunt. Huc pertinet illud ex Prouerb.17.cap. Qui iuſtificat impiũ, & qui impiat iuſtum, uterq; abominatio domini eſt. Illud quoq; ex 12.cap. Matth. Ex dictis tuis iuſtificaberis, & ex dictis tuis cõdemnaberis. A uerbo Iuſtificare trahit nomen Iuſtificatio, & ipſum in ſcripturis uocabulum forenſe. Iuſtificatio enim eſt iudicis declaratio, pronunciantis reum eſſe iuſtũ, id eſt ab accuſatione & damnatione intentata abſolutũ ſiue liberatũ: adeoq; Iuſtificatio eſt ipſa redemptio, aſſertio translatioq; à morte ad uitam. Dicitur itaq; Iuſtitia abſolutio & remiſſio peccatorũ. Et Iuſti ſunt quibus peccata remiſſa ſunt, quiq; à morte liberati, hæredes facti ſunt uitæ æternæ. Proinde Paulus apoſtolus non uno loco iuſtificationem interpretatur per redemptionem & remiſſionẽ peccatorum, itaq; utraq; connectit, ut alterum colligatur ex altero. Nam in Actis apoſtolorũ cap.13. Notum ſit uobis, inquit, uiri fratres, q̃ per Ieſum uobis remiſſio peccatorũ annunciatur, & ab omnibus à quibus non potuiſtis per legem Moſis iuſtificari, per hunc omnis qui credit iuſtificatur. Idem ad Roma.4.dicit, Ad eundem modũ loquitur etiam Dauid de beatificatione hominis, cui deus imputat iuſtitiam abſq; operibus, Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ obtecta ſunt peccata, &c. En ut iuſtificationẽ, beatificationem & peccatorũ remiſſionem connectat. Ac hoc ferè clarius Iſaias in 53.cap. Scientia ſui, ait, iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multitudinẽ, & prauitates ipſorum ipſe portabit. Nam hoc poſtremum, Et prauitates ipſorum ipſe portabit, prius illud, Scientia ſui iuſtificabit multitudinem, ueluti exponit, oſtendens iuſtificationẽ aliud nõ eſſe q̃ remiſſionẽ peccatorũ. Auferendo enim prauitates iuſtificat dominus: in idem ergo recidũt iuſtificare, & portare peccata, ſiue abſoluere à peccatis, aut remittere peccata. Iam ergo quid reſtat, niſi ut dicamus Iuſtificationem eſſe abſolutionem à peccatis, & liberationem à damnatione, redemptionem inquam & remiſſionẽ peccatorũ, ipſamq; adeo peccatoris in gratiam dei & uitæ hæreditatem adoptionem?

Iuſtificatio.

Iuſtitia. Iuſti. Iuſtificatio abſolutio eſt & redemptio.

Interceſſionis ratio, & modus iuſtificãdi.

Ideoq; cum de uera hominis iuſtificatione quæritur, illud haud dubie quæritur, Quid illud ſit, propter quod ab intentata adde & cõmerita morte peccatores liberantur? uel cuius rei gratia remittunt nobis peccata? uel in quo reconcilietur mundus deo? Ac in his adeo conſiſtit tota iuſtificationis noſtræ cognitio, ut cognito interceſſore & redemptore liberationisq; modo, adde & ratione qua illa nobis applicatur, ſimul & iuſtificatio hominis Chriſtiani pleniſſime intellígatur. Ego, ne quid obſcuri aut dubij in cuiusq; hæreat animo, primũ interceſſoris rationem, iuſtificationisq; qualitatem, ceu pictura quadam omniũ ſubijciam oculis cõtemplandam: hoc eſt, q̃ Chriſtus Ieſus is ſit propter quem reconciliatus eſt nobis pater, non reputans nobis peccata, ſed pro iuſtis habens. Chriſtus enim ſuſcepit in ſe peccata noſtra, eaq; morte expiauit innoxia, ſuamq; nobis cõmunicauit iuſtitiã: deinde oſtendam quomodo illius iuſtificationis fiamus participes. Duo enim hæc ſingulariter in hoc negotio ſpectanda ſunt, quis interceſſerit & liberarit dãnatos, ac quomodo etiã liberarit: hinc quos liberarit, i. quomodo liberationis & iuſtitiæ fiamus partici

pes,

pes,nobisue prosit liberatio. De primo primũ dicã. Fingite itaq; omniũ iudicẽ deũ iustissimũ sedere pro tribunali. Ante iudicẽ astare omnes homines, et hos grauiter accusari impietatis, perfidię & omnis cõscelerationis, adde & conuinci; & ideo damnationis postulari sententiã. Homines aũt nihil habere quod pro se dicant, nec aliud nunc restare, nisi ut unà omnes rapiantur ad suppliciũ mortemq; æternam. Cæterũ in hoc periculo extremo magnã illuxisse calamitosissimo generi mortaliũ spem, ipsum inquã æternum dei filiũ, qui ut mediũ se inter deum & homines ingereret sequestrẽ, & morti cõdemnatos ab interitu liberaret, incarnatus & homo factus est, nimirũ ut uere affligi, pati ac mori posset, in sese peccata nostra reciperet, suaq; morte indebita cõmeritam nobis mortem aboleret, & sanguine suo à peccatis lauaret, hæredesq; constitueret uitæ æternæ. Hoc paradigmate arbitror satis dilucide expositã intercessoris rationẽ & iustificationis qualitatem: arbitror item neminem non intelligere Christum esse intercessorem, ac incarnationem & crucem domini Iesu illud ipsum esse propter quod iustificemur.

Coram deo nõ iustificatur ulla caro.

Verũ occlamat hic mihi auditor iniquior, ac dicit, Pactis erat standũ & scripturæ producendę non paradigmata aut imagines. Pollicebaris enim modo scriptura rum collationẽ synceram, nunc uero tui ueluti oblitus imaginationibus distrahis animos simpliciũ. Cæterum non pudet me imitari æternæ maiestatis eloquiũ. Scriptura enim sacra huiusmodi imaginationẽ nobis proponit. Producit eẽ iudicem deum, à cuius facie montes liquefiunt, ex cuius facie ignis deuorans emicat, in cuius conspectu nocens nõ fit innocens. Huc pertinet illud Dauidis, Tu es deus, cui nõ placet impietas, neq; morabit apud te malũ. Non statuent se insipientes in conspectu oculorũ tuorum: tu enim odisti omnes qui operãtur iniquitatẽ. Perdes eos qui loquuntur mendaciũ, & uirũ sanguinũ atq; dolosum abominatur dñs. Accusationis uero & accusatorũ idẽ Dauid mentionẽ faciens, Dominus, ait, de cœlo aspexit super filios hominũ, ut uideat num sit intelligẽs, aut qui deũ requirat. Verum unusquisq; declinauit, simul fœtidi facti sunt, non est qui faciat bonũ, ne unus quidem. Ac repetitur hoc prophetæ testimoniũ à Paulo ad Rom. 3. cap. Idem propheta Dauid iudicis, iudicij damnationisq; mentionẽ faciens simul, Ne intres, inquit, in iudiciũ cum seruo tuo, quoniã nõ iustificabitur corã te ullus uiuens. Item, Si iniquitates obseruaueris dñe, domine quis sustinebit? Sed & Iob cap. 9. Quid, inquit, homo iustitia contenderet cum deo? Si enim uelit cũ eo litigare, nõ respondebit ei unũ ex mille. Si me pro iusto gerã, os meum damnabit me impietatis, &c. Hactenus ergo à scripturis in imagine illa mea alienum nihil adduxi.

Quod intercessorẽ & liberatorem Iesum Christũ dominum nostrũ, intercessionisq; seu liberationis modũ attinet, tam manifeste & plene, omnia quæ de eo attuli, refert scriptura, ut qui id negat scripturas nunq; legisse uideat. Quia tamen iustificationis nostræ cardo in eo uoluitur q̃d ex scripturis professus sum, Iesum Christum dominũ nostrum intercessisse, & peccata damnatorũ in se recepisse, luisse in corpore suo super lignũ, & sanguine suo abluisse, id est iustificasse siue absoluisse, liberasseq; destinatos morti, ac deum nos propter illũ recepisse in gratiã, ac propter illum pro iustis agnoscere, ideo ualidis & euidentibus id scripturæ testimonijs demonstrans, nunc confirmabo. Primus aũt sanctissimorũ testium Isaias in cap. 53. octuplex nobis suppeditat testimoniũ. Primũ illud est, Ipse infirmitates nostras portauit, & dolores nostros ipse baiulauit. Vulneratus est propter transgressiones nostras, et attritus est propter iniqtates nostras. Id aũt perinde est ac si dixisset, Nobis ꝓpter peccata nostra debebantur uerbera, plagæ & uulnera, ægritudines & dolores, sed illa oĩa in se recepit dñs, quo nos illis leuaret molestijs. Secundũ, Mulcta

Per Christũ iustificamur.

correctionis noſtræ ei impoſita eſt, & liuore eius ſanati ſumus. En pœna quæ debebatur nobis, illi eſt impoſita, et huius liuoribus medicatũ eſt nobis. Tertiũ, Vniuerſi nos quaſi ouis errauimus, quiſq; in uiam ſuã reſpexit: dñs aũt fecit incurrere in ipſum uniuerſorũ noſtrum iniquitates. Id eſt, dum mortaliũ nemo ſua poſſet iuſtitia, quæ nulla erat, ſeruari, dñs humanæ miſertus miſeriæ, pro ſua clementia filiũ dedit propriũ, qui in ſe reciperet omniũ peccata, expiaret, & ſuã nobis cõferret iuſtitiam. Quartũ, Exciſus eſt de terra uiuentiũ: quę plaga ei propter tranſgreſſionẽ populi mei inflicta eſt. Innocens fuit dñs, propter peccata ergo noſtra ut ipſa auferret expiaretq; paſſus eſt. Quintũ, Cõplacuit deo ipſum infirmãdo ſic conterere, ut ubi poſuerit animã ſuã uictimã pro culpa (hoſtiã inquã delicti) uideat ſemen, pro-
Leuit.16. rogetq; dies. Appellauit aũt uictimã pro culpa, expiationẽ & propitiationẽ plenariam pro omnibus peccatis. Sextũ, Iniquitates ipſorũ ipſe portauit. Vnde nimirũ Baptiſta ſuã illam egregiã mutuatus creditur ſententiã, Ecce agnus ille dei q tollit peccatũ mũdi. Certè S. Petrus ex hoc loco Iſaiæ in epiſt. ſua dixit, Ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ. Septimũ cum 6. cõgruit, Ipſe peccatũ multorũ, i. totius multitudinis, fidelium nimirũ omniũ tulit. Et octauũ concludit negotium præſens, Et pro tranſgreſſoribꝫ interceſſit, ſiue interuenit, hoc eſt mediũ ſe interpoſuit inter deũ & homines, in ſe recipiẽs peccata noſtra, & pro his diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciẽs, nobisq; ſuã conferens iuſtitiã. Secundus teſtis uas electionis Paulus manifeſtiſſime ad Roma. 8. cap. dicit, Quis intentabit crimina contra electos dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis ille qui cõdemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò q & ſuſcitatus eſt, q etiã eſt ad dexterã dei, is intercedit ꝓ nobis. Audis interceſſione dñi Ieſu nos iuſtificari. Idem in 2. ad Cor. 5. cap. Deus, ait, erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, nõ imputãs ei peccata ſua. Eum enim qui non nouit peccatũ, pro nobis peccatũ fecit, ut nos efficeremur iuſtitia dei per illũ: nimirũ ut iuſtitia dei iuſta & uera nobis cõmunicaretur per ipſum, iuſtiq; omnes reputaremur apud deũ. Cui illud quoq; cõgruit q̃d ad Rom. 3. ſic idẽ prodidit, Iuſtificãtur gratis per illius gratiã, per redemptionẽ quę eſt in Chriſto Ieſu, quẽ propoſuit deus propitiatoriũ, per fidẽ interueniente ſanguine eius. Itẽ illud ad Galat. 3. Chriſtus uos redemit ab execratione legis, dum pro uobis factus eſt execratio, ut in gẽtes benedictio Abrahę ueniret per Ieſum Chriſtũ dominum noſtrũ. Prodeat iam & tertius teſtis Ioãnes ille tonitrui filius & dño dilectus diſcipulus. Hic aũt diſertis uerbis in epiſt. ſua, Et ſanguis, inquit, Ieſu Chriſti emũdat nos ab omni peccato. Et mox, Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Ieſum Chriſtũ: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ pro noſtris aũt tantũ, ſed etiam pro totius mundi. Quod ſi in ore duorum aut triũ ſtabit omne uerũ, nemo, opinor, ierit infitias porrò, Ieſum Chriſtũ eſſe iuſtitiã noſtram, Ieſu Chriſti ſanguine nos iuſtificari, Ieſu dñi mortẽ illud eſſe propter q̃d à morte peccatores liberantur: propter Chriſtũ nobis remitti peccata, ac in Chriſto dño nos reconciliari deo patri: q iniuſtos nos pro iuſtis habet propter Chriſti ſui iuſtitiã, quam ipſe nobis donat. His euidentibus quidẽ aliâs accedit & illud quod ſuper dñm Ieſum à baptiſmo aſcendentẽ oraculum cœlitus à magnifica gloria delatũ eſt in hæc uerba, Hic eſt filius meus, in quo placata eſt anima mea. Nam & Paulus ad Coloſſ. In filio, inquit, complacitũ eſt patri uniuerſam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga ſe pacificatis per ſanguinẽ crucis eius per eundẽ, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Congruit cum his & illud q̃d in 1. cap. ad Epheſ. his uerbis idẽ apoſtolus dixit, Pater domini noſtri Ieſu Chriſti prædeſtinauit nos, ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtũ in ſeſe iuxta beneplacitũ uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos nos reddidit per illũ dilectum:

dilectũ: in quo habemus redemptionẽ per sanguinẽ ipsius remissionem peccatorũ, iuxta abundantẽ gratiã suam. Et cætera. Ex quibus omnibus colligimus hominẽ Christianũ iustificari per Christũ, reconciliariq; deo patri per eundẽ, qui sanguine suo nos à peccatis lauit, ẽ potestate diaboli & tenebrarũ liberauit, morte sua uitam nobis reduxit, cohæredesq; fecit uitæ æternæ. Nihil aũt repugnãs sibi scriptura dicit, cũ tradit hominẽ Christianũ gratia dei iustificari. Nam Christus domini, donũ dei, & plenitudo est omnis gratiæ, Ioãne dicente, De plenitudine Christi nos oẽs accepimus, & gratiã pro gratia: quia lex per Mosen data est, ueritas aũt per Iesum Christũ exorta est, q est plenus gratia & ueritate. Hæc in genere diximus hucusq; de modo iustificãdi, i. de eo q̃modo sentẽtia damnationis diuinitus prolata in uniuersum genus hominũ, impedita sit, damnatiq; liberati, & deo p̃ Christũ sint reconciliati. Nihildũ uero diximus de eo q̃modo iustitia illa Christi nostra fiat, uel q̃modo fiamus redẽptionis huius participes. Multi ẽm intelligunt Christũ esse intercessorẽ, sed quia nõ credũt suum esse intercessorẽ apud patrem, nihil prodest ipsis intercessiõis uirtus, ut hinc pateat modũ iustificãdi non absolui plene illa qualicũq; cognitione uel notitia intercessoris, nisi etiã uera fide cognoscamus Christũ nostrũ esse intercessorẽ, adeoq; totũ planè nostrũ, & oẽia dona siuè bona eius esse nostra. Itaq; subiiciemus nũc speciatim q̃modo recõciliatio iustificatióue Iesu Christi nobis applicet, & quid illud sit q̃d redemptionis siue iustitię Christi nos faciat participes, ut dñs Iesus iam nõ modo mortuus, sed nobisipsis mortuus sit, nobis sanguine suo peccata nostra purgarit, ac nos iustificarit, itaq; iustificarit, ut absoluti à peccatis, liberatiq; à damnatione, certo iam simus hæredes facti omniũ bonorũ Christi, iustitię & uitæ æternæ. Hic uero aperte, ingenue & simpliciter dicimus, Sola nos fide, id est fiducia in dñm Iesum participes fieri Christi. Ideo ẽm prophetæ & apostoli diserte dixerũt homines fide, uel per fidẽ iustificari: item Christũ per fidem iustificare. In idem ẽm recidunt hæ locutiones, significantes nimirũ Christum communicare nobis iustitiã suam, i. remittere nobis peccata nostra, liberare à cõdemnatione, consortesq; facere uitæ æternæ: nõ propter opera aut merita nostra ulla, sed ex gratia & merito ꝓprio propter fidẽ, qua credimus nos deo patri gratos esse, nõ propter nosipsos aut nostra opera, sed ꝓpter Christũ, quẽ dedit pater nobis gratiæ & misericordię pignus, ut uiuamus p̃ nomen eius. Nolo aũt hic mihi credat, nisi hoc quod proposui clarissimis scripturæ testimoniis euincã. Dixi Christũ nos iustificare per fidẽ, i. Christi iustitiã nobis cõmunicari per fidem. At hoc ipsum prior asseruit propheta Isaias apertissimis uerbis, dicens, Scientia sui iustificabit iustus seruus meus (nimirũ Christus dñs) multitudinẽ. En iustus, ait, seruus meus iustificabit ecclesiã, et iustificabit sciẽtia sui. Constat aũt scientiã sui, cognitionẽ esse Christi, fidẽ utiq;: ꝓinde Isaię uel dei potius dogma est, fide Christũ suos iustificare. Ad imitationẽ Isaiæ dixit & Abacuk, Iustus ex fide uiuet: id quod nõ semel usurpauit Paulus, eo testimonio, ut maxime claro, probãs fide iustificari ac uiuificari credentes. Et Ioan. in Euang. suo de dño loquens, dicit, In sua uenit, & sui eum non receperũt. Quotquot aũt receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios dei fieri, his inquã qui credidissent in nomen eius. En q̃d poterat dici planius? Qui recipiũt Christũ, efficiunt filij dei. Qui aũt credunt, recipiũt Christũ: fide itaq; efficimur filij dei, iusti nimirũ, felices & beati. Apud eundẽ Ioan. dñs noster Iesus Christus dicit, Amen amen dico uobis, q sermonẽ meũ audit, & credit ei qui misit me, habet uitã ęternã, & in cõdemnationẽ nõ ueniet, sed trãsiuit à morte in uitã. Rursus, Hęc est uolũtas eius q misit me, ut oẽis qui uidet filiũ, & credit in eũ, habeat uitã æternã, et ego suscitabo eũ in nouissimo die. Vnde idẽ ille apost. in Canon. sua manifestissime dicit,

Quomodo fiamus participes iustificationis Christi.

Fide iustificamur, nõ notitia duntaxat, sed fiducia in Christum.

Si teſtimoniũ hominũ accipimus, teſtimoniũ dei maius eſt. At hoc eſt teſtimoniũ dei q̃ de filio ſuo teſtificatus eſt, Qui credit in filiũ dei, habet teſtimoniũ in ſeipſo. Qui nõ credit deo, mendacẽ fecit eũ, quia nõ credidit in teſtimoniũ q̃d teſtificatus eſt deus de filio ſuo. Et hoc eſt teſtimoniũ q̃ uitã æternã dedit nobis deus: & hæc uita in filio eius eſt. Qui habet filiũ, habet uitã: qui nõ habet filiũ dei, uitã non habet. Videmus perſpicue fide haberi filiũ dei, & in filio utiq̃ iuſtitiam, omne bonũ & uitam æternã, unde neceſſe eſt fide nos iuſtificari. Iam & Paulus apoſtolus luculentiſſime ad Roman. 3. cap. Iuſtitia, inquit, manifeſtata eſt, iuſtitia uero dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes eos qui credũt. Et in 10. capite ait, Perfectio legis Chriſtus eſt, ad iuſtificationem omni credenti. Deniq̃ Paulus & Silas detẽti propter nomen Chriſti in carcere Philippico, & roganti carceris cuſtodi, Domini quid me oportet facere ut ſaluus fiam? Reſponderunt, Crede in dominũ Ieſum, & ſaluus eris tu & domus tua. His opinor oſtendimus euidẽter fide nos iuſtificari, id eſt, per fidem nobis communicari iuſtitiam & merita Chriſti.

Acutæ diſputationes de hoc negotio.

Cæterũ non arbitror quenq̃ uel modice aſſuetum ſcripturis, offendi his loquutionũ formis, Gratia dei iuſtificamur, Per Ieſum Chriſtũ, uel merito Chriſti iuſtificamur, Fide in dñm Ieſum iuſtificamur, quaſi diſcrepẽt, diuerſisue rebus iuſtificationẽ tribuant. Eiuſdem enim generis ſunt omnes, & unico deo miſericordi iuſtificationẽ hominis aſcribunt: quo unice animi acumen intenderũt prophetæ & apoſtoli, qui cũ fontem & originẽ iuſtificationis reſpexerunt, dixerunt gratia dei iuſtificari homines: cum aũt expenderunt gratiæ pignus, & eum per quẽ & cuius merito iuſtificamur, dixerunt per Chriſtũ nos iuſtificari: cũ uero illud cõſiderarunt per q̃d gratiæ & Chriſti efficimur participes, dixerũt fide nos iuſtificari. Interim non fuerunt ſoliciti q̃ probe ipſorũ locutiones cum loco cauſſarũ congruerent, ut ferè curioſuli quidã admodũ acute diſputãt, fidésne iuſtitia ſit, an inſtrumentũ participandi iuſtitiã: acceptabulúmne an infundibulũ ſit iuſtitiæ, an ipſa iuſtitia, &c. Sic ſanè exercentur ingenia: ſed quid hæc ad pietatẽ faciunt? Apoſtoli ſimplicitati ſtudentes, indiſcriminatim & deum & gratiã dei, & Chriſtũ & fidẽ iuſtificare, item per gratiam, per Chriſtum, & per fidem nos iuſtificari tradiderunt: quã ſimplicitatem in præſenti ſequens, argutias alijs proferendas & diſcutiendas relinquo.

Sola fide iuſtificamur.

Iam quod adiecimus SOLA fide propter Chriſtum, & non propter opera noſtra, nos iuſtificari, non de noſtro accepimus, ſed ex ipſiſſimis ſcripturis mutuauimus. Nam dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus in euangelio Ioan. cap. 6. Niſi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis. En ſola nos manducatio carnis Chriſti uiuificat: nec in mundo aliud ſupereſt quod uiuificet, niſi mãducatio carnis dominicæ. Cæterũ quid ſit manducare carnem Chriſti, ipſe mox in eodem cap. exponit, & ait, Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Item, Qui uenit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam. Hic dixiſſet, Qui bibit me, non ſitiet unquam: ſed pro bibere poſuit credere. Eſt ergo edere & bibere aliud nihil q̃ credere. Proinde niſi credamus filium dei in mortem pro nobis traditum eſſe, nunq̃ uiuemus: uiuemus aũt, ſi illud crediderimus, fides ergo uiuificat. Congruit cum euangelio & Paulus ad Gal. dicẽs, Scimus nõ iuſtificari hominẽ ex opibus legis, niſi per fidẽ Ieſu Chriſti: & nos in Ieſum Chriſtũ credidimus, ut iuſtificaremur ex fide Chriſti. Cũ em̃ dicit hominẽ non poſſe iuſtificari niſi p̃ fidẽ Chriſti, q̃d aliud hoc loquutionis genere innuit q̃ ſola fide Chriſti hominẽ iuſtificari? Nã in Gen. dixit Ioſeph ad fratres, Nõ uidebitis faciẽ meã, niſi fratrẽ ueſtrũ minimũ adduxeritis uobiſcũ. Et in Num. queru la' obmurmurãs deo uulgus, Nihil aliud reſpiciũt oculi noſtri niſi man. In eodẽ lib.

dicit

dicit Bileam, Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit dominus? In Deuteronomio quoq; dicit Moses, Et nunc Israel quid petit à te dominus, nisi ut diligas eum? Et Paulus ipse eodē loquutionis genere utens, ait, Nō est potestas nisi à deo. Item, Quæ sunt dei, nemo nouit nisi spiritus dei. Rursus, Non iudicaui me quicq; scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Hæ autem & similes loquutiones infinitæ, nil aliud significant in scripturis, q; si dicas, Hoc solum reditū uobis ad me aperiet, si adduxeritis uobiscum fratrem uestrum minimum. Oculi nostri solū Man & nihil aliud uident. Solū hoc quod dominus iubet loqui possum. Vnicū hoc poscit à te dominus, ut diligas eum. Omnis potestas à solo deo est. Solus spiritus nouit ea quæ dei sunt. Solum Christum crucifixū me scire iudicaui. Quæ cum ita habeant, & nemo negare possit, & à Christo & à Paulo manifestissime dictum sit, Neminem uiuificari aut iustificari nisi per fidem, mirum est cur hodie magni nominis uiri, & qui literarū scientissimi uideri uolūt, adeo in nos debacchentur quod dicimus, Sola nos fide iustificari. Christus enim & Paulus priores ita loquuti sunt, illos inquā arguant, si quid hic peccatū putant. Nam puerile illud est quod obijciūt uoculam Sola ab eis non poni. Id enim perinde est ac si puer ideo sibi putet abeundi facultatem à præceptore negatā, quod is roganti, Præceptor facisne mihi abeundi facultatem? responderit, Facio, & non simpliciter uulgariterq; dixerit, Ita. Vtrunq; enim loquutionis genus unum & eundē efficit sensum. Ita siue dicas, Scimus neminem iustificari nisi per fidem: siue, Scimus sola fide iustificari hominē, in idem recidunt loquutiones, & eundē retinent sensum. Verū libet & alia non minus clara scripturæ testimonia proferre, quibus manifestissime asseritur, fide iustificari hominē, nō operibus: quod perinde est ac si testificarentur sola fide iustificari hominē. Ad Romanos 3. dicit Apostolus, Iustificantur gratis per illius gratiā. An uero gratis fit q̄d pro præmio siue opere fit? Certè si per Christi gratiā iustificamur, nō per opera iustificamur. Vndecimo enim cap. idem ille Apostolus, Quod si per gratiā, inquit, non iam ex operibus. Quandoquidē gratia iam nō est gratia. Sin ex operibus, nō iam est gratia. Itaq; omniū sapiētissime & uerissime solius fidei beneficio hominem Christianū iustificari confitemur atq; contendimus: quod fides ipsa innitat diuinę gratiæ, & nihil hominis uiribus, totū autem deo tribuat: sicut mox copiosius dicemus. In eodem 3. cap. Apost. de Iustificatione summā rei inferens, Arbitramur siue concludimus itaq;, ait, fide iustificari hominē absq; operibus legis. Et in 4. cap. manifestissime ostendit nobis iustitiā imputari ex fide, non ex operibus: (nō iam legis duntaxat, sed omnis generis opera intelligens,) quemadmodū & ad Ephes. 2. cap. ait, Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, dei donū est: nō ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus figmentum, conditi in Christo Iesu ad opera bona quæ præparauit deus ut in eis ambularemus. Gratia, inqt, estis seruati, nimirum iustificati, per fidem. Fides enim apprehendit gratiā. Et ne quis hic quicquā humanis tribueret uiribus, adiungit, Idq; non ex uobis. Neq; enim gratia neq; fides ex nobis sunt. Quid ergo? Subiungit, Dei donum est, certe quod iustificamur & quod credimus. Imò ipse adijcit, Non ex operibus: & causſam addit, Ne quis glorietur. Nam & apud Ieremiam in 9. cap. non uult dominus quenquam in ulla re gloriari, nisi in misericordia sua. Sequitur hic & alia ratio, Ipsius sumus figmentum, &c. Cur ergo lutum eleuaret se erga figulū, à quo habet quicquid est, & quicquid habet? Locus ergo hic manifestissime fidei iustificationem tribuit, operibus adimit. Hæc autem hactenus de eo quod sola fide per Christum iustificamur.

Fides innititur misericordiæ dei per Christum.

Fiet hoc ipsum adhuc planius, pleniusq; cognoscetur, si ostendero, fidē illā iustificantem credere nos gratos esse domino, nō propter nos aut propter opera no-

ſtra, ſed propter Chriſtum, id eſt fidem non inniti noſtris operibus aut meritis, ſed promiſſioni diuinæ & meritis Chriſti domini. Paulus ergo Romanis ſcribens, dicit, Chriſtum dominum noſtrum à deo eſſe propoſitũ mundo reconciliatorem per fidem in ſanguinem eius, clariſſime docens fidem niti ſanguini, id eſt morti, merito & redemptioni Chriſti. Ac aliquanto plenius hoc ipſum argumẽtum in 4. cap. tractans ſcribit, Non ſcriptum eſt autem Abrahæ tantum fidem imputatã eſſe ad iuſtitiam, ſed nobis quoq; imputabitur credẽtibus in eum qui excitauit Ieſum dominũ noſtrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri. Duo enim hiſce uerbis nobis tradidit. Prius q; fides nobis imputetur pro iuſtitia: poſterius q; fides illa innitatur Chriſto domino mortuo pro nobis & reſuſcitato, id eſt, q; ideo ſe iuſtificatos credãt fideles, quia fide intelligunt Chriſtum pro ſe mortuum, ut ſcilicet peccata ipſorum expiaret: & reſuſcitatum, ut expiatos uiuificaret. Quinimo in 10. cap. eiuſdem epiſtolæ cõponens ſiue conferens inter ſe legis iuſtitiam & fidei, manifeſte indicat legis iuſtitiam inniti operibus, at Chriſtianam ſiue fidei iuſtitiam Chriſto. Hanc enim ſic pronũciare, Prope te uerbum eſt in ore tuo & in corde tuo. Deinde ſubiungit, Hoc eſt uerbum fidei quod prædicamus, nempe ſi confeſſus fueris ore tuo dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, q; deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura, Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Ideo nihil mirum eſt eundem apoſtolum Philippen. ſcripſiſſe, ſeſe propter excellentiam cognitionis Ieſu Chriſti omnia ſua damnũ reputare, imò & pro ruderibus habere, adeoq; cupere ut in Chriſto inueniatur, nõ ſuam habens iuſtitiam ex lege, ſed eam potius quæ per fidem eſt Chriſti, quam mox conſtare dicit uera cognitione mortis & reſurrectionis Chriſti. Huc maxime quadrare puto illam euidentem eiuſdem Apoſtoli argumentationem, Si ex lege eſt hæreditas, iam non eſt ex promiſſione. Sed deus Abrahæ donauit per promiſſionem. Verbum autem promiſſionis illud eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ. In ſemine inquam tuo dixit, tanquam in uno ſalutem conſtituens, & non in ſeminibus, tanquam in multis. Eſſet autem hæreditas ac benedictio in multis conſtituta, ſi daretur propter opera: nunc autem in uno, & per unum benedicimur omnes. Sicut enim per unius delictum propagatum eſt malum ſiue maledictio in omnes homines ad cõdemnationem: ita & per unius iuſtificationem propagatur bonum ſiue benedictio in omnes homines ad iuſtificationem uitæ. Quia ergo ſoli Chriſto tribuitur in uerbo ueritatis benedictio, iuſtitia & redẽptio, & fides noſtra recta in Chriſtum tendit, intelligit fidelis ſe deo propter Chriſtum, & non propter ſe aut opera ſua acceptum eſſe. Nam deus prædeſtinauit nos, ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtũ, in ſeſe, ut uerbum ueritatis diſerte habet, iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos nos reddidit per dilectũ, per quem habemus redemptionem per ſanguinẽ ipſius remiſſionẽ peccatorum. Huc pertinet & illud Apoſtoli ad Rom. 10. Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum dei, quod eſt prædicatio euangelij de Chriſto. Subijcit enim Apoſtolus illud ex Pſalmo, In omnem terrã exiuit ſonus eorum, &c. His ualidiſſimis ſcripturę teſtimonijs euici, haud dubie fidem iuſtificantẽ, credere deo, nõ propter noſipſos aut propter opera noſtra, ſed propter Chriſtum & merita eius nos eſſe reconciliatos atq; acceptos. Nam fides innititur in ueritatem dei promiſſam, in ipſum Chriſtum dominum, non in ulla opera noſtra, ideoq; fidei tribuitur iuſtificatio, quia fides diuinæ gratiæ in Chriſto ex integro tribuit ſalutis & iuſtitiæ omnia.

Neminẽ iuſtificari per opera.

Demonſtraui ex ingenio fidei iuſtificãtis fidem ſolam iuſtificare, demonſtrabo

opera

opera hominum non iustificare, idq; ex eorum ingenio. Opera itaq; hominis omnia uel Naturæ ingenio sunt nata, uel dicuntur Legis opera, uel fidei ac diuinæ gratiæ sunt opera. Cæterum qualia sint opera naturæ humanæ, id est quæ fiunt à nondum renatis, ipse dominus in euangelio explicat, & dicit, Quod natum est ex carne, caro est. Atqui de Carne amplius pronunciat Apostolus, & ait, Affectus carnis mors est, & inimicitia aduersus deum: nam legi dei non subijcitur, imò ne potest quidem. Omnes enim natura sumus filij iræ. Atqui maledictus est, quisquis non manserit in omnibus quæ in lege dei scripta sunt: opera itaq; naturæ tantum abest ut iustificent, ut damnent potius. Porrò de opibus legis uas electionis Paulus in hæc uerba pronunciauit, Scimus quod quæcunq; lex dicit, ijs qui sub lege sunt dicat, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus deo: propterea quod ex operibus legis non iustificabitur ulla caro in cõspectu eius. Et alibi idem, Non aspernor gratiam dei, ait, Nam si per legem est iustitia, certè Christus frustra mortuus est. Et adhuc clarius, Si data fuisset lex quæ posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Restant opera fidei siue gratiæ, quæ dicũtur opera bona & opera iustitiæ: Hæc, hæc, inquiunt, iustificant. Cæterum si bona sunt & iustitiæ opera, necesse est à bonis ac iustis facta sint: unde consequens est iustitiæ opera sequi, non præcedere iustificationem. Fiunt enim à iustis siue iustificatis, iccirco cum sequantur non efficiunt ea iustos. Fides autem efficit iustos, iusti efficiunt iustitiam siue opera iustitiæ. Quia scriptum est, Iustus ex fide sua uiuet. Et iterum, Qui exercet iustitiam, iustus est. Fides itaq; fundamentum & caussa ipsissima est iustitiæ, præceditq; iustitiæ siue fidei ac gratiæ opa, non efficitur per ipsa. Quod si hæc nondum satisfaciunt, agè consideratione hanc instituamus non secundum res, sed secundum personas. Fingite itaq; eos qui operantur, esse uel impios & hypocritas, uel pios & sanctos dei homines. Operibus autem impiorum & hypocritarum nemo, opinor, tribuet iustificationem, cum scriptum sit, Sacrificium impiorum abominatio domini est. Et iterum, Hypocrita innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget: neq; ueniet ullus in conspectũ domini hypocrita. Supersunt itaq; pij & sancti dei homines. Hi uero, quoniam scriptum est, Abluti estis, sanctificati estis, sed & iustificati estis per nomen domini Iesu, & per spiritum dei nostri, sanctificationem illam suam deo diuinoq; ascribunt spiritui, per quem se sanctificatos norunt, ut iam faciant opera sancta. Præterea sentiunt tantam in carne sanctificata, hoc est, in semetipsis remanere, & per omnem uitam agere imbecillitatem, ut non ausint ipsis etiam operibus per fidem in sanctificatione factis iustitiam ascribere. Atq; huius rei cum plures hic producere queam testes sanctissimos, duos tantum adducam in medium. Et primus quidem prodeat huc dei fidelissimus seruus Iob, quem nobis diuinum eloquium hisce uerbis commendauit, Non est ei similis in terra, uir integer & rectus, timens deum, & recedens à malo. At uir tantus & tam amplo nobis commendatus iustitiæ titulo, Si iustus esse contendero, inquit, os meum condemnabit me impietatis, sicq; integritatem mihi arrogem, opprimet me. Et iterum, Si impie egi, uæ mihi: si iuste egi, nec sic erigam caput meum. Constat ergo sanctissimum & integerrimum hominem iustitiæ suæ fructibus, iustificationem non tribuisse, sed duntaxat sperasse in misericordiam dei. Accedat huic iam secundus testis apostolus Paulus, qui disertis uerbis, Delectat me, inquit, lex dei secundum internum hominem, sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi

Opera naturæ.

Opera legis.

Opera fidei & gratiæ.

Impij & hypocritæ.

Sancti & renati.

Iob.

Paulus.

mentis meæ, & captiuum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. Loquitur autem de se Apostolus & de renatis omnibus, testaturq; in ipsis carnis remanere reliquias, quarum ingenio ac ui per omnem hominis uitã fiat, ut quod nolint faciant, ac ideo nunquam ad plenam perfectionem, dum in his terris & hac carne uiuunt, ueniant. Quæ cum ita sint, nemo est qui non uideat operibus fidei siue renatorum non posse aut deberi iustificationem ascribi: cum oporteat illud quod deum nobis reddit placatum, esse purissimũ, & omni parte absolutissimum.

Abraham. Quid quod scriptura aperte testatur, ne ipsum quidem Abrahamum omnium credentium patrem ex operibus fidei esse iustificatum. Vixit is ante legem annis quadringentis triginta, credidit deo, & ex fide sanctissima opera operatus est, atqui non iustificatus est ex illis suis fidei operibus. Vnde non dubitamus colligere, ne nos quidem ex ullis fidei operibus iustificari. Paulus enim manifestissime sic argumentatur, Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quod glorietur, at non apud deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Ei uero qui operatur, merces non imputatur secũdum gratiam, sed secundum debitum. Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Iam uero quod nos ex Abrahæ exemplo concludimus, nos similiter fore iustificandos, non ex nostro arbitrio pronunciamus, sed ex eiusdem Apostoli uerbis, dicentis, Non scriptum est autem propter illum tantum, imputatum fuisse illi fidem ad iustitiã, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, si credamus in Christum.

Fides tranquillam reddit conscientiam, non opera. Porrò sicut ex ingenio fidei & operum ostendimus fidem, & non opera, iustificare, ita hoc ipsum ex iustificationis natura euincemus. Iustificationis proprium opus & genuina uirtus est, serenare et tranquillã reddere recordatione peccatorũ & condemnationis turbatam exagitatamq; cõscientiam. Nam Paulus, Iustificati, inquit, ex fide pacem habemus erga deum per dominũ nostrum Iesum Christum. Cæterum opera hominum nunquam possunt sic afflictas cõsolari atq; pacare conscientias. Quis enim sibi unquã persuasit se suis operibus diuinæ legi satisfeciſſe, à peccatis absolutum, & à damnatione liberatum, sanctum esse ac immaculatum? Præsertim cum sapientissimus mortalium Solomon dixerit, Quis dicet, Mundaui cor meum? purificatus sum à peccato meo? Cum ergo opera nostra non tranquillant conscientiã, nequaquam quenquam iustificant. Fides autem pacificat perfectissime, iustificat itaq; fides. Dominus enim in euangelio dixit, Omnis qui biberit ex aqua hac, (externa nimirum & omnia mortalium præsidia significans) sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Et iterum, Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. En fides quæ recta in dominũ Iesum tendit, satiat nos. Intelligit enim Christum ipsum Copiæ cornu esse cœlestium bonorum, & hunc ipsum sese totum impendisse pro nobis, & nostrum per omnia factum: ut iam in hoc possit afflicta acquiescere conscientia. Nam nihil est in Christo dei filio pleno gratia & ueritate defectus & imbecillitatis. In operibus uero uel sanctissimorum hominum perpetuò inuenitur infirmitas atq; imperfectio.

Sancti gloriantur non in operibus, sed in misericordia domini. Iam si ingenium eius quoq; inspiciamus cuius statuimur iudicio iudicandi, & apud quem sumus iustificandi, deprehendemus liquido non operum sed fidei beneficio nos iustificari. Siquidem respicit summus ille & iustissimus iudex ad humiliatos, & corde contrito homines: & hos quidem iustificat: cæterum exultantes, & in meritis suis gloriantes, auersatur ac damnat. Huc enim pertinet duorum

ex

ex euangelio parabola aſcendentium adorandum in templum, quorum alter bona ſua opera prædicabat, ijſq; nitebatur, & pro iuſto ſeſe uenditabat: alter uero totus miſericordiæ diuinæ, nihil autem ſuis meritis confiſus, clamabat, Deus propitius eſto mihi peccatori. Hic enim iuſtificatus è templo diſceſcit: alter uero peccatis inuolutus ſpe ſua excidit. Dominus ergo apud Ieremiam rectiſſime conſulens, ait, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neq; fortis in fortitudine ſua, neq; diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, quod intelligit & cognoſcit me, qui facio iudicium, iuſtitiam, & miſericordiã. Ei conſilio diuinus obſequens apoſtolus, clamat, Ego uero abſit ut glorier, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Nam & in euangelio dominus dixit, Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite, Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus. Pij itaq; diuinã laudant gratiam, ſua merita nihil iactitant, neq; his quicquam confidunt, miſericordiæ dei confidunt.

Non conſiſtunt iuſtitia fidei & operum.

Poſtremo ſi ipſas inter ſeſe cõmittamus iuſtitias, fidei inquam & operum, nullo negotio intelligemus diuerſiſſimas inter ſe nullatenus conſiſtere poſſe. De iuſtitia enim operum apoſtolus pronunciauit, Ex operibus non iuſtificabitur in conſpectu dei ulla caro. Sed de iuſtitia fidei idem, Iuſtificantur autem omnes, inquit, qui credunt. Idem alibi dicit, Iuſtitia fidei imputatur ſecundum gratiam: iuſtitia autem operum non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Rurſus ad Rom. 9. cap. Iſrael, inquit, ſectabatur legem iuſtitiæ, & ad legẽ iuſtitiæ non peruenit: contra gentes non ſectabantur iuſtitiam, & apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ eſt ex fide. Ac ſuperioris membri rationem mox reddens, ſubiungit, Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi. Conſtat itaq; alteram altera ſubuerti: atq; adeo nos qui docemus fide in dominum Ieſum iuſtificari homines, non operibus, non ſubuertere fidem Chriſtianam, ſicut calumniantur aduerſarij noſtri, ſed illos potius qui omnibus modis fidem eleuant, operibus autem meritisq; hominum contendunt eccleſiam abſolui à peccatis, liberari à condemnatione, ac hæreditatem conſequi uitæ æternæ.

Fides non eſt abſq; operibus.

Hac diſputatione mea de Chriſto domino nos per fidem non per opera iuſtificante, uel de fide abſq; operibus iuſtificante, non dubito multos offendi grauiter, arbitrantes fortaſſis nullam me bonorum operum rationem habere, nec illis honeſtum in eccleſia locum relinquere. Si enim opera hominis bona, inquiunt, nihil ad iuſtitiam faciunt parandam, nullus profecto eorum uſus in eccleſia eſt. Fruſtra ergo tanta fit bonorum operum in ſcripturis ſacris mentio. Fruſtra urgent cum prophetis apoſtoli Chriſti domini, ut bene operando probemus fidem noſtram, glorificemusq; patrem qui in cœlis eſt. Cur contendit diuus apoſtolus Iacobus hominẽ iuſtificari & non per fidem tantum? Quod ſi ſola fides ſufficit ad parandã ſalutem, quid reſtat niſi ut edamus & bibamus, deinde uero ad iudicẽ deum dicamus, Credidi euangelio tuo, ſaluum itaq; fac ſeruum tuum. Ita autem ſublata erit omnis diſciplina, omnis pietas, omne ſtudium innocentiæ & uirtutũ. Cæterũ qui ita queritantur, nec fidei uirtutem, nec ueram bonorum operum rationẽ intelligunt. Neq; nos ſentimus fidem eſſe abſq; bonis operibus, cum iuxta apoſtolũ dicimus, fidem abſq; operibus iuſtificare, ſed confitemur fidem ſua uirtute non operum præſidio iuſtificare. Satis enim per ſeipſum & ſuapte uirtute efficax eſt Chriſtus ad iuſtificandum credentes, neq; ullo noſtro indiget operum ſupplemento. Neq; fides eſt ſine bonis operibus. Neq; uero inania ſunt Chriſtianorum opera, quia non iuſtificant. Habent nihilominus honeſtiſſimum in eccleſia locum. Cumq; dicuntur in

ſcripturis, quod non raro fit, iuſtificare, ſingulari quadã ratione id de ipſis dicitur. Quod ut rectius intelligatur, repetemus rem paulò altius, ipſaq; bona opera deducemus ex ſuis fontibus, certisq; circũſcribemus limitibus, quo ipſorũ natura ingeniumq; totum pleniſſime cognoſcatur.

De bonis operibus.

De uocabulo non ſum adeò ſollicitus. Sunt enim, quod nemo ignorat, opera mala, & opera iniquitatis: unde & operarij iniquitatis dicuntur: ea ipſa & Chananæorum, carnis & tenebrarũ opera appellantur. Rurſus ſunt opera bona, illis oppoſita quæ Paulus alicubi uocat opera digna pœnitentiæ, fructus item ſpiritus & lucis, cuiuſmodi ſunt humanitatis & charitatis officia: qualia laudantur in Thabita illa Act. 9. cap. quæ dicitur plena fuiſſe operibus bonis. Hæc inquam deſcribentes dicimus, Bona opera eſſe quæ fiunt à renatis, ex ſpiritu dei bono, per fidem, & ſecundum uerbum dei, ad gloriam dei uitæq; ornamentum ac honeſtatem, denicq; ad utilitatem proximi. Breuia ſanè & acciſa ſunt hæc, & fortaſſis hoc nomine obſcura quibuſdam, ſed fient ea per conſequentem expoſitionẽ, gratia dei illuſtrante nos, multo clariſſima.

Fons, origo & cauſſa bonorũ operum deus.

Fontem bonorum operum non alium indicamus, quàm ipſum deum omniũ bonorum authorem. Propheta enim, Omnis, inquit, homo mendax, ſolus deus uerax. Et dominus in euangelio, Nemo, inquit, eſt bonus niſi ſolus deus. Vnde oportet bona opera, non ab homine oriri, qui mendax & corruptus eſt, ſed ab ipſo deo, à quo omne quod bonum eſt, proficiſcitur. Regenerat autẽ hic homines per ſpiritum ſuum, & per fidem in dominum Ieſum, ut qui per ipſum renati ſunt, non iam ſua operentur opera, id eſt opera carnis, ſed opera dei. Naſcuntur enim opera renatorum ex inhabitante ſpiritu dei bono: qui ut ſuccus uitalis plantas uegetat ut fructũ proferant, ita ille uarias ex homine uirtutes progerminat ipſo domino teſtante atq; dicente, Ego ſum uitis, uos palmites eſtis. Sicut palmes non poteſt ferre fructũ à ſemetipſo, niſi manſerit in uite: ſic nec uos niſi in me manſeritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Ad eandem refertur cauſſam cum dicimus bonũ opus fieri per fidem. Nam fides donum dei eſt, hac Chriſtum recipimus, per hanc iuſtificamur & uiuificamur, dicente ſcriptura, Iuſtus fide ſua uiuet. Et alibi, Per fidem inhabitat Chriſtus in cordibus ueſtris. Et iterum, Viuo iam nõ ego, ait Paulus, ſed uiuit in me Chriſtus. Et uitam quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Cæterũ uiuus uiua facit opera, per eum haud dubie per quẽ uiuificatus eſt: & iuſtificatus operatur opera iuſtitiæ, nimirum per eum per quem iuſtificatus eſt: hoc eſt, iuſtus iuſtitiam per Chriſtum facit: iuſtitia totum uirtutum chorum comprehendit. Proinde ſolus deus manet fons & origo bonorum operum. Quibus illud accedit quod ſcriptura ſancta manifeſtiſſime ipſi deo in renatis operanti per ſpiritum ſuum in fide, attribuit renatorum opera. Id quod luculenter iam demonſtrabo euidentibus teſtimonijs, petitis è lege dei, è ſanctis prophetis, è ſacroſancto euangelio, & delectis Ieſu Chriſti apoſtolis. Moſes enim Deuteronom. 30. cap. dicit, Benedicet tibi dominus, & circuncidet dominus deus cor tuum & cor ſeminis tui, ut diligas dominũ deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua ut uiuas. Iſaias autem propheta, Domine, inquit, tu ordinabis nobis pacem, quoniam etiam tu operatus es in nobis omnia opera noſtra. In euangelio ſecundum Ioannem dicit ſaluator, Qui operatur ueritatem uenit ad lucem, ut conſpicua fiant opera eius, quod per deum facta ſint. Et iterum, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia ſine me nihil poteſtis facere. Apoſtolus quoq; Paulus ad Philippenſes, Vobis, inquit, donatum eſt pro Chriſto non ſolum

ut in eum credatis, uerum etiam ut pro illo patiamini. Et adhuc clarius, Deus est is qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito. Sic & S. Iacobus apostolus, Omnis, ait, donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à patre luminum. Sed & S. Petrus apostolus omnes operis partes deo ascribens, Deus omnis gratiæ, ait, qui uocauit uos ad æternã suam gloriam per Iesum Christum instauret uos, fulciat, roboret, ac stabiliat. Nos enim non sumus idonei, ut iterum dicit apostolus, ex nobis ipsis cogitare quicquam tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex deo est. Solus ergo deus manet unicus bonorum operum fons, idem ille operans omnia bona in omnibus.

Quomodo tribuat scriptura operibus iustitiam.

Ex his autem quæ ex scripturis attulimus de uera bonorum operum caussa, facile & illud intelligere licebit quomodo tribuat scriptura operibus iustitiã. Siquidem gratiæ diuinæ tribuitur iustitia cum fidei tribuitur. Eidem autem gratiæ ascribitur cum opibus ascribitur. Gratia enim dei, adeoq; ipse deus operatur in nobis opera bona, ut iam gratiæ dei ipsiq; Christo operanti per nos attribuatur iustificatio. Obseruauit hoc ipsum & Aurel. Augustinus, qui in libro de Gratia & libero arbitrio cap. 8. sic scribit, Si uita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime scriptura dicit, Quoniam deus reddet unicuiq; secundum opera sua, quomodo gratia est uita æterna, cum gratia nõ operibus reddatur, sed gratis detur, ipso apostolo dicente, Ei qui operatur, merces non imputatur secundũ gratiam, sed secundum meritum. Et iterum, Reliquiæ, inquit, per electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt. Et mox addit, Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. Quomodo ergo gratia est uita æterna, quæ ex operibus sumitur? An forte uitam æternam non dixit apostolus gratiam? Imò uero sic dixit, ut negari omnino non possit: nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorem. Cum enim dixisset, Stipendium peccati mors, continuo subdit, Gratia autem dei uita æterna in Christo Iesu domino nostro. Ista ergo quæstio nullo modo mihi uidetur posse dissolui, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, q̃bus æterna redditur uita, ad dei gratiã pertinere, ꝓpter illud quod ait dñs Iesus, Sine me nihil potestis facere. Et ipse apostolus cum dixisset, Gratia salui facti estis per fidẽ: addit, Et hoc nõ ex uobis, dei donũ est: nõ ex opibus, ne quis glorietur. Hæc August.

Opera dei per nos facta nostra sunt opera.

Hoc tamen hic additum oportet, ipsa opera bona tametsi reuera dei & proprie fidei ac spiritus fructus sint, dici nihilominus & esse etiam nostra, id est hominum fideliũ opera, partim quod per nos operatur deus, ac nostro ministerio in his perficiendis utitur, partim quod per fidẽ filij dei facti, atq; iccirco fratres Christi & coheredes Christi effecti sumus. Ex hoc enim hæreditatis iure, om̃ia dei opera ac dona nostra, non ut aliena, sed maxime ꝓpria esse incipiunt. Sed & scriptura illa nobis ut filijs ac ingenuis tribuit: quando in euangelio saluator dicit, Seruus nõ manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Quemadmodum ergo omnia quæ sunt in domo paterna iure hæreditatis ac proprietatis obueniunt filio, tametsi illa non sua pararit industria, sed parentum liberalitate accepit: ita & opera dei quæ in nobis & per nos operatur pater, nostra dicuntur & sunt, quia hæredes & filij dei sumus. Turpissimum autem & ingratissimi animi indicium foret, si filius paternæ liberalitatis & munificentiæ immemor, omnes illas facultates hæreditate acceptas, suo studio suaq; uigilia partas esse gloriaretur. Religiosissime ergo Sanctus Paulus, Quid, inquit, habes quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Religiosissime sapiebat & Sanctus Cyprianus martyr qui dicere solebat, In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Huc pertinere uidetur quod apud Isaiam legitur, Nunquid gloriabitur securis contra

cum qui secat cum ea? nunquid gloriabitur serra contra eum qui ipsam agitat? Vnde ex scripturæ sententia, & secundum deum in hæc uerba pronunciauit Augustinus libro de Gratia & Libero arbitrio cap. 6. Cum data fuerit gratia, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per gratiam tamen. Nam si illa sese subtraxerit, cadit homo, nõ erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed deo cui dicitur in Psalmo, Adiutor meus esto, ne derelinquas me: dicẽdo, Ne derelinquas me, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni ualet ipse per se. Hactenus Augustinus euidenter satis ostẽdit opa bona ita esse nostra, ut oĩa interim debeanẽ gratiæ. Vnde cũ operibus nostris tribuitur iustitia, certè gratiæ tribuitur ex qua sunt bona opa.

Alij hunc nodum ita dissecant, ut dicant fideles placere deo propter Christum qui ipsos deo reconciliauit, & quia placent deo qui operantur, iccirco & placere opera quæ fiunt à reconciliatis, nõ ꝓpter se, aut quia ex ipsis fiunt: sed quia à membris Christi fiunt. Alij ita sentiunt, Fides & opera coniuncta sunt. Iustus enim ex fide uiuit, & iustus operatur iustitiam: nec quicquam ualet præputiũ, neq; quicq; præstat circũcisio, sed fides per dilectionẽ efficax siue operans: ideoq; ꝓpter hanc inseparabilem coniunctionem alteri tribuitur quod reuera alterius est.

In fide spectanda reconciliatio & obedientia.

Poterat & sic explicari hoc negotium, In fide duo sunt spectanda, Reconciliatio & Obedientia. Reconciliatio quidem, quia fide intelligimus deum nobis reconciliatum esse propter Christum, per quem grati & dilecti deo effecti sumus. Obedientia autem, quia reconciliati sese totos ei dedicant cui reconciliati sunt, cupientes illius uoluntatem facere. Hic ergo dicere licebit duplicem esse iustitiam, iustificantem inquam & obedientem. Iustificantis Paulus meminit, cum dixit, Iustificati ex fide pacem habemus erga deum per dominum nostrũ Iesum Christum, per quem reconciliati sumus. Obedientis idem meminit, dicens, An nescitis quod cui accõmodatis uos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem siue obedientiæ ad iustitiam? Atqui proprie quidem tribuitur iustificanti iustificatio, improprie obedienti. Nam hæc ex illa existit, & sine illa non diceretur iustitia.

Fides purificat.

Licebit eundem nodum & hac ratione dissolutere. Fidei proprijssimũ opus est purificatio siue sanctificatio. Nã Petrus apostolus diserte dicit fide purificari corda. Cæterum in sanctificationis caussa duo præcipua ostendũt sacræ literæ. Prius, quod Iesu Christi sanguine gratis sanctificamur quotquot credimus. Nam S. Petrus dicit nos electos per sanctificationem spiritus in obedientiã & aspersionẽ sanguinis Iesu Christi. Et adhuc apertius, Scitis uos non caducis rebus uelut auro & argento fuisse redemptos, sed precioso sanguine uelut agni immaculati & incõtaminati Christi. Paulus quoq; apostolus, Per uoluntatẽ, inquit, dei sanctificati sumus per oblationẽ corporis Iesu Christi semel peractã. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos qui sanctificantur. Sed & Ioannes apostolus idẽ testificans dicit, Sanguis Iesu Christi filij dei emũdat nos ab omni peccato. Fides ergo in sanguinẽ Iesu Christi reuera & proprie sanctificat ꝓpter eum qui dixit, Ego sanctifico me pro ipsis, ut sint & ipsi sanctificati per ueritatẽ. Posterius quod circa sanctificationẽ tradunt sanctæ literæ illud est, quod sanctificati Christi sanguine per fidem, indies sese sanctificant & sanctimoniæ studeant: quo nimirũ bona pars adhortationum apostolicarum pertinere uidetur. Certè S. Petrus, Quoniã, inquit, is qui uos uocauit sanctus est, ita ipsi quoq; sancti in omni cõuersatione reddamini, ꝓpterea quod scriptum est, Sancti estote. Nam ego sanctus sum. Et D. Paulus apostolus, Hæc est uoluntas dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, & di

scat

ſcat unuſquiſq; ueſtrũ ſuum uas poſſidere cum ſanctificatione & honore, nõ cum affectu cõcupiſcentiæ: & ne quis opprimat et fraudet in negotiatione fratrẽ ſuum. Sic & apoſtolus Ioannes docuit, dicens, Nunc filij dei ſumus, & nondum interim apparuit quod futuri ſumus. Certo autẽ illud nouimus, quod cum ille apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniã uidebimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo purificat ſe, ſicut & ille purus eſt. Itaq; dicitur & hæc noſtra purificatio, quæ ſcilicet noſtra cura fit & induſtria, ſanctificatio uera, non propter ſemetipſam, ſed propter primã illam Chriſti ſanguine factã: quæ niſi præcedat, nulla eſt ſanctificatio noſtra: rurſus ſi præcedat, neceſſe eſt & hanc cõſequi. Rectiſſime enim S. Iacobus apoſtolus pronunciauit, Si fides facta non habuerit, mortua eſt per ſe. Per ſe, inquã, id eſt ſola & nullis fœcunda operibus bonis. Nam quemadmodum corpus abſq; ſpiritu mortuum eſt, ita & fides abſq; factis mortua eſt. Corpus quidem uiuificum operatur, & officia præſtat multis: ita neceſſe eſt & fidem per officia charitatis prodeſſe multis. Quod ſi officijs pietatis nemini prodeſt, fictum eſt & inane nomen: quẽadmodum & ſanctificatio hominis, niſi ſeſe exerat in dictis & factis ſanctis, inſyncera & hypocritica haud dubie cenſenda eſt. Interim uero quicquid ueræ ſanctitatis eſt in ſanctificatione illa noſtra, quæ uidelicet in noſtris relucet operibus, id totum referendum eſt ad ſanctificationem illam quæ ſanguine Chriſti facta eſt, cui proprijſſime competit iuſtificationis gloria: improprie uero, id eſt per imputationem & conceſſionem gratuitam, noſtris ſtudijs, iuſtitiæ & ſanctitati. Proinde quoties porrò operibus noſtris bonis iuſtitiam in ſacris aſcribi uideris, his rationibus quas hactenus expoſui factum cogitabis. Nequit enim ſpiritus apoſtolicus ſibi ipſi aduerſari.

Contra duo hominum genera certarunt & ſcripſerunt apoſtoli.

Præterea conſtat apoſtolis domini certamen fuiſſe cum duobus hominum generibus. Alij ſuis bonis operibus ad normã legis diuinæ factis tribuebãt iuſtitiam ac ſalutem, atq; ideo Chriſtũ aſpernabantur. Suam enim propriam iuſtitiã conſtituere uolentes, iuſtitiæ dei non erant ſubditi. Contra horum impiam ſententiã docebant apoſtoli, in primis uero Paulus, fide in dominum Ieſum & non operibus noſtris parari iuſtitiam & uitam. Imò idem ille ad Galatas, Non aſpernor, inquit, gratiam dei. Nam ſi per legem eſt iuſtitia, igitur Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Et iterum, Chriſtus uobis factus eſt inutilis, quicunq; per legẽ iuſtificari uultis à gratia excidiſtis. Contra eoſdem illos celebrata eſt ſynodus Hieroſolymitana: cuius mentio fit à Luca in Actis cap. 15. Erãt rurſus alij quidã homines leues & irreligioſi, qui hac apoſtolorum doctrina ad licentiã carnis abutentes, ſatis ad ſalutem eſſe credebant, ſi ſe fidem habere dicerent, licet in ipſis nulla opera bona inuenirentur. Contra hos ergo ut ueræ religionis peſtes pugnabant ijdẽ illi apoſtoli, docebãtq; fidem Chriſtianam non uanam eſſe opinionem & cognitionem ſterilem, ſed uiuificam & efficacẽ, bonorumq; operum feraciſſimã. Paulus enim contra iſtos agens ad Titum, Deum, ait, profitentur ſe ſcire, factis autẽ negant, cum ſint abominabiles & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi. Petrus quoq; apoſtolus tectius illos ipſos hypocritas perſtringens, Toto, inquit, ſtudio in hoc incumbite, ut in fide ueſtra ſubminiſtretis uirtutẽ: in uirtute uero ſcientiam: in ſcientia uero temperantiam: in temperantia uero patientiam: rurſus in patientia pietatem: in pietate autẽ fraternã charitatem: in fraterna uero charitate dilectionem. Hæc enim cum uobis adſint & exuberent, haud ocioſos nec in irritũ laborantes efficiunt ad domini Ieſu Chriſti cognitionẽ. Nam cui non adſunt hæc, is cæcus eſt, & manu uiã tẽtans, oblitus ſeſe à ueteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatũ. Notiſſima ſunt & illa quæ de hac re apoſtoli Chriſti Ioannes & Iacobus ſcripſere: quorũ hic omnino cõtendit Abra-

hamum non fide tantum, id est inani illa opinione iustificatũ esse, sed per opera, nil mirum fidem uerã. Interea nolebant fidelissimi apostoli Christi, his & huiusmodi exhortationibus gratiã & meritum Christi euacuare, merita hominũ attollere, sed illorũ potius impuritati obstare, qui fidẽ Christi magno cum offendiculo infirmorum iactabant quam nunq̃ cognouerant. Si enim uere cognouissent, haud dubie uixissent tẽperantius. Ergo cũ opera bona urgent apostoli, ipsam fidẽ in Christum uerã, ac per charitatem efficacem urgent, ac nihilominus omnia uel illa etiã opera quæ exigunt à fidelibus, gratię dei tribuunt. Vera & orthodoxa me docere dicent quicũq̃ literas apostolicas uel à limine salutarunt: sed & August. catholicus eccle siæ doctor, testabitur me hic nihil cõfinxisse noui. Libro enim de Gratia & Libero arbitrio 7. cap. sic scribit, Homines non intelligentes quod ait Apostolus, Arbitramur iustificari hominẽ per fidem sine operibus legis, putauerunt eum dicere sufficere homini fidem, etiãsi male uiuat, & opera non habeat: quod absit ut sentiat uas electionis, qui cum dixisset quodam loco, In Christo Iesu neq̃ circuncisio quicq̃ ualet, neq̃ præputiũ, mox addit, Sed fides quæ per dilectionẽ operatur. Illa ipsa fides est, quæ fideles dei separat ab immundis dæmonibus. Nã & ipsi, sicut dicit apostolus Iacobus, credunt, & cõtremiscunt, sed nõ bene operantur. Nõ ergo habent istam fidẽ ex qua iustus uiuit: id est, quæ per dilectionẽ operatur, ut reddat ei deus uitam æternã secundũ opera eius. Sed quia & ipsa bona opera nobis ex deo sunt, à quo nobis & fides est & dilectio, propterea idem ille doctor gentiũ etiã ipsam uitam æternã gratiam nuncupauit. Hæc ex August. recensui, & hactenus exposui, quomodo scriptura tribuat operibus bonis iustitiã, & q̃ ea doctrina nihil pugnet cum apostolico dogmate, quod fidei in Christum Iesum tribuit iustitiam.

De mercede et operũ merito.

Quoniam uero huic tractationi de iustitia operum, affinis est quæstio de bonorum operum meritis, adijciam paucula quædam de mercede ac merito operum bonorũ, in hoc potissimũ, ne quis temere & irreligiose de meritis bonorũ operum iudicãs, ac sentiens nõ iam bona, sed mala potius merita habere mereatur. Meritũ sicut de ipso differunt scholastici, nullibi in sacris reperitur literis. Mercedis autẽ in ijs multa est mentio. In eo imitatur scriptura nostrã loquendi rationem: & quia nos amicis & bene meritis præmia damus, ueluti laboris mercedem, ideo ad eandem imitationem dicitur deus amicis suis pro egregijs factis ac meritis mercedem reddere, uitam æternam. Sic enim apud Isaiam legimus, Dicite iusto q̃ bene habebit, quia fructũ studiorum suorum comedet. Væ item impio malo, quoniã retributio manuum suarũ fiet ei. Item apud Ieremiã legimus, Prohibe uocẽ tuam à fletu, quia est merces operi tuo. Et in euang. dicit dñs, Beati cũ dixerint homines omne malũ uerbum aduersum uos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniã merces uestra multa est in cœlis. Apostolus quoq̃ Paulus, Vnusquisq̃, ait, suã mercedem accipiet iuxta suum laborẽ. In his tamen non oportet mercedis uoculã urgere morosius, quasi aliquid hic nostrũ sit. Nã ipsa nostra merita aliud non sunt q̃ dei dona. Ingratissimus autem foret, si quis aliena liberalitate frueretur usufructu agri alicuius, interim & proprietatẽ sibi in integrũ usurparet. Proinde ut in alijs dogmatibus fidei nostræ, catholicã ueritatis canonicę & sanctæ ecclesiæ sententiã ubiq̃ tenuit ac tradidit August. ita & de meritis bonorum operum orthodoxã sententiam non recensuit modo, sed & diligẽtissima scripturarũ collatione muniuit, ac de gratia & libero arb. 7. cap. dicit, Ioannes præcursor dñi nostri ait, Nõ potest homo accipere quicq̃, nisi fuerit ei datum de cœlo. Si ergo dei dona sunt bona merita tua, nõ deus coronat merita tua tanq̃ merita tua, sed tanq̃ dona sua. Cõsideremus itaq̃ ipsa merita apostoli Pauli, i. ex ipso ei cõparata, an dona sint dei. Bonũ, inquit,

inquit, certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui. Primo ista bona opera si non præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attẽdite itaq; quid de ipsis cogitationibus dicat, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, tanq; à nobismetipsis, sed sufficiẽtia nostra ex deo est. Deinde singula inspiciamus, Bonũ, ait, certamen certaui. Quæro qua uirtute certauerit: utrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit ut tantus doctor gentium ignorarit legẽ dei, cuius uox est in Deuteron. Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ, fecit uirtutem magnam hanc: sed memoraberis domini dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem & facere uirtutem. Quid autem prodest bonum certamen nisi sequatur uictoria? Et quis dat uictoriam nisi ille de quo dicit ipse, Gratia deo qui dat nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Et alio loco cum cõmemorasset testimoniũ de Psalmo, Quoniã ꝓpter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oues occisiõis, subiecit atq; dixit, Sed in his oĩbus superamus per eum qui dilexit nos. Non ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos uincimus. Deinde dixit, Cursum cõsummaui: sed ille hoc dixit qui alio loco dicit, Non uolentis neq; currentis sed miserentis est dei: quæ sententia nullo modo cõuerti potest ut dicatur, Non miserentis dei, sed uolentis atq; currentis est hominis. Quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, aperte ostendit se apostolo cõtradicere. Postremo dixit, Fidem seruaui: sed idem hoc dixit qui alibi ait, Misericordiã consequutus sum ut essem fidelis. Non autẽ dixit, Misericordiã cõsequutus sum quia fidelis eram, sed ut essem: hinc ostendens ipsam etiã fidẽ haberi nisi deo miserante non posse, & esse donũ dei: quod apertissime docet, dicens, Gratia salui facti estis per fidẽ, & hoc nõ ex uobis, sed dei donũ est. Possent enim dicere, ideo accepimus gratiã, quia credimus, tanquã sibi fidẽ tribuentes, gratiã deo: propter hoc apostolus cũ dixisset, Per fidẽ, & hoc, inquit, non ex uobis, sed dei donum est. Rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse, continuo subiecit, Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia negauit aut euacuauit bona opera, cum dicat deum unicuiq; reddere secundum opera sua: sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est, Iustus ex fide uiuit. Hæc omnia uerbotim ex Augustino hactenus recensui, quæ quidẽ omnia ea quæ de merito bonorum operum dici possunt adeò plene cõplectuntur, & adeò solide scripturis munita proponunt, ut ijs nihil amplius adijciendum existimẽ. Quid enim breuius & syncerius adde & plenius dici potest, quàm esse mercedem operibus bonis paratam, sed illam ipsam aliud non esse quàm gratiam, sed & sanctorum merita dona esse dei, quę cum coronat deus, suaipsius munera coronat? Itaq; perstat in his omnibus perpetuum & infallibile dogma catholicum, fide sola siue gratia dei sola iustificari ac seruari credentes.

Bona opera fiant secundum regulam uerbi dei, non confingantur ex nobis ipsis.

Redimus itaq; ad opera bona, quæ nisi ex deo per fidem nascantur, non possunt appellari bona. Si uero à deo per fidem oriuntur etiam secundum regulam uerbi dei formantur, iccirco adieci in descriptione bonorũ operum fieri ipsa à renatis ex spiritu dei bono per fidẽ & secundum uerbum dei. Deo enim non placent opera quæ ex nobis ipsis confingimus. Nam obedientiam probat, bonas uero intentiones in nobis enatas improbat. Id quod hisce scripturarũ testimonijs demonstramus. In Deute. diserte in hæc uerba præcipit dominus, Non faciet unusquisq; quod rectũ est in oculis suis. Quicqd ego præcipio uobis, id obseruabitis ut facia-tis, nec addes quicq; super ipsum, neq; minues ab eo. Porrò in historia Samuelis huius rei memorabile ponitur exemplũ. Accipit enim præceptum rex Israelitarũ Saul ut anathemate feriat & Amelechitas & omnes res Amelechitarum: ipse

uero per bonã intentionẽ & electitiã religionẽ boues pinguiores ſacrificio dei reſeruat: uerum à ꝓpheta audit, An tam uolupe & gratum ſacrificiũ domino, quàm eſt obedientia? Ecce melius eſt audire q̃ ſacrificare, & melior eſt auſcultatio q̃ adeps arietum. Quoniã peccatum magiæ eſt apoſtaſia ſiue rebellio, & uanitas idolatriæ indurare animum uel nolle obſequi. Habes in his pauculis uerbis egregiũ encomium electitiæ religionis ac operum ex bona noſtra intentione natorũ. Qui præceptis dei neglectis ſuas intentiones ſequũtur bonas, magi, apoſtatæ & idolo latræ à ueritate appellantur. Sibi ipſis quidẽ uidentur eſſe egregij cultores dei & obſeruationum ſanctorum patrum, epiſcoporũ, regum & principum zeloſi ſectatores: ſed qui mentiri neſcit deus, diſerte pronunciat opera iſtorum nihil diſtare à magia, apoſtaſia & idololatria, quibus nihil uel fingi poteſt atrotius. Dominus ergo in euangelio ex uaticinio Iſaiæ prophetæ ſemel dãnat, abijcit & conculcat omnia illa electitia opera nata ex bonis noſtris intentionibus, cum dicit, Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Omittite illos, cæci ſunt & duces cæcorum. Inde nimirum eſt quod S. Paulus tanta confidentia pronunciauit præcepta hominum, & ueritatem auerſari, & mendacia eſſe. Alibi uero idem ille, Quicquid, inquit, non eſt ex fide, peccatum eſt. Et iterum, Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum dei. Ex quibus colligere licet opera quæ non ſunt ex uerbo dei per fidem formata, adeò non eſſe bona ut etiã dicantur peccata. Ad Coloſſ. apertiſſime dãnat ἐθελοθρησκείαν, quam interpres uertit ſuperſtitionẽ, cum uertendum erat uolũtaria & ſua ſponte recepta religio. Cõſtat ergo ex his omnibus non damnare nos, nec impugnare uere bona opa, cum monachorũ & ſacrificorũ dãnamus & impugnamus opera, hominũ electione bonaq̃ intẽtione extra uerbũ dei nata. Cõſtat enim iam nõ illa uere bona opa eſſe quæ nobis ipſis ex nobis ipſis cõfingimus, ſed illa duntaxat quæ præcepit nobis deus. Id quod adhuc planius fiet ex hiſce S. Pauli uerbis. Conditi, inqt ad Epheſ. 2. cap. ſumus in Chriſto Ieſu ad opa bona, quæ præparauit deus ut in eis ambularemus. Duas autẽ notas uere bonorũ operum ponit. Prior, Cõditi ſumus in Chriſto Ieſu ad opera bona. Oportet ergo ut bonũ opus ab eo fiat, qui Chriſto Ieſu inſitus ſit. Niſi enim palmes in uite manſerit, fructum ꝓferre nequit. Inſeri mur autẽ fide uiti Chriſto. Poſterior, nõ ſint aũt opera quælibet aut generis cuiuslibet, ſed quæ deus ab antiquo præparauit ut in ipſis ambulemus. At quæ illa ſint, lege ſua, quę dei uoluntas eſt, expreſſit. Hinc eſt quod dominus in euangelio de uita æterna ac de ueris uirtutibus rogatus, ad legẽ remittit, ac dicit, In lege quid ſcriptum eſt? Et, Si uis ingredi in uitã, ſerua mãdata. Decalogus ergo certiſſima & abſolutiſſima bonorũ operum formula eſt: quod ut plenius intelligatur breui enumeratione hoc totũ ceu in tabula demonſtrabo. Ad primũ præceptum referes timorem dei, fiduciã & dilectionẽ, ſpem denicq; in aduerſis certiſſimã, patientiã & conſtantiã infractã. Ad ſecundũ pertinet uerus, & qui deo placet ſyncerior cultus: omnis item ſuperſtitionis & puerſi cultus diuini abnegatio. Ad tertium, reuerẽtia numinis, confeſſio, inuocatio item ſancta nominis dei, & ſanctificatio eiuſdem. In quarto locum habebit moderata eccleſiaſticarũ ceremoniarum cõſeruatio, prædicatio uerbi dei, preces publicæ, & quæcuuq; ſunt exterioris cultus. Ad quintũ referes pietatẽ in parẽtes, patriã & affines, obedientiã iuſtã, quam debemus magiſtratui, & officia uitę ciuilis. Adijcies ſexto, iuſtitiã & iudicium, defenſionẽ uiduarum & pupillorum oppreſſorũ, beneficentiã & innocentiã. Septimo annumerabis fidẽ coniugalẽ & matrimonij officia, æducationẽ liberorũ liberalẽ ac piã, ſtudium item caſtitatis, temperantiæ & ſobrietatis. Ad octauum referes iuſtitiã in contractibus, libera-

Decalogus abſolutiſſima bonorum operum formula.

liberalitatem, munificẽtiam, hoſpitalitatem. Ad nonum, ueritatis ſtudium per omnem uitam, fidem in dictis & factis, ſermonem compoſitum, honeſtum & utilem. Decimo loco recenſebis bonos affectus & uota ſancta, deniq; omnes cogitationes ſanctas & honeſtas. Hæc ſcilicet eſt compendioſa bonorũ operum formula. Quod ſi iſta quid cupis ſuccinctius, audi dominum in euangelio dicentem, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, et proximum ſicut teipſum. Omnia item quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis. In hæc domini præcepta intendãt oculos & mentem cuncti fideles qui cupiunt bene operari, & hoc diligentius & conſtantius, quo certius uidẽt & intelligunt deum & in lege & in ꝓphetis nihil aliud & nulla alia opera à ſuis requirere. Poſſum hoc manifeſtiſſimis teſtimoniis maximorũ prophetarũ euincere. Moſes in Deut. ſuo, Et nunc Iſrael, inquit, quid dñs deus tuus petit à te, niſi ut timeas dominũ deum tuum, & ambules in cunctis uiis eius, diligas eum, & ſeruias dño deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut ſcilicet cuſtodias præcepta domini & ſtatuta eius quę ego prȩcipio tibi hodie. Dauid quoq; rex Pſal. 15. interrogat, Dñe quis habitabit in tabernaculo tuo? & mox reſpondet, Qui ambulat in integritate & opatur iuſtitiã: & reliqua quæ continentur in Decalogo. Iſaias ꝓpheta eandẽ quæſtionẽ mouens ait, Quis habitabit cum igne ꝓpetuo? & reſpondet, Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur quæ recta ſunt: & reliqua quæ habẽtur in Decalogo. Ierem. in 22. cap. iſta ingerit & urget, Sic dicit dominus, Facite iudiciũ & iuſtitiã, & liberate ui oppreſſum de manu calũniatoris, peregrinũ quoq;, pupillum & uiduã ne cõtriſtetis, neq; iniuriã faciatis, & ſanguinẽ innocentem ne fuderitis in hoc loco. Neq; alia bona opa recenſet longo catalogo & Ezech. in cap. 18. Apud Oſeam dicit dñs, Beneficentiã ſeu pietatẽ ac miſericordiam deſidero nõ ſacrificiũ, & cognoſcere deum magis q̃ holocauſta. Micheas quoq; interrogat quid agat, aut quibus operibus ſibi demereatur dominũ, & ex reuelatiõe dei reſpõdet, Indicabo tibi homo quid ſit bonũ, & quid petat à te dñs, nimirum facere iudiciũ, diligere beneficentiã & reuerenter ambulare cum deo tuo. Ad eundem modum Zacharias ꝓpheta interrogantibus de uirtute & opibus quæ deo placent, reſpondit, Sic ait dominus exercituũ, dicens, Iudicate iudicium ueritatis, & facite pietatẽ atq; miſericordias unuſquiſq; cum fratre ſuo. Viduã & pupillum, peregrinum & pauperẽ nolite calumniari, neq; cogitet unuſquiſq; ueſtrum in corde ſuo malum cõtra fratrẽ ſuum, & iuramentum falſum ne diligatis, quoniã omnia iſta ſunt quæ odiui, dicit dominus. A prophetica doctrina nihil diſcrepat doctrina euangelica et apoſtolica, quę ubiq; charitatẽ, iuſtitiã ac innocentiã docet, ſcopũ et ſummã ſcilicet omniũ bonorũ operum. Hæc autẽ tam copioſe & tam multis ſcripturarũ teſtimoniis ꝓpoſui, ne quis porrò uel dubitaret uel neſciret illa ſola eſſe opa bona, quæ ex ſpiritu dei bono per fidẽ & ſecundum ſcripturam ſiue uerbum dei facta ſunt.

Non alia requirit deus opera quàm quæ præcepit ipſe.

Reſtat ut quod ad finem deſcriptionis bonorũ operũ adpendimus, ſcripturarũ collatione roboremus atq; explicemus. Dixi autẽ opa uere bona à renatis fieri ad gloriam dei, ornamentum uitæ atq; utilitatẽ proximi. Dominus enim hunc finem bonis noſtris operibus præſcribens apud Matth. Sic, inquit, luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Apoſtolus quoq; Paulus non ſemel adhortans ad bona opera, id maxime quod permouere queat appendit, ut in omnibus doctrinam ſeruatoris noſtri ornent ſuis uidelicet illis pietatis operibus. Iam uero ut decens & honeſta ueſtis hominem ornat: ita & uere bona opera uitam hominum commendant. Hinc enim apoſtoli Chriſti toties ſuaſerunt exuere ueterem hominem, & induere

Opera bona fiant ad gloriam dei uitæ ornamentum & utilitatẽ hominũ.

nouum, qui ſecundum deum conditus eſt. Inde enim accedit nobis gloria & honor. Dicimur & ſumus ſerui, imò filij dei noſtri, cuius ingenium & uirtus in nobis relucet, ad gloriam & laudē nominis eius. Præterea auget ille nobis bene operantibus dona ſua ſubinde magis ac magis, quandoquidem dixit, Omni habenti dabitur, & abundabit. Qui uero nihil habet, etiam id quod non habet auferetur ab eo, et dabitur ei qui habet. Accedit huc quod recta operantibus deus propitius eſt, eosq; multis etiam temporalibus donis locupletat, tandē & perpetua uita donat. Diſerte enim apoſtolus Paulus, Deus, inquit, reddet unicuiq; iuxta facta ſua, his inquam qui perſeuerantes in benefaciendo gloriam & honorem, & immortalitatem quærunt, uitam æternam. Et iterum, Gloria & honor, & pax omni operanti bonum. Quanquam in omnibus operibus bonis pij ſibi ſcopū non priuatum compendium, ſed dei gloriam ac uoluntatem, deniq; & proximi utilitatem propoſuerunt. Paulus enim, Omnia, inquit, in gloriam dei facite. Et, Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſq; quod alterius eſt: quemadmodum ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipſius utilitatem, ſed multorū ut ſalui fiant. Pij itaq; omnes omnia ſua ſtudia & opera in hoc dirigunt ut proſint multis. In eo enim dei naturam, cuius filij ſunt exprimunt: cupit enim is benefacere omnibus creaturis: unde & filij eius benefici ſunt, & in omnibus beneficentiā ut unicum uitæ ſuæ ac ſtudiorum ſuorum ſcopum præ oculis habent.

Hæc habui in præſenti de natura, ingenio, de cauſſa, fine, effectuq;, hoc eſt de uera & iuſta ratione bonorum operum: ex quibus illud præcipue intelligi poſſe ſpero, quomodo operibus ſanctorum bonis, iuſtitiæ nomen & iuſtificationem tribuat, mercedemq; reddere dicatur dominus in ſcripturis ſanctis, & quod immotum nihilominus ac firmum conſiſtit orthodoxum & primariū religionis noſtræ dogma, Gratia nos dei propter Chriſtū per fidem non per opera iuſtificari. Nunc ergo non ſupereſt aliud, niſi ut pro uera in dominum Ieſum fide, qua iuſtificemur uere, iugibus uotis ſupplicemus domino, ac per eiuſdem nominis feruentiſſimam inuocationē, diſputationem hucuſq; de bonis operibus habitam, in opus deducamus, id eſt, ut fidem quam profitemur nos habere in dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, operibus uere bonis exprimamus & ornemus: memores uerborum Chriſti
Matth. 7. domini in euangelio ſuo dicentis, Non omnis qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt. Multi quidem dicent mihi in die illo, Domine domine, nónne per nomen tuū prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus? At tunc confitebor illis, Nunquam noui uos. Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Omnis enim qui audit ex me ſermones meos & facit eos, aſſimilabo illum uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit imber, & uenerunt flumina & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non eſt proſtrata: fundata enim fuerat ſuper petram. Et omnis qui audit à me ſermones meos & non facit eos, aſſimilabitur uiro fatuo qui ædificauit domū ſuam ſuper arenam, & deſcendit imber & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & impegerunt in domum illam, & deiecta eſt, & fuit ruina illius magna. Curemus itaque ſanctis iugibusq; precibus & uera animi ſedulitate pietateq;, ut uiuo lapidi Chriſto, ipſi quoque uelut uiui lapides ſuperædificemur, ſtructura uiua & permanens in omnibus uariæ tentationis incurſibus, domus ſpiritualis, templum ſanctum, ſacerdotiumq; ſacrum, offeramus liberatori & iuſtificatori noſtro Ieſu Chriſto domino noſtro ſpirituales & maxime acceptabiles hoſtias, laudes, eleemoſynam, & noſtra ipſorū corpora, adeoq; totos nos & noſtra omnia.

Cæterum

Cæterum de fide & operibus ſparſim ac fuſius per uniuerſum hoc opus noſtrum euangelicum diſputabitur, quæ quo rectius pleniuſcꝫ intelligerentur, hoc ueluti compendium iuſtificationis & bonorum operum præfigere, & hactenus præfari libuit.

Nam quod attinet rationem ſcribendi, & conſilium meum quod in hoc opere Commentariorum meorum ſequutus ſum, non agam pluribus. Pleracꝫ enim in Præfatione ad Matthæum expoſui, cum eadem in hoc quocꝫ opere ſpectarim quæ illic. Diligenter legi tum ueterũ tum recentium ſcriptorum enarrationes in Euangelium ſecundum Ioannem editas, iſſcꝫ uſus ſum in ſuis locis, quemadmodum in ipſo opere meo ingenue quid ex quo mutuarim tranſcripſerimũe annotaui. Non enim illos imitari unquam uolui, necꝫ eorum ingenia placuerunt unquã, qui cum ueteribus pie & prudenter ſcriptis, uti poſſent, malunt tamen iis inconſultis præteritisꝫ noua temere comminiſci, & parũ expenſa in lucem proferre. Viſa eſt præterea longe probatiſſima eſſe ratio ueterũ teſtimoniis & ſcripturæ quidem robore ſuffultis, in explicandis ſcripturis, in tanta præſertim dogmatum diſſentione, moderate, imò & continenter ferè uti, quo palàm uideant etiam aduerſarij noſtri, nos non noſtris aut nouis & nouæ fidei adductis doctrinis, ſed ueteribus magis & ſanctiſſimarum eccleſiarum uſu & imitatione confirmatis ſententiis & expoſitionibus, fidem noſtram omnium uetuſtiſſimam, adeocꝫ unam puram putamꝫ & primam firmare. Curaui tamen id in primis, ut ex noſtris Commentariis contextus orationis apoſtoli quàm luculentiſſime intelligatur cernaturꝫ: cum non uideatur ulla eſſe exponendi ratio euidentior & dilucidior, quàm diligens contextus orationis obſeruatio: qui ſi negligatur, nõ uideo quomodo poſſit mens ſcriptoris atcꝫ ſenſus genuinus teneri. Diſtinxi opus totũ in libros x. ſingulis præfixi argumenta, quibus adumbraui rerum ſummam atcꝫ contextum, quo in ipſa deinceps tractatione perſpicatiora eſſent omnia, ac Lector perpetuo ob oculos ſcopum haberet in quem collimaret. Paſſim aſſerui ſententiam & expoſitionem orthodoxam à detortis & corruptis interpretationibus. Confutaui item perfrequenter, & oppugnaui errores uarios. Vniuerſis autem his meis laboribus eccleſiæ Chriſti prodeſſe, & ſtudioſis ueritatis euangelicæ inſeruire uolui. Interim præiudico nemini, contemno & eleuo nullius labores. Si qui meliora dederint, adeò non inuidebo, ut potius gratias ſim acturus. Sed & mea propono expendenda, iuxta illud apoſtoli, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. De Commentarijs.

HAS AVTEM meas lucubrationes, intra menſes IX. & conſcriptas & editas, tibi Lauatere colendiſſime domine, & fideliſſime compater, ideo inſcribere placuit, quod multa & magna in me tua & in omnes Chriſti miniſtros beneficia extant, ac ut his tuam magis extimularem diligentiam. Amaſti hactenus & iuuiſti religionem Chriſtianam & rempub. non uulgariter. Cum Kyburgi in Comitatu illo ampliſſimo Cos. S. P. Q. Tigurini nomine præfectum ſiue Procos. ageres, tanta fide & religionis & reipub. negotia multis annis ꝓmouiſti, ut ne hodie quidem optimi quicꝫ tuam ceſſent prædicare uirtutem. Fauiſti euangelicæ doctrinæ mox ab initio, cum prima fundamenta eius iaceret beatæ memoriæ Zuinglius, fidelis eccleſiæ noſtræ paſtor. Videras Romæ, à clariſſ. Cos. ſenatucꝫ Tigurino legatus unà cum ornatiſſ. D. Iacobo Vuerdmüllero, pietati egregie fauente uiro, ad pontificem miſſus, quanta eſſet corruptio ſacerdotũ totiuſcꝫ religionis Papiſticæ, facilius ergo accedebas Chriſti partibus, euangelicæ inquã doctrinæ. Atcꝫ in eius confeſſione atcꝫ fide hucuſcꝫ perſeueraſti conſtantiſſime, etiã in tentatione illa noſtra graui & in diſcrimine tuo maximo, cũ te duce & imperatore ſiniſtre pugna-

tum esset ad Capellas. Certè ut nunquã non adfuit tibi benignus dominus, ita hic in primis te nõ deseruit: qui primo quidẽ è cruenta & acri illa pugna eq; manibus hostis acerrimi strenue pugnantem eripuit, deinde & à calumnijs inuidorũ quorundã defendit: dum uidelicet mox à bello deposito, sanctissimus ille Senatus noster, diligenter, propter quorundã calumnias, in tuam administrati gestiq; belli fidem, inquireret, ac probe cognitis rebus omnibus, illustre uirtuti & innocentiæ tuæ testimonium daret, nihil in eo bello tua neglectũ culpa, sed optima fide oĩa per te esse administrata. Cui & illud accessit, quod postea honoribus dignitatibusq; publicis, ut bene meritum, auxit atq; ornauit. Perge itaq; fidelis esse liberatori liberali & munifico domino. Perge cum bonis omnibus euangelicã iuuare caussam, & regnum Christi quàm latissime propagare: ut tandem Christus rex & dominus noster te in regnum suum æternum, ad se & omnium beatorũ cõsortium, transferat, ubi è mortali hoc solueris portu. Domini gratia sit tecum. Tiguri Mense Augusto. Anno domini M. D. XLIII.

COMMENTARIORVM

H. BVLLINGERI IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM INDEX.

ABdicantur Iudæi 60
Abeundo non deserit ecclesiam dominus b. 160
Abitionis domini fructus & effectus b. 156. 161
Ablutio pedum describitur 146
& amplius exponitur 143
Abnegauit Petrus Christum 194
Abraham per Christum est seruatus 108
Abrahæ filij ueri qui 104
Abraham uidit diē domini & gauisus est b. 107
Abrahæ desiderium Christus 108
Absens corpore Christus, nihilominus est pręsens b. 129
Accedere doctrinā pietatis quomodo oporteat 76
Accipite spiritum sanctum &c. exponitur 214
Accurrendum in morbo ad Christum b. 127
Actio capitalis contra Christum instituitur 202
Adæ conditio & lapsus b. 31
Adesse & abesse ecclesiæ suæ idem Christus quomodo dicatur 176
Adhortatio ad fidem grauis b. 141
Adhortatio ad ueram pietatem recipiendam retinendamq; 160
Admiratio operum dei 26
Adorationis quæstio b. 54
Adoratores ueri adorabunt patrem spiritu ac ueritate 55
Adorandi ratio uera 55
Adorare in spiritu & ueritate b. 55
Adorandus Christus deus & homo b. 116
Adorat Christus & adoratur 56
Adorationem Christi quomodo patres docuerint 117
Aduentus Christi in mundum caussæ b. 35
Aduentus filij dei in mundum quid nobis conferat 8
Aduersarij Christi astute agunt b. 112
Adulatores non recipit Christus 76
Adulatio regnat in aulis principum 195
Adunatio multis modis fit b. 11
Aequalitas patris & filij ex uerbis & factis claret b. 158
Aeris natura 36
Affectus domini in sequentes ipsum b. 20
Agnoscit Samaritana peccatum b. 54
Agnus appellatur Christus 18
Allegoria edendi & bibendi quomodo dominus usus 79
Altercatio propter doctrinam fidei exorta b. 80
Altercationes & dissidia quomodo sopiri possint 81.
Amat nos pater in filio 189
Ambitionis malum ualidissimum 31
Angelorum dominus Christus 24
Angeli testes resurrectionis Christi 210
Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei b. 84
Animam ueram & humanā habuit Christus 122
Animæ fidelium proxime à morte corporea recipiuntur in cœlos b. 205
Animæ uiuificatio 68
Animam quomodo posuerit Christus 122
Animi humani stupiditas b. 32
Antidoseos seu alternatæ attributionis modi meminit Damascenus 38
Aperit se mulieri dominus 52
Aperitur domini latus &c. 206
Apostoli tametsi è terra, doctrina tamen eorū non est terrena 48
Apostolis tradita sunt omnia, atq; hi tradiderunt ecclesiæ 180
Aqua baptismus intelligitur 34
Aqua baptismi sanctificatur uerbo dei & religioso usu sacramenti diuinitus instituto 45
Aqua plenitudo gratiæ cœlestis 53
Aqua spiritus adumbratur 33
Aqua uera factum uinū præstantissimum b. 25
Aqua uiua quid 52
Aqua uitæ salit in uitam æternam b. 53
Aqua uitæ satiat plenissime 53
Aquæ uitæ effectus 53
Architriclinus qui dicatur 26
Arguit mundum spiritus, & de quibus b. 177

B

Baptismus institutus indicium Messiæ præsentis b. 17
Baptismus attestatur purificationem 46
Baptizat semper Christus 50
Benefacit maxime deplorato Christus 63
Benefacit populo Christus b. 74
Beneficium magnum Hierosolymitarum Probatica piscina b. 62
Beneficium fidei unde b. 79
Beluina truculentia in hostibus Christi 137
Blasphemia, creaturæ dare quod creatoris est 66
Boni nihil facere possumus sine Christo b. 167

C

Cæcum illuminat dominus 111
Cæcus ille à natiuitate, fuit peccator b. 110
Cæcus illuminatus caussam Christi defendit 115
Caiaphas crudelitatis exemplum b. 134
Calamitates ex peccatis oriuntur b. 110
Calumnia malitiosa Iudæorum de templo in tri-

duo erigendo b. 28
Caluariæ locus quis 203
Canæ duæ 24
Caput ecclesiæ an Romanus pontifex 47
Caput 21. non est ascititium sed Ioannis b. 217
Caro quid 10
Caro Christi an post resurrectionẽ in deitatis naturam sit conuersa 40
Caro Christi crucifixa apparebit in iudicio b. 207
Caro semel assumpta à resurrectione & in clarificatione non est deposita b. 10
Caro non prodest quicquam, explicatur b. 85
Caro Christi uerus cibus quomodo manducandus 85
Carnis stupenda inertia 54
Carnis ingenium b. 77
Carnis imbecillitas in discipulis adũbratur 128
Carnis Christi deificatio qualis b. 59
Carnis resurrectio uidetur absurda b. 214
Carnis resurrectio semper credita b. 129
Carnem ueram & naturalem in Christo edere oportet 83
Carnem Christi edere, tropice exponitur b. 83
Carnem Christi edendam Iudæi existimant, sicut caro è macello editur 83
Carnem ueram retinet Christus residens in cœlis 216
Caussa passionis dominicæ 145
Caussa peruersi iudicij 100
Caussæ quæ Ioannem ad scribendum impulerint 1
Cephas cognomen Simonis b. 21
Ceremonia lotionis pedum quid nobis commendetur 148
Cerinthi error à Ioanne oppugnatus b. 1
Charitas præceptum nouum 154
Charitatis Christianæ modus 154
Charitatis Christianæ præstantia b. 154
Charitate coniungimur domino 168
Christus corpore discedens, quomodo maneat in ecclesia b. 165
Christus est Messias b. 46. 47
Christus est naturalis dei filius 125
Christus est sponsus ecclesiæ b. 46
Christus est uerus ille propheta 75
Christus ex deo processit & uenit b. 104
Christus fidelibus confert omnia quæ ad perfectam salutem necessaria 14
Christus Galilæus appellatus b. 96
Christi gratia seruamur b. 14
Christus homo uerus b. 50
Christus iustificat & item fides 79
Christus lux est 99
Christus naturalis dei filius b. 200
Christus nil peccauit in legem 92
Christus nobis omnia habet 49
Christus non est corporaliter in mundo 187
Christus non fuit natus annos 50. 109
Christus nouit omnia b. 180
Christus potest opitulari tẽpore necessitatis b. 75
Christus quis sit b. 13
Christus quis, & quid conferat mundo 99
Christus rex, & regnum eius 75
Christus seipsum offert in cibum b. 76
Christus sua substantia lux est b. 6
Christus ubi sit, ostendit Aug. 136
Christus ueritas 157
Christus uerus dei filius b. 107
Christus uerus deus 155
Christus uia b. 156
Christus uia ad cœlos aperuit cœlum 35
Christus uita 157
Christus uniuersorum dominus 62
Christus unus est, uerus deus & homo 11
Cibus uiuificus Christus b. 76
Cibus quare Christus dicatur 78
Cibus uitæ Christus 78
Cibum quomodo se pararit Christus 82
Cibum corporalem dedit Moses 78
Cibum uitæ dat pater 78
Cibum se parauit dominus per sacrificiũ b. 82
Clarificat pater filij nomen b. 140
Clarificatum domini corpus edit, & quare 219
Clausis ianuis quomodo Christus ingressus 212
Claues dantur à Christo discipulis b. 213
Cœlos aperuit Christus 35
Cœna Bethanensis describitur 136
Cœna domini olim diebus dominicis celebrata 215
Cognoscunt discipuli sensim dominum b. 217
Cognoscit oues suas Christus 122
Cognoscitur in filio pater b. 157
Colloquium domini cum Samaritana 52
Communicat nobiscum iustitiam dominus, quo modo? b. 36
De Compassione diuæ uirginis Mariæ b. 204
Concio domini ultima in cœna 152
Concionatori non quouis eundum b. 89
Condemnandus nemo indicta caussa 197
Conditio uitæ distinguitur in iudicio 70
Confessionis uerę fidei breuissima & absolutissima formula 216
Confessio Christi simplex semper tenenda b. 114
Confessio uera fidei b. 87
Confessio fidei syncera requiritur b. 116
Confessus est & non negauit, exponitur 17
Confirmatur fides Christiana 62
Confunduntur impij 138
Coniunctio Christi & sanctorum in ecclesia, qualis 167
Consensus inter patrem & filium b. 60
Cõsilium impiorum mire anxium & perplexum b. 134
Consolatio in persequutione b. 93
Consolatio eorum quorum doctrinę non respondet fructus b. 178

Consolatur ecclesiam dominus b. 154
Consolatur contra metum in turbis & tumultibus dominus b. 163
Consolatur nos dominus suo exemplo b. 17
Consuetudinem Cerinthi execratus est Ioannes b. 1
Contemnitur pater cum filius negligitur 162
Contrectarunt & uiderunt deum apostoli b. 15
Contumeliæ aliquot Iudæorũ in Christũ b. 106
Conuitijs & minis agunt impij b. 114. b. 115
Conuiuiũ quare suis instruxerit dominus b. 218
Corpus Christi è terra uerum b. 47
Corpus Christi immolatum & regnans in cœlis prodest 139
Corpus domini uerum resurrexit b. 211
Corpus gloriosum uerum corpus 176
Corpoream præsentiam Christi in ecclesia nihil profuturam 175
Creatura Christus iuxta assumptã naturã b. 117
Creatura Christus in quantum homo 185
Creatura Christus iuxta carnem b. 191
Creaturam Christum in gloria, agnoscit apostolica & sanctorum patrum doctrina b. 40
Creaturista Cyrillus b. 40
Creaturisticus Christus b. 146
Credere in nomen dei, explicatur b. 9
Credendum deo patri per filium 68
Credendum Christo b. 48
Credens æternum uiuet b. 81
Credentium Christo quale ingenium 44
De cruce & patientia sanctorum b. 170
Crucifigitur dominus 203
Crudelitas gentis Iudaicæ b. 200
Crudelitatis exemplum Caiaphas b. 134
Crudelitatis incredibilis exemplum 137
Crux Christi uicit principem mundi 141
Cultus dei uerus 178. 211
Cultores Mariæ grauiter impugnantur 25

D

Dæmonium non habeo, explicatur 107
Decretum dei ab æterno immobile b. 79
Defectio plurimorum à fide ne te turbet 87
Deificatio carnis Christi qualis b. 59
Deificatio carnis nulla est facta in glorificatione 40.
Deificatio Christi non confundit proprietates naturarum 40
Descendisse filius dei de cœlo quomodo dicatur 41.
Deseraris licet ab hominibus, deus tamen non deseret b. 183
Desideria suorum Christus explet b. 159
Deus homo factus est 10
Deus in substantia sua inuisibilis 15
Deus mundum dilexit 42
Deus non uidetur corporeis oculis in hoc sæculo 158.
Deus pater sese reuelat & aperit mundo in filio b. 15
Diabolus mendax b. 105
Diaboli ingenium & opera b. 105
Dies domini quam uidit Abraham quæ 108
Dignitas fidelium quanta b. 169
Dignitas nobis ex gratiâ obuenit non merito 170.
Dilectionis præceptum explicatur 169
In dilectione Christi qui maneant b. 168
Dilexit deus mundum 42
Dilexit & uiuificauit oues Christus b. 120
Diligentia opus in periculis b. 87
Discipuli per interualla didicerunt b. 137
Diuinitas uera & naturalis Christi probatur 66
Diuinitatis Christi domini manifesta declaratio b. 133
Diuinitatis Christi assertio 3
Diuorum inuocatio & cultus 29
Docet Christus diluculo 97
Doctor cœlestis Christus 35. 48
Doctrina apostolorum cœlestis 48
Doctrina Christi profecta à deo 91
Doctrina Christi certa 102
Doctrina euangelica certa & firma b. 34. 195
Doctrinæ & signorum Christi effectus apud Hierosolymitas 29
Doctrina & uita Christi inculpabilis 106
Doctrina Ioannis finis & scopus 20
Doctrina pietatis præfertur sacrificijs b. 90.
Doctrinam pietatis quomodo accedere oporteat b. 76
Doctrinæ quomodo probandæ an ex deo b. 91
Doctrina salutis redacta in compendium b. 156
Docuit omnia ecclesiam dominus b. 169
Dolor sanctorum & gaudium impiorum ex affecta ueritate 181
Domestici hostes nocent grauius b. 192
Dominus quomodo dicatur Christus b. 216
Domus patris est ipsa cœlorum regia b. 155
Dona sua quomodo nobis communicet Christus 49

E

Ecclesia Christi ex omnibus collecta gentibus b. 121
Ecclesiæ Christi caput an Romanus episcopus 47
Ecclesiæ nihil deest, etsi in ea dominus non sit corporaliter b. 181
Ecce agnus ille dei &c. explicatur 18
Ecce homo, explicatur 200
Edere oportet ueram & naturalem Christi carnem 83.
Edere & bibere est credere b. 78 b. 83
Edit uere Christus rediuiuus b. 218
Edendi & bibendi allegoria quomodo dominus usus 79
Edunt corpus domini qui credunt 84
Ego sum uitis uera, & pater meus agricola, exponitur b. 165

Ejicitur ex sanctorum cœtu Iudas b. 151
Ejiciendi è synagoga ratio & ritus b. 113
Electos ab impijs colligit Christus b. 115
Electionis apostolorum finis 170
Encænia quid 123
Ephraim ciuitatis situs b. 135
Epulis interest dominus b. 24
Errare hominibus quàm procliue b. 221
Errores quomodo exoriantur 222
Euangelium quid b. 1
Euangelium non ubilibet locorum, prout mundus poscit, diuulgandum b. 89
Euangelij & salutis nostræ summa 49. 107
Euangelij Ioannis dignitas 1
Euangelij doctrina diuina 144
Euangelij prædicatio & apostolatus in gentes 58
Euangelij Ioannis eminentia 1
Euangelij Ioannis contextus & ordo 2
Euangelij fontes aperit dominus b. 94
Euangelica historia incipit à Ioanne b. 13
Euangelicæ doctrinæ compendium 99
Euangelicæ prædicationis certitudo 16
Eucharistiam cur non descripserit Ioannes 145
Exaltandi uerbum uel hodie probrosum b. 36
Examen ministrorum uerbi dei b. 219
Excæcatio Iudæorum qui facta 142
Excommunicationis Papisticæ typus} b. 113
Excrementa uulgi uidentur adhærere euangelio 96.
Exemplum crudelitatis 137
Exemplum eorum qui uidentes cæci sunt 118
Exemplum fidei & obedientiæ b. 211
Exemplum misericordiæ mulier in adulterio deprehensa 97
Exemplum nobile fidei 25
Exemplum prudentiæ b. 29
Exemplo suo consolatur dominus b. 171
Exempla manducantium corpus Christi & non manducantium 87
Exempla optimorum & pessimorum palmitum 168.
Expectant Iudæi Messiam b. 197

F

Facultates unde habuerit dominus b. 152
Falsi doctoris nota b. 91
Festum paschæ quale b. 135
Festum tabernaculorum quale b. 90
Fides unde 9
Fides apostolorũ inabsoluta reprehenditur b. 183
Fides Christiana certissimum doctrinæ genus 156.
Fides Christiana confirmatur 61
Fides electorum certis auctibus glisci b. 23
Fides efficit ut in nobis uiuat Christus 84
Fides fundamentum consolationis 155
Fides habet sua augmenta 116
Fides hypocritarum b. 29
Fides piorum confirmatur b. 191
Fides iustificat & item Christus 99
Fides quomodo opus b. 77
Fides resurrectionis abs quolibet requiritur b. 130
Fides sanctorum eximia 212
Fides uiuificat 68
Fide nascimur filij dei 9
Fide sola percipiuntur dona dei b. 42
Fidei confessio uera b. 87
Fidei effectus 44. b. 57
Fidei effectus in cæco illuminato traditur b. 111
Fidei exemplum Petrus 147
Fidei exemplum nobile 25
Fidei mutæ caussæ, metus & ambitio b. 142
Fidei beneficium unde b. 79
Fidei uirtus b. 48. 61
Fidelis habet uitam æternam 68
Fidelis non ueniet in iudicium b. 68
Fideles per mortem transeunt ad uitam 139
Fidelium dignitas quanta b. 169
Filius dei quomodo descendat de cœlo 41
Filius dei exposuit nobis philosophiam cœlestem 15.
Filius dei in principio 4
Filij dei quomodo fiamus b. 8
Filius est deus uerus 185
Filius exiuit à patre & redit ad patrem b. 140
Filius hominis an in cœlo fuerit ante incarnationem b. 37
Filius hominis qnomodo in cœlo b. 37
Filius iudicat 67. 69
Filius patri coæqualis 157
Filius per omnia æqualis patri 124.
Filius quare dicatur aliquid accipere b. 69
Filius spiritum largitur b. 48
Filius uitam habet in semetipso 69
Filius uiuificat b. 66
Filio omnia data in manum 49
Filium esse æqualem patri ostendunt sancti operantes in nomine Christi b. 158
Filij Abrahæ qui 104
Filij dei, Iudæi non sunt 105
Filij dei quomodo nascamur 9
Filij dei ex gratia b. 8
Filij iræ ex nobis b. 8
Filios dei dici, ingens dei beneficium b. 8
Finis electionis apostolorum 170
Finis in electione spectandus b. 170
Flagellationis Christi usus b. 199
Flatus spiritus 88
Fleuit Iesus 111
Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, exponitur 97
Fœmur genus significat b. 108
Fons aquæ uiuæ Christus, potat peccatores 97.
Fons uitæ Christus 87
Fontes boni & mali qui b. 105

Fontes incredulitatis 73
Fortitudo & constantia domini b. 195
Franguntur crura latronibus 206
Fructus & effectus abitionis domini 161
Fructus & utilitas ex morte domini 206
Fructus ex coniunctione Christi & ecclesiæ 168
Fructus mortis domini cognoscitur ex oraculo Caiaphæ 135
Fructus orationis quis 182
Fructus seruantium præcepta Christi b. 161
Fugit ab impijs Iesus 126
Fugit Christus ne fiat rex 75
Fugit dominus ad utilitatem ecclesiæ 50
Fugit Iesus à sanguinarijs b. 88
Fures & latrones qui 120

G

Gaudium Abrahæ, unde & quid b. 108
Gaudium Christi quod 169
Gaudium fidelium quale futurum b. 181
Gloria filij dei æterna 186
Gloria patris & filij eadem b. 127
Gloria unigeniti quæ b. 12
Gloriam dei qui quærant 92
Gloriam Verbi non nisi per socium corpus uidimus 13
Gloriam propriam qui quærant 92
Gloriam suam non quærit Christus b. 107
Glorificat Christus patrem, & uicissim glorificatur 185
Glorificationis Christi plena deprædicatio b. 138
Glorioſum corpus uerum corpus 176
Gratia Christi seruamur b. 14
Gratia quam in Christo accipimus, quàm excellens & perfecta b. 14
Gratia uocamur 51
Gratiæ impedimenta b. 51
Gratiam dominus offert adulteræ b. 98
Gratiam uitæ æternæ pro gratia fidei accipimus 14.
Graris confertur nobis iustitia atq; uita 15
Gratuitæ dei gratiæ omnia nostræ salutis adscribenda b. 41

H

Habitauit in nobis, explicatur 12
Historia rerum Christi incipitur 20
Homines tenebræ sumus 7
Honorandi parentes 25
Humanus admodum fuit Christus b. 127
Humanæ imbecillitatis exemplum Petrus 194
Humanitatem & commiserationem docuit Christus lachrymas fundendo 131
Humilitas Christi intermixta est gloria b. 192
Humilitatem urget Christus 149
Hypocritæ opponunt se reformationibus b. 28
Hypocritarum fides b. 29
Hypostasin Damascenus uocat, quam nos appellamus personam b. 38

I

Idiomatum communicatio obseruanda b. 37
Iesus Christus uerus deus b. 216
Iesus Christus uerus deus & saluator b. 17
Iesus est filius dei b. 19. b. 65. b. 116
Iesus est Messias 123
Iesus est agnus ille dei 18
Iesus facto approbat se esse filium dei b. 60
Iesus non est filius Ioseph b. 80
Iesus Christus sit ne Messias 23
Iesum esse Christum, quid b. 56
Illuminauit dominus in mundum ueniendo 7
Impedimenta à fonte prohibentia b. 52
Impedimēta quo minus agnoscamus gratiā b. 51
Impietas nullam audit rationem b. 115
Impij confunduntur 138
Impij conuitijs agunt b. 114
Impiorum consilia supra modum perplexa b. 134
Impudentia Iudæ notatur b. 150
Incarnatio & crux filij dei beatos facit 42
Incarnatio uerbi quomodo sit facta & quis unionis modus 11
Incarnationis mysterium per Cyrillum expositum b. 176
Incarnatiōis uerbi dei causſa, usus & fructus b. 10 b. 41
Inconstantia uulgi notatur b. 80
Increduli relinquuntur 74
Incredulorum iudicium b. 73
Incredulitas mortiferum peccatum 101
Incredulitas radix iniquitatis 44
Incredulitatis causſa b. 86
Incredulitatis fontes 73
Incredulitatem hominum obiurgat dominus b. 72 b. 86
Infirmitas meretur ueniam 31
Infirmitas Thomæ utilis nobis b. 156
Infirmitati humanæ opponitur diuina maiestas b. 12
Infremuit spiritu Iesus & cōturbauit seipsum 132
Ingenium ueræ pietatis 132
Ingenium filiorum dei quale 105
Ingenium filiorum diaboli 106
Ingratitudo & inuidia causſæ recessus domini 50
Ingratitudinis typus Iudas 149
Ingratitudinis Iudaicę aliquot exempla b. 59
Innocentiæ Christi testimonium b. 202
Inquirit pontifex in Iesum ut hæreticum & seditioſum b. 194
Inquisitio in studioſos euangelicæ doctrinæ quomodo fiat hodie 114
Institutio uera per gradus procedit 57
Intercedit pro nobis filius apud patrem b. 182
Introire in stabulum ouium quid b. 119
Inuocandus quis b. 159
Inuocatio & cultus diuorum redarguitur 20
Ioannes cur dilectus dei discipulus 2
Ioannes dilectus domino discipulus 152

Ioannes euangeliſta martyr 222
Ioannes eſt præcurſor Meſſiæ 46
Ioannes non eſt Helias, quomodo 17
Ioannes non eſt propheta, quomodo 17
Ioannes non ſcripſit ſingula domini facta b. 222
Ioannes non eſt Meſſias, ſed Helias præcedens Meſſiam b. 16
Ioannes quis fuerit 17
Ira dei manet ſuper incredulos b. 49
Iſraëlita uerus Nathanael 23
Iudas prudens & integer fuit 152
Iudas impudens eſt b. 150
Iudas cur loculis præfectus 137
Iudas ingratorum typus 149
Iudam ingreſſus ſatanas b. 151
Iudæi abdicantur 60
Iudæi Arrianis meliores 125
Iudæi cur ſerui 103
Iudæi degeneres non ſunt filij Abrahæ b. 103
Iudæi gloriantur ſe eſſe filios dei b. 104
Iudæi iactant generis nobilitatem 103
Iudæi ſunt filij diaboli 105
Iudicium quid 68
Iudicium extremum quomodo & quando fiet b. 69
Iudicium contra incredulos b. 73
Iudicij peruerſi cauſſa 100
Iudiciorum uulgi ſuper lachrymis domini diuerſitas 132
Iudicatur mundus per Chriſtum b. 141
Iudicabuntur contemptores euangelij b. 143
Iudicandi poteſtatem habet filius 69
Iudicatus qui non credit 43
Ius gladij non tollitur exemplo adulteræ Chriſti reſponſione liberatæ 98
Iuſtificat Chriſtus & fides b. 79
Iuſtificamur per Chriſtum non ex nobis 178
Iuſtificandi uera ratio 36
Iuſtificationis ordo 116
Iuſtitia nobis obuenit gratis 15
Iuſtitia dei & modus agendi cum hominibus b. 192
Iuſtitiam quomodo communicet nobiſcum dominus b. 36

L

Lachrymatus eſt Ieſus 131
Lapidare uolunt Iudæi dominum tanquam blaſphemum b. 109
Lapſus Adæ atq; conditio b. 31
Lauemus alij alijs pedes, quomodo b. 148
Lazarus quis 127
Lazarus generale exemplum reſurrectionis 134
Lege & per Moſen nemo ſaluatur b. 14
Legem habere non ſatis niſi factis exprimamus 92.
Leuitas uulgi notatur b. 80
Libertas Chriſtiana quæ b. 102
Libertas exulat in aulis principum 195
Libertas concionatorum quæ 196
Libri Moſis commendantur 74
Literæ diſcendæ 91
Lithoſtrotos locus lapide ſtratus 202
Locus iudicij in aperto erat 202
Lotionis pedum hiſtoria quæ nobis tradantur b. 148
Lupus diſpergens quis 121
Lux quomodo Ioannes dicatur b. 6
Lux uenit in mundum b. 6
Lux Ioannes non eſt b. 6

M

Maieſtas Chriſti 19
Maiora quomodo fecerint diſcipuli 159
Malum omne à ſenioribus b. 200
Manducatio ſpiritualis, credere b. 82
Manducatus Chriſtus quod uiuificet probatur 84
Manducantium corpus Chriſti et non manducantium exempla 87
Manifeſtat ſe dominus quàm illuſtriſſime omnibus 27
Maria uere Chriſti mater 28
Mariæ cultores impugnantur 28
Martha ſedulitatis & pietatis typum gerit 129
Mater domini Ioanni commendata 204
Mater reuerenter filium compellat b. 24
Maxillam alteram percutienti non præbuit Chriſtus b. 196
Medicus uulnera retegit 54
Mercenarius & paſtor conferuntur b. 120
Merita noſtra in uiſceribus miſericordiæ dei 206
Meſſias quid? b. 28
Meſſias mortalis & immortalis quomodo b. 142
Meſſiam oportet eſſe omnipotentem & omniſcium b. 28
Meſſiam ſe eſſe Ieſus demonſtrat b. 56 b. 122
Metus quomodo excutiatur 128
Metus religionem impedit 118
Metuunt etiam ſancti b. 220
Metreta quid b. 25
Minæ contra incredulos b. 73
Miniſtri eccleſiarum quid doceant b. 90
Miniſtrorum uerbi officium b. 214
Miraculum domini amplificatum b. 26
Miraculum Lazari ſuſcitati caret omni dolo b. 128
Miraculum cæci clareſcit inquiſitione 114
Miraculi in Cana Galilææ facti circunſtantiæ explicantur 26
Miraculi cæci illuminati occaſio & conſilium 110
Miraculi author Ieſus 64
Miraculi in Cana Galilææ exhibiti finis & ſcopus 24
Miraculo cognoſcitur dominus 218
Miraculorum uſus 38
Mirantur diſcipuli dominum colloqui cum muliere 57

Miſericordiæ dei omnia ſalutis noſtræ adſcribenda b. 41
Mittitur filius à patre b. 67
Modus charitatis Chriſtianæ 154
Modus & ratio quomodo pater trahat 81
Modus quomodo ſe Chriſtus nobis cibum parauit 82
Monachorum ingenium 50
Morbi corporis ex animi uitijs b. 64
Mors Chriſti gloriam Chriſti prouehit 153
Mors ſomnus b. 128
Mortis domini fructus & utilitas 206
Mortem horret Chriſtus ut uerus homo 140
Morte filius dei non polluitur b. 141
Morte ſua deum glorificant ſancti 221
Moritur Chriſtus pro nobis b. 164
Mortuus dominus, quare 165
Mortificatio carnis noſtræ ſuadetur b. 159
Moſes & Chriſtus non diſſident b. 92
Moſes de Chriſto ſcripſit b. 73
Moſis libri commendantur 74
Mulieri aperit ſe dominus 52
Mundus conditorem ſuum non agnouit 7
Mundus odit euangelium b. 43
Mundus culpa propria perit b. 43
Mundi indigent lotione pedum b. 147
Mundi uocabulum quid ſignificet 42
Mundi propter quid dicamur b. 166
Myſterium ablutionis pedum 147
Myſterium diſpenſationis ediſſerit Ieſus 94
Myſteria regni dei Samaritana non intelligit 52

N

Natiuitas hominis duplex b. 31
Natiuitas prima quid comprehendat b. 31
Natiuitas ſecunda cœleſtis 32
Natiuitas Chriſti ſpiritualis ne an carnalis 33
Natiuitatis ſpiritualis modus adumbratus b. 33
Natura in Chriſto diuina & humana aſſeritur 83
Naturæ duæ impermixtæ in una Chriſti indiſſociabili perſona b. 38
Naturarum permixtio cauenda 11
Naturarum proprietate quæ Chriſto tribuantur, & quomodo 38
Naturas in Chriſto commiſcent Hieroſolymitani 93
Negatio Petri noſtræ imbecillitatis argumentum 194.
Nicodemus quis b. 30
Nicodemus tuetur cauſam domini b. 96
Nicodemus inter doctores Iſraelis reputatus imperitiæ accuſatur à Ieſu 34
Noli me tangere exponitur 210
Nomen quid comprehendat b. 9
Nomine patris uel ſuo uenire 73
Nouit omnia Chriſtus b. 180
Nouitatis ſtudium in plebe 137
Nouiſſima dies animæ & corporis 80
Nouus homo qui 32
Nuptiæ ſanctæ ſunt b. 24

O

Obedientia diſcipulorum fidelis b. 26
Obedientia & fides Sychimitarum 59
Obedientiæ & fidei exemplum b. 211
Obiurgat craſſitiem hominũ dominus 76
Occidere propter Chriſtum b. 174
Odiens filium patrem quoq; odit b. 172
Officium concionatorum b. 89. b. 173. b. 214
Officium fidelium b. 57
Officium paſtoris amare & paſcere b. 219
Omnia per ipſum facta ſunt, explicatur b. 4
Opera probant Ieſum eſſe filium dei b. 71
Opera uere bona b. 166
Operibus probat ſe deum eſſe dei filius b. 125
Opes eccleſiaſticæ, & quis uſus earum 152
Oraculum è cœlo redditum & expoſitum b. 140
Ordo iuſtificationis 116
Ordo ſalutis quis 103
Orat dominus pro diſcipulis 186
Orat pro nobis filius dei 187. 190
Orat dominus patrem ut nos ſanctificet b. 187
Orant ſancti non ut nihil aduerſi experiantur, ſed ne deſtituantur diuino auxilio 189
Orare in nomine S. Petri, reprehenditur 182
Orandum in nomine Chriſti quare 182
Orationis fructus quis 182
Oſtium Chriſtus 119
Oues reperit Chriſtus b. 126
Oues alienorum uoces non agnoſcunt b. 119
Oues ſunt Chriſti oues propriæ b. 121
Ouium Chriſti ingenium b. 123

P

Pacẽ meam relinquo uobis, &c. exponitur b. 163
Palmes nõ poteſt ferre fructũ ex ſemetipſo b. 167
Panis cur Chriſtus dicatur 78
Panis & uini in ſacramento altaris tranſſubſtantiatio nulla 86
Panis non immiſit ſatanam in Iudam 151
Panis ſacramentalis in 6. capite Ioannis nulla fit mentio b. 82
Panis uitæ Chriſtus 85
Panis uitæ quomodo edatur b. 78
Parabola uitis & agricolæ quid doceat b. 165
Parabolæ de paſtore expoſitio b. 118
Paracletus docet omnia 163
de Paracleto plura b. 162
Paracletum promittit dominus eccleſiæ 160
Paraſceue quid 202
Parentes honorandi 25
Paſcha quid b. 74. b. 135
Paſſio Chriſti ſpontanea b. 193
Paſſionis domini cauſſæ 145
Paſtor animarum Chriſtus 118
Paſtor bonus Chriſtus b. 120
Paſtor diſpendio uitæ propriæ conſulit ouibus. 193
Paſtor & mercenarius conferuntur b. 120

Pastor quid conferat ouibus per ostium ingredientibus b. 119.
Pastores fideles quid à mundo expectent 220
Pastores non omnes sunt qui pastores uideri uolunt 220
Pastoribus proponitur Christus imitandus 221
Pastorale officium amare & pascere b. 219
Pater diligit filium 49
Pater & filius unum sunt b. 124
Pater in filio, & filius in patre 126
Pater non colitur neq; adoratur sine filio b. 67
Pater sine filio non cognoscitur b. 100
Pater trahit, & quomodo 81
Pater maior me est, exponitur 164
Patria nobis per Christum aperta 155
Pax in Christo 184
Peccatum alterum altero grauius b. 201
Peccatum agnoscit mulier Sam. b. 54
Peccata enormia remittit Christus 97
Peccatores deus non audit 115
Peccatorũ condonatio nõ est peccandi licẽtia b. 98
Peccat Pilatus non liberans innoxium b. 201
Pedes proditoris lauit Christus b. 145
Percutit dominus ut sanet b. 106
Persequutionis caussa sit sancta 172
Persequutionis sanctorũ cur crebro dominus meminerit 174
Persequutionis consolatio efficacissima b. 93
Persequutores Euangelij duplices b. 170
Persequutores an excuset ignorantia 172
Perseuerantiam suos docet Iesus b. 102
Perseuerantiã magna quædam sequuntur b. 102
Personæ Christi diuisio cauenda 11
Personarum distinctio 4
Petit nobis filius gloriam æternam 191
Petrus ardentis fidei typus 218
Petrus officio restituitur 219
Petrus exemplum fidei 147
Petrus cognomen Simonis b. 21
Petrus reclamat domino 146
Petrus Romæ crucifigitur b. 220
Philippus cupit sibi exhiberi gloriosam dei speciem b. 157
Philosophi ridentes fidẽ resurrectionis carnis, impugnantur b. 132
Philosophiã cœlestem exposuit nobis filius dei 15
Pietas discipulorum Christi b. 186
Pietas parentibus impendenda b. 204
Pietatis ueræ ingenium 131
Pilatus non fecit coactus quod fecit b. 199
Piscina quid b. 62
Piscinã Siloë quæ b. 111
Piscinæ plures fuerunt Hierosol. 111
Plenitudo fidelium Christus 13
Plenitudo omnis in Christo b. 48
Plenitudine Christi participant omnes 14
Pœna seruorum peccati b. 103
Pollutionũ et purificationũ notata superstitio b. 196
Pontifex Christus intercedit pro nobis b. 184
Pontifices sua authoritate premũt dominũ b. 196
Porticus quid, & earum allegoria b. 62, 63
Porticus Solomonis quæ 123
Potentia resuscitantis Christi in Lazaro quatridua no ostenditur b. 132
Potestatis uocabulo quare sit usus 9
Præceptum Christi quis seruet 160
Præceptum dilectionis explicatur 169
Præcepta Christi quomodo seruentur b. 161
Prædicauit dominus & baptizauit 45
Prædicandus quomodo sit Christus 167
de Prędicatione euãgelij & apostolatu in gẽtes 58
Prædicatori non ubiuis locorũ suæ doctrinæ reddenda ratio b. 89
Prædicatores ad fidem & diligentiam præstãdam incitantur b. 58
Prædicatorum officium b. 89. b. 173
Præmiũ fidei & perseuerãtiæ in amore dei b. 161
Præsentia Christi in ecclesia sanctorum b. 161
Præsentiã corporalem Christi in ecclesia nihil profuturam 175
Prætorium quid 196
Princeps mundi foras eijcitur b. 141
Principij uocabulum quomodo à Ioanne usurpatum b. 3
Probatica, uox à Græcis petita b. 62
Proditionis author diabolus b. 145
Proditorem præsciuit dñs, ac eum detegit b. 150
Promissiones de Christo uulgatissimæ b. 22
Prouidentia dei ostẽditur in ægroto multum temporis ad probaticam piscinam decumbẽte, sed tandem restituto b. 63
Prudentiæ exemplum b. 29
Purificationis quæstio oritur inter Ioannis discipulos, & quosdam Iudæos Christo adhærẽtes b. 45
Purificatio Iudæorum b. 25

Q

Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, exponitur b. 181
Quærendum apud Christum quid b. 76
Querelæ hostium uerbi dei 138
Qui ex deo est, uerbum dei audit b. 106
Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, explicatur 159
Quinquaginta annos nondũ habes, & Abraham uidisti: explicatur 109

R

Ratio humana obstupescit ad humilitatẽ Christi. (b. 146
Recipere, quid 8
Rediuiuus Christus decem apostolis se statuit. b. 211
Regeneratio qualis esse debeat b. 32
Regis & regni Christi municipes qui b. 197
Regnare cœpit Christus cum ascendit b. 178
Regnum Christi quale b. 197
Regni affectati crimen impingit Christo b. 197

Relinquit dñs Iudæam & repetit Galilæam 50
Remittit Christus etiam enormia flagitia 97
Renasci oportet b. 31
Repudium gentis Iudaicæ & uocatio Gentiũ 8
Repurgat religionem dominus b. 27
Res inuisibiles non quælibet credendæ 217
Resurrectio corporum in Lazaro resuscitato ostẽditur 130
Resurrectio domini signis indicatur 206
Resurrectio ueræ carnis demonstratur 216
Resurrectionis ueritas astruitur 218
Resurrectionem suam Thomę ostendit dominus manifestissime b. 215
Resurrexit corpus domini uerum b. 211
Resuscitat corpora Christus b. 68
Rex Christus 75. b. 197
Rex populi dei Christus b. 137. 203

S

Sabbatum dominus non uiolauit 65
Sacerdotum ingenium 50
Salutis compendium nobis in fide per Christum communicatæ b. 7
Samariæ situs b. 50
Samaritanæ aperit se dominus 52
Samaritanorum Iudæorumq; mutua odia b. 51
Sancti subinde plenius instituuntur b. 23
Sanctificat se Christus pro ecclesia 190
Sanctifica eos per ueritatem tuã exponitur b. 189
Sanguines quid significent b. 9
Sanitatis usus b. 64
Satanas Iudam ingressus post offulam b. 151
Satanas nil iuris habet in Christum 165
Scala in cœlum Christus b. 23
Schismata in ecclesijs ex ministris b. 45
Scribebat dominus digito in terra quid b. 97
Scriptis sanctorũ patrũ quare usus sit Buling. b. 11
Scriptura quomodo adimpleta in proditore Iuda b. 149
Scripturæ authoritas 16. b. 72. b. 125
Scripturæ testantur Iesum esse filium dei b. 72
Scripturis omnia tradita 57
Sedes paratæ à deo, quomodo paratæ etiã à Christo 156
Sedit super fontem dominus b. 50
Seditionum authores qui b. 95
Sepultura domini Iesu describitur 208
Sequitur Christum populus contra magistratus edictum 137
Sermo domini ultimus ad plebem habitus 143
Sermo domini ultimus in cœna 153
Serpentis exaltati in deserto expositio 36
Serpentis ænei expositio patrum 37
Serpentes urentes quid b. 35
Sichem siue Sichimæ situs b. 50
Signare quid b. 76
Signum postulat turba quo approbet se missum saluatorem b. 77
Signa signatarũ rerum nomina accipiunt b. 46
Signa resurrectionis Christi non omnia à Ioanne consignata 217
Signa interitus quomodo appareant in corpore incorruptibili b. 215
Signorum usus 82
Simile perpetuo generat sibi simile 88
Simon cognominatur Petrus b. 22
Sinus patris quid 16
Sitit dominus in cruce 205
Sitit & esurit dominus b. 50
Spiritus adest sanctis & iuuat atq; confirmat in aduersis 178
Spiritus ad precandum excitat b. 182
Spiritus ducet in omnem ueritatem 179
Spiritus etiam aër, flatus, uel uentus 88
Spiritus exponit dicta Christi b. 182
Spiritus nondũ erat quomodo intelligendũ 95
Spiritus sanctus arguit mundum 177
Spiritus sanctus eiusdem naturæ cum patre & filio 179
Spiritus sancti præstantia b. 172
Spiritus sanctus quare non mittatur ecclesiæ, nisi sublato prius corpore b. 175
Spiritus præstantia & ingenium b. 160
Sponsus ecclesiæ Christus b. 46
Stadium quid b. 78
Studia eorum qui semel crediderunt domino 21
Studiosi sacrarum literarum uti pergant admonentur b. 152
Summa euangelij 49
Supplicium sumendum de rebellibus b. 100
Sychimitarum obedientia & fides 59
Synagoga eijcere quid 174

T

Tabernaculorum festum quale b. 90
Templũ religionis, Christi temporibus erat officina b. 27
Templum purgauit dominus b. 27
Templo proturbauit dominus ementes & uendentes, & id secundo 28
Tempus matutinum diuinis & magnis rebus aptum 97
Tenebræ quid b. 43
Tenebræ lucem non apprehendunt 6
Tenebræ nondum renatorum quantæ b. 34
Tenebræ sunt homines natura b. 5. 7
Testatur Ioannes Iesum esse dei filium 72
Testificatur filius per homines b. 172
Testimonium domini de se latum uerũ esse ostenditur b. 99
Testimonium Ioannis approbat Christus 72
Testimonium primum Ioannis b. 13
Testimonium Ioannis celeberrimum 18
Testimonium ecclesiæ de euangelio & scripturæ quale b. 222
Testimoniũ quomodo deus ab hoie accipiat b. 6
Testimonio hominũ indiget deus b. 72
Testimonia Baptista unde hauserit 19

Teſtimonia Ioannis paria b. 19
Teſtimonia Chriſti certa b. 70
Teſtimonia Ioannis præcipua quatuor b. 16
Timet Pilatus audiens Ieſum eſſe filium dei 201
Titulus cruci infigitur 205
Tollit peccatum mundi, dictum duplicem ob cauſam b. 18
Torrens cedron unde dictus 192
Tradita ſunt omnia apoſtolis & per apoſtolos eccleſiæ b. 179
Tradita ſcripturis omnia quæ noſtræ ſaluti 223
Tradita nobis omnia per Chriſtum 163
Trahi quomodo dicamur 81
Trahendi modus & ratio patris 81
Tranſit ex mundo Chriſtus b. 144
Tranſſubſtantiatio panis & uini in corpus & ſanguinem, oppugnatur 86
Turbatio cadit in ſapientem & ſanctum 150
Turbatur ſpiritu Ieſus 150
Turbæ exoriuntur propter euangelium 93
Turbæ oboriuntur quoties Chriſtus ſua prædicatione illuceſcit 112
Tyrannica uox Pilati, Mihi non loqueris? 201

V

Vbi Chriſtus ſit oſtendit Auguſt. 136
Venit Chriſtus non ut iudicet, ſed ueniet tandem iudicaturus uiuos & mortuos b. 42
Veniunt gentes ad dominum b. 138
Veniendi uerbo quomodo uſus Ioannes b. 7
Venter pro conſcientia ſumitur 95
Verbum aſſumpſit non carnem ſolã, ſed animam quoq; humanam 10
Verbum caro factum eſt 16
Verbum caro factum, non in carnẽ conuerſum 11
Verbum cur filius dei apellari uoluerit b. 3
Verbum erat in mundo quid 7
Verbum eſt dei filius b. 3
Verbum non eſt creatura 5
Verbum eſſe in principio probatur 4
Verbum eſt uita b. 5
Verbum dei docendum in eccleſia 91
Verbum lux eſt b. 5. 6
Verbũ quomodo incarnatũ, & unionis modus 11
Verbum, Sermo & Ratio quid 3
Verbum ueniendo in mundum illuminat 7
Verbi diuinitas aſſeritur quo tuto credamus in uerbum 6
Verbo omnia condita 5
Verba uitæ æternæ habes, explicatur 87
Veritas aſſerenda in turbis & diſcriminibus 94
Veritas Chriſtus 157
Veritas fidelium Chriſtus 13
Veritas non deſerenda ob turbas 90
Veritas quomodo excipiatur b. 95
Veritas perpetuo ſui ſimilis 101
Veritatem contemnunt omnes prophani b. 197
Verus Iſraelita Nathanael 23
Veſtes domini diuiſæ hoſtibus cedunt b. 203
Veſtium domini allegoria 204
Vetus homo qui 32
Via Chriſtus b. 156
Via in cœlum Chriſtus b. 23. 35
Vicarij Caiaphæ 135
Videt filium qui credit in filium 158
Vidit Abraham diem domini, quomodo b. 108
Viderunt patriarchæ & prophetæ deum, quomodo intelligendum b. 15
Videre filium quis dicatur 80
Vigilantia opus in periculis b. 87
Vires hominis 35
Vires & officia ſpiritus ſancti 177
Viri uocabulum pro quouis homine b. 9
Virtus fidei b. 48. 61
Virtus domini innoteſcit per miraculum b. 63
Virtus Chriſti domini prorſus uiuifica b. 133
Virtute dei excitatur Lazarus b. 132
Vita quid b. 49. 68
Vita animæ æterna 130
Vita æterna quid, et quomodo conſequamur eam 185
Vita Chriſtus 157
Vita & reſurrectio credentium Ieſus 130
Vita Ioanni quid b. 5
Vita quare tribuatur manducatæ carni domini b. 83
Viuificat Chriſtus b. 60. b. 67
Viuificatio animæ 68
Viuificatio corporum per Chriſtum b. 68
Vnigenitus dei filius 16
Vnio multis fit modis b. 11
Vnionem uerbi & carnis Cyrillus religioſe deſcribit b. 11
Vnitur nobis Chriſtus corporaliter & ſpiritualiter b. 190
Vocatur Nathanaël 22
Vocatur Simon Petrus à domino 21
Vocatur Philippus 22
Vocamur gratia 51
Vocandus ad euãgelium qualis eſſe debeat b. 22
Vocatio Gentium & repudium gentis Iudaicæ 8
Vocationis modus et ratio ad fidem euangelicam b. 22.
Vocati noſtram uocationem negligimus, alienam reſpicimus 221
Voluntas carnis quid b. 9
Voluntate patris bona moritur Chriſtus b. 121
Vota temeraria non obligant 147
Vſus rerum externarum moderatus culpa uacat b. 136
Vulgi leuitas notatur b. 80
Vulnus Chriſti oſtium uitæ 207

Z

Zelus domus tuæ exedit me, explicatur 28
Zelus non omnis probatur in ſcripturis b. 45

FINIS.

DE S. IOANNE
APOSTOLO ET OPERE
EIVS EVANGELICO.



IOANNES discipulus ille quem Iesus amauit plurimum, filius fuit Zebedæi piscatoris, piscator & ipse, urbe fortassis Galilææ lacustri, nõ admodum nobili, Bethsaida oriundus. Sarciebat hic cum patre & fratre suo Iacobo maiore retia in cymba piscatoria, cum Christus dominus ipsum uocaret ad apostolatum. Quemadmodũ autem relicto patre & retijs, alacri animo uocantem sequutus est: ita eidem postea docenti & operanti salutem nostram, indiuulse adhæsit, Christo domino in orbe nihil habens charius, nihil ducens augustius: unde uicissim ab ipso domino ardentissima sanctissimaq; dilectione adamatus est, ut inde ipsi nomẽ inditum crediderim, siquidem cognominatus est Christi dilectus discipulus. Sunt tamen qui putent dilectum domino discipulum ex eo dictum, quod ei se præ cæteris quàm familiarissime reuelarit. Certè ab ipso domino inter primos est habitus, & post Christi mortem pro columna ecclesiæ toti ecclesiæ, quod & Paulus testatur, est uisus. Cognominauit ipsum dominus Tonitrui filium, adhibuit ipsum transfigurationi suæ glorioſæ. Idem super pectus domini in extrema illa maximeq; mystica cœna recubuit, & diuinam illam euangelij sapientiam è sacratissimo pectore potauit. Idem à domino ductus est in montem oliuarum, spectatũ miserabilem ipsius agoniam. Mox eundem sua sponte in Caluariæ usq; locum comitatus, ueræ & amaræ mortis spectator fuit, intemeratamq; uirginem illam Mariam domini matrem in sua recepit. A resurrectione domini peculiariter didicit unà cum Petro dominũ uere resurrexisse à mortuis, ut maxime idoneus & uerissimus posset esse tam mortis quàm resurrectionis Christi testis. Post ascensionem domini conscendit unà cum Petro in templum, ibiq; claudum inuocatione nominis Christi erigit & restituit integritati: mox cum socio in curiam uocatus senatoriam, tanta constantia & eloquentia Christi religionẽ defendit, ut omnes senatores pontificesq; eius libertatem mirarentur. Sed & Samariam Petro comite ingressus, credentes confirmat in fide, incredulos erudit atq; ad fidem conuerit. Regressus dehinc Hierosolymam, fidelissime Christum prædicat Iudæis. A quibus ad Gentes conuersus, potissimas totius Asiæ ecclesias, à Paulo non ita pridem fundatas, ipse ad plenum exædificat domino, difficiles quidem sustinens labores, & innumeros in se hostes constantia & fide sua inuincibili excitans. Scripsit epistolam, cuius initium, Quod erat ab initio, omnes pietatis studiosos ad fidem Christi & charitatem synceram adhortans, quæ planè totius doctrinæ eius summa erat. Tandem uero hostium suorum calumnijs apud Asiæ præsidem delatus, & in uincula coniectus, Romam mittitur, ut ipse caussam dicat (hoc est martyrij quoq; coronam & assequatur & apostolicæ coniungat) coram Cæsare Domitiano, à quo protinus caussa non legitime excussa damnatur, & in oleum demergitur feruentem siue igneum. Verum cum in eo nihil planè pateretur, seruatoris Christi uirtute seruatus, relegatur in insulam Patmos, in qua scripsit Apocalypsim. Meminerunt huius rei scriptores uetustissimi Irenæus atq; Tertullianus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem rescissis à senatu, sub Cocceio Nerua Imp. Ephesum redijt. Fuit is annus ab incarnatione domini octauus & nonagesimus. In Epheso autẽ agens, omnes reliquas Asiæ regebat ecclesias, ministros ecclesiarum instituens atq; cõfirmans, à quibus rogatus sub finem quasi uitæ suæ euangelium quod secundum Ioannem inscribitur composuit & edidit. Augustinus enim, Ioannes, inquit, eminet in diuinorum mysteriorum profunditate, qui à tempore dominicæ ascensionis per annos sexagintaquinq; uerbũ dei absq; adminiculo scribendi ad ultima usq; Domitiani prædicauit tempora, sed occiso Domitiano, cum permittente Nerua de exilio redijsset Ephesum, compulsus ab episcopis Asiæ de coæterna patri diuinitate Christi scripsit aduersus hæreticos, qui eo absente in eius irruperant ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant. Postremo graui confectus senio, sexagesimooctauo post Christi supplicium anno, qui 32. uel 33. erat annus post mortem Petri & Pauli apostolorũ, mortuus, iuxta eandem urbem est sepultus, imperitante Cæsare Traiano, à nato Christo 102. Totidem enim computat in Chronicis Eusebius. Sabellicus in historia tradit illũ excessisse ætatis suæ anno 99. Quæ supputatio, si uera est, uocatus uidetur Ioannes à domino ad apostolatũ anno ætatis suæ 27. aut 28. & prædicasse euangelium Christi annis circiter 72. Qui dicunt illum uixisse annos 88. existimant uocatum à domino circa annum ætatis 18. prædicasse annos circiter 70. Vtcunq; uero id habeat, certò id constat illum in decrepitam quasi ætatem fidelissime seruisse domino & ecclesiæ.

Epistola Ioannis.

Apocalypsis.

Euangelium Ioannis.

Et quanquam in uita Ioannis iam attigerim qua occasione impulsus conscripserit euangelium, recensebo tamen paulò copiosius quæ de ea re uetustissimi & orthodoxi scripturarum interpretes scripta reliquerunt. Eusebius Cæsariẽn. Eccles. hist. lib. 3. cap. 24 Ioannem, inquit, tradunt usq; ad ultimum penè uitæ suæ tempus absq; ullius scripturæ indicijs euangelium prædicasse. Sed cum trium euangeliorum

Quæ causse Ioannem ad scribendum impulerint.

etiam ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem & ueritatem dictorum, deesse tamen uidit aliqua, & ea maxime quæ primo prædicationis suæ tempore dominus gesserat. Certum enim est quod in superioribus tribus euangelijs hæc uidentur sola contineri, quæ in eo gesta sunt anno quo Ioannes Baptista uel inclusus est in carcerem, uel punitus. Deniq; si obserues statim in initijs narrationis postquam refert Matthæus de quadraginta dierum ieiunio, & de tentatione eius, continuo subijcit, dicens, Audiens autem quia Ioãnes traditus est, discessit de Iudæa & uenit in Galilæam. Sed & Marcus similiter, Postquam, inquit, traditus est Ioãnes, uenit Iesus in Galilæam. Lucas uero etiam priusquam incipiat aliquid referre de actibus Iesu, dicit, Quia adiecit Herodes super omnia mala quæ gesserat, & conclusit Ioannem in carcerem. Quia inquam ab his hæc uidebantur omissa, rogatus dicitur Ioannes apostolus, ut ea quæ præterierant priores ante traditionem Ioannis saluatoris gesta conscriberet. Et ideo dicit in euangelio suo, Hoc fecit initium signorum Iesus. Et iterum in alio loco indicat, dicens, Nondum enim Ioannes erat missus in carcerem. Ex quibus constat quod ea quæ antequam Ioannes traderetur à Iesu fuerant gesta describit. Et ideo si quis hoc diligentius consideret, euidenter inueniet non sibi euangelia dissonare, sed alterius temporis gesta esse quæ scribit Ioannes, alterius uero quæ cæteri. Vnde quia natiuitatem secundũ carnem saluatoris uel Matthæus uel Lucas descripserant, reticuit hoc Ioannes, & à thelogia atq; ab ipsa eius diuinitate sumit exordium: quæ pars sine dubio ipsi uelut eximio per spiritum sanctũ reseruata est. Hæc Eusebius, cum quo congruit & D. Augustinus. Verum uidetur hæc caussa, meo quidem iudicio, satis esse tenuis ac parum habere ponderis. Porrò Irenæus lib. contra hæreses 3. cap. 11. manifeste dicit Ioannem euangelium suum scripsisse, ut per euangelij annunciationem auferret eum qui à Cerintho inseminatus erat hominibus errorem. Idem lib. 1. cap. 25. exponens Cerinthi errorem nephandũ, Cerinthus quidam, inquit, in Asia Iesum dixit non ex uirgine natum. Impossibile enim hoc illi uisum est, fuisse autem eum Ioseph & Mariæ filium, similiter ut reliqui omnes homines, post baptismum descendisse in eum Christum, & tunc annunciasse patrem & uirtutes perfeciſſe, in fine iterum reuolasse Christum de Iesu, & Iesum passum esse & resurrexisse, &c. Qua re ignoro si quid fœdius & Christo magis indignum dici possit. Vnde nihil mirum quod Cerinthi cõsuetudinem tantopere execratus est Ioannes. Idem enim Irenæus lib. 3. cap. 3. Sunt, ait, qui audierunt Polycarpum dicentem, quoniam Ioannes domini discipulus in Ephe so iens lauari, cum uidisset intus Cerinthum exilierit de balneo non lotus, dicens quòd timeat ne balneũ concidat cum intus esset Cerinthus inimicus ueritatis. Idem rursus lib. 3. cap. 11. Omnes, inquit, hæreses excludere uolens Ioannes, & regulam ueritatis cõstituere in ecclesia, quod unus est deus omnipotens qui per uerbum suum omnia fecit, & uisibilia & inuisibilia, significans quoq; quoniam per uerbũ per quod deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his qui in conditione sunt præstitit hominibus, sic inchoauit in ea quæ est secundum euangelium doctrina, In principio, &c. His paria tradidit Cyrillus. Ego omnino arbitror sanctissimum Christi apostolum pro feruentissima sua in Christum fide ac pro sollicitudine ecclesiarum paterna uoluisse maxima quæq; Christi opera seu beneficia, in primis autem sermones Christi ac disputationes planè diuinas atq; salubres, quàm exactissima describere diligentia, ut ex his ecclesia ad finem usq; mundi solidius disceret fidem in Iesum Christum uerum deum & hominem, ac charitatem erga deum & omnes sanctos, deinde ut omnium hæresum quæ tunc erant & porrò futura erant blasphema contra Christum & redemptionis mysterium dogmata ualidius confutari possent, omniũq; piorum mentes in uera Christi cognitione confirmari solidissime. Omnium enim significantissime ac euidentissime pretium redemptionis Christi & fidei, qua illud nobiscum communicatur, mysterium, expressit. Potuit hic reliquis scribere exactius hasce in primis ob caussas, Viderat quæ alij ediderant, unde facilime iudicare potuit, quæ commode & utiliter erant adijcienda. Venerat item in ætatem multam, unde experientia didicerat magistra, quibus carere nequibat ecclesia, & quæ ex factis & dictis Christi omnino scire oportebat. Adiecit ergo reliquis tribus euangelistis præsentem euangelicæ historiæ commentarium, ceu absolutissimum rerum Christianarum colophonem.

Cerinthus.

Ioannes Cerinthi cõsuetudinẽ execratus.

Euangelium quid?

Ipsum opus & librum suum prætitulauit, EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM, sicut reliqui quoq; euangelistæ, siue ipsi hoc fecerint, siue ecclesia Christi sponsa ita appellarit. EVANGELIVM significat bonum nuncium, petitũ, ut apparet, uocabulũ è re militari. Exit enim exercitus ex urbe profligaturus hostem obsidione mœnia cingentem omniaq; late ferro & igni uastantem, urbiq; ipsi extrema quæq; minitantem, cõfligit & uincit, ab impendente interitu atq; periculo urbem liberat pacemq; reducit, mox in urbem mittit nuncios, qui annuncient fusum & fugatum hostem, liberatam præsenti morte urbem, reparatam libertatem. Hoc nuncium Euangelium uocatur, & nuncij euangelistæ. Hoc ipsum mysterio redemptionis per Christum hoc modo apratur. Peccauit deo genus mortaliũ, iustoq; dei iudicio traditum est in potestatem sathanæ, qui misero insultat, imperitat, & damnationẽ sempiternam intentat. Venit autem filius dei in mundum hominem assumens, ut pro redemptione generis humani pugnans captiuos liberet è tyrannide principis mundi ac tenebrarum. Pugnat ergo & nouo quodam pugnandi genere. Moriendo enim & ex mortuis resurgendo pugnans peccatum expiat, mortem superat, & caput serpentis confringit, principemq; huius sæculi uincit, itaq; fideles liberat, iustificat,

& uitæ

& uitæ æternæ consortes efficit. Parta autem hac salute, in cœlos ascendit, & in totum orbem terræ nuncios mittit, qui hanc uictoriam, iustificationem, liberationē, pacem & uitam per mortem & resurrectionē Christi paratam annuncient credentibus. Hæc annunciatio euangelium est, & nuncij euangelistæ uocantur uel apostoli. Verum de hac re copiosiora dedi in Matthæum.

Historiam ipsam euangelij, minime operose, id est superstitiose, sed diligenter tamen facilicq; musa contexuit. Textura Rebus constat & Verbis, quod & in Matthæum annotaui. Res sunt Christi dicta & facta, adeocq; promissio uitæ æternæ siue redemptionis mysterium, doctrinacq; fidei & charitatis. Parcus certè est in exponendis factis domini, eacq; ferè inducit ceu hypotheses consequentium mox uel sermonum ad fideles, uel concertationum cum aduersarijs. Magis ergo in sermonibus disputationibusq; Christi occupatur, quàm in miraculis aut factis eius describendis. Hæc uerbis exposuit maxime è Christi sermone excerptis, hoc est è uulgo petitis, proprijs, dilucidis, simplicibus, maximeq; congruentibus rei. Monuit tamen Erasmus noster haud temere Ioannem dissimile alijs adeocq; suum quoddam habere dicendi genus, quod sibi uelut ansulis quibusdam connexum cohæreat, contextum nonnunquam ex contrarijs, nonnunquam ex similibus, nonnunquã ex ijsdem subinde repetitis. Est & in toto eius sermone quiddã minus astrictum ac fusius quàm in sermone reliquorum apostolorũ. Ordine progreditur ab alijs quàm diuersissimo sibicq; omnibus modis proprio, illustri tamen, perspicuo & plano, tam naturali quàm artificiali. Id quod in librorum argumentis & in ipsa commentatione patebit. *Contextus orationis.*

De dignitate euangelicæ historiæ dixi quædam in euangelium Matthæi. Huius autem nostri autoris atq; operis eius dignitatē utilitatemq;, quanquam ex ueteribus scriptoribus ecclesiasticis singuli propemodum non paucis celebrarint, omnes tamen non iustas cecinere laudes. Neq; enim satis amplum & magnificum est quicquid tandem de hac re sacratissima diuinissimaq; dicitur. Cyrillus Alexandrinus antistes sanctissimus & rerum diuinarum scientissimus, Cum mirabilis, inquit, & excelsa sit sanctorũ euangelistarum doctrina (non enim ipsi, ut saluator dicit, sed spiritus patris loquitur in ipsis) Ioannis euangelium, si quis sublimitatem mentis atq; acumen consideret, & quàm magnus sit sententiarum in eo cumulus cogitet, longe omnium non iniuria præstantissimum dicet. Chrysostomus uero interpretum ecclesiasticorum eloquentissimus, Ioannes, ait, sanctissimus omni admiratione plenus, arcana redundans sapientia, tonitrui filius, Christo dilectissimus, columna omnium quæ in orbe sunt ecclesiarum, qui cœli claues habet, qui Christi calycem bibit, & baptismatis aqua ablutus est, qui super pectus domini multa cum fiducia recubuit, theatrum habet orbem uniuersum. Non enim suis omissis hominibus ad brutorum naturas inuestigandas elaborauit, quod superuacaneæ & inanis philosophiæ & summæ amentiæ est, sed cum cæteris omnibus hoc quoq; morbo expulso, id tantum adnisus est, & totis uiribus contendit, ut uniuersus orbis utilitatem & uirtutem à terra in cœlum transferre ediscceret. Iccirco nulla caligine, nullis tenebris suam operuit doctrinam, sicut philosophi ratione sua prauis opinionibus obscuritatem tanquam uelum quoddam indiderunt. Huius autem doctrina solis radijs clarior est atq; illustrior, ideocq; in omnes mortales propagata. Non enim his quibus cum consuetudinem habebat quinq; annorum indixit silentium, quemadmodum Pythagoras, nec sic docuit tanquam insensibilibus assideret lapidibus, neq; numeris omnia contineri fabulatus est, sed omni eiecto satanæ fastidio atq; illuuie tanta doctrinam suam perfudit facilitate, ut non modo sapientibus, sed & mulierculis & adolescentulis quicquid dixerit ante oculos ponat. Ea uero & uera esse & utilia audituris omnibus confirmauit, quod omnia post illum sæcula perhibent testimonio. Vniuersum nanq; ad se orbem illexit, & ab omni calamitate uitam nostrã liberam reddidit postquam nobis suam doctrinam communicauit. Quare mortem potius quàm Ioannis præcepta contemnere eligendum, quæ planè constat nihil abiectum, nihil humanum sapere, sed diuinum & cœleste esse quicquid de sacro eius pectore emanauit. Nullum hic tumorem uerborum atq; fucum, nullam superfluam compositionem & stilum ineptum uidebimus, sed diuinum & inexpugnabile robur, & sacrorum dogmatum tantam uim, ut nullo possit pacto superari, præterea innumerabilium bonorum satietatem. Quare tandem fabulis ac nugis philosophorum omissis, audiamus doctrinam quæ ad nos per piscatoris linguam cœlitus defluxit. *Dignitas euangelij Ioannis.*

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER I.

QVI aliquid ratione certa & insigni cum fructu exponere uolunt, expositioni suæ propositionem scopum seu summam totius rei exponendæ præfigunt, in quam auditores mentis aciem omnemq; cogitationem intendentes, sciant quò pertineant omnia quæ dicuntur, & quis eorum sit usus. Expositurus ergo Ioannes apostolus res Christi domini, id est dicta & facta eius, totumq; redemptionis nostræ mysterium, historicæ narrationi propositionẽ præponit, copiose quidem explicatam, & hæc ferè comprehendentem, Verbum dei, id est filius dei, Iesus Christus dominus noster, de quo dicturus sum, ab æterno erat apud patrem, & est deus uerus, per quem omnia sunt condita, idem natura sua uita & lux est. Nos quia ex natura humana uitioq; peccati, tenebræ & mortis mancipia sumus, descendit uerbum uel dei filius è cœlo, uenit in mundum, incarnatus & homo factus est, ut per ipsius uitam & lucem uiuerent & illuminarentur, Iudæi in primis, quibus Meßias peculiariter est promissus. Quoniam uero hi ipsum repulerunt, uitæ & luci datæ nolentes credere, iccirco facultatem præstitit omnibus fide uera Christum recipientibus, cuiuscunq; nationis sexus ætatis ac conditionis hominibus, filios dei fieri, hoc est uitæ & omnium cœlestium bonorum hæredes adeoq; cohæredes Christi, qui ueritas, gratia, redemptio, et plenitudo, siue consummatio est omnium credentium, in quo uno omnia habent fideles quæ ad pietatem & uitam pertinent. Hæc summa est totius euangelicæ narrationis, Per fidem inquam in Christum condonari peccata, & uitam concedi æternam. Huic capiti attexit Ioannes ipsum narrationis siue historiæ euangelicæ corpus, auspicans historiam à prædicatione & testimonio Ioannis Baptistæ, sicuti cæteri tres euangelistæ fecerunt. Exponit autem qualia fuerunt illius testimonia priuata, publica, & ipsis Hierosolymitanis legatis data, omnia certè eiusdem generis, utpote docentia, Iesum Christum uerum esse deum & hominem, in mundum propter peccatores missum, ut credentes saluos faciat, proinde credendum esse in Christum. Ideo uero & discipulos suos à se ablegat, & Christo domino consecrat, ipso uidelicet facto ostendens, huc pertinere omnem eius doctrinam, ut Christo credamus unico totius orbis saluatori. Et quia Baptista solum Christum prædicauit, & in hoc uno omnia pietatis & uitæ ostendit, præteritis rebus Baptistæ, accelerat Ioannes euangelista ad ipsas res Christi describendas, ac initio indicat quomodo exceperit eos qui instigatore Ioanne Baptista ipsum fuerant sequuti: item quæ studia & opera fidelium, plurimos uidelicet Christo adducere. Ibidem perstringitur uocatio quorundam discipulorum, in quorum exemplis discimus quomodo uocentur homines ad fidem euangelij, & quales esse deceat qui euangelica doctrina sunt instituendi. Instituit dominus suos uerbis & signis. Verbis quidem apertis, attestans se esse credentibus scalam & ianuam ad uitam beatam. Signum præterea edit magnificum in nuptijs, aquam conuertens in uinum, ut eo facto suam declararet potentiam quod is sit qui quæ uult uerbo perficere potest, ut secure ei innitantur quicunq; ipsi fidunt. Hæc ueluti priuatim inter notos & familiares designauit. Cæterum non uenerat ut uno aliquo in loco paucis, sed in Iudæa uniuersa adeoq; toti orbi innotesceret, iccirco Hierosolymam gentis metropolim & caput proficiscitur, atq; omnibus innotescit facto uere maximo & instituto suo maxime accommodo. Cum enim in mundũ uenisset rex & sacerdos Messias omnium in orbe fidelium, & Meßiæ erat religionem repurgare à corruptione, & suos liberare à tyrannide & superstitione, proxima in Templum abit augustum, & ex illo ementes eijcit atq; uendentes, religionem repurgans ac ita sese expectatum Meßiam esse indicans. Grauiter autem id tulere religionis præsides, signum postulantes, quo se approbet eum esse quem se uideri uolebat. Ipse de morte & resurrectione sua disputat, quanquam tectius. Et crediderunt quidem domino non pauci, sed simularunt interim alij fidem, affectum potius corruptum mentis suæ sequentes quàm spiritus sancti impulsum, quibus ideo se concredere nolebat dominus, quod consilia & cogitationes cordis ipsorum non ignoraret, rebusq; se seruaret melioribus. Hæc primis duobus tractantur capitibus. Porrò cupio mihi gratiam cœlitus concedi, quo pure explicem historiam purissimam, & auditores dari purgato pectore precibus & dilectione flagrante præditos, quo mysteria planè diuina, sacratißimis cordibus hauriant. Sic enim supremi & uere optimi maximi Iouis tonitru grauissime intonans incipit.

IN

IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, ET VERBVM CAP. I.
erat apud deum, & deus erat illud uerbum, hoc erat in principio apud deum.

Matthæus & Lucas ſuam hiſtoriam de Chriſto Ieſu incœperunt ab humanæ naturæ origine ac ueritate, catalogum contexentes generis, & cõceptionem è ſpíritu ſancto uirginis, natiuitatemq; carnis deſcribentes. Marcus mox ab initio filiũ dei appellat dominum, poſt quem Ioannes apoſtolus & euangeliſta multis & argumentis quidem ſolidiſſimis efficaciſſimisq;, imò & manifeſtiſſimis oſtẽdit euincitq; Ieſum eſſe filium dei, deum uerum, patri coæqualem ac conſubſtantialẽ, ediſſerens puriſſime æternam eius generationem ex patre, idq; contra hæreticos iam tum incipientes negare diuinitatem filij, ac aſſerentes Ieſum ex Ioſeph homine, hominem duntaxat, ſecundum legem naturæ communem, eſſe progenitum. Erant alij his diſſimiles, qui, ut ipſe teſtatur in epiſtola Ioannis, negabant Ieſum in carnẽ ueniſſe, uereq; incarnatum eſſe. Quos omnes ſuo hoc principio refutans diuinitatem filij negantibus obijcit, Verbum erat deus: humanitatẽ uero inficiantibus opponit, Verbum caro factum eſt. Præterea uidebantur apoſtoli quibuſdam ex circumciſione rixatoribus ut nouum deum, ita nouam quoq; inducere fidem, unde Ioannes euangelicam hiſtoriam, id eſt compendium fidei Chriſtianæ & deſcriptionem Chriſti, ueteri deo & religioni ita connectit, ut innuat ſe dicturum de eo uerbo, dei inquam filio Ieſu Chriſto, qui fuit ab initio, per quem omnia ſunt condita, & qui in fine temporum iuxta prophetarum oracula, incarnatus eſt & ſalutem peregit, ex quo conſequatur Chriſtianorum deum & religionẽ, ueterẽ eſſe deum & religionem. Atq; huc pertinere crediderim quod ad imitationem Moſis narrationem ſuam auſpicatur. Nam ſicut ille dixit, In principio creauit deus cœlum & terram: ita hic noſter, In principio erat uerbum.

Aſſeritur Chriſti diuinitas.

Chriſtiana religio uetus religio.

Vt autem rectius pleniusq; intelligatur oſtenſio ſiue argumentatio apoſtoli approbantis ueram Chriſti diuinitatem, initio explicabimus quædam Ioannis uocabula, quibus utitur, deinde inueſtigabimus ſingularum ſententiarum ſenſum genuinum. Multa fuit concertatio inter eruditos λόγ& ne uerbum ſignificet an ſermonem. De quo qui doctam diſputationem legere cupit, percurrat quæ Eraſmus ea de re tradidit. Tertullianus in libro contra Praxeam multis contendit λόγῳ uerti oportere rationem potius quàm ſermonem. Nam rationem ſermone priorẽ eſſe. Meminit eiuſdem & in 21. cap. Apolog. Lactantius lib. 4. cap. 8. tam uerbum legit quàm ſermonem, quemadmodum ueterum interpretum pleriq;. Multa de Verbo hoc diſputat Auguſt. Tract. in Ioan. 1. S. Hilarius de patris & filij unitate diſſerens, inter alia, Pro captu, inquit, pro uiribus & pro fide noſtra intueamur deus quid ſit, & uideamus an illi poſſit aliquid comparari. Certè hoc eſt deus, quod & cum dicitur non poteſt dici, cum æſtimatur non poteſt æſtimari, cum comparatur non poteſt comparari, cum definitur ipſa definitione ſua creſcit: qui cœlum manu ſua operit, pugno omnem mũdum claudit, quem omnia metuunt, & metuendo ſciunt, cuius nomini & uirtuti famulantur. Hunc orbis ex ipſa elementorum ſibi ſuccedentium momentanea uiciſſitudine teſtatur. Ratio quædã eſt quæ apud Græcos λόγ& appellatur, quæ inter patrẽ & filium perſonas uel uocabula diſtinguit. Quia ipſe filius ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modo enim uerbum, modo uirtus, modo ſapientia, modo dextera, modo brachiũ, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo leo, modo uia, modo ueritas, modo uita, cum ſit deus omnia in omnibus. Et per hæc uocabula di

Verbũ, Sermo & Ratio.

uinarum dispensationum mysteria cognoscuntur. Nam & ob hoc Verbum nuncupatur, quia & proprie diuino ore processit, & nihil pater sine eo aut iussit aut fecit. Virtus dicitur, quia uere de deo, & semper cum deo, & omnis potestas patris in ipso consistit. Et quæ sequuntur. Cum his congruunt quæ D. Ioan. Chrysost. de Verbo tradidit Homelia in Ioan. 3. Ego omissis disputationibus subtilioribus simpliciter per Verbum intelligo ipsum dei filium ab æterno genitum à patre, & patri per omnia coæqualem. Credo autem Verbum ideo nuncupatum quod scriptura canonica prophetícaue filium appellauit uerbum. Dauid enim Psalm. 33. Verbo, ait, domini cœli sunt firmati, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et iterum Psalm. 107. Et clamauerũt ad dominum cum tribularentur, & de omnibus necessitatibus eruit eos. Misit uerbum suum, & sanauit eos, & liberauit eos de interitu ipsorum. Cæterum Erasmus Rot. copiose & syncere exponens cur deus filium uoluerit appellari Verbum, sic dicit, Vt rerum nec intelligibilium cuiquam, nec explicabilium aliquam cognitionem impartiamus, abutendum est uocabulis rerum, nostro sensui familiarium, cum nihil usquam sit in omnibus rebus conditis unde duci possit comparatio quæ ad unguem quadret ad ueritatem naturæ diuinæ. Itaq; quemadmodum arcanæ literæ summam illam mentem, qua nihil cogitari potest neq; maius neq; melius, Deum uocant: ita huius filium unicum Sermonem illius appellant. Filius enim cum non sit idem qui pater, tamen similitudine patrem quasi refert, ut utrunq; in altero liceat intueri, patrem in filio, filium in patre. Sed gignentis atq; geniti similitudo, quæ in humana generatione multis modis imperfecta est, in deo patre & huius filio perfectissima est. Nec est alia res quæ plenius & euidentius exprimat occultam mentis imaginẽ quàm oratio non mendax. Hæc enim uere speculum est animi qui corporeis oculis cerni non potest. Quod si cui uolumus animi nostri uoluntatem esse cognitam, nulla re certius id fit aut celerius quàm oratione, quæ ex intimis mentis arcanis deprompta per aures audientis, occulta quadam energia animum loquentis transfert in animũ auditoris. Nec est alia res inter mortales efficatior ad omnem animorum motum excitandum quàm oratio. Quod si adsit authoritas, oratione compendio præscribitur quid fieri uelimus. Filius itaq; dicitur, quod cæteris omnibus par ei unde nascitur sola personæ proprietate discernitur. Sermo dicitur, quod per hunc deus, qui in suapte natura nulla ratione comprehendi potest, nobis uoluit innotescere: nec aliam ob causſam uoluit innotescere, nisi ut ex ipsius cognitione felicitatem æternam assequeremur. Non est hæc temporaria natiuitas, nec sermo similis humano. Nihil corporeum est in deo, nihil tempore fluidum, aut loco circumscriptum, neq; quicquam omnino initio progressui senio aut ulli mutationi obnoxium. Totus ac semper in se est, & qualis est ipse, talis ab eo nascitur filius, æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo, denicq; deus à deo, nec posterior se gignente nec inferior: æternæ mentis sermo æternus, quo sibi semper uelut arcana cogitatione loquitur pater, etiam ante conditum hunc mundum. Et reliqua. Habes quid per Verbum siue Sermonem intelligas, ipsum dei filium, æterni patris consilium, brachium, os, & sapientiam alibi dictum: & quare appelletur Verbum, quia patri coæternus, & de ipsissima est patris substantia, deus uerus ex deo uero, per quem nobis uult innotescere, & in quo ceu in speculo quodam uideri.

Verbum est dei filius.

Cur filius dei Verbum dicatur.

Quid intelligat per Principiũ.

Dicamus nunc de uocabulo Principij. Principium à Ioanne usurpatur in præsenti longe alia significatione quàm apud Mosen Gen. 1. Nam in Mose Principiũ ordinis est, quasi tu dicas, Primo quidem creauit deus cœlũ & terram, ipsam inquam materiam, unde mox uniuersitatem produceret, deinde uero singula digessit, suoq;

sit, suoq́ loco & in sua substantia atq́ forma disposuit. Quem sensum uides ad sequentia spectare, siue relationem, ut aiunt, habere, non ad præcedentem quidem æternitatem, sed cõsequentem creationis ordinem ac modum. Equidem Hebræis רֵאשִׁית significat principium, caput, exordium, atq́ cuiusuis rei initiũ. Porrò apud Ioannem Principium refertur ad æternitatem, ut intelligendum sit Verbum esse in principio, id est filium dei esse ab æterno. Nam apud Ioannem in cap. 8. ipse filius, Antequam Abraham esset, ait, ἐγώ εἰμι, ego sum: Sum, inquam, non fui, dixit, ne quis filium per incarnationẽ, id quod fuerat, desijsse putaret, Sum inquit, substantia illa æterna sine fine & sine principio. Nam sicut deus incõuertibilis est, ita æternus & incorruptibilis. Orthodoxe ergo beatus pater Cyrillus in Ioannẽ cap. 1. scribit, Principiũ sanè temporis nullo pacto possumus in unigenito dei filio intelligere. Qui enim ante cuncta sæcula est, eius æterna substantia est. Nunquam ergo principij principium poterit excogitari. Nam si aliud quiddam ante principiũ intelligitur, excidet profecto nec erit uere principium. Præterea si aliud ante principium inueniri poterit, in infinitum nobis erit procedendum, aliud semper ante aliud quærentibus, nec in uno simpliciter principio consistentibus. Quare ne infinita quærentes inexplicabilis nobis fiat consideratio, quæ nunquã possit in exitum peruenire, nec principium principij dabimus, nec filium in tempore à patre genitum concedemus, sed æternaliter cum patre ipsum esse confitebimur.

Filius dei in principio.

Explicatis his uocibus uenimus iam ad expositionem argumentationis siue demonstrationis euangelistæ nostri, qui omnino uult ostendere uerbũ siue filium natura esse deum. Id uidetur sic euincere, Deus hoc proprium & peculiare habet, ut sit ab initio, id est ab æterno, infinitus, ineffabilis, incircumscriptus, immensus (hæc omnia comprehendo sub hisce uocibus In principio) sine initio & sine fine. Verbum autem est in principio, æternum, immensum, infinitum, iccirco Verbũ est deus. Hac demonstratione nihil est simplicius intelligibilius euidentius.

Distinguuntur personæ.

Porrò ne quis confunderet personam filij cum persona patris, quod feciſſe legitur Praxeas, Sabellius cum Noëtianis, quos cõmuni appellatione Patrispassianos appellant, protinus adiunxit, Et uerbum erat apud deum. Id quod & sanctus Cyrillus in Ioannem lib. 1. cap. 2. obseruans, Vt, inquit, pater uere & non filius, & filius rursum proprie filius & nõ pater intelligatur, quasi ad præsentem iam quæ futura erat hæreticorum prauitatem accinctus, ad id quod dictum est, In principio erat uerbum, in deo scilicet patre, statim adiunxit, Et uerbũ erat apud deum. Cum autem apud deum uerbum esse prædicet, unum quidẽ esse filium subsistentemq́ in seipso, & unum rursus deum patrem apud quem uerbũ est, apertissime ostendit. Quomodo enim quod unum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligetur? Saluator quoq́ idipsum nobis aperiens, Ego, inquit, & pater unũ sumus. Nisi enim utercq́ subsisteret, non Sumus, sed, Sum unum ego & pater, dixisset. Verum quoniam plurali numero Sumus unum dixit, commodissime tam unitatem naturæ quàm pluralitatem personarum ostẽdit. Nunquam enim de Vno sumus, etiamsi disrumpantur hæretici, prædicari poterit. Hæc Cyrillus. Videri tamen poterat hæc particula Et uerbum erat apud deum, probationis uice esse adiecta, ut corroboret præcedens argumentum. Dixerat enim, Verbum erat in principio. Id quoniam negari poterat, uidetur sic confirmare, Quia apud deum erat uerbũ. Certum quidem & indubitatum est Deum esse ab initio, id est deum esse æternũ, & uerbum esse apud deum, ergo ab æterno. Nam apud deum esse, plus quiddam significat, quàm mox inspicienti appareat. Alioqui enim & S. Petrus apud deum nunc est, sed non ideo deus est. Ideo diligenter obseruandum quod Ioannes signi

Probat Verbũ esse in principio.

ficanter dixit, ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Significat autem πρὸς ueluti commissuram & unionem quandam, ut uno existente, necesse sit & alterum esse, ut quia pater est filius est, quia ignis est calidus est, quia deus numen ac mens est, ideo uerbum est. Quoniã igitur deus est ab initio, necesse est id quoq; esse ab initio, quod apud deũ, uel cum deo uel in deo est. Verbum autem apud deum est, ergo ab initio siue ab æterno est.

Illatio argumentationis S. Ioan.

His iam subiungit illationem utriscp deseruientem argumentis, Et deus erat illud uerbum. Quasi dicat, Quia constat uerbũ esse à principio, & esse apud deum, coæquale deo, consequens est Verbum esse deum, & uerbum quidẽ illud de quo mox dicturus sum, quod sit incarnatum. Plus autem fidei & authoritatis meretur in toto terrarum orbe simplex, breue, uerum, constans & infallibile Ioannis testimonium, quàm infinitæ, inexplicabiles subtilissimæq; omnium in toto orbe hæreticorum, Iudæorum atq; Turcarum disputationes, contendentes Verbum siue filium non esse natura & uere deum, nuncupari tantum & dignatione quadam appellari deum. Ioannes enim omnia ista figmenta uno uerbo subuertens, Et deus, ait, erat ille sermo, uel illud uerbũ. Et in epistola sua cõstantissime profitetur idem, dicens, Scimus quod filius dei uenit, & dedit nobis mentẽ, ut cognoscamus illum qui uerus est, & sumus in uero, in filio eius Iesu Christo, hic est uerus deus, & uita æterna. En quid poterat dici plenius, planius, simplicius & manifestius? Filius dei Iesus Christus est deus uerus, uerus inquam, nõ putatiuus aut nuncupatiuus, sed uerus, nimirum naturalis, adeoq; & substantialis deus. Imò ne quis aliò raperet aut sinistre interpretaretur Verbum, subiũgit, Hoc erat in principio apud deum. Hoc ipsum inquam uerbum, & nõ aliud, quod uidelicet in principio apud deum erat, deus est. Videtur ea particula & probationis esse repetitio, ut cum dico omnem uirtutem esse beatam, ueritatem autem uirtutẽ esse, ergo beatam quoq;, quia uirtus sit. Ita enim & Ioannes colligit, Quod apud deum in principio uel ab æterno est, deus est: uerbum est apud deum in principio, ergo uerbum deus est, quia in principio apud patrem est. Est autem hæc repetitio probationis omnibus eruditis scriptoribus uulgatissima.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factũ est.

Refutatur prauа huius loci expositio.

Priusquam cõtextum & cõsilium authoris explicem atq; ostendam, refutabo ea prius quæ huius loci sensum genuinũ non tam obscurant quàm adulterant. Sunt qui hæc Ioannis uerba Omnia per ipsũm facta sunt, non ad filium referant, sed ad patrem, exponentes deum illum apud quem erat filius condidisse omnia. Sed hæc expositio aliena est à scopo, consilio atq; instituto euangelistæ, qui hic de uerbo siue filio peculiariter agit. Repugnat item totus huius loci contextus. Sequitur enim de Vita & Luce quod peculiariter competit Christo domino. Præterea uulgatissimum est literis propheticis & apostolicis creationẽ rerum omnium patri ascribere, sed per filium. Dauid enim Psalm. 33. Verbo domini, inquit, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et Paulus, Deus, ait, loquutus est nobis per filium, per quem & sæcula condidit. Et iterum, Per illum (filium inquam) creata sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia. Eandem phrasim imitans & Ioannes, dicit omnia condita esse per uerbum. Verum hinc existit alia non minus pernicioſa expositio Arrianorũ, contendentium per filium à patre omnia ceu per instrumentum esse creata, atq; eo nomine filium patri esse inæqualem. His respondens D. Ioan. Chrysost. Hom. in Ioan. 4. Si hanc, inquit, præpositionem Per significare diminutionem arbitraris, audi prophetam

Omnia per filiũ non ut per instrumentum condita.

dicentem

dicentem, Initio terram tu fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, quod de patre tanquam conditore dictum est. Idem de filio Paulus attestatur, nunquã profecto id asserturus, nisi conditorem ipsum non ministrum opinaretur. Per ipsum autem hoc loco nulla alia ponitur gratia, quàm ne ingenitum quispiam suspicaretur. Nam quod ex opificij & generationis dignitate nihilo sit patre inferior audi loquentem, Sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Quod si de filio in ueteri etiam testamento, initio terram tu fundasti domine, dictum est, manifesta est opificij dignitas. Sin de patre id loquutum dixeris, quod de illo dictum est Paulus filio attribuit, & ita idem efficietur. Neq; enim filio id Paulus tam cõstanter attribuisset, nisi proculdubio patri & filio pares intelligeret esse dignitates. Vltimæ nanq; & amentiæ esset & audaciæ quæ incorporali conuenirent naturæ, ea ad minorẽ & quæ illa indigeret deducere. Verum neq; minor est filius neq; alienus à patris substantia, quocirco nõ modo de filio Paulus audet profiteri, sed alia quoq; huiusmodi. Hoc enim uerbum Ex quo, quod tanquam dignũ quoddam & præcipuum soli patri attribuis, filio quoq; proprium his uerbis ostendit, Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones submini stratum, &c. Neq; hoc solo contentus, aliunde etiam nobis os obstruxit, cum illud uerbũ Per quem, quod diminutionem significare arbitraris, patri attribuat. Fidelis enim deus, inquit, per quem uocati estis in societatem filij eius. Et alibi, Ex ipso, & per ipsum, & ad ipsum omnia, &c. Hęc paucula Chrysost. pio Lectori sufficere credidi, satis qui dem efficatia ad retundendas Arrianorum blasphemias. Plura de hac eadem re disputauit & Cyrillus lib. in Ioan. 1. cap. 5. Iam quod lectionem huius loci attinet, mo nuit S. Chrysostomus fuisse qui contenderint spiritum sanctum esse creatum, atq; ideo hunc locum sic legisse atq; distinxisse, Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, hic interposuisse punctũ, ac subiunxisse, Quod factum est in ipso uita erat. Contra quos multa disputans Homel. 4. in Ioannem, tandem subiungit, Quamobrem hac reiecta ueram aggrediamur expositionem. Quæ nam autem ea est? Vt post eam particulam Quod factum est, perfectum punctum apponamus, deinde clausulam incipiamus, In ipso uita erat, cuius particulæ sententia huiusmodi est, Sine ipso factum est nihil quod factum est. Si quid factũ est, inquit, sine ipso factũ non est. Vides quo pacto hac breui adiectione omnia corrigit inconuenientia? Ex ea enim particula Sine ipso factum est nihil, & adiectione, Quod factũ est, intelligibilia comprehendit, spiritum subtrahit. Quippe cum dixisset, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ne quis suspicaretur, Si omnia per ipsum, spiritum quoq; per ipsum factum esse, ea fuit adiectio necessaria. Hæc ille.

De genuina huius loci lectiõe.

His præmonitis descendimus nunc ad explicandam Ioannis sententiã, cuius institutum est docere & approbare Verbum esse deum, deoq; per omnia coæquale, id quod in præsenti huiusmodi demonstratione ère omnibus notissima & confessa indicat. Per deum condita sunt omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, uisibilia & inuisibilia. Solius enim dei est creatio uniuersorũ. Id quod tradit uniuersa scriptura, in primis lib. Gene. Constat autẽ & per uerbum omnia esse condita: certissimum itaq; est uerbum esse deum. Nam & Paulus ad Coloss. loquens de Verbo siue filio dei Iesu Christo, Per illũ, ait, creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes, siue principatus siue potestates. Omnia per illum, & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum cõsistunt. Porrò ne quis filium nihilominus creaturam, sed primam tamen siue supremam intelligeret, ad omnem errorem excludendum adiungit, Et sine eo factum est nihil, quod factũ est, id est, quicquid sub censum uenit creaturæ

Omnia condita per Verbum.

Verbum non est creatura.

illud in uniuersum factum est per Verbum: uerbum ergo non est creatura, sed creator. Quod Paulus dominum nostrum appellat Primogenitum omnis creaturæ, non eum sensum habet quem quidam ei indunt. Nam Hebræis primogeniti erant rerum domini. Dominus itaq; noster primogenitus, id est dominus & princeps est uniuersæ creaturæ, genitus quidem non creatus, & primogenitus etiam, id est æterna natiuitate à patre æterno genitus.

In ipso uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.

Quid Vita Ioanni.

Pergit etiam his adhuc plenius & firmius Verbi diuinitatem naturalẽ astruere, id quod dilucidius perspiciemus, ubi prius dixerimus quid per Vitam intelligat Ioannes. Principio quidem Vita est ipsum esse siue subsistentia omniũ rerum conditarum. Paulus enim in Actis Athenien sibus prædicans, Per ipsum, inquit, uiuimus, mouemur & sumus. Et ad Colos. Omnia per illum, & in illũ creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt. Itaq; Paraphrastes, Nec solũ, inquit, in hoc dei sermone uis erat nutu suo condendi rerum uisibilium & inuisibilium uniuersitatem, uerum etiam in eodem erat uita uigorq; omnium quæ condita fuerãt, ut per eundem unumquodq; natiuo suo uigore ageret, seseq; ui semel insita perpetua propagatione tueretur. Nihil enim est otiosum aut iners in tanta rerum multitudine. Sua cuiq; herbæ atq; arbori uis indita, suum cuiq; animanti ingenium est. Hinc uero tale ducitur argumentum, In deo uiuunt, mouentur & subsistunt omnia. In Verbo autem uita & subsistentia est omnium: uerbum ergo deus est. Deinde Vita opponitur morti animæ atq; æternæ damnationi. In Canonica enim sua idem Ioannes dicit, In hoc apparuit charitas dei, quod filium suum unigenitum misit deus in mundũ, ut uiuamus per eum. Ita & Paulus, Iesus Christus, inquit, mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit ac immortalitatem per euangelium. Ita iam sic uidetur Ioannes colligere, Certissimũ est solius dei esse uiuificare & immortalitatem conferre. Per filium autem uita est. Per filium enim uiuunt & immortales fiunt credentes. Filius itaq; deus est. Et uulgatissimum est, In ipso, iuxta Hebraici sermonis proprietatem, poni, pro eo quod est Per ipsum. Sequitur, Et uita erat lux hominum, quod sic exponi poterat, quasi per Metastasin uitam usurparit Ioannes pro uitæ Christi exemplo, quod fuerit lux id est institutio hominum: uerum multo simplicius & purius fuerit si exponamus, Et uita, id est Verbum quod suapte natura uita est, sicut modo diximus, erat lux hominum. Nam idem Ioannes, Et uita, ait, manifestata est, & uidimus, etiam testamur, & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifesta est nobis. En uitam hic quoq; posuit pro uerbo siue filio, qui uita est. Porrò lux dicitur uerbum, non tam propter puritatem naturæ diuinæ, quàm propter illuminationem, qua hominum tenebris inuoluta pectora, depulsis peccato erroribus ignorantiæq; nebulis, illustrat. Sequitur enim, Et lux in tenebris lucet. Et iterum, Erat lux illa, lux uera, quæ illuminat omnem hominem, ueniens in mundũ. Constabit ergo Ioannis argumentatio sic, Dei solius est illuminare, ut qui lux est uera, perennis, æterna. Verbum autem cum lux sit uera illuminat, unde cõsequens est uerbum esse deum. Lux inquam illa ipse dei filius lucet in tenebris. Tenebras appellat Ioannes, quos modo uocauit homines. Nam hi suapte natura omnes, non modo tenebricosi, sed ipsæ tenebræ sunt, cæci, dei, omniumq; rerum bonarũ ignari. Illuminat autẽ Christus uirtute, spiritu, gratia, doctrinaq; sua homines, ut ipsi quoq; lux sint, ueritatem sciant, iustitiã colant, adeoq; cum ipso deo habeant communionem,

Verbũ est uita.

Verbũ lux est.

Homines natura tenebræ sunt.

mũnionem, ſicut ſcribitur 1. Ioan. 1. Hæc eſt annunciatio quam audiuimus ex eo, & annunciamus uobis, quod deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ: quod ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, communionem habemus inter nos mutuam. Cum autem homo non regenitus, tenebræ diſerte appelletur, ubi ſunt qui uires hominis aliquid boni per ſe ualere exiſtimãt? Sine luce diuina tenebræ ſunt quicquid eſt in homine. Vnde S. Iacobus apoſtolus, Omnis donatio bona, ait, & omne donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum.

Conſequentis ſententiæ, Et tenebræ eam non apprehenderunt, duplex poteſt eſſe ſenſus. Prior, Aperuit deus per filium ueram uiam uitæ, illuminauitq; tenebras mundi, uerum incredulus mundus plus dilexit tenebras quàm lucem, ſicut & 3. cap. ipſe dominus dixit. Itaq; quod non omnes illuminantur homines, non fit uitio aut impotentia uerbi, ſed malitia & corruptione humana. Non quod malitia mundi ſuperet potentiam dei, ſed quod dei iuſtitia & æquitas ſpontaneum & ultroneum uelit cultorem. Poſterior, Cum illuceſceret orbi lux uerbi, omnes uolens errores eliminare, tenebræ, id eſt impij quiq; oppoſuerunt ſe luci exorienti, conuitijs ipſam inceſſentes, uerum calumniari hanc potuerunt, apprehendere, ſubuertereq; non potuerunt. Vincit enim diuina uirtus omnem huius mũdi potentiam. Quid ſi addamus & tertium, apoſtolum ex repugnantia naturarum diuinitatem uerbi oſtendere, ueluti cum alibi quoq; dicit, Si ex mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſt diligeret, nunc quia ſelegi uos de mundo, odit uos mundus. Ita enim hic quoq; colligere uidetur Ioannes, & dicere, Nihil tenebrarum aut corruptionis habet Verbũ, alioqui tenebræ ipſum apprehenderent: iam cum non apprehendũt, conſtat id eſſe quàm alieniſſimum & à tenebris & ab omni corruptione. Quod autem purum, incorruptum, & omnino lucidum eſt, deus eſt, ergo uerbum deus eſt. Aliam ſententiam ſequitur Cyrillus. Iudicent Lectores, & puram ſimplicitatem ubiq; ſequantur.

Tenebræ lucẽ non apprehendunt.

Erat homo miſſus à deo, cui nomen Ioannes. Hic uenit ad teſtificandum, ut teſtificaretur de luce, ut omnes crederent per ipſum. Non erat ille lux illa, ſed (miſſus) ut teſtificaretur de luce illa.

Teſtimonio Ioannis Baptiſtæ ueri Heliæ, probat Verbum eſſe deum, & quo plus ponderis haberet teſtimonium, oſtẽdit teſtis dignitatem & authoritatẽ. Erat, inquit, homo in hoc delectus & miſſus à deo, ut iuxta prophetiam, quæ de eo præceſſerat in Malachia & Iſaia, teſtimoniũ præberet de illo lumine diuino, quod humano corpore diſſimulatũ uerſabatur in mundo. Ioannes huic nomen erat, quod nominis ex euentu & prædicatione, angelo prædicente, apud Lucã in primo indeptus fuerat. Quemadmodum enim lucifer exorientem ſolem præcedit: ita Ioannes aduenientem dominum antecedens, gratiæ diuinæ extitit præco, teſtificans interim quod cœlitus didicerat à patre Ieſum eſſe lucem, deum nimirũ. Idem conſtantiſſime docuit credere in uerbum ſiue lucem: quocirca neceſſe eſt uerbũ eſſe deum. Nam credimus in ſolum deum uerum, uiuum, æternum. Atq; hic finis fuit doctrinæ Ioãnis, adeoq; & uſus diuinitatis uerbi, de qua multis hucuſq; egit. Ideo enim miſſus eſt à deo, ac docuit Ioannes, ut crederemus in Verbum: & multis hactenus uerbi diuinitas oſtenſa eſt, ut credamus tutò in uerbum. Quia enim filius dei eſt Ieſus, certe omnipotens, ſanctus, uerax, & liberator atq; redemptor eſt, iuſtificans, ſanctificans, & aſſerens eos qui fiduciã ſuam in ipſum figunt. Omnis enim qui ei fidit non pudefiet. Eſt autem hic finis & ſcopus non tantum doctrinæ teſtimonijue Ioannis, ſed omnis doctrinæ apoſtolicæ, quæ ubiq; docet Ieſum eſſe Chri

Ioannes Baptiſta docet Verbum eſſe lucẽ.

Finis & uſus aſſertionis diuinitatis uerbi.

ſtum dei filium, uerbum patris, iuſtitiam & lucẽ, cui credere debeant qui ſalui eſſe cupiunt. Languidius id eſt quàm quod multis annotare cõueniat, quod dicitur, incertum eſſe an Per illum referatur ad Ioannem, an ad Chriſtum. Nam totus contextus & inſtitutum apoſtoli ſatis euincit ad Ioannẽ eſſe referendum, neq; aliò unquam retulit quiſquam interpretum eccleſiaſticorum.

Ioannes non eſt lux.

Iam quia erant, ſicut Lucas quoq; in 3. cap. ſubindicat, qui putabant Ioannem eſſe Meſſiam, correctione quadã ſubiungit, Non erat Ioannes lux illa, illuminans uidelicet mundi mortaliũmue tenebras, uerus inquam Meſſias, ſed Helias, præco atq; præcurſor Meſſiæ, teſtificans orbi Ieſum eſſe ueram lucem, dei filium uerum, uitam & redemptorem credentium. Quoniam uero dominus Ioan. 5. cap. dicit, Ioannes erat lucerna ardens & lucens, quæri ſolet quomodo apoſtolus hic neget Ioannem eſſe lucem? Sed facilis eſt reſponſio, apoſtolum in præſentia non ſimpliciter negaſſe Ioannem eſſe lucem, negaſſe autem illam eſſe lucem, Chriſtũ inquam Meſſiam. Vnde Paraphraſtes dixit, Erat quidem Ioannes lux quædam, nimirum lucerna ardens & lucens, ardens pietate, lucens uitæ ſanctimonia (& teſtimonio doctrinæ,) ſed non erat illa lux quæ toti mundo uitam affert. Rurſus quærit D. Ioannes Chryſoſt. Homel. in Ioannem 5. Dixit alibi dominus, Ego ab homine teſtimonium non accipio: ſi ergo hominis non indiget teſtimonio, cuius rei gratia miſſus eſt à deo Ioannes? Et reſpondit, Non propterea quod ipſius teſtimonio indigeret, ſed ea quam ipſe Ioãnes ſubdit cauſſa, Vt omnes crederent per illum. Et mox, Sicut carnem induit, ne ſi nuda ſe diuinitate exhiberet, nemo ferret: ita uirum qui ſe annunciaret præmiſit, ut cum familiarem populi uocẽ audirent, facilius ad credendum adducerentur. Quoniam ad ſalutem noſtram omnia operatus eſt, neq; ſuæ duntaxat dignitati, ſed auditorum uſui facilitatiq; cõſuluit. Quod ipſe quoq; (Ioan. 5.) his uerbis ſignificat, Hæc dico propter uos ut ſaluemini. Et euangeliſta cum dixiſſet, Vt teſtimonium perhiberet de lumine, addidit, Vt omnes crederent per illum. Quaſi dicat, Ne putes hac cauſſa teſtificatũ ueniſſe Ioannem Baptiſtã, ut fidei ratione aliquid domino adderet, ſed ut ſui homines crederent per illum.

Quomodo Ioannes lux dicatur.

Quomodo deus ab homine teſtimonium accipiat.

Erat lux illa lux uera, quæ illuminat omnem hominẽ ueniens in mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus ipſum non cognouit.

Lux uenit in mundum.

Subiectione & explicatione hac propius accedit ad euangelij myſterium explanandum, nempe quod Verbum illud quod erat apud patrem, lux inquam ac deus uerus, deſcenderit de cœlo & uenerit in mundum, uenerit autem in hunc finem, ut omnes homines illuminet, id eſt regeneret, uiuificet uere, in uera pietate inſtituat atq; conſeruet. Quæ ſanè totius euangelicæ hiſtoriæ ſumma eſt, quò omnia referri oportet quæ dicuntur. Videntur tamẽ in his certa quædam diligentius eſſe explicanda obſeruandaq;. Primum quod diſerte dicit, Erat lux illa lux uera, de Chriſto utiq; loquens, quem dicit eſſe ueram lucem, deum inquam uerum, & natura ſua lucem, aliis omnibus lucem participantẽ. Dixerat iam nunc, Non erat Ioannes lux illa: nunc ſubijcit, Chriſtus autem ſiue Verbum erat lux illa, uera inquàm, illuminans omnes homines. Turpiſſime ergo errant qui docent Chriſtum prophetam eſſe magnum, non deum naturalem uel uerum, aut deum quidem eſſe ſed appellatione aut participatione quadam. Apoſtolus enim alia ratione ipſum appellat lucem, quàm qua Ioannem aut apoſtolos uel prophetas. Verbum enim ſua natura eſt lux ipſa, deus ipſiſſimus, lux inquam uera. De qua re plura diſputat beatus pater Cyrillus. Secundum quod diligentius relinquitur expendendum illud

Chriſtus ſubſtantia ſua lux eſt.

illud est quod dicitur Lucem illam illuminare omnem hominem. In quo duo ueniunt notanda: Alterum, Omnes homines suapte natura esse tenebras atq; peccatum. Nam si omnes illuminat, omnes certe illuminatione indigent. Illuminantur enim tenebricosa & obscura duntaxat: iccirco ex nostra natura & natiuitate prima, tenebræ sumus. Rursus consequens est beneficium illuminationis solius esse dei. Alterum, Neminem è gratia & illuminatione cœlesti excludi, nisi eum qui semetipsum excluserit sua incredulitate. Nam paulò ante quoq; dixit uenisse Baptistam ad testificandũ de luce, ut omnes crederent per ipsum. Chrysost. ergo Homel. in Ioan. 7. Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculis conniuentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Et quæ sequuntur.

Homines tenebræ sumus.

Cæterum ueniendo in mundum illuminauit mundum dominus noster. Veniendi enim uerbo complexus est Ioannes incarnationis totiusq; redemptionis mysterium. Et illuminare, est erudire, regenerare, uiuificare, sanctificare, liberare, iustificare. Nam & Paulus de aduentu uerbi in mundum loquens, Apparuit, inquit, gratia dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegata impietate pie uiuamus, expectantes gloriosam apparitionem domini Iesu, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarẽ, &c. Alibi quoq; idem Paulus dicit, Certus sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Item Christus mortem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, & immortalitatem per euangelium, &c. Ego itaq; ἐρχόμενον nõ ad hominem refero, sed ad lucem: ut sit sensus, Lux illa uera illuminat omnem hominem uenientem, id est ueniendo adeoq; aduentu suo in mundum. Germanice ergo reddimus, Das liecht/was das recht waar liecht/welches erlüchtet alle menschen mit siner zůkunfft in die wält. Neq; primus hæc profero aut moneo. Augustinus enim lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 25. contra Pelagianos, indicat in Græco hunc locum sic poni, ut uenientes non tam ad hominem, quàm ad ipsam lucẽ referri possit. Alij enim referunt ad hominem, ut sit sensus, Lucem illam illuminare omnem hominem uenientem, id est nascentem in hunc mundum: quam lectionem atq; sententiam asserit atq; sequitur Cyrillus, indicans interim fuisse impuros aliquot nugones, qui huius loci præsidio docuerint animas hominum ante corpora in cœlo fuisse, ac cupiditate alterius uitæ in corpora dilabi, &c. Quos grauiter cõfutat. Rursus, ne quis illud quod Ioannes dixit, lucem uenisse in mundum, incogitanti excidisse putaret, significantius subijcit, In mundo erat. Quasi dicat, Non tantũ uenit in mundum carne indutus humana, sed erat in mundo: cõuersatus utiq; nobiscũ in mundo, in forma, & substantia ueri corporis humani, nobis per omnia qui in mundo sumus similis, excepto peccato. Et iterum ne quis saluatorem contemneret propter conuersationem mundanam, adijcit, Et mundus per ipsum factus est: id est, is uenit in mundum, & in mundo conuersatus est, qui condidit mundum, is autem deus est: deus ergo erat in mundo, deus inquã uerus, & homo uerus. Hæc diuinæ bonitati & misericordiæ gratuitæq; gratiæ sunt ascribenda. Verum audi nunquã satis execrabilem mundi ingratitudinem. Et mundus eum non cognouit. Non dicit (quod & beatus monuit Chrysost.) Nemo eum cognouit: sed, Mundus eum non cognouit, hoc est, qui tantum mundo inhærent, qui mundo innituntur, qui peritura atq; terrena duntaxat sapiunt. Nihil enim mentẽ adeò perturbat, quàm sæcularibus his rebus inhærere. Nouerunt Christum etiam ante incarnationem

Verbum ueniendo in mundũ illuminat.

In mundo erat Verbum.

Mundus conditorem suũ non cognouit.

& patriarchæ & prophetæ: agnouerunt in mundo complures à prædicatione apostolorum, sed in tanta mundi turba & illuuie pauci uisi sunt qui uere crediderunt. Quoniam autem mundani homines uerbum incarnatũ cognoscere nolunt, apertissime confirmant Verbum esse è cœlo, non tantum è mundo, sed deum & hominem uerum. S. Cyrillus, Opponere quis poterat, ait, Si uerbum dei lux est, si hæc corda hominum illuminat, si item semper erat in mundo, adeoq; ipsius mundi opifex est, quare tanto tempore ignorata est? Hoc ne quis obijceret, diuinitus intulit, Et mundus ipsum non cognouit. Non uerbum dei, ait, & æternã hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accuset. Lux enim uera ille profecto est, & splendorem suum ad omnes emittit: sed huius sæculi deus, ut ait Paulus, mentes infidelium hominum occæcauit, ne illuminatio cognitionis dei in ipsis fulgeat.

In sua uenit, & sui ipsum non receperunt: quotquot autem receperunt ipsum, dedit eis potestatem ut filij dei fierent, credentibus uidelicet in nomen ipsius: qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt.

Compendium salutis communicatæ nobis in fide per Christum.

Vnicum apostoli studium est ut rectissime intelligantur Christi salutisq; mysteria ab omnibus. Dixerat Verbum è cœlis uenisse saluandis omnibus, oblatam autem salutem non omnes recepisse, idq; propter studium huius sæculi, quod multorum corda excæcauit: hoc ipsum adhuc clarius exprimens, adiungit, Et uerbum quidem dei, à deo Iudaicæ genti peculiariter promissum, ipsis Iudæis est exhibitũ. Assumpsit enim uerbum dei semen Abrahæ, natum est in mundum ex puella Da uidici generis, in opidulo Iudææ Bethlehem, idem docuit, & multis inclaruit beneficijs & miraculis stupendis in urbe Hierosolymorum & tota Israelitica terra, uerum regem & saluatorem suum indignissime repulerunt Iudæi. Quocirca factum est, ut his quidẽ repudiatis adeoq; relictis, se conuerterit ad gentes, apostolis suis præcipiens ut omnibus salutem per Christum offerant. Nam deum in filios adoptasse omnes, quotquot recipiunt Verbum, id est, qui credunt uerbo dei, cuiuscunq; tandem nationis, sexus, ætatis, aut conditionis homines sint. Fidem enim in filium dei ueram, non ullam rem externam, esse notam filiorum dei. Hæc hactenus paraphrastice exposuimus, iam redimus ad principium, & explicamus singula & fusius paulò & diligentius. In sua, ait, uenit, Verbum inquam dei æternum, & lux illa illuminans orbem, uenit in sua, cœlitus nimirum descendit in terram,

Venire.

& assumpto semine Abrahæ, innotuit Israelitico populo. Nam idem apostolus in Canonica sua, ita utitur quoq; Veniendi uerbo, dicens, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo est, &c. Quid quæso est in carne uenire dominum, nisi deum æternum, uiuum & uerum incarnari? Singulariter autẽ hic dicit, In sua uenit. Sua quidem est omnis caro, peculiariter tamen Israelitica. Nam Iudaicæ genti & patribus eorum sanctis promisit deus Christum, quod uidelicet ex lumbis ipsorum sit nascendus. Ideo enim Verbum incarnatum & semen Abrahæ, & Filius Dauidis, nuncupatur in scripturis. Hoc ipsum uerbum incarnatum, apparuit in terra sua, id est in terra Israelis, in populo inquam Iudaico, docens, & salutem inter hos operans. Appellatur autem hic populus in scriptura sancta dei peculiaris populus, gens sancta, & terra ipsorum dicitur sancta. Notissima enim sunt prophetarum scripta, Mosis præcipue Exod. 19. & Deut. 10. Quamuis ergo omnes gentes, & omnis terra dei sit, propter promissiones tamẽ, propter electionem & singularia quædam beneficia, Iudaica natio & populus Iudaicus peculiaris dei natio & populus appellatur, unde Ioannes proprijssime dixit, In sua

uenit,

uenit, pollicita uidelicet præstans, & fidem promissionis liberans. Et sui eum non receperunt. Quibus uerbis ingratitudo, duritia, perfidiáue Iudaicæ gentis perstringitur. Nam Iudæi sui illi sunt, peculiaris, quod modo dixi, populus. Non receperunt eum. Recipere est agnoscere, uenerari, exosculari, credere, Annemmen/vnd einen dafür haben das er ist. Christus erat filius dei, filius item ille Dauidis, rex & sacerdos Israelis, saluator, redemptor, & uita totius mundi: uerum cum reuera talis esset, & hoc dictis & factis approbaret, Iudæi tamen id in ipso non agnoscebant, non credebant ei, neque ut regem uenerabantur, id est, non recipiebant eum. Nam coram præside Pilato, contra Christum agentes, clamabant, Non habemus regem nisi Cæsarem. Ne scribas regem esse Iudæorum, sed quia dixit se esse regem. Non Christum cupimus liberari, sed Barabbam, illum crucifige, &c. Idem persequuti sunt apostolos, & occiderunt, quod docerent Iesum esse Christum, & uitam etiam gentibus esse paratam si credant. Vnde apostolus ad Thessalonicenses dicit, Multa passi estis à proprijs contribulibus, quemadmodum & ipsi nos à Iudæis, qui ut & dominum occiderunt Iesum & proprios prophetas, ita & nos persequuti sunt, & deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur: qui obsistunt nobis ne loquamur gentibus quo salui fiant, ut expleant sua peccata semper, peruenit autem in illos ira in finem. 1. Thes. 2.

Sui ipsum non receperunt.

Propter inuincibilem peruicacissimæ gentis duritiam reliquit deus incurabiles in cœno siue barathro errorum, & gratiam suam ac redemptionem iussit annunciari uniuerso orbi, omnibus hominibus aditum aperiens ad uitam, nulli præcludens barbaro uel gentili. Nam omnis qui Christum recipit, omnium fit particeps bonorum Christi, adeoq; filius dei. Paulus enim & Barnabas euangelium prædicantes Antiochenis Iudæis, conuitia pro gratia reportant, unde rebellibus mox ingerunt, Vobis oportebat primum loqui sermonem dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit dominus, Posui te in lucem gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ. Eadem tradit & S. Petrus in prima epistola sua cap. 2. Modestissime autem ciuilissimeq; Ioannes in præsenti uocationem Gentium & Iudæorum repudium ingessit, tanta sermonem temperans prudentia, ut neque fideles ex circuncisione, neque infideles exasperauerit. Nam ut gentiles clarissime uident se per fidem in Iesum Christum filios dei fieri: ita Iudæi fideles cernunt se fidei beneficio id reuera fieri quod omnino esse uideriq; cupiunt, infideles intelligunt se nulla dei morositate repelli, sed suo uitio & culpa propria: aditum enim ad uitam & æternam gloriam patere si & ipsi credant Christo domino.

Repudium gentis Iudaicæ & Vocatio Gentium.

Innectit his præterea mirabili quodam artificio potissima mysterij redemptionis nostræ capita, diserte docens quid nobis conferat aduentus uerbi in mundum, quid in filio dederit nobis pater, quid item annuncietur & offeratur orbi prædicatione euangelij, & quomodo recipiatur Christus, quomodo nobis conferantur quæ in Christo data sunt, ut nostrum fiant peculium, siue quo medio & per quid applicentur nobis cœlestes thesauri in Christo exhibiti. Confert aduentu suo in mundum filius dei adoptionem, ac dedit in filio orbi pater, ut credentes sint filij dei: offertur ergo prædicatione euangelij adoptio, & annunciatur nobis quod per fidem Christi efficiantur credentes filij dei. Ioannes enim, Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem ut filij dei fierent. Hoc autem beneficio nullum est in orbe maius nullum pretiosius. Ioannes enim in Canonica sua, Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij dei nominemur. Illud rectius intelligemus si penitius & diligentius excusserimus quales

Quid nobis cõferat aduentu suo in mundum filius dei.

Filij iræ ex nobis.

ex noſtra natiuitate & natura ſimus. Filij ſumus iræ propter corruptionem & propter peccata noſtra, filij item diaboli & æternæ damnationis, calamitoſi, ſcelerati ac perditi. Cæterum miſertus noſtræ calamitatis pater miſericors, filium ſuum unigenitum in mundum miſit, ut ex filijs iræ, diaboli & perditionis, faceret filios dei, id eſt, ut purgaret à peccatis, reconciliaret deo patri, ſanctificaretq; & hæredes faceret omnium bonorum cœleſtium adeoq; uitæ æternæ: id quod filius incarnatione, morte & reſurrectione ſua nobis præſtitit. Neq; enim potuimus deo reconciliari eiq; coniungi ac cõſortio eius frui perpetuò, niſi abunde prius fuiſſemus purgati eius ſanguine qui nos redemit. Nã nihil in deo impuritatis reperitur, qui lux puriſſima eſt: puriſſimos ergo eſſe oportet qui dei conſortio fruituri ſunt. Proinde uenit filius dei in mundum & ſanguine fuſo lauit nos à peccatis noſtris, & tanta nos dilectione complexus eſt, ut fratres omnino & haberi & eſſe uoluerit. Pater quia dilígit filiũ non poteſt nõ diligere eos quos ille ſibi fratres adoptauit effecitq;, unde eoſdem & pro filijs complectitur, pro hæredibus inquam dei, cohæredibus item Ieſu Chriſti. Sic enim & Paulus docuit, dicens, Accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater: idem ſpiritus teſtatur unà cum ſpíritu noſtro quod ſimus filij dei. Quod ſi filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Paria tradit idem apoſtolus in 3. cap. ad Galat. Hoc itaq; illud ingens ſplendidum & magnificum, adeoq; ineffabile dei munus & beneficium eſt, quod in filio contulit credentibus, & per euangelium toti mundo annunciatur, quod uidelicet ipſius gratia filij dei & hæredes efficimur omniũ opum patris cœleſtis, fratres filij dei, diui, beati, ac felices & ipſi. Non poſſum hic mihi temperare quin ex Auguſt. Tract. 2. in Ioannem ea uerbotim aſcribam, quæ author piiſſimus de ampliſſimo hoc dei beneficio diſputat, Quid eis præſtitit? inquit, Magnam beneuolentiam, magnam miſericordiam. Vnicus natus eſt, & noluit manere unus. Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate, adoptant ſibi, & uoluntate faciunt quod natura non potuerunt. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt, & non habebit qui cum eo diuidat hæreditatem. Non ita fecit deus. Vnicum enim eundem ipſum, quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, miſit in hunc mundum ut non eſſet unicus, ſed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati ſumus de deo, quomodo ille unigenitus, ſed adoptati per gratiam ipſius. Ille enim uenit unigenitus, ut ſolueret peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos, propter impedimentum eorum quos ſibi fratres facere uolebat, ipſe ſoluit & fecit cohæredes. Sic enim dicit apoſtolus, Si autem filij & hæredes per deum. Et iterum, Hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Non timuit ille habere cohæredes: quia hæreditas eius non fit anguſta ſi multi poſſederint. Illi ipſi certe illo poſſidente fiunt hæreditas ipſius, & ille uiciſſim fit hæreditas ipſorum. Et reliqua. Hactenus de eo quæ nobis in Chriſto parata ſint, & per euangelij prædicationem offerantur ſiue annuncientur.

Filij dei ex gratia.

Ingens dei beneficium, dici & eſſe filios dei.

Quomodo conferantur nobis, & quomodo recipiamus quæ in Chriſto data: quomodo fiamus filij dei.

Sequitur quomodo nobis cõferantur quæ in Chriſto data ſunt, ut noſtrum fiant peculium, ſiue quo medio, & per quid applicentur nobis cœleſtes theſauri in Chriſto exhibiti. Id Ioannes uno & altero uerbo explicans, dicit, Quotquot receperunt eum dedit ipſis poteſtatem filios dei fieri. Participant ergo hoc theſauro, & fiunt filij atq; hæredes dei, quicunq; Verbum incarnatum recipiunt. Expoſuimus autem paulò ſuperius qui recipiant, qui uidelicet agnoſcunt Verbum eſſe dei filium, & hunc pro ſe incarnatum, paſſum & reſuſcitatum, regem, ſacerdotem, & ſaluatorem ſuum, &c. Et Recipere exponitur in præſenti per credere. Nam apoſtolus

ſtolus dicit, Credentibus uidelicet in nomen ipſius. Præceſſerat enim, Quotquot receperunt ipſum, dedit eis poteſtatem ut filij dei fierent. His adpendit, Credentibus uidelicet in nomen eius. En qui credunt, recipiunt Chriſtum, & recipientes credunt, credendo participes cœleſtium theſaurorum fiunt. Quemadmodum ergo iuſtificationem hominis Chriſtiani Paulus fidei in Chriſtum tribuit: ita Ioannes, Fide, inquit, fiunt ſiue naſcuntur filij dei. Nam apoſtoli uno ore omnes omnia ſalutis noſtræ fidei tribuunt. Quia fides illud eſt medium per quod applicantur nobis dona dei, per quod iuſtificationem & remiſſionem peccatorum à Chriſto accipimus, ac uitam ſempiternam: ut iam omnes iſtæ ſententiæ ſiue propoſitiones in idem recidant, Fide in Chriſtum iuſtificamur, Solius Chriſti beneficio uiuificamur, Gratia dei ſaluamur, Gratis & nullo noſtro merito remittuntur nobis peccata, & donatur uita æterna. Nam fides directe tendit in Chriſtum, & in eo omnia ſemel collocat ac ab eodem expectat iuſtificationem. Chriſtus gratiæ dei pignus eſt, ac ſua morte & reſurrectione peccata expiauit, uitamq; reſtituit. Idq; fecit non propter opera iuſtitiæ, quæ nos faciebamus, ſed propter miſericordiam & dilectionem ſuam, qua nos complectitur. Fide iſtud intelligimus, recipimus, complectimur: fide deo coniungimur. Turpiſſime ergo errãt qui iuſtificationem tribuunt hominum meritis, operibus ex præſcriptione humanarum conſtitutionum factis, aut etiam operibus ſecundum præſcriptum legis æditis, &c. Opera interim fidei & charitatis ſuũ uſum & locũ habent inter fideles. De quo aliàs ſæpe.

Porrò ſolet exoriri quæſtio, Vnde ſit illa fides, qua naſcimur filij dei, & quæ ſit generationis huius ratio, & quomodo naſcamur filij dei? Alij quidẽ fieri id putant humana facultate. Eſſe enim in homine intellectum & uoluntatem atque uires, quarum ope & induſtria ad iſtam dignitatem eluctetur atq; perueniat. At teſtis ueritatis Ioannes, Verbum, inquit, dedit eis poteſtatem ut filij dei fierent. Proinde donum ſiue diuinæ benignitatis atque gratiæ liberale munus eſt. Et poteſtas illa, facultas eſt, permiſſio adeoq; ipſa adoptio. Adoptamur ergo à munifico patre, quemadmodum & D. apoſtolus Paulus ad Epheſios docuit, dicens, In Chriſto elegit nos pater antequam iacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo per charitatem: qui prædeſtinauit nos ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum, &c. Certe Cyrillus libro in Ioannem 1. cap. 14. poteſtatem hanc interpretatus eſt per gratiam & adoptionem. Quanquam uero gratuitæ dei bonitatis munus ſit ſalus noſtra, requirit tamen dominus aſſenſum hominum, non trahit per capillos, quod dici ſolet, aut cogit fatali quadam neceſſitate. Proinde dixit Ioannes, Dedit eis poteſtatem filios dei fieri ſi credant. Si ergo credere nolis, à dignitate & conſortio filiorum dei teipſum excludis. Quod ſi credis, diuina quoq; benignitate credis, & annumeraris filijs dei. Eſt et liberalis dei munificentia obſeruanda in uocabulo poteſtatis. Quia enim filij dei efficimur, atq; ideo domini & hæredes rerum omniũ, ideo poteſtatis meminit. Non enim in ſeruilem conditionem abijcit nos, ut nihil noſtrum ſit, ſed poteſtatem & dominium benigne concedit: propter quod tamen minime nobis eſt ſuperbiendum. Filius ſit paternæ ſubſtantiæ hæres, & poteſtatem omnium facultatum habet, ſed non ſuo quodam merito, ſed lege quadam naturæ. Nam ingenui naſcuntur hæredes & domini rerum. Quemadmodum & nos regeneratione, gratuita inquam adoptione, non merito ullo efficimur filij dei, & conceditur poteſtas omnium. Imò ut omnes intelligerent hoc beneficium diuini eſſe muneris, hoc eſt filios dei fieri ſiue naſci ex gratia, ſubiungit Ioannes, Qui non ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex deo nati ſunt. Quam ſentẽtiam per Pleonaſmon

Vnde fides, & quomodo naſcamur filij dei.

Quare uocabulo poteſtatis uſus ſit.

expoſuit D. Ioan. Oecolamp. putans hæc tria eandē rem ſignificare, nempe natiuitatem terrenam. Ego uero arbitror Ioannem ſufficienti quadam enumeratione omnia hominis præclara intelligere, quibus fidere ſolet, quaſi iſtorū beneficio ad dignitatē filiorum dei perueniat, quæ ille omnia excludit. Quaſi dicat, Et hęc quidem dignitas nō obuenit cuiquam ex ſanguinibus, aut uoluntate carnis, aut uiri, *Ex ſanguinibus* ſed è generatione ſiue regeneratione cœleſti. Vel, Nō naſcimur filij dei ex ſanguinibus, aut ex uoluntate carnis uel uiri, ſed ex deo. Prima enim illa ex Adam natiuitas nos generauit morti ac damnatiōi. Generatio uero ex deo reſtituit nos uitæ. Porrò Ex ſanguinibus filios dei naſci arbitrabātur qui in euangelio clamant, Nos è ſtupro nō ſumus nati. Vnū patrem habemus deum. Et, Pater noſter Abrahā eſt. Exiſtimantes ſe deo gratos eſſe propter patrem Abraham, ex cuius ſanguine ſiue ſemine erant progeniti. Et Sanguines alibi in ſcripturis ponuntur pro ſanguinarijs ſceleribus & fœdiſſimis peccatis. De quibus Dauid loquēs, Libera me de ſanguinibus, ait, deus, deus ſalutis meæ. Et apud Iſaiam legis, Abluet dominus ſordē filiarum Zion, & ſanguines Hieruſalem amouebit de medio eius in ſpiritu iudicij atq; ardoris. In præſenti ſignificāt Sanguines genus, ſtemma, ſiue proſapiā: quemadmodum eos dicimus eſſe conſanguineos qui eiuſdem ſunt generis. Pulchre autem his confutat Iudæorum opinionem, exiſtimantium ſe ideo acceptos eſſe deo, quod è ſemine ſiue ſanguine deſcenderant ſanctorum patrum. Confutatur ea opi
Ex uoluntate carnis. nio, & aliàs ſæpe tam in propheticis quàm apoſtolicis literis. Ex uoluntate carnis exiſtimant naſci dei filios, qui arbitrantur ſe humanis facultatibus ad æternā gloriam pertingere poſſe. Nam Voluntas pro omnibus uiribus humanis, ſpecies pro genere poni uidetur: quemadmodū & Caro pro ipſo toto homine, more ſcripturæ canonicæ. Imò ne quis per Carnem intelligeret craſſiorem illam hominis partem
Ex uoluntate uiri. per interpretationem ſubdit, Neq; ex uoluntate uiri. Poſuit autem Viri uocabulū iuxta proprietatem linguæ ſanctæ, indefinite pro quouis homine, omnibus hominis uiribus inſtructiſſimo: quaſi dicat, non ex ullis ullius hominis facultatibus aut uiribus fiunt aut naſcuntur filij dei, adeoq; cōceditur hæreditas uitæ. Quid ergo? Ex deo, inquit Ioannes, naſci oportet. Semē generationis eſt principium, ingeniū eius habens cuius ſemen eſt. Semen dei, eſt uerbum dei, naturam dei referens. Seritur hoc in cor hominis, & diuino incremento ſpirituq; uiuificatū excreſcit, & ſui ſimile pgignit, ueritatē & ueritatis amorē & ſtudiū, quo fides habetur deo, deusq; diligitur. Fides coniungit nos Chriſto, propter cuius conſortiū fratres facti, uere filij dei dicimur ac ſumus. Fides item transformat nos ut omnino enitamur ad perfectiora ſubinde, quo tandem conformes fiamus imagini filij dei. Sic inquam naſcimur per fidem filij dei: & fides uerum dei donū eſt: eſtq; illa uera ratio regenera tionis noſtræ. De qua differitur & à S. Petro 1. Pet. 1. & à S. Paulo Rom. 10. & ab ipſo ſaluatore Matth. 13. & 16. cap.

Credere in nomen dei. Illud ultimo loco annotare uolui, quod nō huic tantū loco faciet illuſtrando, ſed multis alijs, multo euidentius eſſe & auguſtius cū dicitur, Vt credant in nomē ipſius, q; cum dicitur, Vt credāt in ipſum: ſicut amplius quiddā dixit, qui ait, Regia maieſtas, q; qui dicit, Rex. Nomen enim, gloriā, poteſtatem, uirtutē, adeoq; ipſam dei maieſtatē, & quicquid in deo excellens eſt ſemel cōprehendit. Ideo Petrus in Actis dixit, Nō aliud nomē datū hominibus in quo oporteat ſaluari. Et Paulus ad Epheſ. Pater ſedere fecit filiū ad dexterā ſuā in cœleſtibus ſupra omnē principatū ac poteſtatē, & uirtutē & dominiū, & omne nomē quod nominatur. Et ad Philip. Dedit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat. In prophetica quoq; ſcriptura legimus Exodi 15. Fortitudo mea & laus domi

nus,

nus, factusq; est mihi in salutē, iste deus meus, deus patris mei, & exaltabo eū: dominus fortis bellator est, oīpotens uel dñs nomē eius. Et in Psal. 8. Dñe dñs noster q̄ admirabile est nomē tuū in uniuersa terra. Et Psal. 111. Sanctū & terribile nomē eius. Item 135. Domine nomē tuū in æternū, domine memoria tua in generationē & generationem. Rursus Prouerb. 18. Turris fortitudinis est nomen domini: huc enim currit iustus & tutus est. Item Psal. 9. Nomē eorū delesti in perpetuū: id est gloriam, famam, facultates, & quicquid in eis & eorum erat deleuisti.

Et uerbum illud caro factum est, & habitauit in nobis.

Ostensa diuina uerbi seu filij dei maiestate, apertissime nunc humanā eius naturam exprimit. Dixit quidem hactenus Lucem uenisse in mundū, cæterū ne qua obscuritas supereſſet, imò ut omnes intelligerent Verbū incarnatum esse uere, & deum hominē uerum factū, subijcit, Et uerbū illud caro factū est. Verbum inquā illud & non aliud, de quo tam sublimia diximus, caro factū est. Significanter autē Caro posuit non Homo, quamuis idem significēt utraq;. Hebraico enim idiomate tam anima pro toto homine ponitur q̄ caro. Paulus enim, Omnis, ait, anima potestatibus eminentibus sit subdita. Et dominus apud Ioelem, Effundam, inquit, spiritum meum super omnē carnem. Caro tamen utpote crassior hominis portio euidentius exprimit naturæ humanæ ueritatem, & confutat omniū hæreticorū insanas disputationes, contendentium corpus imaginarium siue phantasticum esse à uerbo susceptum: ab alia item origine quàm humana descendere carnem filij dei, ac ideo non esse creaturam. At Ioannes, Verbum, inquit, caro factum est: quia alibi etiam Paulus dicit filium dei γενόμενον natum ex muliere, Galat. 4. Origo ergo hominis est ex homine. Quo nomine in scripturis Christus ferè Semen appellatur, & semen quidem Dauidis & Abrahæ, ut uel sic ueritas naturæ humanæ exprimeretur & origo hominis referretur ad hominem, sicut alibi diximus. Et quid quæso Caro aliud est, quàm terra conuersa in suas figuras? Considera singulas qualitates, musculos ut glebas, ossa ut saxa, etiam circum papillas calculos quosdam: aspice neruorum tenaces connexus ut traduces radicum, & uenarum ramosos discursus ut ambages riuorum, & lanugines ut muscos, & comam ut cespitem, & ipsos medullarum in abdito thesauros ut metalla carnis. Hæc omnia terrenæ originis signa & ueræ humanæ naturæ indicia fuerunt in Christo. Vnde omnino significantius erat uocabulū Carnis, quàm hominis uel corporis. Interea nō patet hic ulla rima hæresi Apollinaristarum, opinantiū Christo carnē aut corpus fuisse absq; anima. Nam diximus Carnem hic more scripturæ uulgatissimo poni pro homine anima & carne cōstante. Sed & Tertullianus in lib. de Carne Christi, In Christo, ait, inuenimus animam & carnem simplicibus & nudis uocabulis editas, id est, animam animā, & carnem carnem, nusquam animam carnem aut carnem animā, quando ita nominari debuissent, si ita fuissent. Sed etiam sibi quanq; substantiam diuise pronunciatam, sub ipso utiq; pro duarū qualitatū distinctione, seorsum animā, & seorsum carnē, Quid anxia, inquit, est anima mea usq; ad mortem. Et, Panis quē ego dedero pro salute mundi, caro mea est. Disputauit de eadē hac loquutione Ioan. Verbū caro factū est, & August. in lib. cōtra Arrianorū sermonē cap. 9. Cōfiteamur ergo quod orthodoxa fide atq; doctrina didicimus, animā Christū habuisse nō sensu & ratiōe carentē, sicut Apollinaris nugabatur, neq; carnē suscepisse absq; aīa, ut Eunomius mētiebatur: sed animā cū ratiōe sua, & carnē cū sensibus suis, per quos sensus ueros in passione & ante passionē carnis suæ dolores sustinuit. Atterūtur et in puluerē redigūtur hac ueritatis cōfessione oēs hæ

Deus homo factus est.

Caro.

Verbum assumpsit non carnē solam, sed animam quoq; humanam.

reſes Martionis, Valentini, Manichæi, & omnium complicum: omnes enim ex ſpiritu antichriſti docuerunt quod propoſuerunt eccleſijs, eodem hoc noſtro apoſtolo Ioanne teſtante atque dicente, Per hoc cognoſcite ſpiritū dei, Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum uenisſe in carne, ex deo eſt: & omnis ſpiritus qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne uenisſe, ex deo non eſt: & hic eſt ſpiritus ille antichriſti. Paulus quoque ad Hebræos, Nuſpiam, ait, angelos aſſumit, ſed ſemen Abrahæ aſſumit. Quem locum beatus Cyrillus in epiſtola ad Succeſſum Iſauriæ Diocæſarieñ. epiſcopum copioſius adducens, ſimul & cauſſam, uſum atq; fructum incarnationis exponens, ſcribit, Beatiſſimus Paulus cauſſas incarnationis unigeniti filij dei nobis exponens, dixit, Quoniam quod impoſſibile erat legi, in quo lex infirmabatur, in carne deus filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Alibi uero, Quoniam pueri, inquit, communicauerunt ſanguini & carni, & ipſe ſimiliter participauit iiſdem, ut per mortem deſtrueret eum qui mortis habebat imperium, hoc eſt diabolum, & liberaret eos qui timori mortis per totam uitam erant obnoxij. Non enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus ſimilari. Fatemur ergo per Adæ præuaricationem humanam fuiſſe corruptam ſubſtantiam, & intelligentiam noſtram uoluptatibus carnis & inſitis motibus accidentibus noſtræ naturæ uelut tyrannica dominatione cõpreſſam. Vnde neceſſarium fuit ut pro ſalute noſtra qui moramur in terra, dei uerbū homo fieret, & humanam carnem corruptioni deditam, & uoluptatum illecebris ægrotantem propriam faceret. Et quia eſt uita cunctorum, corruptionem quidem eius deſtrueret, compeſceret autem inſitos motus, eos uidelicet qui nos ad uitia uoluptatesq; præcipitabant. Sic enim oportebat mortificari in noſtra carne delicta. Hæc Cyrillus, & reliqua huius generis alia multa ſancte & catholice docuit.

Cauſſa, uſus & fructus incarnationis uerbi dei

Porrò inſaniunt qui docent carnem hanc ueram & naturalem ſemel à filio dei aſſumptam, à reſurrectione & in clarificatione eſſe depoſitam, aut deificatam, id eſt diuina à gloria penitus abſorptam. Oportet enim illum arrhabonem ſalutis & uitæ, omnium fratrum in ſeipſo retinere depoſitū, et carnē noſtram illuc collocare ſuper æthera, ubi ſperant fratres & ſuam carnem fore collocandā. Dixerat enim, Aſcendo ad patrem meum, & patrem ueſtrū, ad deum meum & deum ueſtrum. Item, Vbi exaltatus fuero, omnes ad meipſum traham: & ubi ego ſum, ibi erit & miniſter meus. Orthodoxe ergo D. Ioannes Chryſoſt. Homel. in Ioannem 10. Cecidit, inquit, natura noſtra eo caſu, ut reſtitui nullo pacto à quoquā niſi ab illa potentiſſima manu poſſet. Neq; enim aliter exurgere poterat, niſi qui in principio eā effinxerat manum porrexiſſet. Et animaduerte quæſo admirandum atq; arcanū myſterium, quod perpetuò hoc inhabitat tabernaculum. Carnem enim noſtrā induit, non ut rurſum dimitteret, ſed omni tempore cū ea habitaret. Aliter enim regio eā throno feciſſet indignā, & omniū angelorū exercitui, angelis, & archangelis, thronis, dominationibus, principatibus, poteſtatibus, inferiorem conſtituiſſet. His religioſe ſubiungit, Quæ oratio, quæ mens, quantū honorem humano generi deus exhibuit, mirificum profecto & admirandum, explicare potuiſſet? Quis angelus? quis archangelus? Nihil quod in cœlis eſt, nihil quod in terra. Tam magna ſunt in nos dei beneficia & tam excellentia, ut non ſolum mortalium linguā ſed angelorum uirtutē eorum exuperet explanatio. Hæc Chryſoſtomus. Tantam uero dei gratiam in Chriſto nobis exhibitam obſcurant & negant qui hodie nugantur Chriſtum in gloria non amplius eſſe creaturam. Iſta de Carne uerbi hacte-

Caro ſemel aſſumpta à uerbo nunquam depoſita.

nus

nus dicta sint: iam quod ait, Verbum carnem esse factum, non ita intelligendum est, quasi conuersionem naturarum, aut substantiarum tradiderit, nexum potius indissolubilem diuersissimarum naturarum unire aut coniungere, & connexum orbi uoluit proponere, asserens Deum uiuum, uerum & æternum, incarnatum, hominemq; uere factum esse, adeò ut iam per incarnationem æternus deus sit homo uerus, & homo uerus, ac per omnia, excepto peccato, nobis consubstantialis, æternus sit deus, unus quidem in persona, sed naturæ geminæ ac impermixtæ. Athanasius enim Alexandrinus episcopus illustre in ecclesia Christi iubar, hæc Ioannis uerba, Verbum caro factum est, tractans in epistola ad Epictetum Corinthiorum episcopum, Quod à Ioanne dictum est, inquit, Verbum caro factum est, hanc habet intelligentiam, sicut similitudine hoc poterit inueniri. Scriptum est enim à Paulo, Christus pro nobis factus est maledictum. Et quemadmodum non hoc ipsum factus est maledictum, sed quia pro nobis assumpsit maledictum, dictum est, Maledictum factus est, sic & caro factus est, secundum quod dictum est in Ioël, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Non enim usque ad animalia erat promissio, sed in hominibus est, propter quos etiam dominus ipse homo factus est. Et quæ sequuntur. Eadem fere uerba, certe eundem sensum retulit S. Athanasium imitatus D. Ioannes Chrysostomus hunc locum exponens, qui inter alia, Ne perturberis, ait, neue titubes. Non enim substantia uerbi transiuit in carnem: hoc enim cogitatu impium est, sed eadem permanens serui formam accepit. Ideo autem hoc uerbo Factum est utitur, ut hæreticorum os obstruat dicentium imaginationem quandam & figmentum esse quæcunq; dicuntur de incarnatione uerbi: ipse uero ueræ carnis acceptionem uoluit ostendere. Et mox, Nihil absurdum suspiceris cum factum dicimus. Vnitate nanq; & coniunctione unum est deus uerbum & caro, non confusione aut interitu substantiarum, sed arcana quadam & inexplicabili quadam unione. Quomodo enim hoc sit noli inquirere. Factum est ut ipse uoluit & nouit. Tantum Chrysostomus. Quemadmodum ergo in adorando hoc incarnationis mysterio diuisio personæ Christi cauenda est, ne alium faciamus Christum uerbum, alium Christum carnem: unus enim Christus est uerus deus & homo: nam uerbum caro factum est: ita non confundendæ aut permiscendæ sunt in eodem diuersissimæ naturæ. Neque enim diuina natura conuersa est in humanam. Est enim deus inconuertibilis. Manet ergo deus in sua essentia atque natura, & assumit in perpetuum consortium, & ut propriam sibi, naturam humanam, ita ut Iesus Christus non alius sit secundum diuinitatem, alius secundum humanitatẽ, sed unus atque idem indiuisus: aliud tamen sentiat ac faciat iuxta humanitatem, aliud secundum diuinitatem. Nam iuxta illam mortalis est, conuertibilis & passionibus subiectus humanis: secundum hanc uero est immortalis, inconuertibilis, & nullis obnoxius affectionibus, unus tamen atque idem est deus & homo, moriens, & æternum cum patre uiuens. Multis contra diuisionem Christi disseruit uetustissimus ecclesiæ doctor & glorioſus Christi martyr Irenæus lib. aduerſ. hæreſes 3. cap. 18. Contra confusionem naturarum in Christo propter unitatem personæ disputarunt tam Græci quàm Latini scripturarum interpretes atq; ecclesiarum fideles pastores, sicut alibi ostendimus.

Verbum caro factum, non in carnem conuersum.

Cauenda est diuisio personæ, cauenda & permixtio naturarum.

Præterea tradiderunt sancti & uetusti patres multa pie & erudite de Verbi ac carnis coniunctione, adeoq; unionis modo, religiosissime ubique seruantes naturarum distinctas proprietates, nullibi interim sanctissimæ coniunctionis unitatem disiungentes aut diuidentes. Nos in gratiam Lectorum, quibus

Quomodo uerbum sit incarnatum, & quis unionis modus.

omnino uel non uacat omnes ueterum disputationes euoluere, uel quibus per inopiam rerum desunt boni & ecclesiastici interpretes, quædam huius generis adnotabimus ex Cyrillo. Neq; enim pudet me sententiarum & enarrationum antiquorum sanctorumq; interpretum, quoties uidelicet secundum scripturas & iuxta orthodoxam fidem pronunciant, ac sacra exponunt. Imò ueneror in his spiritum Christi, qui per ipsos loquitur ecclesiæ. Et quia nõ uulgari præterea eruditione fuerunt præditi, malo illorum uti uerbis atque sententijs quàm meis, ac spero hoc nomine hac fide mea & diligentia non parum gratificaturum æquis & sanctis Lectoribus, non approbantibus mecum quorundam præcocem eruditionem & iudicium arrogans, quo semel omnem uetustatem cõdemnant atq; reijciunt, imò ne apostolum quidem præcipientem audiunt, Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aspernemini: omnia probate, quod bonum est tenete. Verum omissis istis nimijs suarum & nouarum rerum admiratoribus audiamus beatum Cyrillum religiose de hoc mysterio in libro de Incarnatione unigeniti, cap. uigesimoquarto sic differentem, Quomodo, inquit, uerbum caro sit factũ uidere necesse est. Primum quidem diuina scriptura Carnem plerunq; nominat, & quasi ex parte animalis totius significationem facit: necnon etiam à sola anima nonnunquam tantundem significat. Scriptum est enim, Quod uidebit omnis caro salutare dei: &, Quod in septuaginta quinq; animabus descenderint patres in Aegyptum. Neq; uero ideo dixerit quis quod nudæ & sine carne animæ in Aegyptum descenderint: nec porrò quod inanimis corporibus & solis carnibus salutare suum deus indulserit. Quoties igitur audimus carnem factum esse uerbum, hominem intelligamus ex anima & corpore factum. Est autem uerbum cum sit deus, homo perfectus, corpus accipiens animatum & rationabile, idq; uere sibi adunauit, quomodo ipse scit (Nostris enim sensibus huiusmodi cogitationes omnino cerni nõ possunt) & nuncupatus est filius hominis. Sed si oportet tanquam in speculum intuentes dicere, coniectat aliquo modo sensus humanus adunatum fuisse uerbum corpori habenti animam rationabilem, qualiter etiam hominis animam suo corpori, ipsum quidem diuersæ naturæ sortitam tamen communionem adunationemq; cum corpore, ut penè uideatur non esse alia præter corpus, eo quod per compositionem ex utroq; animal unum efficiatur, manet tamen ipsa in sua natura. Ergo nõ per commutationem aut conuersionem hominem factum dicimus dei uerbum, nec prorsus quod deus esse desierit, sed quod carnem accipiens ex muliere, & ei ex utero adunatus exijt homo idem simul & deus. Et mox, Factum autem etiam ipsum carnem, & in nobis inhabitasse commemorat, ut utroq; comprobaret, & factum fuisse hominem, & suum non perdidisse. Mansit enim quod erat. Nam intelligitur tanquam aliud in alio inhabitet, id est diuina natura in humanitate, non perpessa commixtionem, aut confusionem, aut commutationem, ut esset quod non erat. Quicquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum sit tale quale est id in quo habitat, sed aliud in alio magis intelligitur. At uero in uerbi natura & humanitatis, solam nobis differentiam designat diuersitas naturarum. Vnus enim ex utroq; intelligitur Christus. Ergo in confusione seruata inhabitasse uerbum ait in nobis, &c. Multo autem clarius in eodem libro capite septimo loquens de uerbi cum carne unione, Adunatio, inquit, multis modis fit. Seiuncti enim nonnulli affectu forte uel uoluntate & discordante inter se, adunari dicuntur per reconciliationem socialem deposita simultate. Adunare autem dicimus & quæ sibi conglutinantur, siue modis alijs conferuntur, siue per compositionem. Quoties igitur adunatum esse nostræ naturæ dei uerbum dicimus, adunationis

Scripta sanctorum patrum.

Cyrillus de Vnione uerbi & carnis.

Adunatio uel Vnio.

eius

ejus modus omni cogitationi humanæ uidetur esse superior. Neque enim per recensitos modos facta est arcana illa & nulli penitus nota: nec mirum si in huiusmodi cogitatione uincamur, cum res nostras quomodo se habeant inquirentes ultra modum nostræ mentis inuentionem esse cõfiteamur. Verum si liceat magna paruis conferre, oratione quæ ipsam rem non exacte assequitur, talem esse adunationem Emmanuelis dicimus, qualem quis intelligit animam hominis ad suum corpus habere. Anima enim omnia quæ sunt corporis esse reputat sua, licet per naturam propriam expers sit passionibus corporis & quæ extrinsecus accidunt. Mouetur enim corpus in concupiscentias naturales, & consentit anima nullo quidem modo participans concupiscentiæ, tamen exitu delectationem propriam ducit. Et si forte à suo corpore deprimatur aut torqueatur, condolet quidẽ quod suum corpus patiatur, ipsa uero in sua natura nullum patitur tormẽtum. Interim super hæc dicimus Emmanuelis factam esse adunationẽ. Erat enim necesse cum suo corpore adunatam ei animam dolere, ut dum timeret passiones subditam ceruicẽ deo submitteret. De deo autem uerbo quod passionibus condoleat nephas est dicere. Impassibilis enim deus est, & nostrarũ rerum longe dissimillimus: sed adunatus quidem erat carni habenti animam rationalem, qua patiente ipse impassibilis, ea quæ animæ contingerent cognoscebat, & contundebat quidem uti deus carnis infirmitates, suas tamen eas tanquam sui corporis esse ducebat. Itaq; esurijsse dicitur, fatigatus esse, passus fuisse pro nobis: unde Verbi adunatio quæ est cum humanitate facta non irrationabiliter rebus nostris cõparatur. Nam sicut corpus alterius est naturæ præter animam, unus tamen ex utroq; homo efficitur & uocatur: ita etiam ex perfecta dei uerbi subsistentia & humanitate perfecta, unus est Christus, idem in eodem deus simul & homo. Et sua quidem dicit deus uerbum ea quæ sunt carnis propria, quia ipsius est corpus & non alterius. Communes autem facit tanquam cum sua carne diuinæ suæ maiestatis operationes, ut posset etiam uiuificare mortuos, & sanare infirmos. At si conuenit exemplis etiam scripturæ diuinæ, quasi per figuram adunationem demonstrare, age dicamus ut possumus, Beatus Isaias, Missum est, inquit, unum ad me ex Seraphim, & in manu habebat carbonem, quem forpice accepit ab ara, & dixit ad me, Ecce tetigi hoc labia tua, & expurgabit iniquitates tuas. Carbonem autem dicimus figuram & imaginem nobis exhibere Verbi hominis facti, quod si labra nostra tetigerit, id est fide id confessi fuerimus, tunc nos ab omni peccato puros efficit. Cæterum tanquam in imagine licet in carbone conspicere adunatum quidem humanitati deum uerbum, non tamen proiecisse quod fuerat, transformasse autem magis assumptam naturam in suam gloriam & operationem. Quemadmodum enim ignis ligno affixus, & in id penetrans comprehendit quidem ipsum, & quamuis lignum esse nõ desinat, uim tamen suam speciemq; transmittit omnem, secq; cõfert in lignum, & cum ipso iam quasi unum æstimatur. Idem intellige & de Christo. Adunatus enim inæstimabiliter humanitati deus, seruauit quidem ipsam in eo quod fuerat, & ipse permansit quod erat, semel tamen adunatus quasi unus iam cum ipsa putatur, ea quæ sunt illius sua faciens, conferens autem ei etiam ipse naturæ suæ operationẽ. Et reliqua. Consequentibus enim capitibus plura ex scripturis exempla profert. At ista quæ hactenus posui putaui sufficere diligenti & religioso lectori.

Et quoniam breuis est sententia, Verbum caro factum est, iccirco explicandi & asseuerandi gratia adiunxit, Et habitauit in nobis, uel inter nos. Id quod Paulus apostolus sic extulit, Filius dei semetipsum inaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo. Inter nos ergo tanquam unus ex nostris, homo uerus, & per omnia nobis, excepto peccato, similis, *Habitauit in nobis.*

conuersatus est, & pro homine uero habitus ab omnibus, qui interim deus quoq; uerus erat. Fuerunt ex ueteribus qui carnem nostram à uerbo inhabitatam putarunt tanquam templum: ubi tamen nemo intelligat diuinitatem carni fuisse inclusam. Nescit enim locum neq; concluditur diuina maiestas, sed unitur cum carne. Vnde non per omnia exprimit diuinum mysterium, & coniunctionem adorandam, id quod dicitur, Verbum inhabitasse carnem, ceu suum tabernaculum. Paulus enim deum dicit assumpsisse, & ceu propriam sibi coniunxisse carnem, & animam humanam. Itaq; adoremus nexum illum admirabilem ineffabilemq;, ac credamus diuina bonitate & misericordia adeoq; per incarnationem uerbi, deo patri reconciliatos, & fœdere connexos perpetuò, præterea & diuinæ consortes naturæ, sicut & Petrus ait, effectos esse. Paraphrastes totum hunc Ioannis locum sic superioribus connectit atq; exponit, Nec mirum si homo transformatur quodamodo ad diuinæ naturæ consortium, cum sermo diuinus sese hac gratia demiserit, ut nostram carnem, hoc est, mortale corpus assumeret ex uirgine, duo quædam dissimillima coniungens in sese, deum & hominem. Quid humana carne fragilius aut cõtemptius? Quid deo potentius aut sublimius? Ne mireris hæc potuisse coniungi. Deus est qui fecit. Nec diffidas homines posse fieri filios dei, quum sic dilexerit nos ut nostra caussa uoluerit fieri filius hominis. Nec enim assumpsit corpus imaginarium. Quis enim amaret inane spectrum aut fallax præstigium? Sed uere corpus hominis assumpsit, hoc est totam naturã hominis assumpsit: nec eam partẽ fastidiens, qua morti sumus obnoxij, & qua minimũ differimus à brutorũ genere. Nec assumpsit ad tempus, mox depositurus quod assumpserat, sed quo certam fidem faceret humanæ naturæ non per fucum assumptæ, diu uersatus est in terris, sitijt, esurijt, afflictus est, mortuus est, oculis conspectus est, auribus auditus est, manibus contrectatus est. Atq; ut hæc dignitas humano generi esset perpetua, adhuc habitat in nobis, carnem humanam gestans diuinitas, atq; in ea iam glorificata considens ad dexteram patris omnipotentis.

Et cõspeximus gloriam eius, gloriam, uelut unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate.

Infirmitati humanæ opponitur diuina maiestas.

Diligentissime cauet apostolus, ne ob assumptam humanitatẽ merito uilescat Verbum dei, proinde per antithesim quandã infirmitati carnis opponit gloriam diuinam. Quasi dicat, Audistis uerbum dei habitasse inter nos, & nobis per omnia simile esse factum, excepto peccato, ideo uero nemo contemnat Verbum incarnatum. Idem enim qui obnoxius fuit cõtumelijs, etiam diuinæ gloriæ fuit particeps, non dignatione quidem, sed natura. Id quo plus haberet authoritatis confirmans, addit, καὶ ἐθεασάμεθα, non obiter quidem uidimus, sed intuiti sumus diligenter, spectauimus inquam, atq; perspeximus eius gloriã. In epistola enim sua idem hic apostolus, Quod audiuimus, ait, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, id annunciamus uobis, &c. Sed & apostolus Petrus, Non, inquit, arte compositas fabulas sequuti notam uobis fecimus domini nostri Iesu Christi uirtutem & aduentum, sed qui oculis aspeximus illius maiestatem. Acceperat enim à deo patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica gloria, Hic est ille filius meus dilectus, &c. Gloria ergo ipsa est maiestas diuina, quæ se exeruit in uerbo incarnato per miracula, per doctrinam uiuificam, per mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlos & mirificam spiritus sancti missionem, præsertim autem in illo ostento, quo tam ad Iordanem quàm in monte Thabor manifestissima reuelatione demonstratus est cœlitus, ipsissimus

Gloria unigeniti.

simus esse dei filius. Vnde per interpretationē hic subijcitur, Gloriam uelut unigeniti à patre: ut sit sensus, Conspeximus gloriam eius, gloriam inquam non quamlibet, sed gloriam à patre exhibitam, quæ declararet eum esse unicū illum & uerum uereq; naturalem filium dei. Proinde particula ὡς Veluti, in præsenti non significat assimilationem, sed speciem ueri exhibitam. Germanice dicimus, Er hielt sich als ein wyser: id est, sicut decebat sapientem, qualis erat. Et Vnigeniti non est hic participium, sed nomen μονογενοῦς unici. Cōgruunt cum his quæ D. Ioannes Chrysostomus hisce uerbis tradidit Homelia in Ioan. 11. Gloriam Verbi non utiq; nisi per socium corpus uidimus. Si enim filij Israel in faciem Mosi glorioſam intueri non potuerunt, quonam modo diuinitatem inaccessibilem, etiam ipsis uirtutibus supernis, nos qui luto & terra ficti sumus, ferre possemus? Iccirco habitauit in nobis, ut ad ipsum accedere, cum ipso loqui cōuersariq; audenter liceret. Quid autem significat Gloriam quasi unigeniti à patre? Quoniam multi etiam prophetæ glorificati sunt, sicut modo de Mose dixi, sed & angeli hominibus apparuerunt, & suæ naturæ clarissimam lucem spectantibus ostenderunt: à quibus omnibus euangelista abducit, & à creatura & conseruorum nostrorum claritate mentes nostras amouet, & ipso nos bonorum culmine constituit. Ac si dicat, Non prophetæ, non angeli, non cœlestium uirtutum, non creatæ alicuius naturæ, non cuiuspiam alterius rei, sed ipsius domini, ipsius regis, ipsius dilectissimi unigeniti filij gloriā uidimus. Dictio ergo Quasi hoc in loco non est similitudinis, neq; parabolæ, sed confirmationis & definitionis certissimæ. Quasi dicat, Vidimus gloriam qualem decebat, & credibile sit habere unigenitum & dilectissimum omniū regis dei filium. Neq; id genus loquendi præter morem inuenitur. Qui enim regē aliquando pretiosissimo ornatu cultum uiderunt, ac maiestatem regis alijs enarrare uolunt, auratos currus, gemmarum pretium, stipatorum splendorem, ac reliqua pluribus enarrant, tandem addunt, Quid uero multis opus? uno uerbo dicam, Quasi rex. Qua loquutione non significant regi similem, sed ipsum regem: ad eundem modum euangelista gloriæ maiestatem & incomparabilem maiestatē exprimere uoluit per uocabulum Quasi aut Velut. Et relíqua. Nam mira felicitate per cætera differit de gloria Christi, quæ leget Lector sedulus & pius.

Per socium corpus uidimus gloriam unigeniti.

His omnibus clarissimum appendit Epiphonema, Plenum gratia & ueritate, loquens de uerbo incarnato, docens Christum eum esse in quo sint omnes thesauri cœlestium donorum, adeoq; fontem esse perennem gratiæ, in quo uno sit quod omnibus sufficiat ad salutem. Quasi dicat, Quid uero pluribus opus? Verbū incarnatū ipsa est plenitudo gratiæ & ueritatis, in quo perfecte consummantur credentes. Nam per Christum fauet nobis pater, in eodē siue per eundem præstat nobis quæcunq; promisit: ut ipse dominus noster & gratia sit, & ipsa ueritas, redemptio & uita. Huc pertinet illud Pauli, Colos. 1. Complacitum est deo patri uniuersam plenitudinem inhabitare in Christo, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Et iterum, In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ recōditi. In illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in illo completi. Orthodoxe ergo scribit beatus Cyrillus lib. in Ioā. 1. ca. 17. Nō nego gratia dei sanctos fuisse plenos. Gloriam tamen & gratiam filij longe sublimiorem & absq; comparatione esse constat. Non enim mensura ei datur ut cæteris, nec deforis accedit, sed ut perfecto perfecta substātialiter ineſt, à patre naturaliter habita. Et quæ sequuntur. Plura enim ille per cætera contra Arrij lepra infectos docte & pie differit. Certe Paulus asserit simpliciter omnem plenitudinem deitatis habitare in illo corpo-

Christus plenitudo & ueritas fidelium.

raliter. Habes autem in breui hac sententia quid dederit pater, & quid habeamus à filio dei domino nostro Iesu Christo. Hæc hactenus de summa & scopo, fructu quoq; & usu totius euangelicæ historiæ, ad quem omnia referenda sunt.

IOANNES testificatur de ipso, & clamat, dicens, Hic erat de quo dicebam, qui cum me sequeretur, antecessit me, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est.

Historia euangelica incipit à Ioanne.

Hucusq; ueluti præfatus tradidit, qua de re sit scripturus, & quò spectent, & quò referenda sint omnia, quid item utilitatis ac fructus ex hoc libro expectent pij Lectores. Præparatis autem sic animis fidelium, contexere nunc incipit ipsam euangelij historiam, auspicans hanc à S. Ioanne Baptista ac testimonio siue prædicatione eius de Christo, sicut reliqui tres euangelistæ fecerũt. Et oportuit quidem mysterium tantum mundo sensim innotescere, & præcedere aduentum incarnati uerbi insignem aliquem præconem, qui animos omnium præpararet: ac ita futurum prædixerunt prophetæ, in primis Malachias in 3. Sanè deus qui suprema ueritas est, hominum testimonio non indiget, sibi per omnia ad ueritatem asserendã satis est: instituuntur humana testimonia propter homines, ut erudiantur & diligenter ordineq; instituantur. De qua re supra quædam diximus. Cæterum noluit Ioannes apostolus Ioanni Baptistæ multis authoritatẽ conciliare. Dixit enim paulò superius hominem à deo missum esse, nempe Ioannem. Vidit item reliquos tres euangelistas multis asseruisse authoritatem Ioan. Proinde pro compertissimo & prorsus indubitato relinquit Lectoribus Ioannis Baptistæ ministerium esse à deo. Protinus ergo ipsum eius testimonium exponit. Ioannes, inquit, testificatur, quod multo est efficatius, quàm si dixisset, Prædicabat de ipso. Addit & aliud, quod amplificet, Et clamabat. Quærit enim Chrysostomus, Quid per uerbum Clamabat significatur? Et respondet, Fidenter, libere, & omni abiecta formidine dei aduentum prædicabat. Vel certe alluſit ad illud propheticũ, Vox clamans in deserto: aut ad illud, Clama ne cesses, tanquam tuba exalta uocẽ tuam. Est enim prophetici siue apostolici concionatoris officium diserte, expresse, libere, & magno cum zelo ueritatem non proponere modo, sed testificari. Alij hunc locum cum superioribus sic connectunt. Dixi Verbum incarnatum uerum esse deum & hominem, plenitudinem gratiæ & ueritatis. Id autem non solus dixi. Hoc ipsum enim & Ioannes Baptista attestatus est, cuius testimonium nunc subiungam.

Primum Ioannis testimonij.

Habet Ioannis testimonium duo potissimum capita. Principio enim indicat quis sit Christus. Deinde quæ per ipsum nobis à patre data sint, quid expectent aut ab ipso accipiant sancti, explicat. Cæterum refert se ad superiores suas concionẽs, quibus haud dubie de Christo differuit copiosius, quæ hodie nõ extant. Nam dicit, Hic erat de quo dicebam, &c. Nimirum de quo multis hactenus disputaui apud uos in omnibus meis sermonibus. Et ne quid interim deesset nobis synceræ & absolutæ ueritatis, summatim quæ docuerat repetens, ait, Prædicatione quidem me sequitur, & natiuitate temporali: sunt item multi qui me ipsi præferant: sed reuera antecellit me multò dignitate ac gloria. Prior enim me erat. Nam iuxta diuinam generationem ab æterno est, patri per omnia æqualis. Apud Marcum exprimitur hæc S. Ioannis sententia expressius hunc in modum, Venit is qui fortior est me, post me, cuius non sum idoneus ut procumbens soluam corrigiam calciamentorum. Ego quidem baptizaui uos aqua, ille uero baptizabit uos spiritu sancto.

Quis sit Christus.

ſancto. Idē & Matthæus & Lucas repetunt. Ergo quod Ioannes apoſtolus ſic extulit, Anteceſſit me: &, Prior me erat: id reliqui tres ſic efferunt, Fortior me eſt: &, Baptizat ſpiritu ſancto. Neque uero de robore corporis loquitur, ſed de potentia dei. Ergo fortior ſiue prior eſt Chriſtus Ioanne: quia omnipotentis dei omnipotens & æternus filius, princeps ac dominus omnium rerum creatarum. Neque quicquam me mouet ueteris interpretis editionisq; lectio, Qui poſt me uenturus eſt, ante me factus eſt. Græcis enim uox γέγονεν anceps tam ad fieri quàm ad eſſe referri poteſt. Quoniam itaq; conſtat filium genitū æterna natiuitate, non factum: ideo nō oportebat hic uerti, Ante me factus eſt, ſed ante me erat, uel fuit, aut extitit, aut ſimile quidpiam. Quemadmodū & paulò ſuperius uertit, Fuit homo miſſus à deo: ſeu, Erat homo miſſus à deo: quo loco tamen hoc ipſum γέγονεν ponitur. Teſtatus eſt itaque Ioannes Baptiſta, Ieſum Chriſtum uerum eſſe deum & hominem, propter ſalutem noſtram incarnatum.

Quid fidelibus conferat Chriſtus.

Sequitur enim quid expectet atque accipiat à Chriſto mundus, & quid contulerit nobis aduentu ſuo in orbē, Et de plenitudine, ait, eius nos omnes accepimus. Chriſtus ergo uerbum incarnatum fons eſt aquarum uiuentium: in quo propoſuit donauitq; nobis pater omnia ea quæ ad perfectam beatitudinem ſunt neceſſaria. Copioſius hic locus ab apoſtolo exponitur 1. & 2. cap. epiſtolæ ad Coloſſenſes. Nec ſolus theſaurum hunc ſalutis poſſidet, & maligne alijs inuidet: ſed cupit diſtrahi atque hauriri. Alibi enim diſerte dicit, Venite ad me omnes qui onerati eſtis & laboratis, ego uos reficiam. Et iterum, Si quis ſitit, ueniat ad me & bibat. Vnde S. Ioannes Chryſoſtomus, Hoc, inquit, Ioannes dicit, Non habet donum participabile, ſed ipſe fons eſt & radix bonorum omnium: ipſe uita, ipſe lux, ipſe ueritas, non in ſeipſo bonorum diuitias continens, ſed in uniuerſos diffundens: quibus diffuſis plenus permanet, neq; aliorum ſatietate minuitur, ſed diuitias ſuas elargitur ſemper uberius, cumq; omnes bonis ſuis impleat, in eadem permanet perfectione. Et reliqua. Obſeruandum autem uidetur quod dicit omnes de plenitudine Chriſti accipere. Nam extra Chriſtū nulla eſt plenitudo aut perfectio: & quotquot abſoluūtur ac perficiuntur, Chriſti beneficio & gratia perficiuntur. Omnes ergo tam prophetæ quàm apoſtoli, omnes denicq; ſancti per Chriſtū uiuunt & ſancti ſunt, imò quicquid in ipſis eſt eximium, bonum & ſanctū, ex Chriſto eſt. Neq; enim temerè dixit apoſtolus, Quid habes quod non acceperis? Sequitur per interpretationem, Et gratiam pro gratia. Id quod alij ſic exponūt, Amat, & fauore quodam ſingulari proſequitur filium pater, & propter eum amorem quo filium complectitur ſimul omnes eos diligit qui Chriſto coniuncti ſunt. Atq; huc illud Pauli adaptant, Charos nos reddidit per dilectum. Ideoq; putant nos accipere gratiam, & diuini fauoris participes fieri, pro gratia, id eſt propter amorē quo filium complectitur pater. D. Ioannes Chryſoſtomus pro ueteri gratia putat nos accepiſſe nouam. Qua in re explicanda multus eſt. S. Auguſtinus poſteaquam multis de hoc loco diſputaſſet, tandem ſuppingit, Ergo fratres, omnes de plenitudine eius accepimus, de plenitudine miſericordiæ eius, de abūdantia bonitatis eius accepimus. Quid? Remiſſionem peccatorum ut iuſtificaremur ex fide. Et inſuper quid? Gratiam pro gratia, id eſt, pro hac gratia in qua ex fide uiuimus, recepturi ſumus aliā, (nempe uitam æternam.) Quid tamen niſi gratiam? Nam ſi dixero, quia & hoc debetur, aliquid mihi aſſigno, quaſi cui debeatur. Coronat autem in nobis deus dona miſericordiæ ſuæ, ſi in ea gratia quam primum accepimus perſeueranter ambulauerimus. Hæc Auguſtinus. Alij aliter interpretantur. Quid ſi dicamus apoſtolum gratiam pro gratia poſuiſſe pro abſolutiſſima, perfectiſſima, & abundan-

Omnes de plenitudine Chriſti accipiunt.

Pro gratia fidei gratiam accipimus uitæ æternæ.

tissima gratia atque peccatorum condonatione? Nam et apostolus gratiam posuit ad Rom. 5. pro peccatorũ condonatione. Est præterea nobis uulgare, ut dicamus in nostrate lingua, Ich wil dir recht vmb recht geben: id est, plenissimo tecũ iure agam. Vel, Weñ recht für recht gadt/so gwüñ ichs: id est, uicero si pleno atq; perfecto iure negotium hoc discussum fuerit. Proinde hic erit uerborum Ioannis sensus, Accepimus de uerbi incarnati plenitudine, ceu omnium bonorum iugi fonte, gratiarũ, ut sic dicam, gratiam, id est, abundantissimam excellentissimamq; gratiam, perfectissimum inquam dei patris erga nos fauorem, & absolutissimam omnium peccatorum remissionem, spem denicq; uitæ æternæ certissimam. Nam iterum per expositionẽ adiungitur, Quia lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Hac enim ueluti demonstratiua collatione indicare statuit, quanta sit & quàm excellens ac perfecta gratia, quã in Christo accepimus. Ea certe increscit cum repetitur ipsa lex & legis institutio. Lata quidem est lex diuinitus per Mosen, quæ sanctimoniã ueram, & officia uitæ præscribit: uerũ hac ipsa præscriptione omnes homines occidit: dum apertissimis argumentis euincit neminẽ legi satisfacere, & proinde omnes iræ, execrationi dei cõdemnationiq; obnoxios esse. Lex quidem per se sancta, iusta, & bona est, sicut ad Romanos ipse quoq; Paulus asserit: in nostra carne, & in uiribus hominis uitium reperitur, corruptio uidelicet extrema. Nam ex ingenio naturæ nostræ non credimus deo, non metuimus deũ, non diligimus: diligimus autem nosipsos atq; terrena: ideoq; non exigimus uitã nostram, effectus, dicta & facta ad normã legis dei, sed sequimur in omnibus prauas corrupti animi nostri cupiditates: unde si iam admoueamus regulam legis dei ad dicta cogitata & facta nostra, reperimus nos execrationi esse obnoxios. Lex enim iubet deum diligere, sanctimoniæ studere, iuste & temperanter uiuere, non concupiscere: nos autem nihil aliud quàm concupiscimus, luxuriose, iniuste, petulanter & insolenter uiuimus, corpora & animas nostras omnis generis impuritatibus prophanamus atque polluimus, deumq; ipsum & sanctimoniã eius adeo non diligimus, ut potius ex animo odiamus, uerbumq; eius infensissimis animis persequamur. Hinc Paulus diserte dixit, Legem iram operari, sub peccatum concludere, ex lege esse cognitionẽ peccati, & quę alia sunt huius generis ad Rom. & Galat. prodita. Consequitur hinc lege & per Mosen neminem saluari, imò per legem seu Mosen, ceu diuinæ iustitiæ præconem, totum mundũ condemnari. Sunt quidẽ in lege & prophetis promissiones & figuræ futuræ salutis splendidissimæ, uerum nihil præstant, ad futurum Christum relegant. Interea qui propter delicta uel facinora sua damnatus ad supplicium abducitur, non tam ad promissionẽ redemptionis spectat, quàm ad ipsam ueritatem anhelat promissionis, ad ipsam inquam redemptionem. Omnium itaq; excellentissimam & abundantissimam gratiam affert, qui omnia legis & prophetarum promissa præstat, à maledicto legis liberat, peccata condonat, & per omnia placatũ nobis reddit iratum deum propter peccata & scelera nostra. Atqui Ioannes Christum hunc esse indicans dicit, Gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est, qua licet breuissima sententia docuit nos excellentissimam abundantissimamq; gratiam accepisse è plenitudine Christi. Per legem ira, indignatio & maledictum orbi innotuit: per Christum gratia, fauor, benedictio & condonatio. Per legem facta est promissio: in Christo ut in ipsissima ueritate omnia fidelibus sunt præstita. Huc pertinent elegantes S. Pauli loci, hæc breuia Ioannis ceu copioso aliquo commentario exponentes, in primis is qui ad Rom. 8. sic legitur, Lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à lege peccati & mortis. Quod enim impossibile erat legi, eo quod infirmabatur

per

Quàm perfecta et excellens gratia sit quã in Christo accipimus.

Lege nemo seruatur.

Christi gratia seruamur.

per carnem,hoc deus proprio filio misso in similitudine carnis peccatricis, præstitit,ac per peccatum condemnauit peccatum, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis,qui nõ secundum carnem ambulamus,sed secundum spiritum. Item ille in 10.cap.Finis legis Christus est,ad iustificationem omni credenti. Rursus ille qui est ad Galat.3.Quotquot ex operibus legis sunt,execrationi sunt obnoxij.Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et mox, Christus nos redemit ab execratione legis dum pro nobis factus est execratio, &c. Item, Si data fuisset lex, quæ posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, promissio ut ex fide Iesu Christi daretur credentibus.Et quæ sequuntur.

Obseruabilis & admodum memorabilis est hic Ioannis locus. Consentiunt enim tres primi & maximi in Christiana religione uiri,Ioannes Baptista,quo non alius sanctior è mulieribus natus est, Ioannes euangelista, dilectus Christo discipulus, & Paulus apostolus uas electionis & doctor Gentium, omnes uno ore testantes,non per legem, merita aut opera ulla nobis obuenire iustitiam & uitam, sed per gratiam dei in Christo Iesu. Hic enim est redemptio, iustitia, sanctificatio, salus & plenitudo nostra, è quo accepimus gratiam abundantissimam,& absolutissimam omnium peccatorum remissionem omniumq; promissionum perfectissimam consummationem,Alle trüw vnd warheit:adeo ut hunc locum iam hisce Pauli uerbis concludam, Notum sit uobis, uiri fratres, quod per Christum uobis remissio peccatorum annunciatur,& ab omnibus,à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari,per hunc omnis qui credit iustificatur. Hic inquam est incomparabilis ille thesaurus quem in filio donauit pater, in quo habemus omnia uitæ salutis & beatitudinis.Hæc teneamus,in his simus,his nos credamus. Nam contra hæc non prævalebunt uel inferorum portæ.Gloria sit Christo redemptori. *Gratis obuenit nobis iustitia.*

Deum nemo uidit unquam:unigenitus filius qui est in sinu patris,ipse enarrauit.

Duplicem usum & fructum uidentur hæc uerba Ioannis habere. Principio enim occupatione quadam illis respondet, qui aiunt, Quis uero retulit deum in Christo nobis omnes cœlestes thesauros dedisse, aut in filio orbi placatum esse? An uerisimile est deum natura sua inuisibilem hoc orbi prædicasse? ergóne uisibilis erit,palpabilis,sensibilisq; deus? Respondet enim, Scio deum substantia & natura sua planè inuisibilem esse & impalpabilẽ, & quod nemo deum in sua substantia uidet in hoc sæculo: nec ignoro ipsum deum non loqui ratione & modo quo nos solemus.Quia tamen homines estis,nec res incognitas uobis nisi per uerba & signa significata intelligitis, ideo unigenitum suum in mundum misit deus pater, quo is incarnatus & uerus homo factus uobiscum uestro more agere posset, ut rectius per omnia deum & uoluntatem ipsius diuinam cœlestemq; caperetis. Videtur autem Ioannes non temerè θεὸν citra articulum in præsenti loco posuisse. Idem enim ea uoce haud dubie significare uoluit, quod aliàs exprimitur per θεότης,id quod numen,diuinitatem siue diuinam naturam denotat.Eam nemo mortalium unquam in hisce uidit terris.Reseruatur enim ea gloria animabus corpore exutis & meliore uita fruentibus, corporibus item clarificatis, & in æterna patria agentibus cum ipso deo,qui erit omnia in omnibus. Nam Exodi 33. dicit ad Mosen dominus,Non uidebit me homo & uiuet, id est, quoad hic uixerit non uidebit me.Quanquam ueteres eum locum sic intellexerunt, ut putarent sibi esse *Filius dei exposuit nobis hanc philosophiam cœlestem.* *Deus in substantia sua inuisibilis.*

moriendum si uidissent deum: quemadmodum Manoah dixit ad uxorem suam, Certò moriemur, nam uidimus dominum. Iudic. 13. Verum nolo hic disputare an perperam intellexerint uerbum dei ad Mosen dictum. Certum est deum non uideri in hac carne & in hoc sæculo: ubi autem hinc soluerimus, & corpora nostra fuerint clarificata, ipsum deum in sua substãtia uidebimus, apostolis testantibus atq; dicentibus, Scimus quoniam si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est, 1. Ioan. 3. Et iterum, Cernimus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Corinth. 13. Ergo quod alibi de patriarchis & prophetis legimus, uidisse ipsos dominum, id quidem de speciebus obiectis sensibus eorum & peculiari modo, quo ipsis apparere & sese ipsis declarare dignabatur, intelligendum est. Præterea quod Num. 12. cap. legitur dominum Mosi non per uisiones & similitudines apparuisse, sed de facie ad faciem, exponendum erit de modo reuelandi cognoscendiq; omniũ familiarissimo & exactissimo, qui in hisce terris à deo usurpari solet. Quasi dicat, Ego huic uiro me quàm familiarissime aperui, & amplius quidem quàm ulli alioqui mortalium. Ex quo non sequitur quod talem tunc omnino sese ei exhibuerit in terra, qualem nunc exhibet in æterna gloria. Verum nolo nunc copiosius & curiosius disputare de eo modo quo patriarchæ & prophetæ uiderunt dominum. Scripsit copiosa de his ac pia S. Augustinus, 2. & 3. lib. de Trinitate, item epist. 111. & 112. ad Paulinã De uidendo deo. Et quanquã diuina substantia sua natura inuisibilis sit, nihil tamen peccant qui dicunt apostolos suis oculis uidisse deum, & suis manibus contrectasse deum. Christus enim quem illi in humana carne uiderunt & contrectarunt, uerus est deus, palpabilis quidẽ & uisibilis secundum naturam assumptam, impalpabilis & inuisibilis iuxta substantiã æternam.

Quomodo uiderint patriarchæ & prophetæ deum.

Apostoli ipsum deum uiderunt & contrectarunt.

Deinde exponit Ioannes his quoque fructum uberem & eximium, quem ex aduentu filij in hunc mundum percipimus. Primus & uere maximus fructus est, quod in ipso accepit mundus gratiam & ueritatem. De quo hactenus satis disputatum est. Secundus & ipse amplissimus fructus est illustris doctrina, & quod per filium instituimur in cœlesti sapientia. Siquidem deum patrem nunquã recte cognouissemus nisi per filium. Tradit sanè nobis scriptura prophetica de deo, quod sit deus & pater noster, quod sese nobis æterno coniunxerit fœdere, quod summe bonus ac sapiens sit, potens, uerax, iustus, benignus & misericors, qui omnino cultoribus suis bene uelit, &c. Ista uero quis obsecro mortalium uel intellexisset plene, uel credidisset solide, nisi patribus nostris unigenitum promisisset, nobis autem pollicitũ præstitisset, & ita quidem præstitisset, sicut illis promiserat, deum & hominem uerum, uitam & saluatorem, intercedente sanguine crucis, fidelium omnium? Nam in incarnationis & mortis resurrectionisq; mysterio euidenter eluceßit ineffabilis dei sapientia. In eadem incarnatione manifestissime deprehenditur quod deus æterno nobiscum fœdere nexus est, quod noster deus & noster pater est, qui nos per dilectum in filios & hæredes adoptauit. In eodem apparet & summa eius bonitas. In miraculis Christi domini intelligitur illa dei admirabilis omnipotentia. Quod autem omnia ac singula ad amussim perficit dictis & factis dominus quæ de eo prædixerunt prophetæ, declarat quàm certa ac firma sit immobilis dei ueritas. Porrò in morte illa filij dei atroci apparet dei iustitia, quæ non potuit placari, & cui non licuit satisfieri nisi tanta uictima. Rursus in eodem aperit sese diuina illa bonitas, quæ ne periret miserum mortalium genus, ne filio quidem unico pepercit. Proinde in filio, & per filium mundo sese aperuit deus pater omnium significantissime, adeo ut quicquid de deo ac uoluntate eius

Deus pater in filio sese reuelat & aperit mundo.

scire

ſcire oportet, quicquid cœleſtis ſalutariſq; ſapientiæ eſt, hic unus nobis ἐξηγήσατο enarrauit, ediſſeruit dilucidius, explicatius, imò explanatiſſime expoſuit. Et hoc quidem hic ſolus commodiſſime & perfectiſſime potuit. Eſt enim unigenitus dei filius, exiſtens in ſinu patris. *Vnigenitus dei filius.* De uocabulo Vnigeniti aliàs dixi. Sanctus Auguſtinus de Fide & Symbolo cap. 4. Secundum id, inquit, quod unigenitus eſt, non habet fratres: ſecundum id autem quod primogenitus eſt, fratres uocare dignatus eſt omnes qui poſt eius primitias in dei gratia naſcimur per adoptionem filiorum, ſicut apoſtolica doctrina commendat. Naturalis ergo filius de ipſa patris ſubſtantia unicus natus eſt, idem exiſtens quod pater, deus de deo, lumen de lumine. Nos autem non lumẽ naturaliter ſumus, ſed ab illo lumine illuminamur. Cum ergo Vnigenitus dei patris filius ſit, poteſt is nobis & naturam dei & omnem uoluntatem dei, quantum nos ſcire refert, abſolutiſſime explicare. Præterea *In ſinu patris.* eſt in ſinu patris. Quid autem ſit eſſe In ſinu patris, Cyrillus libro in Ioannem primo, cap. 22. his uerbis expoſuit, In ſinu patris filium eſſe aſſerit, ut etiam hinc intelligas in ipſo (deo) & ex ipſo, & ut in Pſalmis ſcribitur, Ex utero ante Luciferum genui te. Nam quemadmodum hic ut ex eo proprie ſignificaret à ſimilitudine hominum Ex utero poſuit: ex uentre nanque prodeunt qui à nobis generantur: ſic cum In patris ſinu dicat, in patris certè utero intellexit, à quo ineffabili generatione deumq; decente naſcitur filius. Sanctus Auguſt. Tract. in Ioannem 3. Quid eſt, inquit, In ſinu patris? In ſecreto patris. Non enim deus habet ſinum ſicut nos habemus in ueſtibus, aut cogitandus eſt ſic ſedere quemadmodum nos: ſed quia ſinus noſter intus eſt, ſecretum patris, ſinum patris uocamus. In ſecreto patris qui patrem nouit, ipſe enarrauit. Et hæc quidem explicatio impenſius placet Cyrilli expoſitione, ut uidelicet In ſinu eſſe accipiamus pro eo quod eſt in arctiſſima coniunctione & amicitia eſſe, adeoq; eſſe à ſecretis & conſilijs. Ita enim ſcriptura non uno loco utitur uocabulo Sinus. Quia ergo filius à conſilijs & ſecretis eſt patris, potuit nobis explicare cœleſtia myſteria, quę alioqui nemo potuiſſet. Certe apud Latinos quoque perinde dictum eſt In ſinu, quaſi dicas in pectore, non in labijs aut fronte, quibus partibus uulgus conſueuit prodere quod in animi penetralibus occultat. Etenim M. Cicero in epiſtola quadam ad Quintum fratrem, Mihi crede in ſinu eſt, neque ego diſcingor. Quibus uerbis promittit fidem ſilentij. Nam ſi quis diſcingatur, effluit quod ſinui creditum eſt. Iam illud quoque obſeruandum eſt quod dicit, In ſinu patris eſt, & non In ſinu patris fuit uel erit. Eſſentia enim filij perpetua eſt, neque ullum damnum, aut ullam alterationem ſenſit per incarnationem: ergo qui ab æterno erat, idem permanet in ſua ſubſtantia diuina, uel incarnatus, in æternum incommutaabilis deus uerus.

Porrò his abundantiſſime reſponſum puto blaſphemis quorundam impio- *Aſſerta authoritas & certitudo doctrinæ euangelicæ.* rum quæſtionibus negantium authoritatem & certitudinem ſcripturæ euangelicæ. Dum enim prædicatur ex euangelio remiſſio peccatorum, uitæ pœnitentia, & uita æterna, quæ certò credentibus per Chriſtum parata ſit, protinus iſti quærunt, Vnde uero illa certitudo? Quis uidit deũ? Quis intelligit ea quæ ſupra nos? Quis fuit à conſilijs & ſecretis dei, ut mentem eius norit? His enim omnibus reſpondens Ioãnes, Deum, inquit, nemo uidit unquã, interim uero filius qui eſt à ſecretis patris, qui eſt eiuſdẽ ſubſtantiæ cum patre, qui eſt uerbũ & ſapientia dei, is enarrauit nobis. Quo nimirũ & illud pertinet quod Ioan. 15. ad diſcipulos dicit, Non poſthac uos dico ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius: uos autem dixi amicos; quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis. Et 8. cap. *Certitudo prædicationis euangelicæ.*

Iudæis dicit, Quod uidi apud patrem meum loquor: & uos quod uidistis apud patrem uestrum facitis. Et hactenus docuit Ioannes Baptista ecclesiam à uerbo incarnato accepisse duplicem thesaurum, principio gratiam pro gratia, deinde uero enarrationem cœlestium mysteriorum plenissimam certissimamq;.

Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserant Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, Et confessus est (dicens,) Non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Helias es tu? Et dicit, Non sum. Es tu propheta ille? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos, Quid dicis de teipso? Ait, Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant erant ex pharisæis.

Quatuor posita Ioan. Bapt. testimonia.

Videri poterant hæc uerba, Et hoc est testimoniũ Ioannis, non tam ad sequentia quàm præcedentia esse referenda, ut inter utrunq; consistentia testimonium ad utrunq; trahantur. Mihi tamen impensius placet ut non ad superius, sed tantum ad consequens testimonium referantur, cuius sint argumentũ. Colligit enim Ioannes apostolus ex omnibus testimoniis Baptistæ quatuor præcipua, quorum primum tulit in promiscua & frequentissima populi turba: secundum legatis dixit Hierosolymitanis eruditione & sactimonia præclaris: tertium dedit coram doctis & frequenti turba ipso Christo domino coràm astante, & id quidem est spectatissimum: quartum tulit domino coram suis discipulis, quos ad Christum à se ablegat. Omnibus huc tendit & singula hunc finem habent, ut explicent nobis quis sit Christus, & quid acceperimus ab ipso. Certè primum hoc ipsum dilucidissime & appositissime docuit. Sequitur iam secundum, quo potissimum remouet atque refutat uulgi opinionem arbitrantis Ioannem esse Messiam. Diserte enim asserit Iesum Christum esse Messiam, se uero Messiæ præconem. Et sacerdotum quidem collegium metropolim gentis Iudaicæ Hierosolymam magno cum fastu occupans, uendicarat sibi censuram in doctrinam religionis. Proinde si quis fuisset exortus doctor religionis, cuius doctrina non adamussim quadrabat cum traditionibus patrum Hierosolymitanorum, protinus euocabatur ad examen in urbem regiam, uel mittebantur hæreticæ prauitatis inquisitores, legati uidelicet Leuitici, qui examinarent discuterentq; negotium illud nouæ illius doctrinæ. De qua re copiosiora require ex 3. 15. & 21. cap. Matthæi. Tales autem omnino apparet fuisse legatos illos Hierosolymis missos, quorum hic fit mentio. Erat præterea alia causa quæ legationem hanc exciuerat. Nam ipsa tempora præsentia & res gestæ intra annos triginta manifeste testabantur Messiam iam esse in foribus & limine, adeoq; præsentem esse. Iuxta enim uaticinium Israelis sceptrum Israeliticum à Iudæ tribu ad alienigenam erat translatum: decurrerat ad iustum terminum supputatio annorum hebdomadum Danielis: sed & magi ex oriente uenientes prælucente monstrifica stella in regia Herodis palàm edixerant regem Israelis expectatum, iam iam esse natum. Idem attestati sunt Israelitarum doctissimi & sanctissimi Zacharias sacerdos, Simeon iustus, ac reliqui patres sancti. Ad hæc excitarat in se plebis admirationem Ioannes Baptista nouitate uictus, uestitus, solitudine, doctrina & rerum innouatione, ut plurimi ipsum uenerarentur pro ipso Messia. Id cum Hierosolymis innotuisset, mittunt legationem religionis

Ioannes non est Messias, sed Helias præcedens Messiam.

antistites

antiſtites percontatum, an ipſe Ioannes ſe pro Meſſia uenditaret. Dicunt enim legati, Tu quis es? Quaſi dicant, An ne pro Meſſia te uenditas? Nam hunc ſenſum habuiſſe quæſtionẽ legatorũ euincit Baptiſtæ reſponſio, dicentis ſe non eſſe Chriſtum. Nam ſequitur, Et confeſſus eſt, & non negauit. Id quod tantundem eſt, ac ſi quis Germanice dicat, Er ſagts fry hãruß/vnd verhãlet nüt. Ioan. Oecolamp. putauit modum eſſe loquendi Hebraicũ. Hebræos enim affirmationi negationẽ ſubiícere dum loquutionem uehementer uolunt intendere, itaq; hanc ſententiã, Confeſſus eſt & non negauit, tantundem pollere, ac ſi quis dicat, Conſtantiſſime & perſeueranter confeſſus eſt. Porrò quid confeſſus ſit adiungitur, Non ſum ego Chriſtus. Sic inquam falſam de ſe ſuſpicionem quæ Chriſti gloriæ poterat apud plebem offi cere, repulit, ac forti animo contempta falſi nominis gloria confeſſus eſt ſe nõ eſſe Meſſiam qui multis uidebatur eſſe. Porrò exemplum & factum Ioannis docet ſyn ceri uiri, in primis miniſtri euangelici, eſſe libere eloqui ueritatẽ. Impoſtores enim homines miſeros naſo circunducunt. Ioannes item omnem gloriã Chriſto tribuit ſaluatori: idem faciamus & nos modeſtiſſime ſemper de nobis ipſis ſentientes.

Cæterum dum conſtanter negaret ſe eſſe Meſſiam Ioannes, rogant legati num ſit Helias, præambulo uidelicet Meſſiæ? de quo ſcriptum eſt in uaticinio Malachiæ. Verum negauit & hoc, non quidem ſimpliciter, ſed reſpectu quodam ad craſſam illam opinionem quæ eo tempore inter Iudæos obtinuerat, Heliam eo ipſo corpore quo igneo curru in cœlum ſublatus fuerat, rediturum & anteceſſurum Meſſiæ aduentum. Quæ quidem ſententia et diſcipulorum mentes præſtrinxerat; ſicut eluceſcit Matth. 17. Hac uero ratione negat ſe eſſe Heliam. Alioqui enim dominus aſſerit conſtantiſſime Ioannem eſſe Heliam, apud Matthæum in cap. 11. & 17. Proinde Ioannes corporaliter & ſubſtantialiter non erat Helias, qui tamen ſpiritu & uirtute Helias erat: angelo Gabriele teſtante atq; dicente, Et ipſe præcedet illum in ſpiritu & uirtute Heliæ, &c. Lucæ 1. Pari ratione negat ſe eſſe prophetam illum. Nam D. Ioannes Chryſoſtomus eum explicans locum Homel. in Ioannem 15. Quare, ait, ſe prophetam negat? Quia iterum percontantium animum inſpexit. Exiſtimabant enim prophetam eximium uenturum, eo quod ait Moſes, Prophetam uobis ſuſcitabit dominus deus de medio fratrum ueſtrorum, eum tanquam meipſum audite. Hic autem erat Chriſtus. Non igitur rogarunt an eſſet unus ex aliorum numero prophetarum, ſed articulum addiderunt, ac ſi dicerent, Propheta ne ille es, qui à Moſe prædictus eſt? Propterea negauit. Hæc ille. Et mirum eſt hanc quæſtionem illos propoſuiſſe cum ignorare non potuerint prophetam illum fore Chriſtum ſiue Meſſiam: at hunc ſe eſſe iamiam negarat Ioannes. Poſthæc urgent ardentius, & occaſionem quęſtione præbent explicandi quis ſit Ioannes. Dum enim dicunt, Ediſſere nobis quis ſis, quo liceat collegio ſancto certum referre reſponſum? Reſpondet Ioannes ſimpliciſſime & modeſtiſſime, Ego uox clamantis in deſerto, dirigite uiam domini: ſicut dixit Iſaias propheta. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Ego ſum uox clamans in deſerto, præco inquam ille, quem in deſerto exoriturum prædixit Iſaias, & annunciaturum aduentum dei in mundum. De Voce clamante, de Deſerto item, deq; præparatione uiæ diſſerui multis apud Matth. in 3. cap. ubi etiam locum Iſaiæ ex 40. cap. expoſui: inde copioſiora require. Certe ſummã totius doctrinæ Ioan. uno uerbo complexus, & uates & præcurſor dixit εὐθύνατε rectas facite uias domini. Quaſi dicat, Recta ambulate in uijs domini, &c. Id aliàs interpretari ſolet, Dirigite uias domini. Ad finẽ huius loci appẽdit apoſtolus, legatos fuiſſe phariſæos, nimirũ ut plus authoritatis apud nos haberet negotiũ pręſens. Phariſęi ẽnim tũ tẽporis peritia legis, opinione

Ioannes non eſt Helias. Quomodo?

Ioannes non eſt ꝓpheta. Quomodo?

Quis Ioannes fuerit?

ſanctimoniæ & authoritate præcellebant cæteris. At talibus tam diſertum reſpon ſum dedit Baptiſta, neque tales potuerunt ipſius refutare teſtimonium, quo teſti- ficatus eſt hactenus ſe non eſſe Meſſiam, ſed Meſſiæ præcurſorem ac miniſtrum, Ieſum eſſe Chriſtum ſaluatorem mundi: id quod ex ſequentibus apertius patebit.

Et interrogauerunt eum, ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neq; Helias, neq; propheta ille? Reſpondit eis Ioannes, dicens, Ego baptizo aqua, ſed in medio ueſtrum ſtat, quem uos neſcitis: ipſe eſt, qui cum me ſequeretur, anteceſſit me: cuius ego non ſum dignus ut ſol- uam corrigiam calciamenti. Hęc in Bethabara facta ſunt, trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

Hæc eſt ueluti altera pars preſentis, hoc eſt ſecundi teſtimonij. Priore ſatis edo cuit Ioannes quis ipſe ſit, uox clamans in deſerto, non Meſſias. Hac plenius oſten- dit quis ſit Ieſus cui ferebat teſtimonium, nempe deus uerus ſaluator mundi: repe tit item ſe duntaxat Meſſiæ miniſtrum eſſe non ipſum Meſſiam, dum uidelicet di- cit ſe aqua baptizare. Cæterum occaſionem huic teſtimonio præbuit legatorum quæſtio interrogantium, Cum neq; Helias neq; Meſſias ſit, quare baptizet? Didi- cerant enim ex libris prophetarum aduentum Meſſiæ præceſſurum Heliam, & Meſſiam ſalutari lauacro purgaturum ſordes omnium iniquitatum. Inter alios enim Ezechiel uaticinans in 36. cap. dicit, Sic ait dominus, Effundã ſiue ſpargam ſuper uos aquas mundas, & mũdabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris, &c. Purgat peccata noſtra deus ſanguine filij ſui gratia & ſpiritu ſancto, interim aqua eius purgationis ſymbolum eſt. Non temere ergo interrogant, cur baptizet ſi non ſit uel Helias uel Meſſias? Quaſi dicant, Didicimus ex prophetis orbem uitali gur gite abluendum per Meſſiam, & præcurſorem Heliam aqua tincturum populum Meſſiæ, quando autem negas te uel Meſſiam eſſe uel Heliam, quare baptizas in remiſſionem peccatorũ? &c. His reſpondet Ioannes ingenue & ſimpliciter, ſe eſſe præcurſorem & miniſtrum Chriſti qui aqua tingat, Ieſum autem Chriſtum eum eſſe in quem tingat, ut qui purget à peccatis gratia ſua & uirtute: ſicuti paulò poſt plenius exprimet, dicens, Ieſus baptizat ſpiritu ſancto. Plura de his require in 3. cap. Matthæi. Certè Ioannes inde occaſione accepta pleniſſime differit de maie- ſtate Chriſti, aſſerens ipſum eſſe dei filium, omnibus in orbe præferendum. In me- dio ueſtrum ſtat, inquit, quem uos neſcitis. Nam uel aſtabat præſens in turba pro- miſcua: uel loquutione ea id dicere uoluit, quod nos ſolemus dicentes, Inter uos eſt & uerſatur, ueſtri ſimilis, & ex ueſtro genere ortus. Neſciebant autẽ non tam ob contemptũ, quàm quod nondũ uſq; adeo manifeſte illuxiſſet, & quod Ioannes nõdum digito indicaſſet quo de loqueretur. Sequutus eſt aũt Ioannẽ dominus, & miniſterio et natiuitate, quemadmodũ colligere licet ex 1. ca. Luc. Anteceſſit Ioan nẽ diuina natiuitate. Grẽce ad uerbũ eſt, Qui ante me erat. Nam in principio erat uerbũ. Et Iudæis Ioan. 8. reſpõdens, dicit, Anteq; Abrahã fieret ego ſum. Ideo ad- iungit Ioannes meritò, nullam eſſe comparationẽ inter ipſum & Chriſtum, qui ſit princeps & dominus omniũ. Id aũt facit elegantiſſimo & aptiſſimo prouerbio, ma ximam diſſimilitudinẽ rerũ ſignificante. De quo dixi Matth. 3. cap. Quo aũt plus fidei apud nos inueniret hoc teſtimonium addit apoſtolus hæc acta eſſe in Beth- abara. Nam Cyrillus lib. in Ioan. 1. ca. 26. Diligentiæ, inquit, ſuæ magnitudinis q; re rum hoc ſignum eſt. Solent enim homines loca etiã ſingula ubi res magnæ geſtæ aut expoſitæ ſunt, memoriæ diligẽtius cõmendare. Hęc ille. Nec temere eũ locũ in

Baptiſmus inſti tutus indicium Meſſiæ præſen tis.

Ieſus Chriſtus uerus deus & ſaluator.

quo

quo baptizaret delegit. Fuit enim celebris propter traiectum & hominũ frequentiam traicientium in Syriam è Palestina, & in hanc ex illa. Locus fuit in tribu Ruben ferè Hierichuntinæ urbi territorióue oppositus, Australior tamen. Volunt illum à traiectu habere nomẽ, quasi tu dicas, Domus traiectionis, Germanice Fharhusen, uel Husen am fhar. Plurima enim loca uel inter nos à Traiecto nomina sumpserunt, Maastrycht/Vtrycht, et in Ringauia Traieckßhusen: quanquam sint qui eum locum à Traiano nominatum uolunt ac dictum Domus Traiani.

Postero die uidet Ioannes Iesum uenientem ad se, & ait, Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum mũdi. Hic est de quo dicebam, Post me uenit uir, qui me antecessit: quia prior me erat: & ego nesciebam eum, sed ut manifestus fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptizans.

Clarissimum Ioan. Bapt. testimonium.

Tertium illustre admodum celeberrimumq; testimonium Baptistæ præstitum Christo coram doctis & plebe, id est, coram tota ecclesia Israelis, ipsos euangelij fontes patentissime aperit, exactissime declarans quis sit Christus dominus noster, & quid ab ipso acceperimus: quemadmodum & superioribus quoq; est expositum. Hucusq; sanè ita de Christo Iesu testatus est, ut nec nominaret, nec digito demonstraret quem recipiendum docebat, tantum docebat Messiam orbi esse præstitum, eum ipsum protinus præsto affuturum, esseq; hunc uerum ueri dei filium saluatorem mundi, atq; ideo ab omnibus resipiscentia præparatis recipi oportere. Ea prædicatione multorum animos in admirationem excitauerat, ut iam nihil magis cuperent, q̃ illum Messiam coràm uidere, & in quem omnẽ suam fiduciã collo carent cognoscere. Atq; hic diuina dispositiõe bonaq; Christi uolũtate, qui & ipse cupiebat cognosci ab oĩbus factũ est, ut in ipsam Ioannis concionẽ prodiret Iesus, quo uiso, Ioãnes protinus extenta manu digitoq; in Christũ protenso dicebat, Hactenus multa de Messia mundi saluatore dixi, neminẽ autẽ diserte nominaui, neminẽ digito designaui: iam uero tempus est ut diu uobis prædicatũ atq; cõmendatum significanter demonstrẽ, ergo hic ille est promissus Messias atq; mundi saluator, quẽ hic coràm cernitis astare, de quo hactenus tanta & tam multa prædicaui. Excellentissimum, præstantissimum, euidentissimumq; omnium uidetur esse hoc præsens testimonium, quod non in ænigmate aut per uerba, sed uerbis simul significantissimis, ac demonstratione apertissima omni ambiguitate remota confertur, unde operæpretium facturus uideor, si paulò diligentius explicaro. ECCE, ait, AGNVS ILLE DEI, QVI TOLLIT PECCATVM MVNDI. Ecce primo ponitur δεικτικῶς. Nam exporrecto in Christum digito designat certò & expressissime quem uelit, simul & auditorum animos excitat ad attentionem & obseruationem rei per omnia maximæ. Deinde quis sit Christus, & quid præstet nobis exponit, Hic, inquit, Iesus est agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi. Agnum appellat Christum respiciens ad figuras legis, ad promissiones in quam dei & prophetarum uaticinia. In lege sic præcipitur Numeri 28. cap. Hoc est sacrificium quod igne cõfit, quod sacrificabitis domino, agnos anniculos integros duos unoquoq; die in holocaustum continuum, agnum unum facies mane, alterum inter uesperas: & reliqua. Significatur agno integro Christus dominus qui de intacta natus uirgine nobis quidẽ similis est per omnia, excepto peccato, hic sacrificium est & hostia expiatoria expurgans omnes fideles ad plenum ab omnibus peccatis: ideo uero continua est hostia. Semel enim oblatus semper sufficit: quemadmodũ multis indicat apostolus Paulus in epist. ad Heb. Offertur mane & inter uesperas.

Iesus est agnus ille dei.

Nam uictima Christi expiat peccata & ueteris & noui populi, omnium inquã hominum ab orbe condito ad finem usq; mũdi. Adhæc notissima sunt quæ in eadem lege leguntur de Agno Exodi 12. cap. Appellatur inibi agnus domini transitus, siue transilitio, ut sic dicam, Propter Christũ enim parsum est generi humano, quod alioqui potuisset propter peccata extingui. Porrò legem hanc exponens Isaias in 53. cap. de Christo domino loquens, Vniuersi nos, ait, quasi ouis errauimus, quisq; in uiam suam respexit: dominus autem fecit incurrere in ipsum uniuersorum nostrum iniquitates. Mulctatus est & afflictus, & tamẽ non aperuit os suum: sicut pecus ad mactationem ducetur, & sicut agnus coram tonsoribus suis obmutescit, sic ille non aperuit os suum, &c. Iam & apostoli legem ac prophetas sequuti significantissime declarant Iesum Christum esse agnum illum. Nam manifesta sunt priorum apostolorum testimonia, S. Petri, in 1. epist. cap. 1. dicẽtis, Scitis uos redemptos esse nõ caducis rebus uelut argento & auro, sed pretioso sanguine uelut agni immaculati & incontaminati Christi. S. Pauli quoq; 1. Corinth. 5. cap. perhibentis Pascha nostrum immolatum esse, nempe Christum. Proinde Baptista noster tale quidpiam dicere uidetur, Audistis ac uidistis in legis ac prophetarum promissionibus atq; figuris uenturam in fine sæculi uictimã (agnum) quæ semel oblata, mundi peccata sit expiatura: scitote ergo Iesum Christum, quem hic uobis digito ostendo, illum esse agnum dei. Dei inquam, id est à deo missum, deo placentem, deo dilectum & acceptum, excellentissimum & pretiosissimum, diuinæq; substantiæ atq; naturæ, quem pater dedit ut expiaret peccata mundi, & cuius hostiam pro expiatione peccatorum totius mundi recipit. Annotandũ uero illud in primis uidetur, quod & Eras. Rot. annotauit, à quo mutuaui, ἄφεσι, idest Tollit, dictum esse, & non remittit: idq; duplicẽ ob caussam. Vel quia penitus tollit, id est ad plenum expiat, nulla labe aut culpa relicta, quæ ulla alia expurgetur ratione. Vel quia peccata nostra in se recipit. Tollimus enim onera quæ nobis ipsis imponimus. Tollimus quæ natura nobis desunt, interim ut nostra recipimus. Certe Paulus, Christus, inquit, qui peccatum nõ fecit, factus est pro nobis peccatum. Denicq; Isaias in 53. cap. quo Ioannem allusisse omnino arbitror, dicit, Profecto ipse labores nostros tulit. Vel, Et tamen infirmitates nostras ipse portauit: & dolores nostros ipse baiulauit. Nos autem existimabamus eum tactum percussione dei (plaga) & afflictum, ipse uero uulneratus est propter transgressiones nostras, & attritus est propter iniquitates nostras, &c. Annotauit & temporis rationem Chrysost. non esse dictum tulit aut tollet, sed tollit uerbo præsentis temporis, quod ab illo semper proficiscatur omnis purgatio criminum: ueluti dicas, Elleborum purgat cerebrum, significans illi perpetuam & natiuam inesse uim purgandi capitis. Verba Chrysost. si quis requirat, hæc sunt ex Homel. 17. in Ioannem, Non dixit, Qui tollet aut tulit, sed tollit peccata mundi, ut quotidie ea tollere intelligatur. Non enim cum passus est solũ nostra abstulit peccata, sed ex illo hactenus tollit. Non semper crucifigitur. Vnde nanq; pro peccatis nostris tulit sacrificiũ, sed semper per illud nos purgat. Hæc ille. Nec citra emphasim dixit Peccatum numero singulari, & non peccata pluratiuo numero. Omnino enim plus quiddã expressit, quàm si dixisset peccata. Peccati enim uocabulo comprehendit quicquid sub censum uenit peccati, Alles was sünd heißt vnd ist. Nam quemadmodum euangelista Ioannes in epistola sua summam omnis impietatis & ceu mundum uitiorum omnium malignitatem uocat, cum scribit mundum in maligno positum: ita hic peccatum mundi uocat omnium uitiorum colluuiem, & omnium temporum siue sæculorum sordes, non unius quidem generis peccatum, sed quicquid peccatum appellatur, cuiuscunq; tandem uel generis uel

Tollit peccatũ mundi.

ris uel ſpeciei ſit. Neq; enim mundus referri poteſt ad paucos, uel ad ſæculum, ad hominem unum aut alterum. Sed & expreſſius idem apoſtolus in eadem ſua epiſtola, Et Ieſus Chriſtus, inquit, eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. En hic peccata omnia exprimit, qualiacunq; tandem ſint: nec ſatis habet dixiſſe Mundi, ſed addit totius, ne qua pateret rima calũniatoribus. Idem in 1. cap. epiſtolæ, dicit, Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. En ab Omni dicit peccato, & nos quidem, id eſt omnes nos qui credimus homines. Iccirco indubitatum eſt Ieſu Chriſti ſanguine ſatisfactum eſſe pro peccatis noſtris omnibus, & ſolius Chriſti merito nos uere coram deo iuſtificari credentes. Errant ergo turpiſſime, & blaſphemant ueritatem euangelicam, qui docent Chriſtum uel pro ueteribus non nobis quoq;, uel pro originali tantum peccato oblatum eſſe, aut non omnia ſolum peccata expiaſſe: qui item expiationem & ſatisfactionẽ peccatorũ alijs rebus quantumuis præſtantibus, & non ſoli ſanguini filij dei diſerte & cum gratiarũactione tribuunt. Nam Chriſtus Ieſus eſt agnus ille dei uictima iugis & hoſtia unica & perfectiſſima dei, deo accepta, inq; conſpectu dei pretioſa, quæ ſemper tollit ſiue expiat peccatum, adeoq; ſatisfacit pro oĩbus credẽtibus, & pro omni eo quod dicitur peccatũ: unica in mundo, & ſola ſemper deo digna & perfecta permanens ſanctificatio. Hebr. 7. 8. 9. 10.

Cumq; ad iſtum modum Chriſto ſumma tribuiſſet, id eſt, omnia ſalutis noſtræ ſoli, copioſius de maieſtate Chriſti diſſerit, referens tamen ſe ad ſuperiores concionẽs ſiue prædicationes, atq; in hoc ſe miſſum oſtendens, ut Chriſtus Ioannis prædicatione & baptiſmo Iſraeli innoteſceret. Virum uocat Chriſtum Ioãnes, quemadmodum & Petrus in Actis cap. 2. Quia uerus homo fuit dominus noſter. Anteceſſit autem Ioãnem natura diuina. Nam in principio erat uerbum. Et, Prior, ait, me erat: id eſt dignior, excellentior, præſtantior, utiq; caput dominus & princeps meus. Cæterum ne quis tanta teſtimonia ex fauore proficiſci, aut per colluſionem compoſita eſſe ſuſpicaretur, ſubdit Ioannes, Et ego neſciebam eum. Quaſi dicat, Equidẽ nihil hic dolo malo aut ex compoſito fit. Hactenus enim mihi ignotus fuit Ieſus, utpote qui in Galilea priuatus hucuſq; uixit, me in deſertis Iudææ degente. Nunquam uidi aut ſalutaui dominum, nunquam ueni cum illo in colloquiũ, unde inſtitutione illius aut meis artibus dolos concinnarem. Quomodo ergo potuit Chriſtum prædicare Ioannes quem ignorabat? Neſciebat illum, quia coràm non uiderat: cognoſcebat autem ſpiritu ex reuelatione patris, qui ipſum filio præmiſerat, ut baptizans aqua præpararet Iſraelitarum mentes ad recipiendum Chriſtum, & ut aliquo modo innoteſceret Chriſtus.

Maieſtas Chriſti.

Ego neſciebam eum.

Et teſtificatus eſt Ioannes, dicens, Vidi ſpiritum deſcendentem ſpecie columbæ de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego non nouerã eum: ſed qui miſit me ut baptizarem aqua, is mihi dixit, Super quem uideris ſpiritũ deſcendentem ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat ſpiritu ſancto. Et ego uidi & teſtificatus ſum hunc eſſe filium dei.

Quod iam dicere cœperat Baptiſta, interprete apoſtolo copioſius proſequitur, aperte ediſſerens unde hauſerit aut à quo didicerit teſtimonium illud ſplendidiſſimum, quod hactenus non ſemel neq; apud paucos Chriſto domino contulit, nempe quod ſit æternus æterni dei filius, agnus & hoſtia expiatoria dei, per quem accepimus gratiam & cœleſtis ſapientiæ explicationem. Porrò apparet ordinem naturalem hac narratione perturbari, ac Baptiſta tale quippiam, ut Paraphraſticos dilucidius explanem, dicere, Cum docerem deum patrem orbis miſertum deciſſe fi

Vnde hauſerit ſua teſtimonia Baptiſtes.

lium credentibus & in hoc uno omnia, nondū ipse uideram, nec familiariter cum filio conuersatus fueram, ut certò nouerim quis ille dei filius, tantū sciebam ex instinctu diuino natum esse dei filium in mundum, hoc ergo orbi attestabar. Præterea pactus mecum fuerat pater cœlestis, qui & docere et baptizare aqua iusserat, atq; in hunc modum hæc mihi reuelarat, Quanquam eum nondum uideris quem prædicare iubeo, adducā tamen illum suo illo tempore, quo tu illum cognitū iam ac uisum ipso digito tuo demonstrabis toti populo. Hoc autem signum erit quo ipsum agnosces, Super quem uideris cœlitus descendere uisibili specie spiritum sanctum, atq; capiti eius insidere aut inhærere, eum ipsum scias esse filium meum unigenitum orbis saluatorem. Iam itaq; aliquanto tempore docueram pœnitentiā, & peccatorum remissionem in nomine Christi uenturi: dumq; anxius expectarem quando esset uenturus, & mihi pacto signo reuelandus, en adest protinus expectatus Messias, cupiens à me baptizari. Ad quam postulationē expauefactus exclamo, Mihi opus est ut abs te baptizer, & tu iubes me, ut te baptizem. Nam occulto spiritus instinctu senseram, uidebam item in ipso et uultu toto corporis habitu, diuinā quandam maiestatē, unde coniectabam hunc esse illū dei filium. Ille uero omnes abrumpens moras, baptizare iubet: baptizo itaq; ipsum, dumq; oculos & corporis & animi in ipsum prorsus cōiecissem, admiratus mirandum dei consiliū, ipseq; è Iordane & à baptismo orans ascenderet, en dictu mirum, exhibet deus cœlitus pactum signum eueſtigio. Diffinduntur enim cœli, circunfulgurat nos ingens & illustris gloria, descendit è cœlo in caput Christi spiritus sanctus, specie columbæ quasi contectus uelatusq;, & quod ingentia hæc mysteria superat, auditur preterea & uox in hæc uerba super Christū pronuncians, Hic est filius meus prædilectus, in quo placatus sum. Tanta cum audissem atq; uidissem, certus iam quis esset quem baptizaueram, protinus ueritatem intellectam confessus sum atq; testificans asserui, & adhuc assero hunc Iesum esse filium dei, Messiam expectatū, regē & sacerdotem, uitam & saluatorem mundi. Habetis unde didicerim aut hauserim doctrinā meam de Christo, & ex quibus fontibus deduxerim meum testimoniū.

Iesus naturalis dei filius.

Est autem hic insignis, apertus & memorabilis locus de filij dei naturali diuinitate: de certitudine item euangelicæ doctrinæ siue testimonij Ioannis & apostolorū. Habes item illa æquipollere Esse dei filiū, & Baptizare spiritu sancto. Nemo enim baptizat spiritu sancto nisi solus deus. Homo non confert spiritum sanctum. Plura de hoc loco require ex fine 3. cap. Matth. Qui autem cupit copiosiora uidere de uaria huius loci, Ego non noueram eum, expositione, consulat interpretes. Nolui uarietatem illam recensere, ne inuoluerem lectorum animos. Sed & peregrina uidetur quæstio, quam hic quidam nectunt, An nunc primum spiritum acceperit dominus Iesus? Nam Visio est quæ exponitur, docens Ioannē, & toti mundo testificans Iesum esse Christum, dei filium saluatorem mundi. Nunquā caruit is spiritu dei, qui plenitudo est ecclesiæ, unde omnes ea haurimus quæ ad uitam & salutem nostram pertinent.

Postero die iterum stabat Ioannes & ex discipulis eius duo, & intuitus Iesum ambulantem, dicit, Ecce agnus ille dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & sequuti sunt Iesum.

Omnia Ioan. testimonia paria sunt.

Quartum & postremum Ioan. Bapt. testimonium paucis his perstringitur. Tulit hoc Christo coram delectis suis discipulis. Nec nouum aliquid, aut aliud nunc profert quàm superioribus tribus protulerat. Eandem enim pietatis summā subinde repetit, docens ubiq; Iesum esse à deo destinatam hostiam, quæ fidelium uniuersa

uersa expiet peccata. Certè quas hucusq; habuimus quatuor testimoniorum Baptistæ formas per omnia sunt pares, quod uidelicet attinet substantiã, ut dici solet, doctrinæ, nisi quod alterum altero uel copiosius paulò uel dilucidius atq; expressius est, uarietate non parum oblectans. Vnde certò colligimus apostolũ non potuisse alia afferre, tametsi his adhuc quadraginta Baptistæ adiecisset testimonia. Nam his plene comprehendit summam, & compendium totius doctrinæ Ioannis de Christo. In fine capitis tertij attexitur quintum, uerum nihil dissidet ab his quatuor, neq; quicquam in eo dicitur quod in his non sit comprehensum, nisi quod significantius meminit fidei, cuius beneficio communicatur nobiscum quicquid Christus habet. Porrò præsens testimonium uidetur ceu Chria quædam uerbis constare ac facto. Verba plana sunt, quibus id repetit quod in tertio testimonio paulò significantius ediſſeruerat, nempe Iesum Christum esse uerum dei filium, mundi saluatorem, qui credentes seruet. Nec contentus est id disertis uerbis expo suisse, nisi & omnibus modis impellat discipulos, quibus id fuerat attestatus, ut sequantur Christum, eiq; adhæreant indiuulse, quem iamiam audierant unicum esse orbis saluatorem. Et discipuli quidem præceptori suo obsequuti, Iesum sequuti sunt. Isto autem facto suo ostendit nobis Ioannes, huc omnem suam doctrinã omnemq; conatum pertinere, ut omnes homines ipsius audientes testimonia & prædicationem, omnibus rebus abnegatis, soli Christo totos sese cõsecrent. Habemus & in discipulis Ioannis religiosæ obedientiæ sanctissimum exemplum. Non enim responsant præceptori, sed protinus ac sponte quo ablegantur abeunt: nimirum intelligentes non satis esse audisse aut intellexisse euangelium, nisi etiam factis exprimamus, id uidelicet facientes quod illud facere iubet. Quid enim prodesset amplissima ac splendidissima de Christo audire testimonia, perhibentia ab illo in orbem omnem defluere plenitudinem, nunquam uero ad fontem illum omniũ gratiarum accelerare, ut inde salutares animæ latices haurias? Ideo uero magnificæ Christi facultates splendide nobis proponuntur, ut in nobis excitetur ardens assequendi fruendiq; desiderium. Finis ergo omnium testimoniorum fuerit, Christum accedere, Christum desiderare, Christo credere, & sese huic consecrare totum, & ab unico unice & semper pendere. Qui diuos inuocant & colunt, redarguuntur in præsenti per Ioannis Baptistæ factum, & per S. Andreæ socij eiq; eius obedientiã. Ioannes enim, quemadmodum omnes sancti semper fecerũt, à se ablegat discipulos ad Christum, ab ipso iubens pendere, & in illum solũ respicere. Andreas cum socio suo sanctum Ioannẽ deserit, & totum sese Christo consecrat. Hoc si tu quoq; feceris, religiosus diceris: superstitiosus autem fueris atq; scortator impurissimus, si sponso relicto, creaturis adhæseris, diuos inuocaris atq; colueris. Diui te ad Christum relegant.

Finis et scopus Doctrinæ Ioannis.

Diuorum inuocatio et cultus.

Conuersus autem Iesus & conspicatus eos sequentes se, dicit eis, Quid quæritis? Qui dixerunt, Rabbi, (quod dicitur si interpreteris Magister) ubi habitas? Dicit eis, Venite & uidete. Venerunt uiderunt q; ubi maneret: & apud eum manserunt die illo. Hora autem erat fermè decima.

Baptista suo defunctus munere, ad quod diuinitus fuerat uocatus, omnes ad Christum, ueluti omnium dominum supremum & potentissimũ, omniumq; gratiarum fontem perennem relegauit, petitum ab ipso quicquid ad uitam uere beatam pertinet consequendam. Et quia omnia sua ad unicum Christum retulit per omnia sua testimonia Baptistes, omnesq; à se ad Christum remisit, iccirco apostolus ac euangelista Baptistæ porrò non meminit, nisi per occasionem in cap. 3. sed

Historia rerum Christi incipitur.

totus ad res Christi exponendas conuertitur, in quo uno omnia Ioannes quærere docuit: simulq; describit uocationes aliquot discipulorum, quos in hoc sibi deligit ac recipit dominus, ut testes dictis factisq; suis adhibeat, in cœlesti sapientia instituat, tandemq; ipsos in orbem ableget, prædicatum Christi uires & gratiam. Quoniam uero in præsenti erant qui doctrinæ Ioannis obsequentes, Christum iam sequebantur relicto Ioanne, in primis diligenter ac breuiter exponit quomodo recepit dominus suos sectatores, & quali erga ipsos animo fuerit affectus, rursus quàm constanti cupidoq; discendi animo ipsi adhæserint discipuli. Recipit dominus quærentes se animo benigno ac propensissimo ad benefaciendum. Nam non expectata discipulorum interpellatione ad ipsos benigne conuersus, & per omnia perhumanum sese ipsis exhibens, interrogat non quem quærerent, sed quid quærerent: ea quæstione admonens, uticq; animum excuterent proprium, diligenterq; perspicerent, quo affectu ueniant ad Christum, & quid ab ipso petant. Reijciuntur enim alibi in euangelio, qui apud Christum terrena, honores uidelicet & opes quærebant: recipiuntur uero qui illis spretis, iustitiam, innocentiam ac immortalitatem ambiebant. Proinde illud ipsum omnibus nobis Christum sequentibus obijcitur, meminerimus qua mente, quo fine, & ob quam causſam sequamur, quid à filio dei postulemus. Respondent ad quæstionem Iesu discipuli, Rabbi siue præceptor, ubi habitas? Præceptorem & doctorem multæ eruditionis & scientiæ appellant Christum, significantes ac pollicentes se ipsius fore discipulos, ac postulare ueram ab ipso in pietate & de uera felicitate institutionem. Eadem causſa ubi habitet interrogant, cupientes haud dubie familiarius cum ipso conuersari, amicitiamq; contrahere, atq; eo modo plenius mysterium redemptionis cognoscere, ac in omnium bonorum peruenire participatum. Habitat nũc in cœlis dominus, habitat in pijs, syncerís, deum diligentibus, ac præcepta eius seruantibus pectoribus. Quisquis itaque cupit cohabitare dei filio, curet talis sit, qualibus is delectatur. Porrò facilis & munificus est dominus omnibus se quærentibus, quibus seipsum totum & omnia sua offert, dicens, Venite, & uidete. Fores his pandit, nihil maligne aut inuide sibi recondit, sed omnes inuitans, omnibus omnia sua recludit, omniumq; potestatem facit. Nam in Psalmis quoque clamat propheta, Gustate & uidete, quoniam bonus siue benignus est dominus: beatus uir qui sperat in eo. Timete dominum sancti eius, quoniam nulla re indigebunt qui timent ipsum. Et his significantius multò in euangelio ipse dominus ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Proinde facilẽ, benignum, perhumanum, liberalem, & per omnia suauem, proponit nobis dominum doctrina euangelica amantem homines, & cupientem ipsis non benefacere tantum, sed sese totum cum omni felicitate sua in ipsos transfundere. Vnde optime consuluit Ioannes nedum discipulis, sed omnibus in orbe hominibus, ut neglectis ijs quibus mundus confidit, soli sese Christo consecrent. Hunc esse iugem omnium gratiarum fontem ad saturitatem ac iucundam expletionem exatiantem cultores suos. Consultò rursus obtemperarunt bene monenti Baptistæ discipuli. Nam nunc de plenitudine Christi accipiunt. Horum fides ac diligentia nobis & expendenda & imitanda uidetur. Agunt omnia simpliciter & pure, uti à Baptista erant docti, neq; aliud à Christo petunt quàm eius familiaritatem, amicitiam, & familiarem institutionem, cumq; in colloquium cum Christo ueniunt alacres, perdurant, & institutione delectantur. Neque enim satis est quærere præceptorem fidelem, nisi & eundem summa cum uoluptate audias, auditisq; afficiaris. Ideo enim de his dicitur quod illo die apud dominum manserint. Quibus & tem-

Quo animo dominus affectus sit in sequentes ipsum.

Fidelis discipulorum obedientia.

poris

poris adjcitur notatio, Hora autem erat ferè decima. Id quod alij exponunt quasi circa decimam (quæ nobis ferè IIII. est uespertina, quemadmodum in uigesimo capite Matthæi annotaui) uenerint ad dominum. Putant enim sic explicari auiditatem apostolorum, qui cum esset tempus uespertinum, tamen ambiunt ut cum Christo priuatim colloquantur, simulq; miram Christi humanitatem, qui non iusserit eos postridie ad se redire, excusans noctem imminentem. Quam sententiam ut non damno, ita non uideo quomodo propter duas tantum horas apostolus dixerit discipulos die illo mansisse apud dominum. Certum enim est decimam propè respondere IIII. nostræ pomeridianæ. Ego itaque mallem sic exponere, discipulos tota illa die ad uesperam usque, nimirum ad horam decimam, apud dominum mansisse, ac mutuis sese oblectasse colloquijs diuinis. Pudeat ergo nos nostræ inertiæ, quibus nimis longum & molestum esse uidetur, quicquid impenditur audiendis concionibus sacris. Arguit id maxime frigida esse pectora nostra, & prorsus omni dilectione & studio dei uacua.

Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant à Ioanne, & sequuti fuerant eum. Reperit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Messiam (quod est si interpreteris unctus:) & adduxit eum ad Iesum. Intuitus eum Iesus, dixit, Tu es Simon, filius Iona, tu uocaberis Cephas: quod sonat, si interpreteris, lapis.

Studia eorum qui semel crediderunt domino.

Pertinent etiam hæc ad expositionem sancti studij diligentiæq; ac operum uere fidelium, qui iam sua nomina Christo dederunt: præterea demonstratur insignis Christi beneuolentia & animus benignissimus erga suos cultores. Quæ omnia in hoc exponuntur ut sancta hæc exempla sedulo imitemur, & à Christo toti pendeamus. Quemadmodum autem sancti uerbum dei, institutionem in euangelio adeoq; ipsum Christum pro selectissimo, pretiosissimo, utereq; maximo in orbe thesauro habent, ita non sunt hac parte maligni, cupientes soli maximas has opes possidere: norunt unum Christum omnibus ad plenum satiandis abundantissime sufficere, ideoq;, quantum in ipsis est, studeant & summis annituntur uiribus, omnes huius sui thesauri facere participes. Egregie enim Paraphrastes, Habet illud, ait, euangelica pietas longe diuersum ab ingenio mundano, si quem egregium thesaurum nacta est, non cælat alijs inuidens. Nam multi non putant se possidere quod habent cum multis commune: sed gestit suum bonum alijs esse commune. Andreas tanta felicitate gestiens quod ex indicio Ioannis, sed multo magis ex domestico Iesu colloquio, certum comperisset, illum esse agnum illum cœlestem, qui solus tolleret peccatum mundi, illum esse filium dei, reconciliatorem unicum humani generis, illum esse Christum à prophetis promissum, & tot iam sæculis expectatum, ut primum nactus est Simonem Petrum, fratrem suum, cuius præsentiam in hoc desiderabat, ut illi, quem sciebat ingenti ardore expectasse Christi aduentum, tam certæ cognitionis felicitatem communicaret, Inuenimus Messiam illum, inquit, quem redemptorem orbis prophetæ promiserunt. Hæc ille. Certe πρῶτος uocabulum, quod alij uertunt prior, & referunt ad ætatem, quod uidelicet Andreas senior, & natu Petro maior fuerit: alij uerterunt primum, sed non indicant quo referatur. Ego puto ea uoce sedulum & ardens Andreæ studium exprimi. Non enim expectauit donec forte fortuna in Petrum incideret, aut ut prior ad Andream ueniret Petrus, sed Petrum diligenter inue-

Vocatur Simõ Petrus ad dominum.

ſtigando prior, ſiue primum, & primo quoque tempore conuenit. Prædicant uero & laudant omnibus hominibus, ijs præſertim quos & ipſos ad Chriſtum ducere cupiunt, ſancti, uirtutem & gloriam, benignitatem & gratiam cogniti Chriſti, ſed & conſitentur ingenue illum eſſe ſaluatorem mundi, Meſſiam, id eſt unctum dei. Meſſias enim (ſicut Paraphraſtes inquit) Syrorum lingua ſonat Chriſtum, id eſt unctum, quod unctio regum ſit ac ſacerdotum. Solus autem Chriſtus unctus eſt à deo. Soli data eſt poteſtas in cœlo & in terra. Solus eſt ille ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchizedek, qui ſui corporis hoſtia generi mortalium uniuerſo reconciliauit deum. Sanctus Auguſtinus Tract. in Ioannem 7. hanc uocem Meſſias explicans, dicit, Meſſias Hebraice, Latine unctus, Græce Chriſtus eſt: ab unctione enim dicitur Chriſtus. Chriſma unctio eſt Græce: ergo Chriſtus unctus: ille ſingulariter unctus, præcipue unctus, unde omnes Chriſtiani unguntur. Ille præcipue, quomodo in Pſalmo dicit, audi, Propterea unxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Participes enim eius omnes ſancti, ſed ille ſingulariter ſanctus ſanctorum, ſingulariter Chriſtus ſingulariter unctus. Hæc Auguſt. Copioſiora de nomine Chriſtus uel Meſſias dedi in Matthæum, & in epiſtolas apoſtolicas. Annotauit & illud Chryſoſtomus Homel. in Matth. 18. cum emphaſi quadam poſitum eſſe uerbũ Inuenimus. Nam, Hoc, inquit, uerbum Inuenimus animæ eſt, maxime eius aduentum deſideranti, & cœlitus ueniam expectantis, cuius aduentu exultans alios euangelij geſtiat fieri participes. Hæc ille. Nec contentus eſt hoc dixiſſe Andreas, niſi & fratrem adducat, utiq; uolentem ac cupientem. Petrus enim tam optabili nũcio, nec & ipſe audiſſe contentus, geſtit quoq; ipſum uidere Ieſum.

Meßias quid?

Simon cognominatur Petrus.

Rurſus demonſtratur quàm facilis & munificus ſit dominus erga omnes eos qui adducti ad ipſum ueniunt. Qui enim omnibus ſaluandis uenerat, benigne Petrum recipit, ac ceremonia quadam ſibi conſecrat, ut inde colligamus uere ac ſerio receptum eſſe à domino. Fuit enim moris ueteribus nomina ijs tranſmutare, quorum facti erant domini, & quos pro ſuis iam agnoſcebant. Ita Nabuchodonozor regibus quibuſdam Iuda, item Danieli nomina immutauit, quo ſignificabat eos nunc è familia & aula eſſe Babylonica. Quo alludens dominus, Simonem dicit aliquando appellandum Cephas ſiue Petrum. Quod quidem nominis non nunc Petro indit, ſed indicat tamen aliquando imponendum. Impoſitum eſt apud Matthæũ in cap. 16. Chryſoſtomo ea in ré aliud uiſum eſt. Dicit enim, Hunc Petrum appellauit, Ioannem uero filium tonitrui. Quamobrem? Vt oſtendat ſe eundem eſſe, qui uetus dedit teſtamentum. Ipſe eſt qui nomina apte imponit, qui Abram Abraham, Sarai Saram, Iacob Iſrael uocauit, &c. Nec caret myſterio quod non protinus ac ab initio nomen Petrus Simoni indit. Nam probat dominus initio ſui nominis ſtudioſos priuſquam ſuos palàm eſſe declaret, quanquam iam pro ſuis agnoſcat, nimirum ut diligentiam ſuorum ſic exacuet: ideo amplifice pollicetur, quemadmodum Simoni hic dicit, Tu uocaberis Cephas, nimirum ſi alacriter perrexeris, ſicut cœpiſti, in pietate & mei nominis confeſſione. Interea ſignificat etiam dominus quales cupiat eſſe ſuos cultores, petros, id eſt ſolidos, ſaxeos, immobiles, conſtantes. Certe Hieronymus in nominibus Hebraicis negat Hebræum eſſe uerbum, ſed Syrum, & apud illos ſonare ſolidum. Vnde qui tradunt Græcorum nominum Etymologias & πίτρας hinc dictum uolunt, quod non facile moueatur. Vbi itaque ſunt nugones qui in gratiam Romani præſulis ex Cephas, ex uoce inquam Syra, Græcam faciunt κεφαλή, quod caput ſignificat. Sed contra iſtos aliàs diſputauimus. Cæterum illud quoque non uulgarem emphaſim

phasim habere uidetur, quod scribitur, Intuitus eum Iesus. Nam Chrysostomus, Incipit iam reuelare, inquit, diuinitatis mysteria, eamq; paulatim per prophetias aperire. Hoc pacto & cum Nathanaele egit, & cum muliere Samaritana. Nam prophetiæ non minus quàm signa mouent, neque ullum præ se ferunt fastum. Nam miracula apud stultam plebem nonnunquam calumnia notantur, In Belzebub enim, ait, eijcit dæmonia: prophetia autem nulli crimini est obnoxia. Cyrillus libro secundo in Ioannem cap. 12. Respicit, ait, ut deum decet, qui corda & renes scrutatur, uidetq; qui nihil ignorat ad quantam & fidem & uirtutem discipulus peruenturus sit: & antea quàm de eo quæsiuisset tam ipsum quàm patrem eius nomine appellat, docens se eum esse qui cuncta priusquam fiant nouit, &c. Paraphrastes quoque hunc locum enarrans dicit, Iesus autem intuitus Petrum, non solum faciem hominis contemplatus, in qua tamen relucebat pectoris synceritas, sed animum potius columbina simplicitate præditum, & ob hanc aptum euangelicæ gratiæ, delectatus illius syncero affectu, simul & patris nomen indicat, iam tum declarans sibi nihil occultum esse, simulq; piam animi simplicitatem collaudat ex paterni nominis argumento, & ex commutati nominis ænigmate, prædicit olim in eo futuram inuictæ fidei soliditatem. Nam Iona columbam sonat, aut gratiam, Simeon obedientem sonat. Siquidem ab obedientia Mosaicæ legis gradus est ad euangelicam fidem. Iesus igitur intuitus eum, & præsentem illius simplicitatem amat, & futuram firmitatem uelut ænigmate subindicat, dicens, Tu es ille Simon filius Ionæ tuo simul & paterno nomini respondens: sed ubi fides ista robur collegerit, ut aduersus omnia satanæ tentamenta possit inconcussa consistere, uocaberis Cephas, quod Græce sonat Petrum, Latine Saxum.

Postero die uoluit Iesus exire in Galilæam, & reperit Philippum, & dicit ei, Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Reperit Philippus Nathanaelem, & dicit ei, De quo scripsit Moses in lege & prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph Nazarenum. Et dixit ei Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus, Veni & uide.

Declarat etiam hæc historia dominum nostrũ Iesum Christum benefico, propensoq; in genus mortalium esse animo. Sua enim sponte, nullo prouocatus beneficio, nec ullo Philippi excitatus merito, Philippũ uocat. Respondet ergo præsens uocatio uocationi Zachæi atque Matthæi, de qua require quæ dixi in 9. cap. Matth. Obiter aũt indicatur patria Philippi, propter ueritatẽ historiæ. De Bethsaida dictum est aliàs. Fuit ea maximorum apostolorum patria Petri, Andreæ ac Philippi, ac fortassis & Iacobi atq; Ioannis filiorum Zebedæi. Præterea describitur & Nathanaelis uocatio opera Philippi confecta. Quemadmodum enim Andreas mox atq; Christum agnouerat miro animi ardore, & Petrũ ad Christum perducit, ita & Philippus Nathanaelem ad Christum, quem modo didicerat, inuitat. Simpliciter autem rem proponit, non tamen citra modicũ animi gaudium, dicens, Inuenimus uerum illũ Messiã, de quo Moses scripsit quod sit exoriturus rex & sacerdos, qui redimat Israelem, & de quo prophetarũ testimonia tam multa cecinerũt. His addit quis is sit, & quem intelligat, Iesum filiũ Ioseph Nazarenũ: rudis adhuc & imperitus mysteriorum dei, utpote neophytus. Nazarenus quidem erat Iesus, quia in Nazareth educatus, sicut dicitur Luc. 4. sed patria in qua natus fuerat

Vocatur Philippus.

Vocatur Nathanael.

erat ipſi Bethlehem ciuitas Dauidis, cuius filius erat Ieſus, iuxta carnem, conceptus, non è Ioſeph, ſed è ſpiritu ſancto, & natus ex Maria uirgine, Dauidici ſeminis puellula. Nec mirum cuiquam uideatur quod Philippus rudis alioqui, & ſcripturarum imperitus Moſen citat ac prophetas. Siquidem Moſen & prophetas pollíceri ſaluatorem orbi & ſemel in hunc omnia direxiſſe, tam erat uulgatum omnibus, quàm quod uulgatiſſimum, líppis quoque, quod dici ſolet, & tonſoribus notum. Monet tamen Cyrillus libro ſecundo, cap. decimoquarto, fuiſſe de ſaluatore opinionem apud Iudæos, quod Nazarenus ſit futurus Meſſias, quamuis ſcriptura ipſum Bethlehemitam appellet: uulgarem itaque opinionem ſequutum eſſe Philippum. Cui quidem ſententiæ tantum quiſq; tribuat quantum uelit.

Promiſſiones de Chriſto uulgatiſſimæ.

Ratio & modus uocationis ad euangelium.

Docet autem hic locus modum uocationis ad fidem euangelicam. Prædicatur hominibus per homines ſcripturæ ueritas, audiunt illi præconium ueritatis: deus autem aperit corda ut credant prædicatæ ueritati, & uera fiducia ſeſe committant filio dei. Docet item præſens locus miniſtros euangelij oportere ad miniſterium legitime uocari. Damnantur enim ubique qui non expectata uocatione ipſi currunt. Diſcimus præterea exemplo Philippi, certis gradibus aſſurgere cognitionem ueritatis in homine, donec ad iuſtam pertingat perfectionem. Iam uero Nathanael, quamuis miro teneretur Meſſiæ deſiderio, tamen non temere nec facile admodum credit Philippo, exemplum præbens qualis eſſe debeat inſtituendus in ueritate euangelica. Simplex eſt atque ſyncerus, non tamen ſtultus, & quidlibet citra delectum & iudicium recipiens. Nam obijcit Philippo, A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Quaſi dicat, Promiſſiones prophetarum perhibent Meſſiam Bethlehemitem futurum, non Galilæum. Fuerunt tamen qui hunc locum citra interrogationem legerunt, quaſi Philippo conſenſerit Nathanael. Veluti ſi Germanus dicat, Es möchte dennocht noch etwas gůts von Nazareth kommen. Diuus Auguſtinus putat utranq; lectionem atque ſententiam poſſe recipi. Equidem ſuſpicantur nonnulli huius loci occaſione, & ex his uerbis Nathanaelis, colligi poſſe Galilæos eo tempore non uſquequaq; laudati ingenij & moribus ſyncerioribus fuiſſe. Quemadmodum autem non facile credit Nathanael, ita rurſus non eſt pertinax & contentioſus. Vocantem enim Philippum ſequitur, uiſurus & auditurus Meſſiam illum à Philippo prædicatum. In Philippo uiciſſim ſuppeditatur exemplum uere pij, conſtantis & ſimplicis hominis. Non dubitat Ieſum eſſe Meſſiam, tametſi dubitare & reclamare audiret Nathanaelem, tametſi non poſſet ſententiam ſuam ſcripturis confirmare, ac commode reſpondere ad ea quæ obiecerat Nathanael. Inuenias hodie quoque non paucos huiuſmodi Chriſtianos, qui tametſi fidem ſuam contra Iudæos & Turcas eloquentiores atque captioſiores tueri, ſcripturiſq; & argumentis euincere nequeant, à fide tamen imbibita, cui in cordibus ipſorum ſpiritus ſanctus perhibet teſtimonium ueritatis, non deficiunt. Sed uide interim maturam Philippi prudentiam: non poteſt reſpondere ad obiecta, interim nihil de fide ſua dubitat, & de Chriſti abſoluta peritia, uocat itaque Nathanaelem cum ſuis quæſtionibus ad Chriſtum dicens, Veni, uide, ac ipſe rem omnem experire, omnino ſperans hunc poſſe ad ſingula commode reſpondere, & ſua uirtute ad ſe conuertere. Proinde nihil peccant uel hodie Chriſtiani ſimpliciores ſi & ipſi difficiliores quæſtiones referant ad peritiores ac exercitatiores in ſcripturis explicandas, ipſi interim cum Philippo illo ſuo firmi in fide permanent, & contra captioſos ſophiſtas nihil diſputant.

Qualem eſſe oporteat uocandum ad fidem euangelicam.

Vidit Ieſus Nathanaelem uenientem ad ſe, & dicit de eo, Ecce uere Iſraelita,

raelita,in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël, Vnde me nosti? Respondit Iesus,& dixit ei,Priusquam Philippus te uocaret cum esses sub ficu, uidebam te. Respondit Nathanaël, & ait ei, Rabbi, tu es ille filius dei, tu es ille rex Israëlis.

An Iesus Christus uerus sit Messias.

Rursus exponitur nobis admiranda quædam Christi benignitas & humanitas,amicissime Nathanaelem recipientis atque instituentis. Quæstio uersabatur dubia inter Philippum & Nathanaelem,An Iesus ille Nazarenus, qui putabatur filius Ipseph, reuera autem dei & Mariæ uirginis filius erat, sit uerus ille & expectatus electorum dei Messias? Quæstio delata fuit à partibus ad ipsum Iesum, ut hic esset arbiter,& quid uerum esset pronunciaret declaaretq;. Iesus itaque nihil moratus, neque oblongis argumentorum nexibus & structuris occupatus, disputatores suspendit, aut circunducit, sed sermone ad socios conuerso & de Nathanaele loquens, euidenter approbat & euincit, se utiq; uerum & expectatum esse Messiam,quemadmodum de ipso prædicarat Philippus. Hoc autem approbat Iesus per spiritus sancti testimonium, & per diuinam prophetiam. Concedit enim, imò confert Nathanaeli spiritum sanctum dominus, qui in corde eius euidenter testificaretur,& euinceret pura ueritate Iesum esse Christum. Foris præterea signis siue circunstantijs explicatis, ostendit se corda, præsentia quamuis abstrusa,absentia,præterita & futura nosse: id quod solius dei est, adeoq; & Messiæ, qui filius dei est. Nam scriptum est Psalm.7. Scrutatur corda & renes deus iustus. Et 3.Reg.8. Tu solus, inquit Solomon, nouisti corda cunctorum filiorum hominum. Proinde ad socios conuersus dominus, audiente Nathanaele, & de Nathanaele loquens,dicit,Ecce uere Israelita, in quo dolus non est. Dolus latens animi uirus est;ergo cum dominus dicit Nathanaelem synceri animi uirum esse, certè subindicat se esse pectoris inspectorem, & cordium animiq; cõscium ac iudicem. Cæterum uide quàm proprie norit dominus quid cogitarit, & quo animo cum Philippo colloquutus sit Nathanael. Nam ideo appellat Nathanaelem uerum Israelitam,quod ingenio simplici ac bono, moribus item synceris pulchre exprimeret patriarcham Iacob qui cognominatur Israel. Fuit enim hic, sicuti scriptura habet,probus, integer ac simplex, & tamen prudens, non stolidus uel stupidus: ob quam rem impostorem conuinciabatur Esau, impingens ei & iniustitiæ, doli & impostoris notam. Cæterũ non erat Israel malitiosus, artibus utens malis ac fraudulentus,sed mature,prudens oblatis occasionibus sancte utens,ac diligenter cauens,necubi uel negligeret quicquam, uel imprudenti à quoquam imponeretur. Eundem ad modum Nathanael simplex fuit & synceri ingenij homo: interim etiã atq; etiam cauet & ipse ne ulla arte seducatur: ideo non credit protinus Philippo, & tamẽ non est contentiosus. Comitatur enim nunc Philippum, utiq; ipsam rem propius & certius cogniturus, ut tandem quod uerum & salutare erat,reciperet. Eam uero animi cogitationem quàm exactissime eruit uno uerbo ex pectoris arcano Nathanaeli, subindicans se esse cordium scrutatorẽ. Verum ne ista quidem reuelatione commotus facile cedit Nathanael,sed diligentius scrutans, ait, Vnde me nosti? Quasi dicat, Animi mei arcanas cogitationes explicasti, dum dixisti me uerum esse Israelitam, cupio ergo scire unde me noris? Ad hæc dominus plenius respondens, declarat sibi nihil esse reconditum, Priusquam, inquit, Philippus te uocaret,cum esses sub ficu, iam uideram te: addens uidelicet circunstantias, ex quibus ille colligeret Iesum omnia scire tam animi arcana quàm ea quæ foris ubique ipso etiam absente fiunt. Probauit ergo Iesus his omnibus

Verus Israelita

Oportet Messiam esse omnipotentem & omniscium.

se uerum esse Messiam. Nam oportet Messiam esse omnipotentem & omniscium: quippe qui rex est totius orbis: ut necesse sit eum omnia posse, & omnia nosse: quo uidelicet omnium cogitationes ac uota scire, audire, adeoq; & implere possit. Huiusmodi autem diuinis uirtutibus se instructum esse ostendit Iesus, occulte interim & in corde inflammans, & in sui cognitionem pertrahens per spiritū suum, Nathanaëlem. Vnde hic dilucida conuictus ueritate, fideli assensu declarat se omnis doli esse expertem. Nam cum persuasissimum haberet soli deo cogitationes hominum esse cognitas, sed & cerneret palàm Iesum nihil ignorare, protinus plena fide testimonium reddidit Christo, Rabbi, inquiens, tu es ille filius dei, cuius oculis patent omnia: tu es rex ille Israelis, à deo nobis promissus, qui nos liberes, & toti mundo imperites, quando nosti omnia, ac potes omnia.

Memorabilis autem & insignis est hæc Nathanaëlis confessio, breui compendio celebrem illam quæstionem absoluens, An Iesus sit Christus? ac diserte pronunciat illum ipsum Iesum, qui uidebatur filius Ioseph, reuera autem dei & Mariæ uirginis filius erat, uerum & expectatum esse Messiam. Et oportuit quidem mox ab initio hanc quæstionem dilucide explicari, quo promptioribus animis Lectores Christum recipiant, & in ipsum omnem figant cordis sui fiduciam. Porrò apparet hunc Nathanaëlem in lege & prophetis fuisse peritissimum, unde non oportebat ipsum deligi in numerum duodenarium, quem omnino constitui oportuit ex imperitis, ut persuasio fidei totiusq; orbis conuersio ad Christum, nullis hominum præsidijs, ueluti eruditioni, eloquentiæ, similibusq; facultatibus ascriberetur, sed gratiæ spiritus potentiæq; Christi. Eo nomine & Paulus serò uocatus est ad munus apostolicum.

1. Cor. 1. & 2.

Respondit Iesus, & dixit ei, Quia dixi tibi, Videbam te sub ficu, credis: maiora his uidebis. Et dicit ei, Amē dico uobis, posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes ac descendentes super filiū hominis.

Plenius subinde instituuntur sancti.

Ostenditur his, auctibus certis gliscere fidem electorum dei. Nam promittit dominus ijs qui ex gratia initium fidei habent augmentum gratiarum & donorum opulentissimum. Etenim alibi quoq; in euangelio dicitur, Omni habenti dabitur, & fiet opulentior. Certe in præsenti sumit sibi dominus discipulos hosce suos sibi instituēdos plenius. Institutionis modus est quod signis & uerbis erudit. Signum paulò post in 2. cap. sequetur. Verba hic ponuntur paucis multa comprehendentia. Præfatur autem iureiurando interposito sanctissime asseuerans certissima & planè indubitata esse quæ proponit, quo uidelicet plus authoritatis doctrinæ suæ conciliet. Apparet autem uerbis alludisse dominum ad Gene. cap. 28. in quo typus euangelici mysterij ponitur in Israele uel Iacobo dormiente super lapide, & uidente scalam quandam porrigi in cœlum perq; hanc angelos dei ascendere ac descendere, porrò summitati scalæ deum inniti. Ergo quod dominus dicit, tale quiddam esse uidetur, Audistis haud dubie in lege figura quadam res Messiæ per scalam Iacob designari: atqui scitote illa nunc in me compleri, & ad diem usque assumptionis meæ plenius fore implenda. Intelligetis omnino me doctore & magistro, cœlum per peccata & corruptionē humani generis in Adamo occlusum, mea dispensatione recludi, & per me deum orbi reconciliatū perpetuò cohæsurū hoibus fœdere: intelligetis me esse scalā & uiā illā in cœlos, qua aditus patet ad patrē. Is enim sum qui cœlo terrā unio, ut porrò angeli inter utrasq; partes ministri sint inambulaturi. Intelligetis præterea angelos mihi quamuis filio hominis

Christus Iesus scala & uia in cœlum.

nis

nis uero & homini, reuera & singulariter esse subiectos, & me dominum esse, non modo omnium uisibilium creaturarum, sed & regem angelorum omniumq; inuisibilium spirituum, deum uerum. Hęc inquam porrò rectius intelligetis ex doctrina mea, ex signis siue miraculis, ex morte, resurrectione item gloriosa, & magnifica in cœlos ascensione. Hæc Paraphrastícos perstrinxi. Cernis autem in pauculis uerbis maxima & pluríma religionis nostræ contineri atq; designari capita, nempe dominum nostrum Iesum Christum angelis esse maiorem, utpote regẽ & principem omniũ: in quo plenius & copiosius demonstrando feliciter laborauit Paulus in epist. ad Hebr. 1. & 2. cap. Per Christum item cœlum esse apertum: & per ipsius meritũ aditum sanctis patere ad patrem. De qua re dicetur & in 14. cap. Ioannis. Per eundem nos deo patri reconciliatos, certò cohæredes factos esse uitæ æternæ. Ista fuere prima Christi exercitia, quibus suos discípulos uel hodie & in finem usq; mundi cupit imbui, & in his per omnem uitam exerceri. *Christus angelorum dominus*

Et die tertia nuptiæ fiebãt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus ac discipuli eius ad nuptias. Et ubi defecisset uinũ, dicit mater Iesu ad ipsum, Vinum non habent. Dicit ei Iesus, Quid mihi tecum est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris, Quodcunq; dixerit uobis, facite. CAP. II.

Notatione temporis committit historiam. Intelligit autem diem tertiam, haud dubie ab adita Galilæa. Locus item, Cana uidelicet, designatus confirmat ueritatem historicam. Fuisse autem duas Canas admonui ex Cosmographis in Matth. cap. 15. Hæc minor dicebatur, sita in cõfiniis tribuũ Zebulun & Aser, unde hanc nonnulli tribui Aser assignant, alij tribui Zebulun. Minor uero dicta est ad differentiam maioris in Phœnicia. Hæc erat in Galilæa. Quo autem pertineat historia, & quis sit signi usus colliquescit ex historiæ Catastropha. Sub finem enim adiungit Ioãnes, Hoc edidit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius. Gloriam appellat apostolus diuinam maiestatem & potentiam: quemadmodum etiam paulò ante dixit, Et uidimus gloriam eius uelut unigeniti à patre. Voluit ergo hoc signo dominus declarare se esse omnipotentis dei omnipotentem filium, qui quæ uelit et hominibus utile sit uel nutu efficere possit. Ita uero authoritatẽ sibi parauit primum quidem apud discipulos nuper delectos, ut discant subinde magis atq; magis, nec temerè, nec frustra omnem sese fiduciam in Christum collocare: deinde eodem signo omnes in orbe homines ad se inuitat ac pertrahit, quo & ipsi potentissimo dei filio credant. Duplicem itaq; scopum habet historia: alterum, Iesum esse glorioſum glorioſi & in æternum benedicti dei patris filium: alterum, In unicũ hunc Iesum omnem fiduciam esse collocandã. In hunc finem per euidentissimas circumstantias confirmatur, contexiturq; historia, ut ex omnibus signis colliquescat omnia hic uere ac diuina uirtute, nihil falsa & mendaci apparentia esse patrata. Ad hæc incidunt & alij loci religionis nostræ illustres ac memorabiles. Cyrill. enim lib. in Ioannem 2. cap. 26. Multa & magna, inquit, eodem signo peragebantur. Sanctificabantur nuptiæ. Maledictio mulierum, initio nostri ortus benedictio, destruebatur. Gloria saluatoris quasi solis radius effulgebat: discipulorum denique fides roborabatur. Hæc ille. Vnde certũ est dominũ mox ab initio regni sui hac uoluisse historia siue hoc facto suo testari, uenisse se in mundũ, non ut nuptias abrogaret, aut usum rerum temporariarum quæ ad corporis curam pertinent, damnaret, sed ut modũ *Cana minor.* *Finis & scopus huius miraculi.*

potius seruandum esse doceret, luxum autem & intemperantiam omnem fugiendam. Quod enim Nuptias attinet, sua præsentia clarissime attestatus est dominus, honorabiles esse illas: quod & Paulus postea docuit in 13. cap. ad Hebr. Præterea coniuges adeoq; totum conuiuium munere honorauit tum amplo tum splendido, subindicans se neutiquam deserturos coniuges sanctos: licet his perpetuò expectanda sint acerba, quæ tamen dominus pollicetur se perpetuò temperaturum uino suaui gratiæ ac beneficentiæ. Addit his & alia quædam in hæc uerba beatus pater Cyrillus, dicens, Adest nuptijs dominus ut natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis iam hominibus benedicere, uerumetiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc uitam authoritate miraculi & præsentia sua sanctum efficere. Præterea in doloribus parere filios, ad mulierem propter peccatum dictum fuit: quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarũ sanctimonia uideretur, quàm saluatoris præsentia? Qui cum sit uerum gaudium priscum nuptiarũ mœrorem presentia sui depulit. Noua enim omnis creatura in Christo facta est, præteriereq; uetera: ut ait Paulus. Tantum Cyrillus. Deinde edit & bibit, adeoq; publico conuiuio siue epulis interest dominus, imò quo hilariores essent conuiuæ conuiuiũq; lætius, præstantissimi generis uinum epulantibus depromit & offert. Quo nomine Anabaptista aliquis seuerus ex authoritate patris dominũ Iesum haud dubie excommunicasset: uerum ueritas dicit, omnem dei creaturam bonam esse, & nihil reijciendum, si cum gratiarum actione sumatur, si adsit modus & sobrietatis studium, si non negligantur pauperes. Alioqui enim edere, bibere ac saturari, lætari ac alacri hilariq; animo donis dei perfrui, benedictio domini est. Peccant itaq; hypocritæ isti, qui propter hæc capiunt, intricant, & obturbant conscientias. Præterea indicat hoc miraculo dominus nihil unquam defuturum fidelibus suis cultoribus: quibus ut aspera plerunq; in initijs obueniunt, ita sub finẽ lætiora succedũt.

Nuptias esse sanctas.

Epulis interest dominus.

Porrò ijs, quæ consignaui, uerbis apostoli comprehenditur prima huius historiæ pars ueluti protasis, in qua proponitur nuptias quidẽ celebratas, sed inter epulandum defecisse uinum: & matrẽ filio dixisse, Vinũ non habent: quæ ideo tam diligenter consignantur ut miraculi ueritatem euincant. Quia enim nullum aderat uinum, ideo diuina uirtute uinum fieri oportuit. Et certè quod dominus ad matris postulationem, uel admonitionem potius, nihil facit, docet hic omnia diuina geri uirtute, nil prorsus præsidijs humanis. Compellat autem filium mater ex commiseratione quadã, cupiens inopiæ sponsi subuenire filij humanitate & omnipotentia: quam multis iam argumentis experta fuerat in filio. Ideo reuerenter ipsum appellat, nec præscribit quicquam, sed admonet tantum. Quasi dicat, Scio quanta polleas uirtute atq; potentia, scio quàm beneficus & propenso animo sis in omnes homines, proinde nil tibi præcipio, moneo tantum & indico uinũ defecisse. Sunt qui putent matrem humano laborasse affectu, uirtuteq; filij sibi gratiam uoluisse hominum conciliare, filijq; gratia clariorẽ reddere: quocirca dominus ipsam exceperit acerbius. Nam respondens dicit, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; Quid mihi & tibi mulier? Quod tamen sic exponi poterat, Nihil hoc uel mea uel tua retulerit mulier. Nam architriclini est conuiuio prospicere. Verum sic non usquequaq; cohæret quod mox sequitur, Nondum uenit hora mea. Vnde uidetur duriuscule excipere dominus matris admonitionem, ac dicere, Quid mihi tecũ rei est mulier? Quod loquutionis genus ab Hebræis petitum repulsam cum quadam obiurgatione habet. Nam 2. Samuel. 16. dicit Dauid ad Abisai, Quid mihi & uobis filij Zeruiæ?

Mater reuerenter filium compellat.

Pro

Pro quo Germanus diceret, Was gadts dich an? was hab ich mit dir zethůn? Quod autem durius excipit admonitionem matris dominus, non in hunc finem facit, ut doceat filios liberósue parentes obiurgare sæuius: qui ubique aliàs præcipit parentibus debitum deferre honorem: sed sic uoluit dei asserere gloriam: quam tametsi mater minime cuperet infirmatam, noluit tamen ille rebus diuinis uel tantillum immiscerí rerum humanarum. Syncera oportet esse diuina opera ac libera: unde dicit, Nondum adest hora mea, ipsa scilicet agendi opportunitas, quæ à diuina pendet potentia & prouidentia, non à cuiusquam creaturæ iussu, admonitione, suggestione, aut uoluntate. Hactenus tuæ uoluntati me præbui morigerum: quod nunc restat (uerbis iam utor Paraphrastæ) ex arbitrio patris gerendum est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuisti, posthac mihi nihil aliud eris quàm mulier, quoties uersor in patris negotio. Huius gloriæ quoties erit seruiendum, nihil opus erit tua interpellatione: ultrò faciam quod res ipsa postulabit. Habeo tempus à patre præscriptum. Atque eam expositionem agnoscit & S. Augustinus, qui Tractatu in Ioannem 8. indicat, suo sæculo & superioribus fuisse temporibus, qui huius loci præsidio euincere uoluerint Mariam reuera non fuisse matrem Christi, ut qui hic dicat, Quid mihi tecũ mulier? Quibus nihil absimiles sunt nostra ætate qui sublimia subtiliter de Carne Christi sophisticantur, inquirentes, an sit creatura, an originem acceperit ex Maria, an ex spiritu sancto? & inter infinitas quæstiones suas quærunt, Vbi dominus appellarit Mariam matrem suam? Cum huiusmodi monstris multum ac diu expostulat & rixatur Augustinus: tandem uero dicit, Non habuit matrem fœminam Iesus? Vnde id probas? Dicunt, Quia dixit, Quid mihi & tibi est mulier? Quis uero hoc narrauit, ut credamus quia sic dixit dominus? Nempe Ioannes Euangelista. At idem dixit, Et erat mater Iesu ibi. Et, Dicit mater Iesu ad eum. Illi autem in eo uolunt credere euangelistæ, quod narrat Iesum dixisse matri, Quid mihi & tibi mulier? & in eo nolunt credere euangelistæ quod ait, Et erat mater Iesu ibi, Et dixit ei mater eius. Cur non credunt euangelio sic pronunciantí? Aut si hoc mentitur euangelium, quomodo credetur dicenti quod Iesus dixerit, Quid mihi & tibi est mulier? Et mox, Cur ergo sic ait matri filius? Dominus noster Iesus Christus & deus erat & homo. Secundum quod deus erat matrem non habebat: secundum quod homo erat, habebat matrem. Mater ergo erat carnis, mater infirmitatis, quam suscepit propter nos: miraculum autem quod facturus erat, secundum diuinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem: secundum quod deus erat, non secundum id quod infirmus natus erat: sed infirmum dei fortius est hominibus. Miraculum ergo exígebat mater: at ille tanquam non agnoscit uiscera humana, operaturus facta diuina, tanquam dicens, Quod de me facit miraculum non tu genuisti: diuinitatem meam tu non genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam cum ipsa infirmitas pendebit in cruce. Et reliqua. Videtur autem loquutus de eo quod in cruce pendens, ad matrem ait, Mulier, ecce filius tuus: & ad Ioannem, Ecce mater tua. Quo loco similiter & mulier & mater dicitur Maria. Certè eo loci agnoscit ipsam dominus pro matre sua. Idem Augustinus refert illa uerba, Non dum uenit hora mea, ad supplicium crucis, in quo matrem agnouerit. Sed ea expositio uidetur paulò coactior. Porrò in matre relucet nobile illustris fidei exemplum. Iubet enim unice respicere ad præcepta filij. Nihil enim offensa duriore eius responso, nec diffidens eius bonitati uirtutiq; , iubet ministros accinctos præstolari mandata filij, sperans ipsum pro bonitate solita beneficium aliquot præstiturum indigentibus. Impugnat hic locus grauiter superstitiosos, colentes pro crea-

Honorandi parentes.

Maria uere Christi mater.

Nobile fidei exemplum.

Contra cultores Mariæ.

tore creaturam, existimantes dominum Iesum pietate in matrem adigi, ut nihil eius possit negare precibus, unde relicto uero mediatore & intercessore dei filio, ad matrem uirginem conuertuntur, ab hac postulantes quod petendum erat à filio. Euincit enim hic locus in rebus diuinis nihil ualere humanum affectum & pietatem illam humanam. Agnoscit quidem illam matrem & reueretur, sed in suo genere & in rebus ad pietatem parentum spectantibus. Superest autem adhuc pietas in deum, quæ pietatem in parentes tantum superat, quantum creator creaturam. Ideo dixit, Quid mihi tecum mulier? nondum uenit hora mea. Quoties igitur agitur de consequenda peccatorum uenia, de impetranda dei gratia, de auxilio cœlesti, aut donis dei conferendis, dei negotium agitur, ubi nihil ualebit humana authoritas ac pietas, præponderat tunc in deum pietas: ad quem solum in omnibus necessitatibus ac uotis oportet recurrere, idq; per unici mediatoris siue intercessoris Iesu Christi interuentum. Pijssime ergo consulens nobis omnibus mater filij dei, dicit, Quodcunq; dixerit uobis, facite. Dicit autem, Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis: hactenus non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis. Item alibi, Si quis sitit, ueniat ad me & bibat: qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Et iterum, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Si ergo tam filij quàm matris iussis obtemperauerimus, solius à filij dei uerbo pendebimus, omnia quæ nobis necessaria sunt ab ipso postulantes, qui est plenitudo credentium.

Ioan. 16.

Ioan. 7.

Matth. 11.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis, Infundite nunc & ferte architriclino: & tulerunt.

Aqua uera factum uinum præstantissimum.

Secunda pars huius historiæ miraculum per excussas circunstantias confirmat & amplificat, indicans Christi potentia aquam uinum esse factam. Clarissime autem euincitur nihil hic fuisse nisi aquam, ne quis suspicari posset aliunde hoc uinum importatum esse. Hydriæ, inquit, erant ibi positæ, nomen habentes ab aqua, & in quibus conseruari solebat aqua: & conseruari quidem ad purificationem siue ablutionem: quæ aqua non uino fieri solebat. Chrysostomus enim Homelia in Ioannem 21. Non temere dictum, ait, ab euangelista, Secundum purificationem Iudæorum: nimirum ne quis infidelium suspicari posset aliquod forte uinum crassius fuisse in hydrijs, quod infusa aqua limpidissimum fuerit factum. Ea itaque particula nunquam in ijs uinum fuisse ostendit. De purificatione autem Iudæorum Sanctus Marcus septimo cap. hæc tradit, Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus non capiunt cibum, tenentes instituta maiorũ, & à foro uenientes nisi loti fuerint non comedunt. Et alia multa sunt quæ susceperunt seruanda, nempe lotiones poculorum & urceorum, & æramentorum, & lectorum. Sum pserant eum ritum ex imitatione baptismatum Moseos, sicut annotaui in Matth. cap. 15. Apparet omnino talem usum fuisse hydriarum lapidearum apud Iudæos, qualis est apud nos lebetum, labrorum ac doliorum, quæ appellamus, Spül vnd wäsch Fessy/geltten/vnd wäschzüber. Metreten aiunt duodecim choas comprehendere, idq; ex authoritate interpretis Nicandri, dicentis, Metretes capit sextarios duos & septuaginta. Addunt sex sextarios efficere Choa: metreten item & cadum idem esse liquere ex Dioscoridis & Plinij testimonijs. Metretam uero deriuatum esse

Purificatio Iudæorum.

Metreta.

ἀπὸ τοῦ μετρεῖν, id est à metiendo: Cadum ἀπὸ τοῦ χάδειν, quod capacem esse significat. Verum hæc copiosius exequitur Georg. Agricola lib. de Mensuris Rom. 2. Budæus libro de Asse quinto, putat Cadum siue Metretam mensuram esse congiorum decem. Vtcunq; uero id habeat, certum est magna uini copia & præstantissimi quidem, donatas esse à domino has nuptias. Videntur enim hydriæ ferè immobiles (quod & Paraphrastæ uisum est) & non portatiles fuisse, quales in templis suis demonstrant Papistæ. Intulere enim aquam uasis minoribus, quibus impleuerunt lapideas istas hydrias immotas. Sequitur enim, Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua: & impleuerunt usq; ad summum. Vbi denuo diserte significatur aquam fuisse meram, quæ mox conuertitur in uinum præstantissimum. Et quod ipse hydrias non impleuit, alijs uero id mandauit, in hunc finem fecit, ut ipsos ministros miraculi haberet testes, qui aquam hauserant, ne qua fraus, ne quod præstigium putaretur. Nam si qui ad credendum fuissent contumatiores, potuissent ministri testimoniũ perhibere se aquam hausisse & hydrias impleuisse. Quod autem impleuerunt ad summum, miraculi magnitudinem & ingentem domini beneficentiam commendat. Iam uero non legitur quicquam dixisse aut ulla monstrosa pronunciasse uerba: quod magi solent. Illius uelle dicere est, & dicere uelle. Quemadmodum ergo olim dixit & facta sunt, mandauit & extiterunt uniuersa: ita nunc quoque quia uoluit & occulta sua uirtute præcepit, aqua conuersa est in uinum, potentia uidelicet eadem operante, quæ olim cœlum & terram condidit. Quærit hic Ioannes Chrysostomus, Quanam gratia antequam implerentur hydriæ non fecerit miraculum dominus, quod multò futurum fuerat admirabilius? Cum aliud sit subiectæ materiæ qualitatem mutare, aliud ipsam substantiam ex nihilo facere? Et respondet, Hoc profecto fuisse mirabilius, non tamen ita credibile, & quod tam facile potuisset persuaderi multitudini. Hac autem gratia & aliàs miraculorum magnitudinem consulto imminuisse dominum, quo crederetur quod factum erat facilius, & magnitudine rei nemo deterreretur. S. Irenæus quoque de hac ipsa re differens libro contra hæreses tertio, cap. 11. Quamuis, inquit, possit dominus ex nullo subiacente eorum quæ sunt conditionis præbere epulantibus uinum & esca complere esurientes, hoc quidem non fecit. Accipiens autem eos qui è terra erant panes, & gratias agens, & iterum aquam faciens uinum, saturauit eos qui recumbebant, & potauit eos qui inuitati fuerant ad nuptias: ostendens quoniam deus qui fecit terram, & iussit eam fructus facere, & constituit aquas, & edidit fontes, hic & benedictionem escæ & gratiam potus in nouissimis diebus per filium suum donat humano generi incomprehensibilis per comprehensibilem, & inuisibilis per uisibilem, cum extra eum non sit, sed in sinu patris existat, &c. Iam ut omnibus innotesceret miraculum, benefaceretq; dominus liberaliter conuiuis uino carentibus, dicit ministris qui hydrias aqua impleuerant, Infundite nunc, & ferte architriclino: id quod protinus fecerunt, non aliunde liquorem haurientes nisi ex hydrijs. Portò Architriclinus, ne quis hoc ignoret, dicebatur qui præerat apparando conuiuio, à tribus lectis acubatorijs nomẽ habens. Triclinium enim locus est tribus constructum lectis ad discumbendum. Nos hodie appellamus, Stubenmeister/ hofmeister/ vnd gastmeister. De eo uocabulo plura inquirat qui cupit apud Laurentium Vallam elegant. lib. 4. cap. 34.

Explicantur miraculi circumstantiæ.

Architriclinus.

Præmodum elegantia & pia sunt quæ scribit in hunc locum S. Augustinus de admiratione operum dei, quæ in gloriam dei & lectorum utilitatem in hæc nostra retuli Commentaria, Miraculum quidem, inquit, domini nostri Iesu Christi, quod de aqua uinum fecit, non est mirandum eis qui nouerunt quia deus fecit.

De admiratione operum dei.

Ipſe enim fecit uinum in illo die in nuptijs in ſex illis hydrijs quas impleri aqua præcepit, qui omni anno hoc facit in uitibus. Sicut enim quod miſerunt miniſtri in hydrias, in uinum conuerſum eſt opere domini: ſic & quod nubes fundunt, in uinum conuertitur eiuſdem opere domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit: aſſiduitate amiſit admirationem. Nam & conſiderationem maiorem inuenit, quàm id quod factum eſt in hydrijs aquæ. Quis eſt enim qui conſiderat opera dei, quibus regitur & adminiſtratur totus hic mundus, & non obſtupeſcit obruiturq; miraculis? Si conſideret uim unius grani cuiuslibet ſeminis, magna quidem res eſt, horror eſt conſideranti: ſed quia homines in aliud intenti, perdiderũt conſiderationem operum dei, in qua darent laudem quotidie creatori, tanquam ſeruauit ſibi deus inuſitata quædam quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad ſe colendum mirabilibus excitaret. Mortuus reſurrexit, mirati ſunt homines: tot quotidie naſcuntur, & nemo miratur. Si conſideremus prudentius, maioris miraculi eſt eſſe qui non erat, quàm reuiuiſcere qui erat. Idem tamen deus, pater domini noſtri Ieſu Chriſti per uerbum ſuum facit omnia, & regit quæ creauit. Priora miracula fecit, per uerbum ſuum deum apud ſe: poſteriora miracula fecit per ipſum uerbum ſuum incarnatum, & propter nos hominem factum. Sicut miramur quæ facta ſunt per hominem Ieſum, miremur quæ facta ſunt per deum Ieſum. Per deum Ieſum facta ſunt cœlum & terra, mare, & omnis ornatus cœli, opulentia terræ, fœcunditas maris, omnia hæc quæ oculis adiacẽt, per Ieſum deũ facta ſunt, & uidemus hæc: & ſi eſt in nobis ſpiritus illius, ſic nobis placent ut artifex laudetur, non ut ad opera conuerſi ab artifice auertamur, & faciem quodam modo ponentes ad ea quæ fecit, dorſum ponamus ad artificem qui fecit. Et cætera.

Poſtquam autem guſtaſſet Architriclinus aquam in uinum uerſam, neque ſciret unde eſſet, ſed miniſtri ſciebant qui hauſerant aquam, uocat ſponſum, & dicit ei, Omnis homo primo loco bonum uinum ponit, & quum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu ſeruaſti bonum uinum uſque ad hoc tempus. Hoc ædidit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

Inclareſcit beneficium ſiue miraculum domini.

Tertia parte huius hiſtoriæ, quæ Cataſtrophe eſt, reuelatur, & maxime illuſtre fit miraculum domini, commendaturq; nobis benignitas domini, & laudatur potentia & gloria ipſius. Amplificatur autem beneficij maieſtas colloquio architriclini & ſponſi per comparationem. Ille enim, Cæteri, inquit, qui ſolenne conuiuium exhibent, initio conuiuij optimum quodq; uinum apponunt, poſt ubi iam temulenti minus dijudicant palato, & hauriunt intemperantius, apponũt id quod deterius eſt: tu contra uinum generoſiſſimum ſeruaſti uſque ad finem conuiuij. Rurſus uero aſperguntur ubiq; argumenta miraculi, fidem comprobantia. Nam ne quis calumniaretur ebrios fuiſſe conuiuas, qui non potuerint inter uinum & aquam diſcernere: euangeliſta indicat ſententiam de uino, non à conuiuis eſſe latam, ſed ab architriclino, qui ſobrius ſobrium potuit de uini ſapore & præſtantia ferre iudicium. Nemo enim neſcit huiuſmodi in conuiuijs munia maxime ſobrijs & temperantibus demandari, quorum ſolum officium eſt ut debito ordine ac apparatu iuſto omnia diſpenſentur. Sobrium ergo uirum contra omnes calumniatores blaſphemos in miraculi teſtem adduxit. Iam uero architriclinus ſponſum uocat non miniſtros, & cum illo expoſtulat, ut inde quoq; colliqueſceret, hoc uinum

num à sponso non esse aliunde inuectum aut paratum. Significantissime item exprimitur architriclinum non aliud gustasse uinum, quàm quod fecerat dominus: unde dicitur, Postquam gustasset architriclinus aquam in uinum uersam, id est, postquam gustasset uinum illud quod ex aqua fecerat dominus. Alioqui enim non intelligendum est, quod architriclinus gustu deprehenderit ex aqua uinum esse factum. Sequitur enim, Nesciebat unde esset. Ergo nihil hic quoq; in gratiam saluatoris, sed uere & simpliciter de uino, ita ut res erat pronunciauit. Præterea quod ex aqua uinum esset factum, nec uinum quidem quoduis, sed uinum longe præstantissimum, non ministros tantum, sed & sponsum & architriclinum testari oportuit, ut sic euidentius fieret & ueritas & maiestas miraculi: & ex his omnibus colligeretur ineffabilis beneficentia, maiestas, uirtus & gloria Christi, omnisq; in hunc collocaretur credentium fiducia. Sequitur enim ipsa protinus Catastrophe, Hoc facto dominus Iesus auspicatus est miraculorum gestionem manifestans gloriam suam, &c. Paraphrastes circumstantias potissimas redigens in breue cõpendium, euidentiamq; miraculi illustrans, dicit, Cognitum est non solum aquã uersam in uinum, sed etiam in uinum optimum. De hydrijs nulla erat suspicio, quin soli aquæ fuissent consecratæ. Ministri aquam aquæ addiderant usque ad summum. Idem ex eo quod infuderant haustũ obtulerant architriclino sobrio. Sponsus agnoscit tale uinum apparatum non fuisse. Itum est ad hydrias, & compertum est eiusdem generositatis uino plenas esse. Diuus Aurelius Augustinus per totũ Tract. in Ioannem 9. allegorice hanc exponit historiam, à quo qui cupit petere poterit. Illud uero minutius est, quàm ut multis annotare conueniat, discipulos domini antequam hoc signum designasset dominus, credidisse quoq; in dominum, consequens itaque esse quod nunc ipsorum fides, & aucta fuerit & confirmata, iuxtaq; hanc rationem exponendum esse quod simpliciter ab apostolo dicitur, Et crediderunt in eum discipuli eius, id est pleniore fiducia ipsi porrò confisi sunt.

Post hæc descendit Capernaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus. Et in propinquo erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, & reperit in templo eos qui uendebant boues & oues & columbas, & numularios sedentes. Et cum feciſſet flagellum è funiculis, omnes eiecit è templo, oues simul ac boues, & numulariorum effudit æs, mensasq; subuertit. Et his qui columbas uendebant, dixit, Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei, domum mercatus. Recordati uero sunt discipuli eius quod scriptum est, Zelus domus tuæ exedit me.

Manifestat se dominus quàm illustrissime omnibus.

Venit in hunc mundum dei filius non ut paucis, sed omnibus innotesceret, omnesq; sibi fidentes conseruaret. Per initia quidem sensim se, & quodãmodo obscurius orbi manifestauit, nec omnibus se aperiens, sed suis maxime familiaribus: processu uero temporis quàm illustrissime se omnibus aperit. Hac caussa è Cana & Nazareth obscuris & ignobilibus opidulis se confert in Galilææ urbem lacustrem Capernaum, & mox in totius gentis metropolim Hierosolymam. In ea certe latissime fuerat dispersum iam olim Ioannis Baptistæ de Christo testimonium, ut proculdubio non pauci in ea fuerint urbe qui expectarunt regnum dei & uenturum regem regum. Potuit item è Hierosolymorum urbe ad omnes alias gentes dimanare fama de Messia orbi exhibito: ideoq; Hierosolymam ascendit. De Capernaum plura annotaui in cap. Matth. 4. sicut & de Fratribus domini in caput

Matth. 12. S. Auguſt. Tract. in Ioan. 10. multis oſtẽdit fratres poni ꝓ cõſanguineis. Nam Mariam nullo modo iterum peperiſſe, Illa, ait, fœmina mater eſſe potuit, mulier eſſe non potuit. Dicta eſt autem mulier ſecundum fœmineum ſexum, non ſecundum corruptionem integritatis: & hoc ex lingua ipſius ſcripturæ. Porrò præterit atq; omittit hic plurima Ioannes quæ Matth. in 4. & Lucas in 3. & 4. cap. copioſius exponunt. Habet enim ille quiddam peculiare in ſua illa expoſitione, diuerſum ab alijs tribus. Cæterum aſcendit dominus iuxta legis etiam præſcriptum Hieroſolymam, paſchæ celebritatem peracturus. Solebat tribus iſtis in lege Exodi 23. ſtatis ferijs feſtiuiſq; ſolennitatibus ingens populi uis è Galilæa & Iudæa confluere ad urbem ſacram, audiendæ legis uiſendiſq; ſacrificijs gratia. Vnde non potuit dominus alio tempore commodius toti innoteſcere plebi, quàm in die ſancto. Neque potuiſſet ullo alio facinore certius, plenius & breuius docuiſſe quis ſit, & quare uenerit, quàm quod uendentes & ementes proturbabat è templo. Meſſias erat rex & pontifex populi dei. Venerat ſaluaturus genus hominum, & reformaturus religionem patris ueram, hactenus multis ineptis depranatã traditionibus atq; delirijs. At templum religionis erat officina. Proinde proxima feſtinat in templum, eijcitq; uendentes & ementes. Nam regis eſt populũ ſuum aſſerere oppreſſum: ſacerdotis ſiue pontificis eſt deturpatam atq; collapſam religionem purgare ac erigere: id quod dominus noſter abundantiſſime præſtans, oſtendit ſe eſſe Meſſiam populi dei, qui uenerit aſſerturus gloriam dei, reformaturus eccleſiam, & ſaluaturus populũ ſuum. Præterea legimus apud Malach. 3. cap. Ecce ego mitto angelum meum, & repurgabit uiam ante me, uenietq; repente ad templũ ſuum, dominus quem uos quæritis, & angelus fœderis quem uos deſideratis: ecce uenit, dicit dominus exercituum. Præceſſerat autem angelus ille, legatus utiq; & præcurſor Chriſti Ioannes, Baptiſmo & doctrina pœnitentiæ ac remiſſionis peccatorum præparans uiam domino: reliquũ ergo erat ut iam ipſe dominus templi, eccleſiæ, totiusq; populi ſui ueniret in templum, & demonſtraret ſe eſſe illum deſideratum Meſſiam. Id quod in præſenti facit dominus. Sed quale reperit templũ, quàm pulchre rebus inſtructũ, quàm egregios templi miniſtros? Id mirifice depingit hunc Ioannis locum explicans Paraphraſtes, & ait, Cum eſſet ingreſſus templum religioni & cultui diuino dicatum, offendit illic non templi, ſed fori ſpeciem. Reperit enim illic permultos qui in loco ſacro ſordidum atq; iniquum etiam quæſtũ exercerent, & religionis occaſionem uerterent in rapinam. Siquidem hoſpitibus ut eſſet quod offerrent, magno uendebãt oues, boues, columbas, aliaq; huius generis: quæ iuxta Iudæorum conſuetudinem ſolent offerri ſiue donari ſacerdotibus: ſed interim pacti cum ſacerdotibus & Leuitis, ut eadem animantia accepta ab his qui obtulerant, rurſum ipſis uenditoribus reuenderent, ſed minoris, ut iterũ cum lucro poſſent alijs hoſpitibus uendere. Ita fiebat ut ſpoliatis hoſpitibus turpe lucrũ ſubinde ex eodẽ animante rediens inter mercatores & Leuitas diuideret. Quoq; paratior eſſet negotiatio, id quod in prophano mercatu fieri cõſueuit, aderant numularij ſiue collybiſtæ, qui minutiore moneta mutarent maiorẽ (κέρματα enim ſunt minutiæ æris: unde Cermatiſtæ dicuntur qui maiores nummos minutulis cõmutant) aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam eius loci moneta uerterent: atq; hinc quoq; quæſtus erat ſordidus, nec multũ abhorrens ab uſura. Hæc Paraphraſtes. Habes qualis fuerit prophanatio templi: audi nũc quomodo ſordes illas è templo eiecerit Ieſus. Contexuit hic ſibi flagellum è funiculis, tanquam canes è domo dei profligaturus, & magna indignatione diuinaq; authoritate, & quadam incredibili maieſtate oẽs exturbauit è templo, tam ipſos negociatores ſacros cum

Repurgat religionẽ dominus.

Templum conuerſum in forũ.

Quomodo purgarit dominus templum.

ſuis

ſuis mercibus, & emptores religionis uel ſuperſtitionis potius ſtudioſos. Imò nihil planè ſubuerítus æs collybiſtarum effudit in terram, docens calcandã eſſe omnem auaritiã, eam in primis quæ religionis prætextu pecuniam emungit è tenuæ fortunæ hoĩbus. Peculiariter uero columbarum uenditoribus dixit, Auferte iſta hinc, &c. Ad quem locũ annotauit S. Auguſt. Simon ille ideo uolebat emere ſpíritũ ſanctum, quía uendere uolebat ſpíritũ ſanctũ, & putabat apoſtolos tales mercatores eſſe, quales dominus de templo eiecit. At in colũba apparuit ſpíritus ſanctus. Qui ergo uendũt columbas fratres? Qui dicunt, Nos damus ſpíritum ſanctum. Quare enim hoc dícunt, & quo pretío uendunt? Pretiũ honoris ſui accipiunt: accipiunt pretiũ cathedras temporales, ut uideãtur ipſi uendere colũbas. Columba nõ eſt uenalis, gratis datur, quía gratia uocatur. Hæc ille. Breuiter, non uult omníno dominus in eccleſia ſua ullũ exercerí mercatũ. Nam apertũ ſíue diſertũ eſt uerbũ illud, Ne fecerítis domũ patris mei domũ mercatus. Cui reſpõdet illa Petrí ſentẽtia, contra Simonẽ pronunciata, Pecunía tua tecũ ſit perdíta, quoniã donũ dei exiſtimaſtí pecuníjs pararí. Iccírco dominus in præſenti nõ uerbís tantũ reprehendit ſacrílegiũ & infernalẽ contractum ac diabolicã mercimoniã: ſed manu quoq; admota impietatẽ ſternit, cõfringit atq; conculcat. Eſt enim Ieſus rex & pontifex populi dei, quocírca nõ docet tantũ, ſed & exequutionẽ doctrinæ exequitur: relinquens ſanctis ſacerdotibus magiſtratibusq; exemplũ, ut & ipſí tam doctrína q; opere omnem impietatẽ fortiter inuadant atq; ſubuertant. Fruſtra enim idololatría & ſacrílega ſacramentorũ nũdinatio, prophanatioq; uerbís impugnatur, niſi et auferatur ſimul è medío, per eos quorũ id intereſt. Plura de his requíre ex Cõment. noſtris in 21. cap. Matth. Solet aũt quærí quid hæc Ioãnis hiſtoria ab ea diſcrepet, quæ contexitur apud Matth. in 21. Et ſunt qui utraſq; inter ſeſe ſibi conciliare ſtudent. Verum mihi multò magis probatur D. Ioan. Chryſoſt. ſententía, quæ Homel. 22. in hæc uerba legítur, Venít in templũ Ieſus & uendentes oues, boues, colũbas, & numularíos ſedentes eiecit. Alius euangeliſta eum dicentẽ meminit, Nolite facere domum patrís mei ſpeluncã latronũ. Hic autẽ, inquit, domũ negotiationís: nõ ut inuicem diſcordent: ſed quod bís eos eiecerit, non eodẽ tempore: uerũ hoc in operũ ſuorũ initio, illud iam paſſionís tempore appropinquante. Quare uehementiore caſtigatione uſus latronũ ſpeluncam appellauit: nunc in ipſo príncipio remiſſius agit: ex quo ueriſimile eſt illud iterũ eſſe factum. Hæc ille. Proinde quía ſecundo ementes & uendentes proturbauit è templo, manifeſtiſſime ſignificauit, q; iníquo ferat animo deus ſi è templo ipſius fiat forũ. Atq; utinam rectius hæc expenderent Pontificíj, in quorũ templís nihil non uenale eſt, adeò ut ſi forũ è templo amoueas nihil futurũ ſit reliqui. Ad finẽ adjicit Ioannes, Recordati uero ſunt diſcipuli eius, &c. Recordati inquã uel tunc cum Chriſtus id faceret, ſpíritu ſancto ſcripturã ipſis ſuggerente: uel cum dominus reſurrexiſſet ex mortuis, miſiſſetq; ſpíritum ſanctum, cuius inſtitutione intellexerunt tunc per Chriſtũ eſſe cõpletum quod Dauid olim cõplendum prædixerat. Et apoſtolus locũ prophetæ producit, ut euincat Ieſum id præſtitiſſe quod Dauid prædixerat Meſſiam præſtiturũ: ne quis fortaſſis factum Chriſti ex affectu aliquo deriuaret, quaſi iſtud ex inuídia in derogationem ſacerdotum feciſſet. Ergo, non inuídia aut odium, inquit, exaſperauit Meſſiam, ſed zelus domus dei patrís edit ipſum. Locus deſumptus eſt ex Pſalmo 69. & iuxta literam Dauidi attribuitur, quí quod cuperet religionem reſtitutam, odia plurimorum Saulis præcipue & Saulinæ aulæ atq; familiæ ſenſit. Per typum accõmodatur Chriſto domino, quí toto pectore animíq; ardore uehementiſſimo quæſiuit eccleſiæ reformationẽ. Talis uero zelus ſit in ꝓceribus eccleſiæ oportet, qui urat,

Dominus ſecundo eiecit è templo uendentes & ementes.

Zelus ſanctus.

& cor exedat, nec ullam quietem concedat, nisi prius consultum sit ecclesiæ. Germanice enim locus Dauidis significātissime sic reddi poterat, Der yfer/ den ich diner kilchen halben getragen/ hat mir min hertz verseert/ gebrent/ gnagt vnd frässen: ita ut non potuerim mihi hic temperare, quin animaduerterē in impuros illos prophanatores, nec ullam sensurim quietem, nisi reformata tua ecclesia, quam cernebā omnibus modis corruptissime esse deprauatā. Cæterum pauciſſimos hodie urit hic domini zelus, nihil igitur aut parum agitur de syncera ecclesiæ Christi reformatione.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis quod ista facias? Respondit Iesus, & dixit eis, Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Dixerunt autem Iudæi, Quadraginta & sex annis extructum est templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud? At ille dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset è mortuis, recordati sunt discipuli eius, quod hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ & sermoni quem dixerat Iesus.

Hypocritæ opponunt se reformationibus.

Sequitur quomodo hypocritæ mercatores reuelationem gloriæ dei ac ecclesiæ suæ reformationem recipiant. Responderunt, inquit Ioannes, Iudæi, id est opposuerunt se domino, cupientes suam defensam auaritiam. Ideo quæstionē quam proponunt, non in hunc finem proponunt, ut discant, sed ut tergiuersantes saluatorem artibus capiant. Tale enim uidetur esse quod dicunt, Asseris manifestissime domum illam dei, patris tui esse domū: unde consequens est quod temetipsum pro filio dei uendites. Si ergo deus pater tuus est, & si patris contumeliam uindicas, æde miraculum aliquod, ut ex eo intelligamus te patris authoritate hæc facere. Eclipsim enim resipit loquutio, Quod signum ostendis nobis quod ista facias? patris uidelicet nomine. Certe si ista tua ipsius authoritate facis, ab impietate & temeritate nequaquam absoluēris. Iesus sciens calumniaturos quicquid tandem patrasset miraculi, sub ænigmate promisit ipsis signum. Id erat signum mortis & resurrectionis suæ. His enim manifestissime euincitur Iesum esse filium dei, saluatorem siue Christū regē & pontificem orbis. Quemadmodū paulò copiosius exposui in 12. cap. Matth. explicans hunc locum, Non dabitur signum aliud nisi signū Ionæ prophetæ. Sermonis occasionem suppeditabat templum in quo uersabantur, Destruite, ait, templū hoc, & intra triduum rursus erigam ipsum. Destruite, id est omnino futurum est ut destruatis. Hebræis enim frequens est imperatiua ponere pro futuris. Habet ænigma allegoriā. Templū enim ipsum est domini corpus, iuxta quā figurā & apostolus Paulus dicit corpora nostra templa esse sancti spiritus, in quibus is inhabitet. Destruere est occidere. Erigere, ex mortuis excitare. Nec aliud respondemus, signum uel hodie postulantibus, quo approbemus nos ex authoritate dei statuas è templis eiecisse, & Missas unà cum aris subuersis abrogasse. Illud enim à Christo didicimus, qui uerus dei filius est, qui satis aperte comprobauit orbi omnia sua dicta & facta è deo esse profecta. Quanquam uero hic non legatur dominus uel idola eiecisse, uel Missas abrogasse: illud tamen maxima cum indignatione subuertit, unde luculentus erat quæstus. At nemo nescit idola & Missas ditissimas esse Pontificiorum merces. Porrò Iudæi ex malitia & cæcitate cordis sui in cortice hærentes, quod figurate dictum est, simpliciter & citra tropum intelligunt: inde ceu ab impossibili ac absurdo euincere uolentes dominum mendacij & impostura. Videbatur enim dictu absurdum tantam fabricam intra triduum erigere. Patres, inquiunt, nostri è Babylonica captiuitate

Malitiosa calumnia.

redeuntes,

redeuntes, uix potuerunt intra quadragintasex annos templum ædificare, & tu demolitum excitabis intra triduum? Quis hic non uideat temere te & dicere & agere omnia? An uero crimine adeoq; impietate uacat, quod iubes templum augustum & sacrosanctum destruere? Hoc ingenium inuenias apud omnes tergiuersatores. Malunt enim tergiuersari & calumniari, quàm simplici ueritati credere. Hodie quoque non pauci sunt qui tropicas loquutiones exponunt pro simplicibus, & minime figuratis, arbitrantes literæ & uerbis simplicibus esse inhærendum. Atqui huiusmodi rixis adeò non promouent ueritatem, ut impediant magis. Templum porrò ipsum quod ædificarunt patres ex Babylone redeuntes, constat intra sexennium esse absolutum. Hoc enim manifeste docet historia Ezræ quinto & sexto cap. Hyperbolice ergo loquentes, numerant annos quadraginta sex, quo fortius aut plausibilius domini temeritatem populo proponant. Vel certe respexerunt ad tempora priorum regum, Darium Hystaspis præcedentiũ. Sub Cyro enim fundamenta templi posita creduntur: at hic regnauit annis triginta: successit filius Cambyses, & imperauit unà cum Magis annos octo. Quibus si addas sex annos è regno Darij, habebis annos quadragintaquatuor. Venit tandem & Ezras, & quædam in ædificijs templi per biennium absoluit: unde colligi iam possunt quadragintasex anni, quorum isti mentionem faciunt. Id tamen obseruandum est, præsens templum in quo iam uersabantur non fuisse illud uetustum templum, sed Herodianum magis: de quo dixi in Matthæũ cap. 24. ex Iosepho. Quocirca tragice hæc omnia contra dominum proferunt Iudæi. Dominus uero malignis ingenijs nihil respondendũ putans, relinquit ipsos suis erroribus. Euangelista autem pro lege historiæ, At ille, inquit, dicebat de templo corporis sui. Potest enim historicus nonnunquam propter rei perspicuitatem aliquid addere de suo: quemadmodum in præsenti Ioannes expositionem uerborum Christi apponit. Quod autem in fine annectitur, discipulos à resurrectione cum scripturis contuliſſe dicta & facta Christi, ac fidem habuisse sermonibus Christi, nobis in exemplum, & ad doctrinã ponitur, quo & ipsi Christi dicta & facta cum scripturis conferentes propheticis, credamus Iesum esse dei filium, regem & pontificem, uerum orbis saluatorem. Proinde non oportet perpetuo hærere in cortice, sed conferenda est potius scriptura, & ex collatione deligendum quod credamus orthodoxum atq; catholicum. Omnis enim scriptura hunc scopum habet, ut uera fide per Christum deo cohæreamus & legitime colamus.

M. Tull. de Oratore 2.

Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ ædebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes, nec opus haberet ut quisquam testaretur de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Effectus doctrinæ & signorũ Christi apud Hierosolymitas.

His indicatur quid effecerit Christus doctrina & signis suis apud Hierosolymitas. Certum enim est dominum frequentes habuisse sermones ad populum, quibus fidem docebat & charitatem, & q̃ plurima ædidisse signa, quæ sigillatim non describuntur ab apostolo, cui satis fuit ea dũtaxat annotare quæ ad summã & compendiũ dictorũ & factorũ Christi perficiendũ faciebãt. Rursus indicatur et auditorum diuersitas, fore uidelicet perpetuo hypocritas qui prędicato euãgelio se credere simulẽt, quibus tamẽ nihil credere oporteat. Effecit, ait, Christus doctrina & miraculis, ut multi in ipsum crederẽt. At credentiũ magna est diuersitas. Alij enim ex

animo & uere credunt, omni fiducia in filiũ dei collocata, quẽ didicerunt omnipotentẽ, hominũ amatorem, benignum & beneficum esse. Quanq; ipsa fides interim per interualla grandescat & cõfirmetur. Perseuerant tamen hi in finem usq;, quia unice ad uerbum dei respiciunt, & per gratiam dei fidem intendunt, exercent, & in cordibus retinent. Atque his in diem dominus magis atque magis sese aperit, & familiarem facit, non tantum semetipsum eis credens, sed totus in eis habitans, & se totum eis communicans. Alij uero euidentia doctrinæ & miraculorum conuicti, cum non habeant quod opponant, credunt & ipsi, simulantes se credere, corde autem syncero non collocantes fiduciam omnem in Christum: & hi quidem credunt ad tempus, deficiunt rursus cum id suadet affectus. Ita uero & Simon magus credidisse dicitur apud Lucam in cap. octauo Actuum apostolorũ: uerum ubi id non assequeretur quod quærebat, deficiens declarabat se non uere credidisse, sed sub prætextu fidei sua quæsiuisse. Eodem modo credere permultos hodie uidemus, hoc est, fidem ad tempus simulare. Nam deficiunt ad Papismum cum accusantur eorum adulteria, stupra, crapula, & perpotationes: medium digitum tandem euangelio ostendunt, quando non licet diripere facultates ecclesiasticas, ac ditescere fraudatis pauperibus. Simulant alij se credere, ut præsentius certiusq; tandem noceant. Oblata ergo occasione, qui uidebantur euangelici negotij columnæ & triarij, omnium atrocissimi fiunt hostes & proditores. Et huiusmodi quidem fideles apparet Hierosolymis fuisse innumeros. Vnde sequitur, Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis: nobis omnibus relinquens prudentiæ exemplum. Saul non raro lachrymabatur audito Dauide, culpamq; deprecabatur, mellitissimis uerbis aures demulciens Dauidis. Verum hic non credidit sese eius suauiloquentiæ (Vertrawt der sach nit/vnd ließ sich nit dran) cauens sibi quàm diligentissime. Iccirco non oportet protinus credere quorumuis suauiloquentiæ, & uerbis grauibus ac religiosis, quibus sese testantur euangelio fauere ex animo, & hoc omnibus modis cupere promotum. Sic enim plerique uel sua quærunt, uel occasionem nocendi euangelio uenantur. Cõmittuntur nonnunquam huiusmodi hypocritis munia ecclesiastica: deliguntur non raro huiusmodi impostores in magistratum; præficiuntur facultatibus ecclesiasticis œconomi. Cæterum ubi his nec facultas nec potestas deest, quod libido dictat impudẽter & audacter faciunt. Sic autem stulti pœnam suæ luunt stultitiæ. Christus prudentiam docuit. Credide runt multi in eum Hierosolymitæ, uerum ne sic quidẽ credidit eis. Nouit quibus quicq; affectibus ducerentur, & quod hic prætextu fidei, fidei nocere, ille rursus eodem prætextu suas res conficere cuperet: itaque nec semetipsum his utpote insidiatoribus credere, nec euangelium impuris prodere, adeoq; margaritas ante porcos spargere, impurisq; illorum affectibus inseruire uoluit. Talia ferè sunt initia, talis item esse solet & progressus euangelicæ prædicationis: unde hæc protinus ab initio ponuntur, quo simus & cautiores, & in huiusmodi casibus fortiores. Interea istis apostoli uerbis duo nobis traduntur dogmata egregia: alterũ, Christũ uerum esse deum, utpote cui corda quoq; hominum sunt perspectissima: alterum, hominis mentem nondum fidei lumine illustrati tenebris inuolutam esse inexplicabilibus. Nam non inutili nec uitioso Pleonasmo dicit Ioannes, Eo quod nosset omnes, nec opus habebat ut quisquã testaretur de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. En Christus nouit oẽs omnium animos, imò nouit oẽs hoies: ideo nõ opus illi est, ut ab alijs ipsi suggeratur qualis quisq; sit. Nã scit quid sit in homine, uidens quod uel in pectorũ recessu latet. Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 37. Vero deo, inquit, solummodo, nec ulli creaturarum, hæc dignitas attribuitur: unde Psal

Hypocritarum fides.

Exemplum prudentiæ.

mista

miſta quoque dicit, Qui finxit ſigillatim corda illorum, qui omnia opera eorũ intelligit. Si ergo ſolus deus quæ ſunt in cordibus noſtris intelligit, quomodo non erit uerus deus ſaluator Ieſus Chriſtus, qui profunda & abdita cordium nouit? &c. Iam quid de homine nondum illuminato luce fidei teſtetur ſcriptura, apertius eſt quàm multis perſequi conueniat. Prauum, inquit illa, & inſcrutabile eſt cor hominis. Omnis homo mendax. Figmentum cordis humani prauum eſt à pueritia. Ne ſperetis in principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Hoc autem ſenſu, uerbum Chriſti, Ieſus ſciebat quid eſſet in homine, νόημα eſt: tecte enim ſignificauit quod Lector ex ſeſe diuinet, nempe nihil integri eſſe in homine. Quod ſi ſimpliciter intelligas Ieſum nouiſſe abſcondita cordium, nihil contendero. Nihil item peccaueris ſi non credas temetipſum callidis inſidiatoribus, quantumuis deierantibus ſe inſtitutionem in fide Chriſti quærere, cum hoc prætextu periculum tibi ſtruant propter confeſſionem ueritatis, ac capere & cædere cupiant.

His abſoluí primum huius operis euangelici librum, quo declaraui Verbum illud patris æternum ſuo tempore incarnatum, uerum utiq; deum & hominem Chriſtum Ieſum, ueniſſe in mundum ſaluandis peccatoribus, cui quicunq; ſyncera fide adhærent, fratres Chriſti, filij dei & omnium bonorum cœleſtium cohæredes fiunt.

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER II.

DILIGENTER *prosequitur apostolus ea quæ prædicationis initio & dixit & fecit dominus Iesus, ut sic ecclesiæ iudiciũ recte informet, optime sentiendi de religione Christiana, eiusq; principijs, quæ ut aliàs sæpe, ita hic ferè solent esse difficillima. Exposuit postremo quæ publice & palàm in templo dei designauit Iesus, & quæ in turba disputauit, dixit & fecit, exponet nunc priuatũ quidam. Nam priuatum colloquium instituit dominus cum Nicodemo legis doctore, quem, quod dici solet, fundamentaliter, & à primis initijs solide, plene, & simpliciter erudit, totam synceræ doctrinæ methodum contexens, ac docens regnum dei introire cupienti in primis opus esse renascentia. Naturam enim nostram ac primam natiuitatem nostram nihil in se habere lucis aut uitæ. Cæterum renascentiam illam constare spiritus sancti renouatione, cuius opera saluandus liquido cognoscit nihil in uiribus esse hominis quod iustificationem & uitam mereatur beatam, alieno merito parari illa, nempe per Iesum Christum, quem nobis gratia & dilectio dei nullũ nostrum meritum dedit, & in mortem quidem crucis probrosissimam dedit, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Ibi docet fidem in Christum ueram bona operari opera: incredulitatem contra, caussam esse omnis impietatis, adeoq; damnationis His absolutis protinus tractat apostolus illis agnatam quæstionem de purificatione. Cuius quidem occasione recenset quintum & illustrissimum Ioannis Baptistæ testimonium, quo ille testificatus est fideles gratia Christi plene purgari. Hunc enim esse Messiam uerum, in quo orbi dederit pater quicquid sit ueræ salutis, ideoq; credentes in Christum seruari, damnari contra incredulos. Istis admirando prudentissimoq; consilio aliud & nouum colloquium attexit, & ipsum priuatum, domini & Samaritanæ mulieris. Recepit & eruditum in 3 cap Nicodemum hominem clarum, iudæum, doctum, & non aspernandæ sanctimoniæ uirum: nunc uero recipit & instituit mulierculam obscuram, gentilem, indoctam sceleribusq; pollutissimam, uidelicet ne quis ex priore exemplo colligeret dominum sanctis modo seruandis incarnatum uenisse in mundum. Ex hoc enim intelligimus, illum etiam natum esse peccatoribus, nec iudæis modo, sed & Gentilibus, adeoq;, & Samaritanis. Colloquium ipsum plurimum habet iucunditatis & suauitatis. Mirifice sese peccatricis animo insinuat dominus: duo tamen potissimum agit. Principio ostendit se fontem esse boni & omnium gratiarum, è quo quicunq; bibant, exaturentur plenissime. Deinde refutato cultu dei falso docet quis sit uerus dei cultus: simul autẽ manifestissima confessione profitetur se uerum esse Messiam. Protinus autem fit peccatrix gratiæ diuinæ concionatrix. Euocat enim Sycharenos siue Sychimitas in occursum domini regis siue Messiæ. Interea dominus apud discipulos disputat de uocatione gentiũ, deq; apostolatu in gentes. Certè Samaritani recipiunt dominum. At Iudæi, præsertim ciues oppiduli Nazareth, eundem aspernantur atq; repellunt Quare adeò non offenditur dominus, ut male meritis Iudæis nihilo segnius benefaciat. Concedens enim Canam Galilææ regulo cuidam filium iam iam agentem animam seruat incolumẽ, eo facinore præclaro cõprobans quod fidentes ipsi in uita posit seruare, utpote uitæ & omnis boni author.*

CAP. III. Erat autem homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quod à deo uenisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi deus fuerit cum eo.

Nicodemus quis?

Personæ quæ instituitur à domino descriptio præmittitur, non sterilis & inanis, sed aliquot egregia habens documenta. Erat Nicodemus (æquipollent autem hæc nomina Nicodemus & Nicolaus: utrunq; enim significat uictorem populi) unus è senatoribus siue presbyteris Israeliticis, & præcipuus quidem, probatissimæ Pharisæorum hæreseos sectator religiosissimus, qui pro ingenij humani prauitate miserè sibi metuit, ne quid odij sibi sui ordinis hominum conflet ex colloquio, consortióue domini. Solet metus in dignitatibus constitutos uehementer percellere, ac in omni opere bono remorari, dum nunquam non metuunt se minuendos capite, si probitati studeant ac pietati. Nam solent homines huius sæculi

ac potentes

ac potentes, de gradu deijcere quotquot sentiunt pietati fauere, et à quibus sibi metuunt, ne quando & ipsi sub ordinem redigantur probitatis & iustitiæ. Ideo noctu uenit ad saluatorem Nicodemus, ut lateat uidelicet & suorum hominum odia declinet, quos ex animo male uelle & Christo & ueritati senserat. Inuenias hodie huius generis non paucos homines, qui ne dignitatibus, honoribúsue exuantur, dissimulant se fauere ueritati euangelicæ. Et sanè est hic affectus in omnibus hominibus ualidissimus. Sunt enim qui fortunas & uitam possunt contemnere, hunc affectum uincere non possunt. In eo autem mira relucet dei bonitas, quod tanto laborantem affectu & dignitatibus huius sæculi implicitum, non præterit ac auersatur, imò quod non increpat desipientem. Nam præterito illo uitio, transit ad iustam institutionem de renascentia & iustificatione, sciens his intellectis etiam affectum illum mox dispariturum. Proinde bene sperent posthac meticulosi, curent tamen ne perpetuo sint meticulosi, sed prodeant tandem cum Nicodemo, quem non puduit sepelire domini crucifixum corpus, cum uel maxime ferueret ira sui ordinis hominum potentissimorum sæuientium uel in mortuum domini corpus. Et sanè affectus, quo nunc ducitur Nicodemus, metus potius fuit quàm malitia, imbecillitas magis quàm peruersitas. Ergo si incidamus etiam nos in homines affectibus quidem deditos, non tamen malignos & rixosos, ne repellamus eos protinus, sed instituamus potius benignissime, iuxta illud Pauli, Infirmum in fide susci pite, non ad dijudicationes disceptationũ. Iam in fine cap. 2. dictum est quosdam credidisse domino uisis eius signis: huius uero exemplum nunc adijcitur Nicodemus. Quem contextum ante nos indicauit Augustinus, dicens, Ergo iste Nicodemus ex his erat, qui crediderant in nomine eius, uidentes signa & prodigia eius, quæ faciebat. Superius enim hoc dixit, Cum autem esset Hierosolymis in die festo, multi crediderunt in nomine eius. Quare crediderunt in nomine eius? Videntes signa eius quæ faciebat. Et de Nicodemo quid dicit? Rabbi, scimus quia à deo uenisti magister. Et iste ergo crediderat in nomine eius. Vnde uero crediderat? Sequitur, Nemo enim potest hæc signa facere, &c. Colligit autem ex miraculis Nicodemus Iesum cœlitus esse missum orbi doctorem, procp̃ sua ignorantia seu imperitia nihil amplius quàm de propheta sentit, qui auxilio dei adiutus signa faciat, non uirtute propria designet. Nisi enim quis, inquit, deum habeat præsentissimum, non potest tanta edere signa quanta tu patras. Possumus hinc ferè colligere quis sit usus & fructus miraculorum (per signa enim in præsenti miracula intelligere oportet) tam Christi quàm apostolorum ipsius, nimirum ut ex ijs intelligamus aut colligamus Iesum esse nobis à deo missum Messiam, & apostolos ipsius esse ministros, qui ueritatem doceant. Plura petere licebit ex 10. cap. Ioan. & Act. 3. & 14. cap. Signa ergo quæ alió rapiunt mentes hominũ, improbanda sunt. Scimus, inquit, quod à deo uenerís magister, id est doctor ac magister orbi sis datus. Vnde scimus? Nemo enim uirtute sua propria tanta potest signa edere quanta tu edis, nisi deus ipsi adfuerit, et per ipsum operetur, id est, nisi deũ habuerit præsentem & opitulantem. Cæterum modus quo Nicodemum instituit dominus, formam habet dialogi. Est enim is maxime perspicuus, simplex, euidens, apertus. Et dominus in omnibus se accõmodauit nostræ imbecillitati, ac conatus est ut quàm luculentissime rudissimecp̃ nobiscum loqueretur, quo rectissime docentem intelligeremus. Certe uetustissimus est docendi modus per colloquia seu dialogismum instituere, quem uetustissimi quicp̃ philosophi etiam sunt sequuti.

Ambitionis malum.

Infirmitas meretur ueniam.

Vsus signorum siue miraculorum.

Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fue-

rit è ſupernis, non poteſt uidere regnum dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Num poteſt in uentrem matris ſuæ iterum introire ac naſci?

Dominus uerbis Nicodemi, quod modo dixi, quaſi præteritis feſtinat ad ipſiſſima ueræ religionis, ſapientiæ & iuſtificationis fundamenta iacienda, unde non tantum Nicodemus, ſed etiam totus orbis, poſthac intelligeret ueram ueræ ſalutis rationem. Initio ergo maxima cum aſſeueratione propoſitionẽ ſummamq; totius negotij proponens, ait, Illud habeto pro certo, indubitato, & exploratiſſimo, neminem regno cœlorum fruiturum, neminem ciuem regni dei, hoc eſt, iuſtum in præſenti ſæculo, & beatum fore in futuro, niſi quis denuo uelut in nouum hominem renaſcatur. Vel ut breuius arctiusq; conſtringatur propoſitio, tale quidpiam eſt quod dicit, Quiſquis cupit iuſtus eſſe & beatus, curet ut renaſcatur. Vel, Oportet renaſci eos qui uolunt ſaluari aut ingredi regnum cœlorum. Nam uidere regnum dei, poſuit pro introire in regnum dei, & in regno cœlorum frui conſortio dei. Ea enim non uidentur, ad quæ nunquam peruenimus. Eſt itaq; metalepſis in uerbis domini, paulò poſt ſignificãtius dicentis, Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu non poterit ingredi in regnum dei. Inde iam colligimus qua de re in præſenti ſit diſputaturus & quis ſit ſcopus futuri colloquij, nempe, quomodo ſalui fiamus, & ingrediamur in regnum cœlorũ. Conſtat item diſputationẽ hanc & diſputationis intentionem certam, exploratam & indubitatam eſſe. Nam propoſitioni apponit confirmationem iuriſiurandi, is inquam qui mentiri neſcit, dei filius, os, uerbũ, ſapientia, & ueritas patris. Porrò quid dici poterat breuius quàm quod dominus dixit, Renaſci oportet cœlum ingredi cupientibus? at quid uiciſſim plura in ſe continet myſteria? quid plenius potiſſimam theologiæ partem abſoluit? S. Cyrillus lib. in Ioannem 2. cap. 40. Non uerbis, ait, iuſtitiam cõſequeris, dicit Nicodemo dominus, Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum dei, ſed qui fecerit uoluntatem patris mei. Voluntas patris eſt, ut ſpiritũ ſanctum ſuſcipiat homo, & nouo modo regeneratus ciuis efficiatur cœlorũ. Porrò D. Chryſoſt. Homel. in Ioan. 23. Denuo, inquit, hoc in loco alij è cœlo, alij iterũ exponunt. Siue uero exponas iterũ, uel è cœlo, in idem recidet. Prima enim natiuitas è terra eſt, ſecunda è cœlo: ergo qui denuo uel iterum naſcitur, è cœlo naſcitur. Græce eſt ἄνωθεν, quod dictum uolunt, ἐκ τῆν ἄνω, id eſt, ſuperne uel de ſupernis. Nam particula θεν nota eſt de loco, ut οἴκοθεν, è domo. Colligimus ex his duplicem eſſe natiuitatem, aliam quidem terrenam ex homine, aliam cœleſtem ex deo. Et natiuitas quidem terrena qualis ſit nemo ignorat. At non oportet illam conſiderare nudam & ſolam, ſed pariter comprehendere naſci nos ingenio, intellectu, ratione, ſenſu, affectibusq;, & animæ potentijs inſtructos, anima ſcilicet & corpore conſtantes corporisq; dotibus ornatos. Comprehendit ergo prima illa ſiue terrena natiuitas omnes hominis uires, ingenium, rationem, intellectum, uoluntatem, & quicquid habemus humani. Quæri autem ſolet quid conferant ad conſequendam ſalutem uires humanæ? Ad quam quæſtionem reſpondet hic dominus, Nihil. Si enim ſalutem ambientibus renaſcendum eſt, in aperto eſt primam natiuitatem nihil conferre ad conſequendam ſalutẽ. Ideoq; hac domini ſententia, Niſi quis natus fuerit è ſupernis non poterit uidere regnũ dei, damnantur omnes hominis uires, ut quæ nihil in ſe habeant quod conſequi poſſit ſalutem, iuſtitiam, uitamq; beatam. Collatæ ſunt ſanè diuinitus homini Adæ dotes maximæ, præſantiſſimæq;: Sanctus & integer conditus eſt à deo ſancto Adã, & ſancta & bona erat

Oportet renaſci, primaria eſt theologiæ propoſitio.

Duplex hominis natiuitas.

Natiuitas prima.

Conditio Adæ & lapſus.

hominis

hominis natura, sed hic peccato cõmisso mortuus est, defunctus nimirũ uita priore felici & beata: ad quam si quis conferat posteriorem, dicet uitam post lapsum ueram esse mortẽ nõ uitam. Nunc enim totus homo damnationi est obnoxius, mancipiũ peccati & satanæ: animæ denique uires & facultates ita sunt debilitatæ & confractæ, ut parum aut nihil possint: obscurata est ratio, obtenebratus est intellectus, corrupta est ipsa denique uoluntas, ut homo ex se suisq; uiribus nil boni uel sapiat uel uelit aut possit. Corpus quoq; ipsum uarijs adobrutũ calamitatibus morti corruptioniq; factum est obnoxium. Rectissime ergo Paulus dixit nasci nos iræ filios, & per omnem uitam nostram obnoxios esse seruituti, metuq; teneri mortis. Rectissime quoq; idem ille in nos illa prophetarum strinxit testimonia, Nõ est iustus, ne unus quidem, non est qui intelligat, non est qui exquirat deum: omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonum, non est usq; ad unum. Et iterum, Per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Talis inquam est natiuitas illa prima, qua è terra ac filij Adæ nascimur, nosmet amãtes, nostra curantes, & deum ac mandata eius negligentes. Prima ergo natiuitate nascimur filij iræ, peccati & mortis. Dicendum porrò de Natiuitate secunda quæ cœlestis & ex deo est. Quemadmodum animalis & terrenus homo prima illa sua natiuitate à semine sumit initium & ingeniũ: ita regenerationis quoq; initium & uirtus descendit à semine. Porrò semẽ hoc cœleste est & incorruptibile, cœleste utiq; ingenium & incorruptibilitatem ingenerans, sicuti humanum semen nobis indit ingenium terrenum, prauum atq; in omnibus corruptissimum. Semen uero illud est uerbum dei, spiritu sancto uiuificatum in cordibus electorũ. Infundit enim pater cœlestis ex mera sua gratia uerbum ac spiritum suum sanctũ in corda nostra, qui regeneret, id est intellectum & rationem obtenebratam illuminet, ante omnia docens quales à prima natiuitate simus, corruptissimi uidelicet, scelerati, peccatorum damnationis & diaboli mancipia, qui ex nostris uiribus sanctum & bonum non operemur, sed duntaxat malum. Deum autem pro sua bonitate & misericordia ineffabili corrupto generi hominum donasse filium, qui hoc restituat, patri reconciliet, pro peccatis satisfaciat, è tyrannide diaboli liberet, damnationem dissoluat, libertate uera donet, ipsamq; corruptam naturam nostram per peccatũ & nostram culpam, gratia & donis suis restituat. Iam & uoluntatẽ idem ille spiritus impellit ad assensum, ac trahit ad solidam intellectarũ rerum fiduciam, ut uelit quæ iusta & bona esse intellexit, non desperet propter peccata & corruptionẽ, sed credat se propter Christum patri esse reconciliatum, qui iam bene uelit humano generi. Idem uires suppeditat, ut quæ per illius gratiã intelleximus & uoluimus, etiam illius auxilio possimus & faciamus, adhærẽtes uidelicet domino, cui credidimus, & in hoc uno omne præsidium & summum bonũ collocantes, totoq; corde illi seruientes, ceu obsequentes filij. Huc pertinet illud apostoli, Nõ sumus idonei ex nobis tanquam ex nobis cogitare aliquid, sed omnis idoneitas nostra ex deo est. Item illud, Deus est is qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito. Hæc inquam innouatio & immutatio hominis per spiritũ dei facta, secunda dicitur natiuitas seu regeneratio. Nã homo ueluti immutatus denuo nascitur & fit homo nouus, alio iam & longe splendidiore utens intellectu ac uolũtate, præstantioribusq; multò pollens facultatibus seu uiribus. Hinc multa fit in sacris mentio Veteris & Noui hominis. Vetus homo est, qui nondum per spiritum renatus est, sed animali adhuc spiritu ducitur ac uiuit secundum ingenium humanũ. Nouus homo non is est qui corpus exuit et totus in spiritum conuersus est, sed qui in

Natiuitas secunda.

Vetus & Nouus homo.

carne uiuens, non uiuit secundum carnem, sed ducitur spiritu cœlesti, per quem totus in intellectu, uoluntate & uiribus immutatus est. De qua re qui copiosiora cupit, legat apostolum ad Rom. 8. cap. Nisi uero si renascamur, hoc est, innouemur per spiritum, qui illuminet intellectum, docens mysterium Christi, qui item commoueat uoluntatem, & uires suppeditet agatq; in nobis, ducens nos in lege Christi, nunquam sanè intrabimus in regnum dei. Quisq; ergo in se descendat & scrutetur animi latebras, inquirēs quo ducatur & regatur spiritu: an animalis adhuc sit, an spiritualis factus per gratiam Christi. Et si sentit se adhuc animalē, imploret clementissimi domini gratiam, orans sibi concedi spiritum, qui regeneret et innouet. Nam hæc dicuntur in hoc ut recte instituamur.

Animi humani stupiditas.

Cæterum Nicodemus crassus ueræ theologiæ & theologi supremi discipulus, istam domini propositionem non intellexit. Literæ enim inhæsit, quod periculosissimum est, spiritū neglexit. Vnde Chrysost. Animaduerte, ait, quonam pacto qui humanis ratiōibus spiritualia admiscet, ridicula loquitur & delirat tanquā ebrius, quoties diuinorum sensum perscrutatur, neq; eum accipit. Audiuit natiuitatē, sed spiritualem non intellexit, ad carnis generationē traxit, & ridiculas proponit dubitationes: ideo Paulus inquit, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Hæc ille. Hinc ceu è uiuo exemplo disce quid intellectus hominis nondum renouati possit. Nam quid poterat dici crassius & pinguius, quàm quod Nicodemus dicit, Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Num potest in uentrē matris suæ iterum introire ac nasci? Disce quid sit literæ affixum cortici inhærere: & quod uerissima est D. Augustini sententia dicentis in lib. de doctrina Christ. 2. Nulla mors animæ congruentior, quàm literæ inhærere, spiritum negligere. Verum audiamus quomodo ipse dominus secundum ac cœlestē natiuitatē declaret.

Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ne mireris quod dixi tibi, Oportet uos nasci è supernis. Spiritus ubi uult spirat, & uocē eius audis, sed nescis unde ueniat & quo uadat. Sic est omnis qui natus est è spiritu.

Regeneratio qualis esse debeat exponitur clarius.

Non intellexit Nicodemus dogma de Renascentia & innouatione hominum, benignus ergo dominus quæ uidebatur dixisse obscurius, clarius porrò exponit, docens nasci è supernis aliud non esse, quàm ex aqua & spiritu nasci, eumq; esse uerum renascendi morem. Neq; sic obscurum explicat per obscurius, sed symbola siue parabolas profert, quibus ad exponendum nihil est melius, aptius, perspicatius efficatiusq;. Spiritus sancti in cordibus efficaciter operantis, totumq; hominem interna & inuisibili ui innouantis symbola sunt Aqua & Aër siue flatus aut uentus. Aqua enim abluit, purgat, innouat, refrigerat. Flatus res est inuisibilis, attamen efficax immutans & quasi uiuificans, & in uita cōseruans corpora nostra. Habent utraq; illa tantam in corpora nostra operationē, ut mutata illa uel immutata perfrequenter uel sanitatem reducant, morbosq; expellant, uel morbos confirment, & sanitatem prohibeāt. Corripuit enim aliquem febris, atq; ea nulla curatur medicina nisi mutato aëre. Cum his ergo liquidioribus elementis maximā congruentiam habet diuinus spiritus, & ipse purgans, refrigerans, & omnino alio imbuens ingenio quos afflare cœpit. Vt autem sibi ubiq; constaret ueritas, repetit iurisiurandi confirmationem denuo, & dicit, Amen amē dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua, &c. Id est, Hoc tibi pro certissimo persuasum habeto, neminē salutem consequi, neminem iustificari, & in beatam uitam transponi posse, nisi prius

sit illu

sit illuminatus, & quasi renatus nouisq; instructus dotibus per spiritũ sanctum, quem scriptura ex effectu iam aquam, mox uentum aut flatum appellitat. Nam scripturæ, prophetarum maxime, ubiq; spiritum sanctum adumbrant nobis per elementum aquæ, ita quoque gratiæ & doctrinæ cœlestis operationem significantes seu adumbrantes. In Isaia enim legis cap. 44. Effundam aquas super sitientem & fluenta super aridam. Et mox per interpretationem, Effundam spiritum meum super semen tuum, &c. Huius generis sunt alij loci innumeri. Sed & in cap. 4. & 7. huius historiæ, sequentur quædam, præsentia mire explicantia, uelut illud, Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Quibus mox addit Ioãnes, Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Quod autem spiritũ proxime post aquam positum, exposuimus per aërem, flatum uel uentum, inde est quod mox in ipsis domini uerbis sequetur, Spiritus ubi uult spirat, &c. Præterea Ruah uox est anceps Hebræis, quæ non tam ad spiritum sanctũ quàm ad flatum seu uentum refertur. Iam & Chrysost. Homel. in Ioannẽ 24. Christus, inquit, alio exemplo Nicodemum allicit. Siquidem anima incorporea est, Nicodemus uero crassioribus adhuc in cogitationibus uersabatur. Medium igitur adduxit exemplum, quod non ad solidi corporis naturam, neque ad incorpoream ascendit, hoc est uenti impetum. Et primũ ab aqua orditur, quæ tenuior est quàm terra, crassior quàm uentus. Et quæ sequuntur. Quod si quis acriter contendat per spiritum omnino intelligendum esse spiritum sanctum, non refragor. Omnino enim spiritus sanctus intelligendus est: interea uero, ne gratia collationis deperdatur, uentũ quoq; per spiritũ intelligi oportet, cui assimilatur spiritus sanctus, quemadmodũ & in Actis cap. 2. Et quia crassam de natiuitate sententiam cõceperat Nicodemus, dominus ut ipsam dissolueret, subijcit Gnomam catholicam, uniuersalem uidelicet sententiam, quam alij uocant Maximam. Simile, inquit, perpetuo generat sibi simile: & proinde crassa corpora generant crassa: subtilia autem liquida tenuiaq; nascũtur ex subtilissimis quibusq;. Iam ergo cũ simile semper è simili generetur, cõsequens est ex homine non posse nasci nisi hominem, adeo ut si iam rediret aliquis in uentrem matris suæ mox renascendus, non tamen alius posset nunc renasci q̃ prius fuerat natus. Ego uero loquor de noua quadã & prorsus aliena natiuitate adeoq; diuersissima ab illa uestra uulgari & corporea, nimirum de spirituali: qua eodem corpore manente neque mutata aut transformata corporis figura, animus prorsus mutatur, adeoq; totus homo alius ac nouus quidam fit homo, diuersiore nunc multò quàm hactenus intellectu, uoluntate, & potentia utens, odiens nunc quod prius dilexerat, & spernens iam quod admiratus fuerat hucusq;, hoc est terrena calcans, cœlestia suspiciens.

Aqua spiritus.

Flatus spiritus.

Cõfutatur crassa opinio de generatione.

Abutuntur hac sententia hæretici, ueram & naturalem Christi humanitatem reuocantes in dubium, quasi is uera caro esse non possit qui conceptus est è spiritu sancto. Verum non animaduertunt stupidi & insani, disertis uerbis dici in symbolo, conceptum esse dominum nostrum è spiritu sancto, & natum ex Maria uirgine. Hinc enim colligimus Christum ueram habere carnem. Quia Maria, ex qua natus est, ueram habuit carnem. At necesse est carnem nasci ex carne: iuxta sententiam domini in præsentia aperte pronunciantis, Quod natum est ex carne caro est, & quod nascitur ex spiritu spiritus est. Atqui caro saluatoris nostri non est nata ex spiritu. Quod conceptus dicitur è spiritu sancto, non eum sensum habet, quasi carnem traxerit è substantia spiritus. Carnem enim traxit ex uisceribus generis Abrahæ & Dauidis, cuius filia fuit Maria: sed conceptus est non è uirili se-

Natiuitas Christi spiritualis ne an carnalis?

mine, sed è cœlesti spiramine, fœcundante uidelicet spiritu uirginem, diuinaq; potentia efficiente, ut uirgo sola, sine uiro, dei filio Iesu Christo de sua substantia humanam solidam ac ueram daret carnem. Ergo spiritus sanctus non fuit loco seminis, neq; caro Christi è spiritu sancto ut semine concepta est. Absit à pectoribus sanctorum ineptissima illa imaginatio. Virgo enim humanitatem filio dei ex seipsa contulit, idq; opera & uirtute spiritus, qui ipsam fœcundauit cœlitus. De qua re copiosius uolente deo dicetur in 1. cap. euangelij Lucæ, ubi ab angelo dicitur, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Porrò ne quid dubij uel ambiguitatis in negotio salutis nostræ primario, uel apud Nicodemum, uel fideles uerbi auditores relinqueretur, adhuc planius fusiusq; modum regenerationis indicans ac explicans, Ne mireris, inquit, quod dixi tibi, Oportet uos nasci è supernis, &c. Quibus uerbis principio repetit propositionem, nempe, Oportere renasci è supernis. Deinde modum renascendi expoliens, & quid sit è supernis nasci exponens, parabolam subijcit huiusmodi, Spiritus ubi uult spirat, &c. Est autem loquendi genus, Spiritus ubi uult spirat, pro eo quod est, Flatus pro suo ingenio suaq; natura quò libet fertur, & sentitur quidem ac auditur, nõ cernitur, mirificam tamen uim exercet in corpora. Sic cœlestis quoque illa generatio sentitur, non cernitur. Manente enim corpore figuraq; corporis, illud quod in homine potissimum est, & quo totum corpus regitur, mutatur, animus, quo immutato totus certè homo innouatus, & quodammodo renatus esse uidetur. Paraphrastes similitudinem hanc domini felici copia & perspicuitate illustrans, dicit, Quod si nondum animo consequeris, sume tibi imaginem ab his rebus, quæ cum spiritualibus nonnullam habent congruentiam, & tamen corporeis sensibus percipiuntur. Deus simplicissimus est spiritus, procul q; semotus ab omnibus sensibus corporeis, sed hic aër quo uegetamur, & cuius tantam uim & utilitatem sentimus, quoniam ad nostra corpora collatus subtilior est, spiritus dicitur. Atque hic spiritus non cohibetur hominum arbitrio, sed impetu suo fertur quò uisum est, per omnia sese diffundens, mirificam uim inferens rebus corporalibus, nonnunquam uitam afferens, nonnunquam mortem: nunc tranquillus & tacitus, nunc rursus uiolentior, interim ab oriente spirans, interim ab occidente, interim ab alijs atque alijs mundi partibus & effectu se prodit, ac uocem illius audis cum nullum corpus uideas, nec sit quod manibus possis apprehendere: sentis præsentem, nec uides uenientem, nec uides quò se proripiat abiens. Tale quiddam habet hæc spiritualis natiuitas. Arcanis afflatibus mentes hominum à dei spiritu rapiuntur ac transformantur. Vis & effectus ineffabilis sentitur: nec tamen oculis cernitur id quod agitur. Et qui sic renati sunt, non iam aguntur humano carnali q; spiritu, sed spiritu dei, qui uiuificat & moderatur omnia. Tantum ille. Istud uero in primis obseruandum est, hæc non ad Nicodemum tantum pertinere, sed ad omnes homines. Clare enim dicit dominus, Ne mireris quod dixi tibi, Oportet uos nasci è supernis. En, Oportet uos, inquit, nasci è supernis, uos inquam, nõ te: ergo nobis omnibus dictum putabimus, quod hactenus de renascentia dictum est Nicodemo. Hæc autem hactenus de renascentia primario nostræ religionis capite disputata sint. Nisi enim acceperimus spiritum dei, qui cordis nostri tenebras illuminet, fidem donet, facultatibus q; instruat, noster intellectus, nostra uoluntas, nostræq; uires per se nihil præstabunt diuini, sancti ac iusti. At ubi per aduentum sancti spiritus impia nostri fiducia superba q; carnis arrogantia fuerimus liberati, purgati, & ut sic dicam euacuati, protinus alij iam facti, agnoscimus beneficium nobis præstitum per Christũ, uiuit q; in nobis Christus, & nos in ipso, Paulo quoque attestante, Viuo iam non ego, sed uiuit

Adumbratur natiuitas spiritualis.

Pertinent hæc ad omnes homines.

uiuit in me Christus. Et quanquam primas in regeneratione obtineat interna gratia sancti spiritus, nemo tamen pius reiecerit prædicationem uerbi dei, qua plantatur fides, oratio fidelis, qua fidem sibi dari augeriq; postulant sancti, & ipse baptismus, quo purgari & à peccatis ablui dicimur. Habent illa omnia locum suum & usum, quæ si quis contempserit, spiritus dono carere sese palàm ostendit. Id quod ideo indico, ne quis suspicetur me Verbi ministerium, & baptismi mysterium negligere, quod per aquam in præsenti loco non intellexi baptismum. Sensus enim quem indicaui uidetur mihi magis genuinus & minus coactus. Interea per me quidem licet alijs amplecti & sequi eorum expositionem, qui per aquam intelligunt baptismum: imò annoto iam Cyrilli uerba, ex secundo libro in Ioannẽ, cap. 42. Quoniam non intellexit Nicodemus, ait, quid renasci desuper significet, apertius totum mysterium & breuiter ei exponit. Regenerationem enim, quæ per spiritum sanctum fit, nasci desuper dominus appellauit: ut etiam ex hoc discemus, iccirco nos dei fieri participes, quoniam spiritum, qui substantialiter ex deo procedit, per baptismum acquirimus, quo in pristinam pulchritudinem reformati, & ad nouam uitam renati à deo in filios adoptamur. Et reliqua. Plura ac pleniora qui cupit inueniet apud Sanctum Augustinum in Quæst. Veteris & Noui testamenti, quæst. 59. *Aqua baptismus.*

Respondit Nicodemus, ac dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei, Tu ne ille doctor Israelis es, & hæc ignoras? Amẽ amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero cœlestia, credituri sitis?

Quanquam uero dominus multa diligentia symbolis etiam adhibitis sententiam suam de regeneratione exposuisset, Nicodemus tamen istam ne sic quidem intellexit, ipsa re ac ueluti experimento quodam obiecto oculis declarans, id esse ueriſſimum quod tota hac disputatione repetitum est sæpissime, nondum regeneratos, quantumuis uideantur pollere sapientia, nihil intelligere mysteriorum cœlestium. Nicodemus enim uir tantus, & post lucem tantam adhuc ignarus & cæcus, quia nondum renatus, dicit, Quomodo possunt hæc fieri, ut scilicet per aquam & spiritum regeneretur homo? subinde uidelicet crassa concipiens phantasmata de regeneratione spirituali. Vnde crassitie illa plus quàm pingui nonnihil offensus dominus increpat ingenium stupidum, dicens, O miseram ouium conditionem, quorum curam agit pastor tam crassus & rerum diuinarum imperitus. *Imperiti doctores.* Hactenus inter præcipuos Israelis doctores cultus es, sed cum illa ignores quæ uel discipulos ignorare turpissimum sit, mirum est quid tu tuiq; ordinis homines pharisæi, & sacerdotes doceatis uestræ fidei commissam plebeculam. Habet sententia post interrogationem, cum admiratione, coniunctam commiserationem, sed & indignationem quandam. Discimus autem ex his domini uerbis, pessime habere res eius populi, cuius magistri uel doctores cœlestis philosophiæ imperiti sunt: rursus in ecclesia nihil esse melius, utilius, præstantius, doctoribus siue pastoribus fidelibus, & solide doctis. Hodie quoque inuenias non paucos, quos uulgus tantum non pro dijs & peritissimis rerum theologicarum adorat, sed si propius conferas cum syncera scriptura ipsorum eruditionem, deprehendas stolidos inani turgere flatu atque turpi arrogantia, & iccirco ecclesias plus detrimenti quàm emolumenti ab huiusmodi ac-

cipere mitratis magistris. Porrò ex istis sumit dominus occasionem & socordiam inepte doctorũ adeoq; ignaui mundi grauius accusandi, & asserendi adeoq; commendandi ueritatem & certitudinem doctrinæ euangelicæ. Quasi dicat, Vos qui in summo estis pretio & existimatione hominum, & quos uulgus ceu orbis luminaria adorat, reuera Cymerijs obscuriores tenebris, quid doceatis, aut quomodo populus recte & simpliciter in uera pietate instituendus sit, penitus ignoratis. Nos uero qui contemnimur, & pro imperitis rerum cœlestium, ceu idiotæ & illiterati à pharisæis ex alto despicimur, comperta, certa, solida, diuinaq; docemus, ego in primis. Nam quæ uidi apud patrem meum in cœlis, cõpertissima inquam mysteria cœlestia, magna cum certitudine trado. Cæterum uos, quod omnium est deploratissimum malum, cum nihil ueri & certi habeatis, pro fabulis tamen damnatis, & ceu inutilia reijcitis, quæ longe certissima & uere præstantissima sunt, quæ recepta uiuificant, reiecta autem condemnant. Explanat nobis illa domini sententia quàm certa & firma sit uniuersa doctrina euangelica, non tam in dogmate de renascentia, quàm in omnibus fidei nostræ articulis siue capitibus. Itaque singula uerba suum habent pondus. Principio enim iureiurando confirmat, quod dicit: quod non solet facere, nisi in rebus maximis & indubitatis. Deinde, Quod scimus, ait, loquimur. Multi quid loquantur nesciunt. Dominus autem non nisi compertissima loquitur. Præterea, Quod uidimus, inquit, testamur, uisa scilicet & longe certissima docentes. Nam & 1. cap. dixit Baptista, Deum nemo uidit unquam: unigenitus qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Et Ioannis octauo cap. ipse dominus, Ego quod uidi apud patrem meum loquor, &c. Eandem ferè certitudinem habent & apostolica scripta, dicta & testimonia, cum apostoli diserte testentur sese proferre uisa & compertissima: quemadmodum in ipsorum literis cernere est. Et dominum quidem apparet ideo usum in uerbis suis numero pluratiuo, quod non tam de se quàm ministris suis, suo instructis spiritu, loqueretur. Cyrillus aliud sentit, dicens, Quoniam patrem & spiritum in seipso saluator naturaliter habet, plurali numero personas testantium protulit: ut quodammodo secundum legem Mosis in ore duorum uel trium omne uerbum firmetur. Obseruent & expendant hanc sententiam domini qui clamitant euangelij authoritatem nullam futuram, nisi eam confirmasset ecclesiæ authoritas, siue comprobatio. Satis enim authoritatis & probationis per se habet doctrina Christi & apostolorũ, nec alieno indiget testimonio. Nam authentica est, & ab ijs prolata qui compertissima, imò & uisa ac indubitata protulere, authorem habens ipsum dei filium, patris sapientiam, ac spiritum sanctum ex apostolis loquentem, ipsum inquam deum uerum, uiuum & æternum. Et quanquã mundus eam ueritatem non recipiat, nihilominus indubitata manet euangelica & apostolica ueritas, apud eos locum & suam authoritatem habens qui ex deo nati sunt. Iam ut stupiditatem mundi & carnis crassitiem grauius accusaret, et apricaretur clarius, cõparationem profert, & ait, Si terrena dixi uobis, & non creditis, &c. Appellat autem Terrena non ipsum dei spiritũ & regenerationẽ quæ fit per spiritũ, sed symbola à rebus sumpta terrenis. Hoc enim dicit, Si res cœlestes terrenis symbolis tectas uestitasq; non intelligitis, & intellectæ ueritati non creditis, quomodo uerisimile est credituros fore si nuda uobis mysteria proponam cœlestia? Inde profecto colliquescit quantæ sint uestræ tenebræ, cum uidelicet tu uir tantus, cuius tam celebris est opinio apud omnes, cumq; ea quæ proponuntur ad captũ uestrum attemperata & uulgariter ac crasse proponuntur, ac ne sic quidẽ uel tantillũ intelligis. Atq; hanc expositionẽ agnoscit etiã S. Augustinus siue quisquis is tandẽ author sit, in

Asseritur ueritas & certitudo doctrinæ euangelicæ.

Quantæ tenebræ nondum renatorum.

Quæst.

Quæstio. Vet. & Noui test. quæst. 59. dicens, Cum nec per exemplũ Nicodemus duceretur ad fidem, tunc audiuit à saluatore, Si terrestria dixi uobis & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credetis? Ista uerba terrena dixit quæ ad exemplum protulit. Hoc est, Si per rationem terrenam exempli dati spiritus, id est uenti, non creditis fieri posse, quia quomodo fiat non uidetur, quomodo fieri poterat ut si darem cœlestia exempla, quæ utiq; nescitis, credaretis? Et quæ sequuntur. Consideret hæc diligentius quisq; apud se, quo rectius cognoscat calamitatem humani generis inflictam nobis per peccatũ, quod ea uidelicet uera sit cæcitas in rebus diuinis, & totius hominis maledicta corruptio, preceturq; feruentius p̃ dono sancti spiritus, per quem renascatur ducaturq; in omnem ueritatem. Insaniunt qui uires hominis in libero euehunt arbitrio. Nam sine Christo nihil possumus. Per Christum confortantem possumus omnia, Ioan. 15. Philip. 4. Colligimus hinc quoq; licere paulò liberius eorum increpare socordiam, qui satis perspicue & copiose audierunt ueritatis negotium exponi, sed per ignauiam non capiunt. Impij sunt qui respondent, Quare dominus non confert mihi spiritũ suum per quem intelligam eius mysteria? Nicodemus enim nihil tale profert, qui tamen eadem occasione & eodem iure domino potuisset obijcere quod obmurmuratores isti: uerum continet se religiose, & ueritatẽ omni diligentia adhibita per interualla discit, subinde interrogans & institutionem petens, orans atq; domino sese subijciens. Idem facient omnes pietatis studiosi: impij obmurmurant perpetuo consilijs domini. *Vires hominis.*

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Pertinent hæc quoq; ad disputationem superiorem, cui connectuntur per particulam copulatiuam Et. Videtur autem prima domini sententia, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, &c. duplicem habere expositionẽ. Vel enim tale est quod dicit, Nemo hactenus usqueadeo exacte diuina cœlestiaq; scrutatus est mysteria, atq; ego, qui sum in sinu & à consilijs dei patris, atq; eius rei gratia descendi è cœlo, ut mundo exponam consilia & secreta patris, quæ uidelicet ad salutem hominum pertinere uidentur. Sic autem sententia illa adiungetur probationis uice ei quæ præcessit, Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur. Præterea erunt omnia illa tropica. Nam per Cœlum intelligimus mysteria cœlestia, diuina, & spiritualia. Ascendere in cœlum, significat eleuata mente scrutari & indagare res cœlestes. In cœlo esse, est cœlos inhabitare, & omnium rerum cœlestium adeoq; omnium arcanorum dei conscium esse. Atque hunc sensum uideo ferè placuisse Paraphrasti ita scribenti, Quis autem hominum aut angelorũ tantus fuit ut ascenderet in cœlũ cœlestia contemplaturus, & ipsam diuinã naturã, ut est, coràm aspecturus? Nemo prorsus ascendit in hoc cœlũ, nisi filius hominis qui è cœlis descendit in terras, qui idem iam nũc uersatur in cœlis, nunquã à diuinitatis cõtemplatione seclusus, licet interim humilis & obscurus uideatur in terris. Vel certè hic est sensus eorum quæ dicit, Quia nondum intelligis Nicodeme quid doceam, en alia uia aggrediar quo rectius negotium salutis tuæ, & omnium piorum intelligas. Doceo hominem sua natura suoq; ingenio quàm alieniſſimum esse à regno dei. Hactenus enim à mundi exordio repertus est nemo, qui propter uirtutes suas meruerit ingredi in regnum dei. Solus dei *Verus cœlestis doctrinæ doctor Iesus.* *Christus uia ad cœlos aperuit cœlum.*

filius dignus repertus est, qui inhabitet cœlum: quippe sanctus, innocens, purus, & diuinæ existens naturæ. Hic autem dei filius ideo de cœlis descendit & incarnatus est, ut post litatam hostiã rursus in cœlos ascendens quàm plurimos secum fratres abduceret in æternam beatitudinẽ. Vnde liquido potest colligi per filium uel propter filium saluari omnes quotquot saluantur. Non enim datũ est hominibus nomen aliud in quo oporteat saluos fieri, nisi nomẽ Iesu Christi, qui est ianua & uia in cœlum, acceptus & dilectus deo patri, ut non possint non grati & acceptissimi esse deo quicunq; incorporati sunt Christo per fidem. Huc pertinet quod Ioan. 14. ipse dominus ait, Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Atq; hunc sensum uideo placuisse fermè S. Augustin. qui Tract. in Ioan. 12. Eia, inquit, fratres, deus uoluit esse filius hominis, homines uoluit esse filios dei. Ipse descendit propter nos, nos ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit & ascendit, qui hoc ait, Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo. Non ergo ascensuri sunt in cœlum quos facit filios dei? Ascensuri sunt planè. Hæc nobis promissio est, Erunt æquales angelis dei. Quomodo ergo nemo ascendit nisi qui descendit? Quia unus descendit & unus ascendit. De cæteris quid intelligendum, nisi quia membra eius erunt, ut unus ascendat. Propterea sequitur, Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit filius hominis qui est in cœlo. Miraris quia hic erat & in cœlo? Tales fecit discipulos suos. Paulum audi apostolum dicentem, Nostra enim conuersatio in cœlis est. Si homo Paulus apostolus ambulabat carne in terra, & conuersabatur in cœlo, deus cœli & terræ non poterat esse & in cœlo & in terra? Si ergo nemo nisi ille descendit & ascendit, quæ spes est cæteris? Ea spes est cæteris. Quia ille propterea descendit & ascendit, ut in illo & cum illo unum essent qui per illum ascensuri essent. Tantum Augustinus.

Aduẽtus Christi in mundum causſæ.

Et quoniam dixerat sese descendisse de cœlo, haud dubie ut denuo ascendens credentes secum subueheret in cœlum, ne quid hic obscuri remaneret uel ambigui, significantius exprimit aduentus sui in mundum causſam, finem, usum ac fructum. Proponit autem id per typum ex lege petitum, quem paucis quidem uerbis citat, ac uerbo uno & altero adiecto mirifice illustrat: satis nimirum habens uno uerbo totum adumbrasse negotium, & studiosis plura indagandi occasionem suppeditasse. Simul autem ostendit quomodo iustitia, salus, & uita nobis natura nostra mortuis atque damnatis obueniat, aut quomodo communicet nobiscum dominus iustitiam suam, nempe per fidem. Alieno enim merito non nostro, aliena iustitia non nostra iustificamur. Quæ quo intelligantur rectius repetemus typum è lege, qui hic attingitur magis quàm tractatur. Sic autẽ legis Num. 21. In itinere animus populi tædio affectus est, & loquutus est populus contra deum & Mosen. Dominus igitur misit in populum serpentes urentes, qui pepulum mordebant: & mortuus est ex Israele populus multus. Venientes ergo ad Mosen dixerũt, Peccauimus, quia loquuti sumus contra dominũ & contra te, ora dominum ut auferat à nobis serpentes istos. Et orauit Moses pro populo. Dixitq; dominus ad Mosen, Fac tibi serpentẽ urentem, & pone eum super palum in sublime sublatũ, fietq; ut si serpens aliquẽ momorderit, & hic illum intueatur, incolumis sit futurus. Fecit itaq; Moses serpentẽ æneũ, et posuit eũ super palũ erectũ, fiebatq; ut si quẽ momordisset serpens, atq; hic intuitus fuisset serpentẽ æneũ, sanaretur. Plana aũt sunt illa oĩa quæ audiuimus, nisi quod addubitatũ uideo à multis quid intelligendum sit per igneos siue urentes serpentes. Ego urentes uel igneos putauerim, non ipsa re & substantia sua siue natura fuisse, sed effectu uel operatione, & appellari posse dipsades. Nam διψὰς desideriũ significat & sitim quã illæ inflicto uulnere

Quid urentes ſerpentes.

uulnere uenenoq; infuso in corporibus excitanti hominum. Sed & שרף quod interpretes & Numeri 21. & Deut. 8. uerterunt igneum seu urentem, nimirum serpentem, nomen habet ab ardore. Ac mirifice his quadrant quæ Cœlius lect. antiq. lib. 25. cap. 33. in hæc uerba scribit, Dipsadi serpentum generis de naturæ ratione ascitum nomen, monumentis proditum ueteribus est. Censetur ea quidem uipera magnitudine minor, ad inferendam perniciem celerior multò. Quos mordicus apprehenderit, siti inarescunt uehementius, ad potumq; efferuescunt, ac inde incessanter haurientes dissiliunt mox. Cauda lineis distinguitur (uti ferunt) duabus, nigrisq;, corpore albicante reliquo, ut scribit Sostratus. Sunt qui & Presteras, id est πρηστῆρας nuncupent (quanquam & eo nomine impetuosior est uentus, ac transuersæ in collo uenæ, necnon fulminis species) καύσωνας etiam alij. Nascuntur in Libya quidem, sed in Arabia præcipue. A quibusdã quoq; dici Melanuros animaduerti, sed & Ammobates, nec non Centridas aut Centrinas ab figura. Nuncupatur in re sacrificali Dipsas. Et reliqua. Iam ut ad explicationem descendamus typi, cuius semina aliquot Christus in præsenti sparsit, Antiquus ille serpens morsum inflixit in paradyso patri nostro Adæ, adeoq; nos omnes qui ex Adamo nati sumus, ueneno pestifero ita infecit & succendit, ut toto uitæ cursu philautia, amore, & studio nostri rerumq; terrenarum toti flagremus, nec aliud quàm deo aduersa concupiscere ualeamus. Quicunq; autem siti concupiscentiæ sic inarescimus, nõ aliud magis optamus, quàm concupita perficere, ac peccatis patratis ueluti nos inebriare. Quod simul atq; factũ fuerit, dissilimus protinus, uiuentes quidẽ mundo, sed mortui deo. Nam stipendiũ peccati mors est. Habes in typo qualis sit conditio generis humani, & quod nemo suis seruatur aut iustificatur uiribus, operibus aut meritis. Nam ne Israelitæ quidem ullis sacrificijs, precibus, uotis, meritis, aut operibus, præsentissimam mortem, & ueneni infusam uim depellere potuerunt. Audi porrò qua ratione, quo modo seruati sint, & quo modo fiat ut & nobis innoxium fiat peccati uenenum. Iubetur Moses in stipidem æneum erigere serpentem, quem si qui ueneno infecti erant à serpentibus intueantur, certò sint in uita incolumes seruandi. Aereus ille serpens Christus est, qui carnem peccatrici per omnia similem induit, ueram utiq; & nostræ carni per omnia æqualem, alienissimam tamen ab omni peccato. Ideo enim serpens appellatur, quia hominibus peccatoribus similis est. Ideo uero æreus est, quia purus, excoctus ab omni peccatorũ scoria, sanctus & innocẽs est, qui nos sanctificat & iustificat, æneus quoq; quia firmus & solida petra est sperantium in ipsum. Libet hic quædam de natura æris ex Cœlij lectionibus antiquis recensere. Aes in sacris & excantationibus magnam habuisse ueteribus authoritatem ac uim scribit Theocriti interpres in Poëtæ pharmaceutria, propterea q; in lunæ deliquijs adhiberi solitum, καὶ ὑδὲ τοῖς κατοιχομένοις, id est & hominum morte. Purius enim cæteris habebatur, καὶ ἀπολασινὸν τῶν μιασμάτων, id est pollutionum expiatorium. Inde eo utebantur in purificationibus uniuersis, ut in libro de Dijs scripsit Apollodorus. In his uero potissimum sacris ænea adhiberi uasa Macrobius solita scribit, quibus delinire aliquos aut deuouere, aut denique exigere morbos uellent. Aeris porrò sonos ceu rem potentissimam multis rebus, Græcorum uetustissimos adhibuisse palàm est. Cuius rationem afferens Alexander, Aes & ferrum, inquit, quatiunt mortales, quod inde dæmonas abigi creditum sit: quo tempore sydera hæc uim suam ad terras non perducant, quæ & hominibus prosit, & improbos retrudat dæmonas. Moris huius meminit Liuius ab urbe condita libro uigesimosexto. Aeri item aduersus putredinem uim inesse efficacem, indicio esse aiunt medicamenta,

Expositio exaltati serpentis in deserto.

Iustificandi uera ratio.

De natura æris.

quæ ſubſtringendi uim habeant eius metalli rubigine à medicis potiſſimum concinnari. Author quoq; Ariſtoteles eſt, uulnera quæ cuſpide ærea, quam ὑδροφορίαν uocant, fuerint illata, uel gladio, minus minusq; afferre doloris, facilius etiam perſanari διὰ τὸ φαρμακῶδες ἔχειν τι τὸν χαλκὸν ἐν ἑαυτῷ, quod medicã uim quandam in ſe obtineat æs, quam in uulnere ſtatim relinquat. Sed & adagio dicimus, id clauum nobis eſſe æneum, quicquid eſt quo nitimur, ut eo tanquam ridica firmiſſima aduerſus reflatum omnem obfirmati conſiſtamus, ueluti malorum omniũ, aut multorum è collo amuletum geſtantes. Hæc author ille lib. lectio. antiq. 19. cap. 10. & 29. lib. cap. 6. Proinde ex ære factus eſt ſerpens, typũ præferens Chriſto, quia hic omnes pollutiones expurgat, hoſtiaq; ſui corporis perfectiſſime purificat credentes. Idem exigit morbos omnes. Nam de hoc ſcriptũ eſt, Infirmitates noſtras ipſe ſuſcepit, & morbos portauit. Prædicatio item ſiue ſonus de æneo illo ſerpente noſtro perſtrepens in orbe, maximam uim habet in pectoribus mortalium, ante omnia malos abigit dæmonas. Idem putredinem prohibet omnem, erodit ſi qua fuerit reperta. Præterea ſanat peccatorum uulnera, ſemper in ſe habens uim medicã, quæ omnibus medeatur ægrotis atq; uulneribus. Clauus item eſt firmiſſimus dominus noſter, quo contra omnem flatum tentationum ac perſequutionum obfirmamur. Qui uero uera fide dominum Ieſum poſſidet, is ueluti efficaciſſimũ à collo, imò à corde, ſuſpenſum gerit amuletum. Cæterum hac de cauſſa dominus non præcepit uiuum & uenenatum tolleret Moſes ſerpentẽ, ac ſuſpẽderet, ſed æreum pararet, nemini enim nocuit Chriſtus unquam, omnibus uero ſemper profuit: & ut peccatum non reperitur in ipſo ullum, ita nemini author eſt peccandi. Nam author eſt ſalutis & iuſtitiæ. Suſpenditur autem ſerpens æneus in ſtipite, quo omnibus eſſet conſpicuus. Erigitur in crucem expanſus dominus Ieſus, ut pro omnibus guſtaret mortẽ, omnibus eſſet ſalutaris & expoſitus, hoſtiaq; corporis ſui expiaret omnia peccata totius mundi. Sequitur enim finis & fructus exaltationis, id eſt crucis ſiue mortis dominicæ (Exaltandi enim uerbũ uel hodie probroſum eſt. Nam de adigendis affigendisq; patibulo dicimus, Du wirſt noch erhöcht, id eſt ſuſpenderis, uel affigeris patibulo) Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Finis & fructus exaltationis, adeoq; aduentus in mundum domini eſt, NE QVIS PEREAT. Non uult benignus dominus perire quenquam. Neminem ex hoc excludit beneficio. Senes, iuuenes, uiros, mulieres, doctos, idiotas, pauperes, diuites, Iudæos & Gentes; breuiter, omnes omnis generis homines, uult ſeruare. Sed quomodo moriens uiuificat? aut quomodo communicat nobiſcum uitam & iuſtitiam ſuam? Quomodo ſanat uulnera noſtra, redditq; uenenum innoxium? Per contemplationem crucifixi fit uenenum innoxium, per contemplationem crucifixi domini uiuificamur. Contemplatio autem, eſt uera, uiua, & ſolida fides in dominum Ieſum, qua indubitanter credimus deum patrẽ propter Chriſtum nobis bene uelle, & placatum eſſe, adeoq; Chriſtum ſuam nobiſcũ communicare iuſtitiam, ſatisfactionem & uitam, ut illa iam ſint noſtra. Ita per fidem applicatur nobis meritum Chriſti, & conceditur uita æterna, per fidem iuſtificamur à peccatis. Interſſet haud dubie quiſquis ſpreto dei cõſilio, dixiſſet, Quid ad incolumitatem comparandam conduceret ſerpens contemplatus? An contemplatio in uita ſeruaret ueneno infectum hominem? Ita haud dubie in æternum peribit, qui contempta prædicatione euangelij, clamat, Quid ad æternam beatitudinem parandam conduceret fides, ſiue contemplatio crucifixi? An fides & contemplatio crucifixi iuſtificaret? Quod ſi adhuc dubitas & perplexus hæres, intuere mihi typum, & repete ſingula ſæpius. Quid obſecro ſeruauit Iſraelitas? quid effecit

Quomodo cõmunicet nobiſcum iuſtitiam dominus Ieſus.

fecit ne occideret uenenum? Contemplatio ſerpentis æneí, non ulla res alia, fides inquam in futurum Meſſiam. Nam Sapientiæ 16. cap. ſic legis, Breui quidem tempore turbati ſunt ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conuerſus eſt, non per hoc quod uidebat ſanabatur, ſed per te omnium ſaluatorem. Et iterum, Filios tuos nec draconum nec uenenatorum uicerunt dentes. Miſericordia enim tua adueniens ſanabat illos. Etenim neq; herba neq; malagma ſanauit eos, ſed tuus domine ſermo, qui ſanat omnia. Hinc iam collige quod idem ſermo, ipſe inquam dei filius, qui tunc morientes in uita ſeruauit, nunc quoq; ſperantes in ſe ſeruat à morte, iuſtificans eos atq; uiuificans nec imputans eis peccata ſua: quemadmodum & Paulus docuit in 2. ad Corinth. 5. cap. Quemadmodum uero tunc nulla alia re niſi uerbo dei, fide intercedente, ſeruati ſunt: ita ne nunc quidem ullis operibus aut meritis iuſtificamur, ſed mera Chriſti iuſtitia per fidem. Eſt autem illa uera & Chriſtiana iuſtificandi ratio, non ab ullo homine inuenta, ſed ab ipſo iuſtificante Chriſto tradita, nempe quod alieno non noſtro merito alienaq; iuſtitia, Chriſti uidelicet, iuſtificemur per fidē. Deus enim nos iuſtos reputat propter Chriſtum, fide id recipimus. Chriſtus eſt noſtra uita, iuſtitia & redemptio, ſatisfactio atq; ſanctificatio, nos illud fide percipimus, & per fidem Chriſto inſerimur, fide noſter fit Chriſtus cum omnibus bonis & gratijs ſuis ut uiuat ipſe in nobis & nos in eo. Nam fides eſt cœleſtis uirtus, nō alienæ rei, ſed ipſius Chriſti contemplatio, adeoq; iucunda perfruitio, non nuda imaginatio, ſed ſpiritus Chriſti participatio.

Patrum expoſitio de æneo ſerpente.

Quanquam autem hæc ſatis per ſe firma ſint & certa, adducam tamen in gratiam eorum qui ueterum delectantur expoſitionibus, Cyrilli atq; Chryſoſtomi huius loci expoſitiones. Ille lib. in Ioan. 2. cap. 49. Cum ſerpentes, inquit, Iudæis immiſſi eſſent, miſericors dominus ſerpentem ex ære Moſen exaltare iuſſit, ut ea in re diſcerent fide ſalutem ſperare. Morſu enim ſerpentis laborantibus unicum erat remedium, exaltatum cum fide ſerpentem aſpicere. Hæc quidem hiſtoria eſt: in qua uelut in tabula totum figuratè incarnationis myſteriū adumbratur. Serpens enim peccatum quod humanum genus paſcebatur ſignificat, quodq; uarijs morſibus uenenum hominibus infundit, quod effugere nullo alio pacto natura humana poterat, niſi auxilio atq; ope diuina. Verbum igitur dei factum in ſimilitudine carnis peccati, in carne ſua peccatum damnauit, reſpicientibusq; in eum fide ſyncera æternæ ſalutis largitor oſtenditur. Quod autem in ſublime ſerpens exaltatus fuit, in eam cognitionem paſſionem Chriſti peruenturam denotabat, ut ſicut ipſe quoq; prædixerat, nemo ſit qui in cruce paſſum fuiſſe ipſum ignoret. Hic uero Homelia in Ioan. 26. Ne, ait, quiſpiam diceret, Quomodo poſſunt in crucifixū credentes ſalui fieri, cum ſe à morte non liberauerit? Veterem in medium adducit hiſtoriam. Nam ſi ad ærei ſerpentis ſimulachrum aſpicientes Iudæi morte liberabantur, quanto maiori qui in crucifixū credunt beneficio fruentur? Neq; enim quod crucifixus eſt iccirco eum imbecillitatis arguas: neq; Iudæos ſuperiores dixeris, ſed mundum deus amauit: ideoq; animale eius templum crucifixum eſt, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Vides crucis cauſſam & ex ea ſalutem? Vides ut figura ueritati conſentiat? Illuc mortem fugerunt Iudæi, ſed temporalem: huc ſempiternam fideles. Illic ictus ſerpentum ſuſpenſus ſerpens ſanauit: hic incorporei ſerpentis plagas Ieſus cruci affixus curauit. Illic corporeis oculis ſuſcipientes ſalutem corporis: hic incorporeis omnium peccatorū remiſſionem conſequuti ſunt. Illic æs ſuſpenſum erat in ſerpentis effigiem: hic dominicum corpus à ſpiritu formatum. Serpens illic mordebat, & ſerpens ſana-

bat: hic mors perdidit, & mors saluum fecit. Ad hæc qui interimebat, serpens ueneno sæuiebat: qui liberabat, nullo. Et reliqua.

An filius hominis in cœlo fuerit ante incarnationem?

Disputatio porrò celebris semper fuit in ecclesia circa hæc domini uerba, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Quæsitum est enim, An filius hominis in cœlo fuerit priusquam filius dei è cœlo descenderit, carnemq; ueram assumpserit ex intemerata uirgine Maria? An simul & semel sit in cœlo & in terra etiam iuxta humanam naturam? Nec defuerunt qui huius loci praua intelligentia contorti, naturas Christi inuicem commiscuerunt, ex humana diuinam, & ex diuina humanam facientes, atque ita per omnia extendentes humanam Christi carnem, quemadmodũ diuinitas per omnia quasi diffunditur. Cæterum fides doctrinaq; euangelica & apostolica simpliciter docet, filium dei esse ab æterno, æternum, increatum, creatorem, inuisibilem, incircumscriptum, incomprehensibilem, omnipotentem, immortalem, & patri ac spiritui sancto per omnia æqualem. Ac eundem quidem, non alium, dei unigenitum, tempore congruo, descendisse de cœlis, ac carnem ex intemeratæ uirginis Mariæ substantia assumpsisse, incarnatum inquam & uerum hominem nobis per omnia, peccato excepto, æqualem factum esse: iuxta quam naturam sit creatus seu creatura, initium habens, mortalis, infirmus, uisibilis, locabilis siue circumscriptus, comprehensibilis, patri & spiritui sancto inæqualis. Duæ enim naturæ in Christo tam clarificato quàm nondum clarificato impermixtæ manent: uniuntur autem personæ nexu indissolubili. Non enim duo sunt Christi, sed unus est Christus, uerus deus & homo, in his diuersis substantijs unus subsistens & indiuisus, non tamen conuersus aut immutatus. Nam deus inconuertibilis est, & manet idem ipse in sæcula: & humana natura si suas amittat proprietates, aliud nimirum facta, nequit appellari aut esse quod dicitur. Deus ergo hominem siue naturam humanam assumpsit in unitatem personæ, non ut alienam, sed ut propriam. Nam uerbum caro factum est. De qua re abunde satis dictum uidetur in cap. 1. Propter hanc autem coniunctionem perfrequenter alteri naturarum tribuitur, quod alterius est:

De communicatione idiomatum.

quem loquendi modum ueteres appellarunt ἰδιωμάτων κοινωνίαν idiomatũ inquam, siue proprietatum, nimirum naturarum communicationem. Cuius quidem generis illud est quod Paulus dixit, Deum suo sibi sanguine acquisiuisse ecclesiam, & dominum gloriæ crucifixum esse. Nam deus natura sua nec sanguinem habet, nec patitur: quoniam uero is qui uerus erat deus & homo Iesus Christus, sanguinem suum crucifixus pro nobis fudit largissime, quæ in eius humanitate peracta

Quomodo filius hominis in cœlo?

sunt, ad diuinitatem improprie, licet non sine eximia ratione, referuntur. Ita in præsenti cum diceret dominus, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, planè tum in cœlo non erat corpore quod assumpserat: sed quia ipse idem erat deus & homo, propter naturarum unitatem & subsistentiam in una persona, alteri dabat quod alterius est. Agnouit hunc sensum & beatus pater Cyrillus qui lib. de Incarnatione unigeniti cap. 26. A cœlo, inquit, homo est Christus, licet carnem sancta uirgo pepererit. Quomodo igitur desuper & de cœlo? Deus uerbum quod est desuper, & ex patre, carnem ex uirgine sancta accipiens, & eam suam propriamq; existimans, tanquam si eam desuper & de cœlo detulisset, dicebat, Et nemo ascendit in cœlum, &c. Ea enim quæ sua sunt propriæ carni semper attribuit, adunatum uero semel iam cum ipsa unũ scilicet æstimabitur. Et rursus libro in Ioannem 2. cap. 49. Cum, ait, dei uerbum de cœlo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem diuidi personas recusans, nec alicui permittens ut templum quod à uirgine assumptum

ptum est, alium filium & alium dei uerbum prædicet. Quamuis quæ utrique naturaliter insunt, decentem distinctionem suscipiant. Vt enim ex deo Verbum est: sic Homo ex muliere. Vnus igitur ex utroque Christus, filiatione indiuisibilis et maiestate diuina. Quomodo enim aliter quæ soli uerbo dei conueniunt, uirginis filio accommodari poterunt? Quomodo autem econuerso, quæ soli carni conueniunt uerbo dei attribuentur? Nunc enim de cœlo filium hominis descēdisse ait. Passionis uero tempore ipse filius dei, tanquam ipse patiens quæ humanitati suæ solummodo congrua sunt, timuisse scribitur. Congruit cum his quod S. Fulgentius scribit libro ad Trasimundum regem secundo, circa finem propemodum, dicens, Ipse dei filius ut immensitatem diuinitatis suæ in terra positus demonstraret, & secundum hominem quem susceperat in terra positus, secundum deum, quod semper erat, præsentem se etiam cœlo doceret, ait, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo. Non quia humana Christi substantia fuisset ubique diffusa, sed quoniam unus idemque dei filius atque hominis filius, uerus deus ex patre, sicut homo uerus ex homine, licet secundum ueram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cœlum totus impleret & terram. Et quæ huius generis alia quàm plurima sequuntur.

Quæ ex naturarum proprietatibus Christo tribuantur & quomodo?

Proinde diligenter inspiciendæ & excutiendæ sunt scripturæ euangelicæ & apostolicæ de Iesu Christo testantes. Sunt enim testimonia quæ peculiariter referuntur ad diuinam eius naturam, quale illud est, Ego & pater unum sumus. Antequam Abraham fieret ego sum. In principio erat uerbum. Ipse est ante omnia, imago dei inconspicui, per quem condita sunt omnia. Quædam singulariter referuntur ad humanam eius naturam, cuius generis illud est, Pater maior me est. Minuisti illum paulò minus ab angelis. Tristis est anima mea usque ad mortē. Verum propter istas diuersas relationes non oportet discindere uel diuidere indissociabilem Christi personam. Imò ne diuideremus, sed intelligeremus crederemusque unicam esse Christi personam, solet scriptura humanæ tribuere naturæ quod diuinæ est, & rursus huic quod illius est. Sicuti iam iam in expositione uerborum domini, Nemo ascendit in cœlum, &c. demonstrauimus. Sunt rursus alia testimonia quæ utramque complectuntur naturam neutri seorsum satis congruentia, cuius generis illud est, Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uerus est potus. Potestatem habeo remittendi peccata, excitandi quos uolo, iustitiam & sanctitatem conferendi. Ego sum lux, pastor, ueritas, uita, uia. Nemo uenit ad patrē nisi per me. Hęc enim ueram Christi substantiam enarrant, & utramque simul naturam comprehendunt mediatoris & saluatoris dei & hominis. Nemo enim remittit peccatum nisi solus deus. Rursus sine sanguinis effusione non fit remissio. Marc. 2. & Hebr. 9.

De modo antidoseos seu alternatæ attributionis.

Et quamuis hæc sint satis dilucida & firma, ne tamen cuiquam contentioso nouatores uideamur, & ut semel hoc negotiū, cuius mentio in hoc opere frequentissime incidet, plene absoluamus, ne denuo de eadem re disputatio sit repetenda, non grauabor ascribere Ioan. Damasceni de hac re dissertationem, & doctam & orthodoxam. Hic enim de modo antidoseos siue retributionis, largitionisue mutuæ, & allœosi siue alternatione uel mutatione, quam alij appellant communicationem idiomatum, disputans, lib. de fide orthodoxa, 3. cap. 4. In domino, inquit, nostro Iesu Christo, quia duas naturas agnoscimus, & unam hypostasin ex utraque compositam, quando naturas respicimus, deitatem humanitatemque uocamus: at uero quando ex naturis coniunctam hypostasin, quandoque ex utrisque simul Christum nominamus & deum & hominem, secundum idem, & deum incarnatum:

Hypostasin uocat, quam nos appellamus personam.

quandoq; uero ex una partium, id est naturarum, deum solum & filium dei, & hominem solum & filium hominis: & quandoq; ex sublimibus solis: quandoq; ex solis humilibus. Nam unus est & hoc & illud similiter existens. Hoc quidem semper existens causaliter ex patre, illud uero posterius homo factus ob miserationem & amorem hominum. Diuinitatem igitur dicentes, non de illa nominamus ea quæ humanitatis sunt propria. Non enim dicimus deitatem aut passibilem aut creatam. Neque de carne, id est humanitate prædicamus ea quæ deitatis sunt propria. Nam neque dicimus carnem, id est humanitatem increatam. At uero de hypostasi, siue ex utraque, siue ex una naturarum eam nominamus, utriusq; naturarum propria illi adijcimus. Nam Christus hoc quidem est quod utrunq; simul & deus & homo dicitur, & creatus & increatus, & passibilis & impassibilis. Et quando ex una naturarum filius dei & deus nominatur, suscipit consustentatæ naturæ, id est carnis propria, deus passibilis nominatus, & dominus gloriæ crucifixus: non secundum quod deus, sed secundum quod homo idem est. Et quando dicitur homo & filius hominis, suscipit diuinæ substantiæ propria, & glorificationes, puerulus ante sæcula, & homo sine principio: non secundum quod puer & homo, sed secundum quod deus qui est ante sæcula factus est in nouissimis puer paruulus. Et iste modus est alternationis, alternataeq; attributionis utriusq; naturæ, alterutri propria uicissim reddentis propter hypostaseos identitatem & ipsarum inuicem immanentiam & insessionem. Secundum hoc possumus dicere de Christo, Hic deus noster in terra uisus est, & hominibus conuersatus est: & homo iste increatus est, impassibilis & incircumscriptus. Hæc hactenus ex Damasceno ascripsimus, qui nihil ex seipso confinxit, sed singula ex scripturis & patribus uetustis mutauit.

Duæ impermixtæ naturæ in una Christi indissociabili persona.

Neque aliam unquam fidem, non ullam doctrinam aliam sequuta est ab ipsa apostolorum prædicatione catholica & orthodoxa ecclesia Christi, semper uidelicet confitens, & aperte quidem diserteq; confitens duas in Christo impermixtas naturas, naturarumq; proprietates, diuinam & humanam, reipsa in unitate indissociabili personæ subsistentes, ac seipsas operationibus distinctis exerentes, non nomine tantum denotatas. Id quod ex generalibus, nec non & particularibus fidei Christianæ symbolis intelligi potest. Symbolum enim Nicenum & Constantinopolitanum ueterem & apostolicam resipiens doctrinam ac simplicitatem, pure & syncere confitetur Christum uerum esse deum & hominem, ex utrisque unum saluatorem. Cui non impares sunt S. Irenæi martyris, & Sep. Tertulliani confessiones, quas qui uidere cupiunt, reperient illius lib. contra hæreses primo, cap. 2. huius uero in Præscript. hæreticorum. Patres in Ephesina Synodo congregati, Carnem, inquiunt, non dicimus in naturam deitatis esse conuersam, nec in substantiam carnis ineffabilem dei uerbi essentiam commutatam. Inconuertibilis enim & incommutabilis est deus. Vnitum ergo carni uerbum dei secundum subsistentiam confitentes, unum adoramus filium & dominum Iesum Christum, non seorsim ponentes hominem & deum, sed unum solummodo Christum dei patris uerbum cum propria carne cognoscimus. Rursus confitentur Calcedoneñ. Synodi D C X X X. patres, unum eundemq; Christum filium dominum unigenitum, in duabus naturis incõfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter cognoscendum: in nullo naturarum differentias, propter unitatem, perimendas: magis autem salua utriusq; naturæ proprietate, & in unam personam concurrente, non in duas personas, partiendũ. In quinta Synodo Constantinopoli celebrata, I I I I. illa symbola præcedentium I I I I. Synodorum recitata, atq; pro orthodoxis sunt recepta.

recepta. Sexta Synodus à superioribus nihil uarians, in confessione fidei, uno ore & corde sic confitetur, Inconfusum & indiuisum conseruantes dominum Iesum, asserimus duas eius esse naturas in una eius radiante hypostasi: in qua tam miracula quàm passiones per omnem sui dispensationem conuersatus, non per phantasiam, sed ueraciter hæc demonstrauit, ob naturalem differentiam in eadem una hypostasi cognoscendam, dum cum alterius communione utraq; natura indiuise & inconfuse propria uellet atq; operaretur. Iuxta quam rationem & duas naturales uoluntates & operationes confitemur ad salutem humani generis conuenienter in eo concurrentes. Consiliũ Toletanũ primum sub Arcadio & Honorio celebratum contra Priscillianistas, inter alia, Confitemur, ait, filium dei deum natum è patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum uirginis Mariæ, atq; ex ea uerum hominem, sine uirili generatũ semine, suscepisse, duabus duntaxat naturis, id est deitatis & carnis in unam conuenientibus omnino personã, id est dominum nostrum Iesum Christum. Et mox, Si quis dixerit uel crediderit deitatem Christi conuertibilem fuisse, uel patibilẽ, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit deitatis & carnis unam in Christo esse naturã, anathema sit. Porrò qui in IIII. Toletana Synodo conuenere, confitentur filiũ dei sine peccato assumpsisse hominem, ac mansisse quod erat, assumpsisse autem quod non erat, æqualẽ patri secundum diuinitatem, minorem patre secundum humanitatẽ, habentẽ in una persona duarum naturarum proprietatẽ. Naturæ enim, inquiunt, in illo duæ deus & homo: non aut duo filij uel duo dij, sed idem una persona in utraq; natura, perferens passionem & mortẽ pro nostra salute, non in uirtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis. His per omnia cõgruunt quæ in VI. Synodo Toletana de hac eadẽ re patres confessi sunt. Cõgruunt & Definitiones ecclesiasticæ, quarũ uerba non uno tantum loco in meis operibus posui. Sunt præterea confessiones multæ aliæ illustres & præclaræ sanctorum dei martyrum & ecclesiarum præsidum, diserte naturarũ distinctas proprietates in una indiuisibili persona exprimentes. Extat ante alia S. Athanasij symbolum ipso sole clarius: è quo, quia uulgatissimũ est, nihil adduco. Idem ad Epictetum Corinthiorum episcopum, Patres, inquit, in Nicea Synodo congregati, non corpus sed ipsum filium dixerunt consubstantialem patri, & hunc quidem ex substantia patris, corpus autem ex Maria esse confessi sunt, secundũ scripturas. Et iterum, Ipse erat patiens & non patiens. Patiens quidẽ, quoniam proprium eius corpus patiebatur, & in ipso qui patiebatur erat nõ patiens: propterea quia natura deus manens uerbũ est impassibile. Et ipse quidẽ incorporalis erat in corpore passibili: corpus autem habebat in se uerbum impassibile, destruens infirmitates ipsius corporis, &c. Conueniunt his quæ beatus Cyrillus ad Successum scripsit. Sed & nonnulla eius uiri testimonia annotauimus in superioribus. Nec aliena ab ijs, pdidit in libris suis de sancta Trinit. D. August. qui in lib. de Agone Christiano, & in Enchiridij cap. 34. & 35. manifestissime diuersissimas naturas in unam connectit personam, illas quidem suis proprietatibus distinctas, hanc uero indissociabilem asserens. Porrò Damasus Papa in symbolo suo, Filius dei, inquit, carnem & animam & sensum, hoc est perfectum suscepit hominẽ, nec amisit quod erat, sed cœpit esse quod non erat, ita tamen ut perfectus in suis sit, & uerus in nostris. Nam qui deus erat, ut homo natus est: & qui homo natus est, operatur ut deus: & qui operatur ut deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut deus resurgit. Beatus quoq; Leo episcopus in epist. ad Flauianum, Qui, inquit, uerus est deus dominus noster Iesus Christus, idem uerus est homo: & nullũ est in hac unitate mendaciũ, dum inuicẽ sunt & humilitas hominis & altitudo deitatis.

Sicut enim deus nõ mutatur miſeratione, ita homo nõ conſumitur dignitate. Egit enim utraq; forma cũ alterius cõmunione quod ꝓprium eſt, uerbo ſcilicet operante quod uerbi eſt, & quod carnis eſt carne exequente. Vnũ horũ coruſcat miraculis, aliud ſuccũbit iniurijs: & ſicut uerbũ ab æqualitate paternæ glorię non receſſit, ita caro naturã noſtri generis nõ reliquit. Vnus enim idemq; eſt, quod ſæpe dicendũ eſt, uere dei filius, & uere hominis filius. Eadẽ repetit idem in epiſt. 33. ad Leonem Auguſtũ Imp. Sed & beatus Fulgentius lib. ad Traſimundũ regẽ 3. Nos ait, fidem retinentes euangelicæ ueritatis ſic in mediatore dei & hominũ homine Chriſto Ieſu propria uniuſcuiuſq; naturæ cognoſcimus, ut unitatẽ perſonæ nullatenus diuidamus, ſcientes quod ſic utriuſq; in Chriſto ſubſtantię manſerit unita ꝓprietas, ut in carne patiens impaſſibilis deus, & uerã paſſionẽ (quia uoluit) in uera carne ſentiret, & in diuinitate prorſus impaſſibiliter permaneret, nec alius in carne paſſus fuerit, niſi ille qui in uera carnis paſſione impaſſibilis oĩno permanſit: nec alius ſemetipſum morti dignatus ſit tradere, q̃ ille qui ſic potuit moriendo mortẽ uincere, ut mortẽ nõ poſſet in morte ſentire. Iam extat quoq; ſymbolũ nõ incelebre S. Hieronymo inſcriptũ, qui Damaſo fidẽ ſuã explicet ac dicat inter alia, Credimus uerbum carnẽ eſſe factũ, aſſumendo hominẽ non permutando deitatẽ: nec ut quidam ſceleratiſſime opinantur, ſpiritũ ſanctũ dicimus fuiſſe ꝓ ſemine, ſed potentia & uirtute creatoris operatũ. Sic aũt cõfitemur in Chriſto unã filij eſſe perſonam, ut dicamus duas eſſe perfectas atq; integras ſubſtantias, id eſt deitatis atq; humanitatis, quæ ex anima cõtinetur & corpore. Illorum aũt execramur blaſphemiã qui nouo ſenſu aſſerere conantur à tempore ſuſceptæ carnis oĩa quæ erant deitatis in hominẽ demigraſſe, & rurſum quæ erãt humanitatis in deũ eſſe transfuſa: ut quod nulla unquã hæreſis dicere auſa fuit, uideatur hac cõfuſione utraq; exinanita ſubſtantia deitatis ſcilicet et humanitatis, et à ꝓprio ſtatu in aliud eſſe mutata, qui tam deũ imperfectũ in filio q̃ hominẽ confitentur, ut nec deũ uerũ, nec hominẽ tenere credantur. Nos aũt dicimus ſuſceptũ ita à dei filio paſſibile noſtrũ, ut deitas impaſſibilis permaneret. His ſimilia multa ex alijs quoq; eccleſiaſticis ſcriptoribus adducere poſſem, niſi breuitati ſtuderem. Iſta enim paulò copioſius propoſui propter illos quibus nihil perſuadetur, niſi patrũ ſententijs & authoritate confirmatum ſit.

Deificatio carnis Chriſti qualis.

Confutantur illis quoq; lubrici illius diſputatoris ineptiæ, qui editis ſuperioribus diebus aliquot libellis Germanicis anxie contendit Chriſtũ in gloria non eſſe amplius creaturam, multaq; lubrice cõmentatur de deificatione humanæ naturæ Chriſti. Eccleſia enim à temporibus apoſtolorũ, adeoq; ex ipſa apoſtolorũ doctrina hucuſq; credidit, & docuit Ieſum Chriſtũ in cœlos exaltatũ, ꝓprietates naturarum in unitate perſonæ immutabiliter & indiuiſibiliter retinere: deificationẽ talẽ nunquã docuit uel agnouit, qualem ille cõminiſcitur. Ego ab huiuſmodi uocis nouitate (Vergottet ſin) prorſus abſtineo, alijſq; abſtinendũ & cauendũ puto, qui nouã Carnẽ Chriſti in ſcripturis appellari diſerte Semen mulieris, ſemen Abrahæ, Germen adeoq; fructũ uentris Dauid, & benedictũ fructum uentris Mariæ filiæ Dauidis, carnẽ filij hominis uereq; humanã, & noſtræ carni, excepto peccato, per oĩa ſimilẽ. Fateor tamen Gregoriũ Nazianzenũ uocabulo illo alicubi ferè uſum eſſe, ſed longe alia ratiõe q̃ ille facit. Id quod ex ſubiectis D. Ioan. Damaſceni uerbis patebit. Hic enim de Fide orthodoxa lib. 3. cap. 17. diſputans de deificatione naturæ carnis dñi & uoluntatis, Scire refert, ait, quod nõ ſecundũ tranſmutationẽ naturę aut uerſionẽ aut alienationẽ, aut confuſionẽ caro dñi deificata dicitur, ſimul deus, & deus facta, ut diuiniloquus inquit Gregorius: quorũ hoc quidem deificauit, illud uero deificatũ eſt, auſim dicere ὁμοθεὸν, id eſt ſimul deũ. Hęc enim non ſecundũ

tranſm u-

transmutationē, sed secundū dispensatoriā unionē, secundum hypostasin dico, secundū quam inseparabiliter deo uerbo unitur. Nā ut humanationē sine transmutatione & uersione confitemur, ita & factā deificationē carnis glorificamus. Neq; enim iccirco quod uerbū caro factū est, à terminis ꝓpriæ diuinitatis excessit, neq; ab ijs (quæ diuinitati adsunt) deo decentibus glorificationibus. Imò ne caro quidē deificata à ꝓpria uersa est natura, aut à naturalibus ꝓprietatibus. Manserūt enim & post unionē naturæ inconfusæ & earū ꝓprietates illęsæ. Caro autē domini, diuinis actionibus ditata est, ꝓpter purissimā ad uerbum unionē, id est hypostasin, nequaquā naturaliū proprietatū excidentiā sustinens. Non enim secundū propriā actionē, sed ꝓpter unitum sibi uerbū diuina operatur, uerbo per eam propriā manifestante actionē. Nam & urit ignitū ferrū, non naturali ratione ustiuā possidens actionē, sed ex unione ignis ad ferrū illud obtinet. Ipsa ergo mortalis erat ꝓpter seipsam, & uiuificans ꝓpter unionē ad uerbū secundū hypostasin. Et mox addit, Sciendum quod deificatio naturę q̄ apertissime demonstratiuū est duarum naturarū. Nam perinde atq; ignitio nō transmutat igniti naturā in eam quæ est ipsius ignis, sed ostendit quod ignitur & quod ignit, & non unius, sed duarū est ostensiua. Ita & deificatio non unā constituit naturā cōpositam, sed duas, & unionē secundum hypostasin. Dicit enim diuiniloquus Gregorius, Quorū hoc quidē deificauit, illud uero deificatum est: quorum dicens, & hoc quidē & illud, duo demonstrauit. Hæc omnia Damascenus mira luce exponens, satis manifeste refellit uanū istud cōmentum deificationis è creata natura increatā efficientis, aut creaturā in domino exaltato in gloria abnegantis. Quod si patres huius aliquid assererent, mihi tamen potior semper esset scripturæ assertio perhibentis Christū etiam in gloria uera & solida carne esse amictum.

Deificatio Christi nō confundit proprietates naturarū.

Cæterū sentiunt isti fortassis deificationē illam suā non in incarnatione, sed in glorificatione perfectā esse. Atqui constat dominū Iesum corpore glorificato seu clarificato resurrexisse à mortuis, & eo ipso corpore ascendisse in cœlū, & in eodē sedere ad dexterā patris, in eodē denicq; uenturū ad iudicandū uiuos & mortuos: unde consequens est clarificatione seu gloria corporis ueritatē naturarū mue proprietates neq; cōfusas esse neq; ablatas. Clarificatio enim non est substantiæ & naturæ euacuatio, sed naturæ potius defecatio ac cōseruatio in felicissimo statu. Proinde manet in Christo naturarū ꝓprietas, etiā in gloria, nec ulla fit illarū confusio. Atq; ita docuerūt, nō modo sacræ literæ quibus nos fidē tribuimus, sed etiā quotquot à temporibus apostolorū usq; nunc orthodoxi sunt habiti, damnarūt doctrinam contrariā. Inter quos non postremus Cyrill. epist. sua ad Successum Isauriæ Diocæs. Episcopū, Quia, inquit, in tuo Cōmonitorio huius quiddā repperi quasi post resurrectionem sancta caro Christi saluatoris nostri oīno in deitatis sit cōuersa naturā, ita ut iam diuinitas sola tota esse uideatur oportere, credidimus etiā hoc ad te dare responsum. Post resurrectionē quidē erat corpus ipsum quod passum fuerat: ueruntamen iam non habens in se infirmitates humanas. Nō enim illā patientem famis, laboris, uel similis alicuius asserimus, sed iā incorruptibile confitemur, nec hoc solū, sed & uiuificū. Vitæ enim corpus est, id est unigeniti filij dei. Glorificatū est claritate deo dignissima, & intelligitur dei corpus. Iccirco si quis illud diuinum dicat, sicut & hominis humanū, à decentissima ratione non deuiat. Vnde puto beatissimū quoq; Paulū dicere, Etsi cognouimus secundū carnē Christū, nunc tamen sic non nouimus. Dei enim, ut dixi, propriū corpus existens, omnia humana transcendit. Conuersionē autē in deitatis naturā corpus è terra non potuit sustinere. Hoc enim impossibile est. Alioqui deitati derogamus tanquā factæ, & ue-

Deificatio carnis nulla est facta in glorificatione.

An post resurrectionem caro Christi conuersa sit in deitatis naturam?

lut assumpto aliquid in se, quod eius iuxta naturã propriũ nõ sit. Dehinc æqualis ꝓbatur ineptiæ, dicere cõuersum esse corpus in deitatis naturã, & illud quod uerbum sit in carnis substantiam cõmutatum. Sicut enim hoc impossibile est, quia inconuertibile & incommutabile comprobatur, ita illud etiam non est possibile in deitatis essentiam uel naturam aliquid creaturarum posse conuerti. Est autẽ creata etiam caro. Ideoq; diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia corpus est dei & ineffabili gloria illustratum incorruptibile & iam sanctum atq; uiuificum confitemur. Quod autem in naturam deitatis sit commutatum, neque sanctorum patrum quisquam sensit aut docuit, neque nos ita sentimus. Non dissimilia tradit idem lib. in Ioan. 2. cap. 144.

Cyrillus creaturista.

Apostolica & sanctorum patrum doctrina agnoscit Christum creaturã in gloria.

Vere autem & recte hoc dixit beatus Cyrillus. Si enim consulas omnia uetusta ecclesiarum & sanctorum symbola, reperies in singulis manifeste exprimi ueritatem corporis Christi clarificati. Ex Græcis certe scriptoribus ecclesiasticis primatum facile obtinens S. Athanasius ad Epictetum inter alia huius generis, Corpus inquit saluatoris, uerũ erat corpus: quia simile erat nostro. Soror enim nostra fuit Maria. Quoniã omnes ex Adã sumus. Et de hoc nunquã aliquis dubitauit, recolens quia scripsit Lucas, Postquam enim resurrexit à mortuis, æstimantibus quibusdam non in corpore ex Maria uideri dominum, sed pro ipso, spiritum, dicebat, Videte manus meas, & pedes, & uestigia clauorum: quia ego ipse sum. Palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere: & hoc dicens ostendit eis manus suas & pedes. Ex quibus confutari possunt iterum qui dicunt in carnem & ossa mutatum esse dominum. Non enim dixit, Sicut me uidetis esse carnem & ossa, sed habere: ut non ipsum uerbum in hæc mutatum esse credatur, sed ipse in ijs & ante mortem & post resurrectionem esse credatur. Ista omnia S. Athanasij sunt. Ex Latinis uero scriptoribus Augustinus non postremus ad Dardanum manifeste dicit, Noli dubitare ibi nunc esse hominem Iesum Christum, unde uenturus est, memoriterq; recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde uenturus est ad uiuos mortuosq; iudicandos: & sic uenturus est illa angelica uoce testante, quemadmodum ire uisus est in cœlum: id est in eadem carnis forma atq; substantia: cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Quibus quid oro poterat dici clarius? Similia scribit in libro de Agone Christiano, & in lib. de Trinitate, Tractatu item in Ioan. 19. 21. nec non in alijs suis operibus. S. Irenæus martyr significantissime in symbolo suo addit carnẽ ascensioni domini, confitens Christum in carne ascendisse in cœlos. Quem imitatus Damasus Pontifex in symbolo suo, Qui deuicto, inquit, mortis imperio, cum ea carne qua natus & passus & mortuus fuerat etiam resurrexit: ascẽdit ad patrẽ, &c. Sed & beatus Leo Pontifex in epistola sua ad Flauianum Constantinopolitanum episcopum, Post resurrectionẽ, ait, dñi, quę utiq; ueri hominis fuit, quia alter non est resuscitatus, q̃ qui fuerat crucifixus & mortuus, quid aliud quadraginta dierũ mora gestum est, q̃ ut fidei nostræ integritas ab omni caligine mundaretur? Et cætera. Huc pertinet quod S. Hierony. in Explanatione symboli sui ad Damasum diserte cõfitetur, Resurrexit dominus noster tertia die, ascendit in cœlũ, sedet ad dexterã dei patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua etiã resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata & in æternum cum deitate mansura. Quæ patrũ sanctorũ iudicia non ideo profero quod humana in hac caussa nitar authoritate, sed quia isti sua scripturis firmarũt, & apostolicam fidem confessi sunt, quam non modice obscurari uideo istorum

disputatio-

disputationibus, quibus adeo dolet quod asserimus Christum in gloria creaturam manere. Si enim nobiscum confitentur duas in Christo naturas, & naturarum proprietates in clarificato remanere, sicut credidit & docuit orthodoxa & apostolica ecclesia, cur tantopere impugnant nos qui asserimus Christum exaltatum iuxta nostram substantiam esse creaturam? An uero negant nostram carnem è mortuis excitatam, & in cœlos esse exaltatam? An negant Christi carnem, nostrã esse carnẽ, nostræ inquam per omnia, excepto peccato, similem? An non illa creatura est, tametsi creatoris sit caro, tametsi & clarificata? Clarificabitur enim & nostrum corpus ad modum clarificationis corporis Christi, ut Paulus ait Philip. 3. & manebit tamen creatura ac corpus uerum. Quid autem prodest uerbis ueritatem confiteri, & disputatione lubrica eandem uertere in dubiũ? Quid pluribus opus est? Vel caro Christi creatura est, uel non est. Si creatura est, uere credimus etiam carnem nostram resuscitandam & leuandam in cœlum, ut transfigurata ad modum corporis dominici ibi sit, ubi nunc est arrhabo restitutionis nostræ corpus domini. Vere credimus Christum uerum deum & hominem, natura humana clarificata quidem, sed non deperdita, mediatorem dei & hominũ hominem agere in cœlis. Si non est creatura, non est in cœlis arrhabo restitutionis nostræ, neq; futura erit in cœlis creatura siue natura humana, uerum inquã & solidum corpus hominis: neque uere huc usq; credidit ecclesia, quæ credidit & docuit Christum iuxta humanam naturam excitatum è mortuis, ac assumptum esse in cœlum, & mediatorem, uerum utiq; deum & hominem, non immixtis naturis, neq; deperditis aut dissolutis, sed uere in una persona remanentibus, aparere nunc in conspectu dei. Sed de his satis monui hactenus pios Lectores, simplici ueritate, non leptologia & nouatione gaudentes, utà monstrifica & lubrica sibi doctrina caueant, cum in Matthæũ quoque cap. 1. 12. 17. 22. 28. & aliàs sæpe etiam in hisce Commentarijs illius negotij meminerim, ac nunc aliò festinet oratio.

Quomodo filius dei descendat de cœlo.

Restat ut paucis nunc quoque explicem quomodo dicatur filius dei descendisse de cœlo. Nam mirari quis poterat, quomodo deus, qui implet omnia, nullo loco uel includitur uel impeditur, dicatur interim descendere. Malo autem illud uerbis explicare beati Fulgentij quàm meis. Ille secundo libro ad Trasimundum regem exponens, quomodo tangente fimbriam uestimẽti Iesu muliere exierit ex ipso uirtus, Quid igitur hæc uirtus, inquit, quæ de domino exiuit? Nunquid exeundo discessit? An ad sanandam sic exiens potuit peruenire, ut à saluatore localiter non posset exire? Quod si localiter ab eo qui uirtus dicitur, uirtus exiuit, dicatur, Qualiter uirtus à uirtute discessit? Si uero talis credulitas fidei Christianæ uidetur incongrua, non alium putemus illum de Christo uirtutis exitum, nisi diuinæ curationis effectum. Tunc enim ad mulierem uirtus saluatoris exiuit, quando in se uirtutem diuinæ curationis agnouit. Sic ergo dei filius, qui est uirtus & sapientia dei, locorum creator & temporum, quemadmodum tempus omne sempiternus præcedit, sic omnem locum immensus excedit: qui nobis Venire tunc dicitur, cum nos illuminare dignatur. De ipso namq; dicit euangelista, In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria uenit, & sui eum non receperunt. Quomodo igitur & in mundo fuisse dicitur, & in mundum uenisse firmatur? An illud est potentiæ, istud gratiæ deputandũ? Ita planè. Secundum diuinitatem nanq; suam nec cœlo unquam defuit, nec inferno nec mundo. Omnia enim per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Secundũ gratiam uero tunc in mundũ uenit, quando pereunti mũdo mira pietate subuenit. Quod etiam ipse testatur, dicens, Nõ enim

misit deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut mundus saluetur per ipsum. Et reliqua.

Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut saluetur mũdus per eum. Qui credit in eũ, non cõdemnatur: qui uero nõ credit, iam cõdemnatus est: quia non credidit in nomẽ unigeniti filij dei.

Caussa fructus & usus incarnationis Christi.

Exponitur copiosius maximi beneficij mundo exhibiti caussa, sed & fructus & usus incarnationis & passionis domini Iesu. Neque est quod quisquam uel diuinum apostolum uel ipsum dominum Iesum putet temere eadem oberrare chorda, eandemq; per tautologiam occinere cantilenam. Ipsissimis enim domini Iesu uerbis, hoc est, uerbis ueracissimis, & omnino cœlestibus, explicat familiarissime ipsius philosophiæ cœlestis caput summam atque compendium. Prænouit haud dubie diuina sapientia caput salutis nostræ omnibus modis impugnandum iri ab hypocritis & hominibus prophanis, his quidem cœlestem iustificationem irridentibus illis uero attribuentibus suo merito & suæ iustitiæ. Proinde uoluit cœlestem philosophiam copiose, plene & plane fidelibus ecclesijs explicare, ne quid superesset ambigui aut obscuri, imò eandem rem subinde repetit & inculcat, quo ueritatem certam & indubitatam contra omnium impiorum procellosos uanitatis uentos cordibus infigat altius. Dixerat autem filium dei descendisse de cœlo, & breui exaltandum fore, extremoq; afficiendum supplicio. Miretur uero aliquis quid huc impulerit filium dei. Et uideri quidem poterat merita hominum fuisse tanta, iustitiam inquam sanctorum, ardentes preces, oblationes iuxta legem multifarias, & alia huius generis opera bona, quibus sibi dominum homines demerentur. Id ne cui in mentem ueniret præoccupans omniaq; gratuitæ dei gratiæ & misericordiæ adscribens, Sic, inquit, deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit. Gratuita inquam siue mera dei philanthropi gratia, & misericordia, illius inæstimabilis beneficij mundo exhibiti unica caussa est, cuius modo meminimus, nempe quod filius dei descendit de cœlo, incarnatus & in crucem exaltatus est, ut omnes uiueremus in morte ipsius. Non debet hic quicquam sibi usurpare aut arrogare ullum meritum humanum. Diuinam enim gratiam euacuat ipsamq; dei dilectionem extenuat quisquis merita hominum iactitat, quasi istis commotus bonus & iustus dominus filium pro nobis dederit. Verum obijciunt aduersarij huius diuinæ gratiæ, non exprimi in præsentiarum, solam gratiam dei unicam & ueram huius beneficij esse causam, neque uerbis domini merita hominum excludi: ideoq; nos nostra malitia scripturas corrumpere & sensum inferre adulterinum. Audiant ergo miseri eundem hunc apostolum in epistola sua manifestissime loquentem atque diserte dicentem, In hoc apparuit charitas dei quod filium suum unigenitum misit deus in mundum ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus deum, sed quod ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Quid ad hæc tam aperta dicent rixatores? An ne sic quidem satis expressum est solam dei gratiam & dilectionem ueram, unicam esse caussam salutis nostræ? An non aperte satis excluſit nostrum meritum qui dixit, In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus deum, &c. Audiant præterea diuinum Paulum apostolum dicentem, Apparuit bonitas & φιλανθρωπία erga homines, amor inquam saluatoris

Omnia nostræ salutis gratiæ sunt.

toris noſtri dei, non ex operibus quæ ſunt in iuſtitia, quæ faciebamus nos (quod iuxta Hebraiſmum tantundem ualet, ac ſi dixiſſet, non propter iuſta opera noſtra, quæ nos faciebamus) ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Et iterum, Elegit nos deus in Chriſto antequam iacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo per charitatem: qui prædeſtinauit nos ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, &c. Rurſus, Filius dei dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Non aſpernor gratiam dei. Nam ſi per legem eſt iuſtitia, igitur Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Quis autem niſi mente captus non intelligat ex perſpicuis his apoſtoli teſtimonijs, omnia diuinæ redemptionis, qua aſſerti ſumus, referenda eſſe ad gratuitam gratiã, & prorſus excluſa eſſe hominũ merita? Cum apoſtolica & euangelica ſententia congruunt & prophetarum teſtimonia, Iſaiæ in primis in fine cap. 43. Excludunt enim etiam ipſa noſtram ſuperbiam, inferunt humilitatem, charitatemq; dei commendant: cuius maximum & infallibile argumentum eſt, quod dicitur mundum dilexiſſe deus. Hoc enim longe efficatius eſt, & maiorem habet emphaſim, quàm ſi dixiſſet, Sic deus dilexit homines. Si enim homines dixiſſet, iuſtos & bonos intelligere potuiſſemus, rurſus huius uel illius ordinis ſtatus aut ætatis homines intelligere licuiſſet, iam uero dixit, mundum. At Ioannes ait mundum in maligno eſſe poſitum. Mundi ergo uocabulo ſignificauit nec unius ætatis ſexus aut ordinis homines, ſed omnes omnium ætatum homines, eosq; in mundo uerſantes & peccato obnoxios. Quò nimirum & illud Pauli pertinet, Commendat charitatem ſuam nobis deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus fuit. Ad epitaſim & abſolutionem ſententiæ illud facit, quod ait, Vnigenitũ datum. Vnigeniti enim uocabulum & filij præſtantem nobilitatem diuinitatemq; denotat, & dilectionis præſtantiam innuit. Qui enim plures habet filios, facilius unum ex multis impendit pro publica incolumitate, quàm qui unigenitum duntaxat habet. Ille enim in ſuperſtitibus habet quo ſe conſoletur. Hic uero unigenito expenſo, planè orbus eſt. Præterea expendit pater cœleſtis unigenitum pro hoſtium ſuorum incolumitate. Vnde excuſſis circumſtantijs in immenſum extollitur dilectio dei diligentis rebelles nos & multis ſceleribus obnoxios homines.

Deus mundum dilexit.

Rurſus autem repetit & inculcat effectum dilectionis dei atque finem propter quem dei filius incarnatus & paſſus eſt, Vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Duo in his ueniunt obſeruanda, prius, Ideo incarnatum & in crucem exaltatum eſſe dominum Ieſum ne quis pereat, nimirum ob peccata ſua, ſed omnes habeant uitam æternam, expiatis uidelicet ſancta ſui corporis hoſtia peccatis. Eſt autem hæc ſuprema & uere beata felicitas, abſoluí & purgari à peccatis, redire cum ſummo deo, ſupremo uidelicet bono, in gratiam, tandẽ & in æterna patria illius beatiſſimo frui conſortio, & in æternũ uiuere. Id autẽ omne parauit nobis incarnatione & morte ſua dei filius: atq; hic finis, hic ille efficax eſt effectus incarnati & paſſi domini Ieſu. Poſterius, ſummũ bonum & beatã uitam per Chriſtum parata eſſe omnibus credentibus. Omnibus inquã, quia neminẽ excludit deus bonus, uerax, æquus, iuſtus, niſi qui ſeipſum ſua ipſius excluſerit perfidia. Credentibus autem, quoniã fide recipimus dei beneficia, communicat Chriſtus omnia ſua cœleſtia dona. Sicuti alibi copioſius demonſtraui. Ideo aũt fidem iterum atq; iterum inculcat dominus, ut certiſſime firmiſſimeq; confirmata eccleſia, non declinaret unquam in ullũ aliud doctrinæ genus, ſed certò ſciret fide in dominum Ieſum ſe uere fore ſeruandam. Quinimo ſignificantius

Incarnatio & crux filij dei beatos facit.

ac copiosius adhuc multo seipsum illustrans, dominus addit, Non enim misit deus filium suum in mundum ut condemnet mundũ, sed ut salutem consequatur mundus per eum. Et peculiare quidem est Ioanni per antitheses & contraria, sua proferre atq; ita altius & fortius infigere. Itaq; quod prius simpliciter extulerat, Venit dei filius à patre missus, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam: hoc ipsum iam repetens effert per cõtrarium, Non enim misit deus filium suum in mundum ut iudicet, &c. Veniet quidem dominus noster Iesus iudex uiuorum & mortuorum in nubibus cœli, sed in fine mundi tandem: nunc uero uenit nõ iudex & uindex, sed assertor clemẽtissimus. Tametsi ergo nunc accusent, adeoq; condemnent te peccata tua maxima, cogita hoc tempus gratiæ & misericordiæ esse, beneq; spera ac confide, recipieris in gratiam. Nam si conuersus fueris, & in Christum dei filium omnem collocaueris fiduciam, qui pro te passus est, ut pro peccatis tuis satisfaceret, teq; deo recõciliaret, saluus eris. Paulus enim ad Romanos, Si deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest ut non & cum eodem omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexterã dei, qui & intercedit pro nobis. Congruit cum his Paulinis illud, quod hisce uerbis à Ioanne proditum est, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Huc pertinet illa euangelica sententia, Venit filius hominis seruare quod perierat: & aliæ his similes multæ.

Christus iam non uenit ut iudicet.

Sola fide percipiuntur dei dona.

Porrò ne quis ignoraret sola fide percipi tanta dei beneficia, tertium iam repetit credentes fore saluandos, Qui, ait, credit in eum, non condemnatur, siue iudicatur. Iudicare uero siue condemnare opposuit absolutioni. Absoluitur autem qui iustificatur: iustificatur qui absoluitur. Vtitur enim sacra scriptura, quod alibi quoq; monuimus, uocabulis iuridicis. Et certe coram iusto tribunali domini, iusto dei iudicio non possumus non condemnari. Quia scriptum est, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Nullus autem hominum manet in omnibus quæ lege dei præcipiuntur: omnes itaq; homines maledicti ad extremum deposcuntur supplicium, luituri pœnas infandas & interitũ sempiternum. At hic interposuit se dei filius, in se suscipiens maledictum & supplicium, ac benedictionem absolutionemq; tam à culpa quàm à pœna omnibus conferens, qui firma fide credunt filium dei descendisse de cœlo, & iustificare credentes. Iustificatio enim aliud non est quàm iudicis declaratio, pronunciantis nos esse iustos, id est ab accusatione & intentata damnatione absolutos & liberatos. Iudicat autem deus pater nos propter satisfactionem domini Iesu liberatos esse à damnatione perpetua, quia credimus. Ideo dominus, Qui credit in eum nõ iudicatur, inquit, id est, non adiudicatur supplicio æterno, sed propter Christum absoluitur, & cohæres Christi fit uitæ æternæ. Ideo uero S. Paulus inuitis inferorum portis, ausus fuit scribere, Colligimus fide iustificari hominem absq; operibus legis. Et iterum, Christus nos redemit ab execratione legis dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Rursus, Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, dei donũ est, non ex operibus, ne quis glorietur. Cæterum qui propter fidem in Christum non iudicatur, plene certe per Christi gratiã à pœna & culpa absoluitur. Docuit

hoc

hoc ueritas, asseruit hoc ipse dei filius. Vbi ergo indulgentiæ? ubi merx Romana satisfactionum & condonationum? ubi porrò ignis purgatorius, & lustralis aqua, & aliæ huius generis præstigiæ? Euanuerunt, & in perpetuum interierunt. Nam ueritas dixit, quod sæpe repetendum est, Qui credit in eum, non iudicatur. Et certe plus quiddam dixit, Non iudicatur, quàm si dixisset, Non manebit in peccatis, nunc enim hoc dixit, Non imputabũtur ei peccata, non ueniet in ullam pœnam, uel in ullum propter peccata sua supplicium. Nam hæc & huiusmodi alia omnia complexus est in unica uoce Iudicare. Hæc altera pars est sententiæ. Nam gemina est, constans ex contrarijs. Nunc itaque opponitur contrarium, Qui uero non credit, iam iudicatus siue condemnatus est. Non credit qui non recipit euangelium, credens pro se incarnatum & passum esse Christum, quo ipse per innocentem eius mortem liberaretur à morte æterna, & absolueretur ab omnibus peccatis. Qui hoc non credit, iudicatus est: id est, in peccatis manet, & æternæ obnoxius est pœnæ. Caussa apponitur, Quia non credit in nomen unigeniti filij dei. Quasi dicat, Vnicus orbi datus est saluator, qui nostra in se suscipiat peccata, maledictionem atq; condemnationem eaq; aboleat diuina uirtute, ut omnis qui ipsi credit tanquã innocenti & unigenito dei filio, uero liberatori, absoluatur à peccatis, maledictione & morte æterna: fiat autem hæres uitæ ac benedictionis æternæ. Extra hunc non est ulla alia benedictio, expiatio, satisfactio, absolutio & salus: unde consequens est, ut peccatis, maledictioni & morti adhuc obnoxius sit, qui filiũ hunc, in quo solo uita est & redemptio, non habet. Huc pertinet illud Ioannis in Canonica, Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est. Quoniam hoc est testimonium dei, quo testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimonium (uitam nimirum) in seipso. Qui non credit deo, mendacem facit eum, quia non credidit in testimonium, quod testatus est deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quod uitam æternam dedit nobis deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam non habet. His quid obsecro dici poterat clarius? In his ergo perseueremus, hæc intimis infixa cordibus teneamus & confiteamur. Quod si angelus è cœlo aliud prædicauerit, anathema sit. Illud tamen non uidetur negligendum quod ipse dominus primo se appellat filium hominis, deinde unigenitum, postremo unigenitum dei filium. Id quod moneo ut obserues naturarum proprietates in unitate persistentes personæ. Quod si non effugierunt dei iudicium qui angelorum legationem & sermones contempserunt, multò minus effugient horrendum supplicium, qui unigenito dei filio non crediderint. Neque enim temere Paulus dixit, Si uolentes peccauerimus post acceptam cognitionem ueritatis (id est, si post auditum & prædicatum nobis euangelium perrexerimus esse increduli. Incredulitas enim peccatum ipsum adeoq; peccati radix est) non ultra pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis quædam expectatio iudicij & ignis uehementia, qui deuoraturus est aduersarios. Et reliqua Hebr. 10.

Qui nõ credit, iudicatus est.

Hæc est autem condemnatio, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius quod per deum sint facta.

Subiunguntur hæc per præoccupationem. Dicat enim aliquis, Cum uenerit

Perit mundus culpa propria.

omnibus saluandis in hunc mundum dei filius, quî fit ut non omnes salutem consequantur? Cuius obsecro culpa tot homines in malitia & impietate perseuerare, & in æternum interire uidemus? Respondet dominus Iesus, Nemo dei morositate uel culpa perit, pereunt autem pereuntes suo uitio & culpa propria. Nam deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Iccirco enim ueritatis lucem, euangelij prædicationem, adeoq; ipsum suum filium Iesum Christum in mundum misit, ut hic omnes ad luminis participationem inuitaret, id quod præstitit eximie. Cæterum qui pereunt homines, eam lucem in animi pectorisue adita admittere renuunt: ideo non dei sed sua ipsius propria culpa pereunt. Hæc est enim condemnatio siue iudicatio, uel hoc est iudicium, id est in eo iustum dei iudicium retegitur atque apparet, quod uidelicet pereuntes proprio uitio in peccatis morte & condemnatione manent, quia deus misit lucem suam in mundum exhibito filio proprio, suum utique faciens officium, ne quis aliquando caussaretur recluſa sibi esse mysteria regni dei: atqui maluerunt pereuntes ipsas tenebras, quas magis & tenerius dilexerunt quàm lucem cœlestem. Quid autem

Tenebræ.

sunt Tenebræ? concupiscentia carnis, dei ignorantia, impietas, error, cæcitas mentis, superstitio, idololatria, scelerata & propudiosa uita, turpitudo, obscœnitas, immundicia, crapula, ebrietas, & quæ alia sunt huius notæ flagitia. Sequitur enim in uerbis domini, Erant enim mala eorum opera. Opera appellauit studia, instituta, quicquid cogitatur, dicitur & fit. Id uniuersum est prauum atque corruptum. In has autem sordes, id est in mundum, demittit sese lux cœlestis, filius dei, cupiens purgare fœditatem illam, & tenebras densissimas teterrimasq; illuminare, & fulgore suo dispellere: uerum pereuntes plus afficiuntur sceleribus, quibus assueuerunt, nolentes ista agnoscere uel confiteri deo, agnitisq; ualedicere, & uita pœnitenti per Christum sordes abstergere. Ergo quod pereunt, sua culpa pereunt, cum bonus dominus officium suum fecerit, hi autem noluerunt suum facere officium. Si perit ægrotus (uerbis Paraphrastæ utor) qui medicum cælat morbum ne sanetur, nónne ipse de se pronunciat, quod suo uitio perit? Sic homines mundo dediti lucem oblatam auersantur quod mala sunt ipsorum opera. Ex his domini uerbis mutuauit apostolus illa, nimirum in 2. ad Corinth. quæ mire huc congruunt, Quod si adhuc uelatum est euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, in quibus deus huius sæculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen euangelij gloriæ Christi, qui est imago dei. Addit generalem sententiam dominus, qua suum institutum illustret clarius, & mores impiorum suis distinctius pingat coloribus. Omnis enim qui mala agit, inquit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. φαῦλα appellauit mala, uilia, peruersa, uitiosa, quæ Germani nuncupamus, Fůl/ôd/schandtlich/nütsôllend sachen. Quisquis operatur impietatẽ, tantum abest ut admittat lucem filij dei, ut extremo quoque persequatur odio. Hoc enim omnes impij proprium habent, quod cum fœdissime peccant, nolunt tamen propter scelera corripi, & in lucem protrahi.

Mundus odit euangelium.

At euangelium hoc uicissim ceu proprium habet quod omnem impietatem retegit, arguit atque persequitur. Iccirco odio internicino persequuntur euangelium & Christum domini quicunque scelerati sunt. Vt enim is qui rem decorosam patrat, noctem amat, ac solem fugit ne prodantur ipsius facta: ita qui sibi male conscij sunt, oderunt lucem euangelicæ ueritatis, per quam omnia, quæ turpia sunt, produntur, ut in Christo emendentur. Intelliges hoc rectius si per omnes hominum gradus ac ordines animum circumferas. Reges & principes, magnates & magistratus, non regnant in iustitia & æquitate. Ambitione, luxu, libidine, sanguine

guine innocentium madent: quæ omnia grauissime accusat euangelium. Isti uero non putant se reges & nobiles fore nisi tales sint quales esse diximus: ergo lucem odiunt, execrantur, & in peccatis suis pereunt. Episcopi, Abbates & Presbyteri euangelium Iesu Christi prædicarent, bono uitæ exemplo omnes ad studium pacis, iustitiæ & innocentiæ inuitarent: sed potiores sunt his leges hominum: splendidius lucrum existit ex Missis, Idolis, Purgatorio, Votis impijs, & Indulgentijs, unde in ijs omnes orationis partes consumunt. Malunt luxum quàm temperantiam, ideo lucem uocant tenebras, & tenebras lucem, adeoq; odio plus quàm Vatiniano Christum cum luce sua persequuntur. Diuites reponerent sibi thesauros in cœlo, bonis operibus essent diuites, fluxis nihil siderent opibus: uerum contrarijs afficiuntur: ergo lucem cane peius & angue oderunt. Ad eum modum omnis qui mala agit odit lucem: nec uenit ad lucem, ne arguantur studia ipsius: omnes itaque sua culpa, nulla dei morositate pereunt. Istis simul incredulitatis inobedientiæ rebellionisq; causas significantissime expressit, nõ fatum aliquod, sed malitiam siue corruptionem humanam, nimirum ne quis deo iustissimo homines morti & exitio morose destinanti damnationis culpam tribueret. Significauit præterea incredulitatem radicem esse omnis iniquitatis & iniustitiæ, quam qui retinent impij meritò uocantur. Et impios egregie hic cum studijs & operibus suis descripsit. Nam qui uerbo dei non credunt, ac filium dei non recipiunt, nunquam regenerantur aut innouantur, his ergo pristinum remanet ex corruptissima carne ingenium, quod uidelicet deum odit, contemnit, & omnem ueritatem, lucem & sanctimoniam persequitur. Poterat hic locus etiam per Exegesim exponi, quanquam etiam sic in priorem redeat sensum, ut hæc uerba, Hæc est autem condemnatio, &c. superiora hunc ad modum exponant, Dixi incredulos iudicari, & iam esse iudicatos, quando non credunt in nomen unigeniti dei filij. Per iudicium autem intelligo peccatorum uincula, maledictionem & condemnationem ipsamq; mortem æternam, è quibus non extricantur quandiu lucem non recipiunt. Atqui dum his offertur lux à deo, malunt ipsi tenebras: hærent itaq; in tenebris, & operibus suis declarant quod sint incurabiles ac uitio pereant proprio, &c.

Incredulitas radix iniquitatis.

Porrò per antithesim ex more suo declarat quale sit fidelium Christum recipientium ingenium, docens fidem in Christum non esse inefficacem & inanem iactationem, sed uiuam & uegetam, bonorumq; operum operatricem. Nam sicut incredulitas omnis malitiæ ac prauorum operum fons est: ita fides radix est omnis iustitiæ & sanctitatis. Qui ueritatem, inquit, operatur, uenit ad lucem. Operatur autem ueritatem qui studet & operam dat integritati, Der mit frommen/ vfrechten/redlichen dingen vmbgadt. Hoc enim opponitur, Omnis qui mala agit non uenit ad lucem. Veritatem item operatur qui delectatur ueritate, odit autem hypocrisim atque mendacium: qui denique gloriam dat deo & euangelicæ prædicationi locum concedit. Testantur hæc omnes homines natura sua corruptos, filios esse iræ: operatur ergo ueritatem quisquis peccatorem & maledictum se esse confitetur, ideo ad Christum ceu lucem benedictam & saluificam confugiens, ut per ipsius uirtutem absoluatur, ac benedictionem accipiat: quisquis item ex fide illa in dominum Iesum opera lucis facit, & in luce ambulat. Nam doctor gentiũ, Eratis, ait, quondam tenebræ, nunc autem lux in domino, ut filij lucis ambulate (nam fructus spiritus situs est in omni bonitate & iustitia & ueritate) probantes quid sit acceptum domino, & ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius arguite. Et Ioannes apostolus, Hæc est annun-

Ingenium Christo credentium & fidei effectus.

ciatio, inquit, quam audiuimus ex ipso, & annunciamus uobis, quod deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem non facimus. Quod si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus inter nos mutuam. Cæterum qui sic studet integritati, & ambulat in luce, bene sibi conscius prodit in lucem, adeoq; oblectatur quàm plurimũ luce, ac opera lucis cupide facit: non quod hic sibi quicquam tribuat, aut in ijs quæ fecit glorietur. Deo omnem gloriam insolidum transcribit, cuius uirtute fecit quicquid iustum & bonum fecit. Nam deus gratuito dono fidem donat. Porrò fides iustificat. Iustificatus, id est iustus, operatur iustitiam: ergo iustus dono & uirtute dei operatur iustitiã. Vnde Isaias quoq; in 26. cap. sub figura fidelis populi orans dicit, Domine, præparato nobis pacem, quandoquidem tu quoque omnia opera nostra nobis operatus es. Hæc diligenter expendant mihi qui superstitiose sentiunt de operibus bonis fidelium.

Nunc in gratiam Lectorum ascribo & Sancti Augustini interpretationem huius loci è Tractatu in Ioannem 12. Fratres mei, inquit, quorum opera bona inuenit dominus? Nullorum. Omnia enim opera mala inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt ueritatem, & uenerunt ad lucem, id est ad Christum? & quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat, & serpens ille in quo figurata est mors domini, eos sanat qui morsi fuerant, & omnes inuenit iniustos, quomodo intelligitur, Hoc est iudicium, quia lux, &c? Sed dilexerunt, inquit, tenebras magis quàm lucem. Ibi posuit uim. Multi enim dilexerunt peccata sua, & multi confessi sunt peccata sua. Quia qui cõfitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum deo facit. Accusat deus peccata tua, & si tu accuses coniungeris deo. Quasi duæ res sunt homo & peccator. Quod audis homo, deus fecit. Quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut deus saluet quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum est confessio operum malorum. Facis ueritatem, & uenis ad lucem. Quid est facis ueritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, nõ dicis, Iustus sum, cum sis iniquus, & incipis facere ueritatem. Venis autem ad lucem, ut manifestentur opera tua, quia in deo sunt facta: quia & hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi deus tibi luceret, & eius ueritas tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam, ut non appareant opera eius mala quæ diligit. Qui autem facit ueritatem, accusat in se mala sua, non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut deus ignoscat. Quia quod uult ut deus ignoscat ipse ignoscit, & uenit ad lucem, cui gratias agit, quod ille quid in se odisset, ostenderit. Dicit deo, Auerte faciem tuam à peccatis meis. Et qua fronte id dicit nisi iterum dicat, Quoniam facinus meum ego agnosco, &c. Hæc hactenus commentari libuit super celebri & diuino, ac tantum non utili necessarioq; Christi colloquio cum Nicodemo instituto, de uera hominis Christiani iustificatione & salute. Non autem propter Nicodemum modo illa à Ioanne scripta sunt, sed propter nos quoque, in quos fines sæculorum inciderunt, ut inde disceremus nos quoque gratia dei per Christum iustificandos fore, si in ipsum credamus & renascamur è spiritu sancto.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, ac baptizabat. Baptizabat autem & Ioannes in Aenon iuxta

xta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & ueniebant ac baptizabantur. Nondum enim coniectus fuerat Ioannes in carcerem. Orta est autẽ quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum.

Ad negotium iustificationis & salutis nostræ pertinet etiam quæstio de purificatione, ideo Ioannes de ipsa quoque nonnihil dicturus, occasionem præmittit per quam ad ipsam sit peruentum: maxime cum hæc etiam exorta sit in terra Iudæa, in qua Nicodemum, in urbe nimirum sancta, instituerat. Summa omnium huiusmodi est, Dominus Iesus urbe egressus, per oppida & agrum terræ Iudææ prædicabat euangelium regni, & baptizabat. Interim baptizabat ac docebat etiam Ioannes, qui nondum erat coniectus ab Herode in carcerem. Ad utrunq; ingens hominum uis confluebat, sed maior ad Christum, unde æmulatione quadam incensi Ioannis discipuli de purificatione altercantur cum Iudæis, his persuadere cupientes Ioannem cum suo ministerio longe præferendæ esse Christo, &c. Cæterum uidentur nobis circumstantiæ operosius esse expendendæ & excutiendæ. Dominus in Iudæa morabatur, hærens utique ad certum tempus, quo plenius uerbum dei prædicare & ecclesias instituere posset. Duo autem erant potissimum quæ ecclesiæ tradebat, & quibus hanc exercebat, prædicatio ueritatis & sanctum baptisma. Quid aut quomodo prædicarit dominus, aliàs sæpe est expositum. Extat item manifeste Marci 1. Matthæi 4. & 5. Lucæ 4. & 6. & multis alijs in locis. Baptizabat per discipulos. Nam protinus in 4. cap. sequetur, Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius. Vnde oportet præsentem locum exponere per synekdocham uel metonymiam. Præstantius multò est uerbum dei quàm sacramentum. Ideo enim & Paulus, Non, inquit, misit me Christus ut baptizarem, sed ut euangelizarem: non quod baptismum contemnat, aut minime uel dandum uel suscipiendum esse putet, sed quod primas euangelio tribuat. Habent interea & suum locum in ecclesia dei sacramenta, eumq; honorabilem, non uilem & abiectum. De qua re aliàs. Porrò Ioannes eodem tempore, quo Christus sic docebat & baptizabat in Iudæa, docebat & baptizabat in eadem. Quid docuerit indicatum est non semel. Baptizabat autem quemadmodum discipuli Christi, in ipsum Christum. De qua re disputaui in tertio cap. Matthæi. Locus nominatim exprimitur in quo baptizarit Ioannes, Aenon. Aenon autem uel Ennon ripæ Iordanis impositа est, sicut & Salem: medius ferè ex oppositа ripa in Iordanem influit fluuius uel torrens Iabboc. Vtraque illa oppida admodum facta sunt celebria ex baptismo Ioannis. Sanctus Hieronymus disputans ad Euagrium de Melchizedek rege & sacerdote, nihil referre putat utrum Salem dicas an Salim: utrunq; enim recte dici. Additur caussa cur in Aenon baptizarit Ioannes, Quia aquæ multæ erant illic. Nam præterfluebat Iordanis, qui non legitur ullis consecratus crucibus, characteribus, ceremonijsue. Sanctificatur enim baptismi aqua pura, uerbo dei & religioso diuinitusq; instituto sacramenti usu. In Actis apostolorum simile quiddam legis in hæc uerba, Et dum proficiscerentur uenerunt ad quandam aquam. Et ait eunuchus, Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait, Credo filium dei esse Iesum Christum. Et iussit sisti currum, ac descenderunt ambo in aquam, Philippus simul & eunuchus, & baptizauit eum. Hinc uero si quis om-

Dominus prædicabat & baptizabat.

Aenon uel Ennon.

Aqua baptismi.

nino contenderet in quouis flumine aut lacu aut torrente, templo dei præterito, baptizandum esse hodie, nisi nullum in ullo templo baptisterium inueniatur, peccat haud dubie. Nam omnia decenter, & cum ordine fieri iubet apostolus. Afferant ergo pij infantes suos in templum domini, ut ibi inter preces sanctorum legitime baptizentur. Interea de consecratione aquæ per suffraganeum aut sacrificum nemo sit sollicitus.

Quæstio de purificatione.

Iam propius ad ipsam rem, quam tractaturus est apostolus, descendit. Dum sic non tantum à Ioanne prædicaretur & baptizaretur, sed ab ipso quoq; domino Iesu, ad quem potior populi pars accurrebat, oboritur quæstio atq; concertatio inter discipulos Ioannis & Iudæos quosdam Christo adhærentes, de purificatione, id est de Baptismo & ablutione siue emundatione peccatorum: his quidē contendentibus Christum purificare, & baptismum ipsius esse præstantiorem: illis uero contrarixantibus & altercantibus, Ioannem Christo præstantiorem esse, & baptismo suo ueram purificationem conferre. Nam hunc esse uerborum sensum, & in his contrauersiæ summam uersari suggerit atque declarat ipsa quæstionis summa, tandem ad Ioannē relata, & ita proposita ab auidis, ut uideantur ipsa sua propositione responsionem pro se contra Iudæos pronunciandam postulasse. Elegan ter enim & proprie hæc enarrans Paraphrastes dicit, Conferebant se multi ad Ioannem, ac baptizabantur ab eo: nonnulli se conferebant ad Iesum, ac baptizaban tur à discipulis eius. Atq; hic inuidia orta quibusdam discipulis Ioannis aduersus Iesum, quod cum ipse nuper baptizatus esset à Ioanne, seq; ueluti pro discipulo illius gessisset, atq; illius testimonio fuisset populo commendatus, nunc repente sese æquaret illi, imò se illi anteponeret, cuius discipuli sibi sumerent quod hactenus solus Ioannes fecisset. Ac primum conati sunt populū à baptismo discipulorum Iesu auertere, persuadere conantes baptismum Ioannis efficatiorē esse peccatis abluendis, quàm baptismū Iesu. Id cum populo non persuaderent, adierunt Ioānem querelam ad illum deferentes, & existimantes illū indigne laturū, & aliquo modo cohibiturū hanc æmulationē. Deferunt autē rem his uerbis, Magister, is qui nuper apud te fuit cum baptizares iuxta Iordanem, & abs te baptismum suscepit, quemq; tuo testimonio ornaras apud multitudinem, cum omnibus esset ignotus, nunc idem sibi sumit quod tu, palàm baptizans, atq; omnes ad illum cōfluunt: ita futurum est ut per illum tua obscuretur authoritas. Hæc Eras. Docent hæc pietati & tranquillitati ecclesiasticæ non parum officere si nimium tribuamus ministris dei. Sic enim & gloria Christo creatori debita impenditur creaturis, & scinditur unitas ecclesiæ, dum hic illi adhæret ministro, ille huic, & tertius alicui tertio. Ideo apostolus, Audio, inquit, in uobis esse dissidia. Quisq; enim dicit, Ego quidē sum Pauli, ego uero Apollo, ego Cephæ, ego autē Christi. Num diuisus est Christus? num Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Huc pertinet quod dominus Iesus in euāgelio dicit, Ne uocemini magistri: unus enim uester est magister, nempe Christus. Huic adde zelum non omnem in scripturis probari. Est enim qui ex spiritu dei bono, & ex fide existit, scientiā habens & moderationem. Est qui nascitur ex affectu carnis, spiritum per omnia humanum resipiens: qualis hic discipulorū Ioānis fuisse uidetur. De eo apostolus loquens, Cum in uobis sit zelus siue æmulatio & contentio, & factiones, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Interea humanus ille discipulorum Ioannis affectus profecit ad Christi gloriam, & euidentius etiam Ioannis de Christo elicuit testimonium. Certe gratia ac bonitas domini hoc utilitatis è concertationibus & sectis pro commoditate hominum elicit, quod ueritatem per uarias tractationes illustriorem

Schismata in ecclesia ex ministris.

Zelus.

lustriorem clarioremúe subinde reddit. Illud uero notius est quàm multis annotari conueniat, signa rerum quarum signa sunt recipere nomina. Nam circuncisio fœdus, sacrificia peccata, & peccatorum expiationes dicuntur: iuxta quam rationem & Baptismus appellatur purificatio. Baptismo enim attestatur deus quod ipse sua gratia cultores suos purificet & abluat ab omnibus peccatis. *Signa signatarum rerum nomina accipiũt.*

Respondit Ioannes, & dixit, Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cœlo. Ipsi uos testes estis, quod dixerim, Nõ sum ego Christus, sed missus sum ante illũ. Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocẽ sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.

Respondet discipulis conquerentibus, & negotium magna cum fiducia tum indignatione proponentibus, Ioannes grauiter, nõ quod isti expectabãt, & libenter audissent, sed quod debebat, quod denique uerum, sanctum & iustum erat: docens nos suo exemplo in concertationibus religionis nihil facere in gratiam hominum, sed respicere solum deum, & ea quæ uera, certa ac solida sunt, proferre. Crassissimis ergo nebulis ab oculis discipulorum remotis, postremum & illustríssimũ ferè testimonium de Christo profert Ioannes, quod tribus maxime absoluit partibus. Principio enim prauam discipulorum opinionem de se contra Christum conceptam, euidenter eximit ex eorum pectoribus, negans diserte se Christum esse, asserit autem se esse Christi ministrum. Deinde ueluti laxatis uelis prouehitur, & ore pleno rotundoque deprædicat quis sit Christus, & quanta per hunc pater cœlestis orbi dederit. Postremo ostendit dona illa cœlestia in Christo nobis communicari & nostra fieri, si credamus in eum, in ipsum inquam Christum dei filium. Ex his colligere quibusuis licebat certam ad propositum negotium responsionem, nempe fide uiua & uera in Christum Iesum, non in Ioannem Baptistam, purgari plene credentes: doctrinam uero & baptismum non tam Ioannis quàm discipulorum Christi annunciare, testari, ac uelut obsignare quod Christi gratia abluantur fidelibus omnia peccata, recipianturque illi in communionem & consortium dei æterni. Ad eundem modum S. Petrus in Actis apostolorum docet, nõ circuncisione, non lege, sed fide in dominum Iesum purgari corda sanctorum. Sed redimus ad singulas testimonij huius partes explicandas. Initio eximit Ioannes discipulis suis prauam de ipso conceptam contra Christum opinionem, ostendens se non esse Messiam ac sponsum populi fidelis, sed præcursorem modo, legatum illum de quo prædixit Malachias propheta, paranymphum, auspicem siue pronubum. Auspicatur & conficit demonstrationem à generali & maxime uulgari sententia dicens, Nemo sibi plus sumere debet, quàm sibi cœlitus à diuina concessum sit gratia. Tantum enim pollet quod dicit, Non potest homo accipere quicquam, nisi cœlitus fuerit ei datum. Non potest, pro eo quod est, Nullo iure potest, nec sibi quicquam arrogare debet. Et accipere rem dicimus, pro obire rem, eamque sibi sumere, Der mensch sol sich nit mee vndernemen/ oder jm selbs mee zůgeben dañ er von Gott empfangen hat. Huic sententiæ memorabili certe & eleganti attexendum est forinsecus, Mihi uero concessum non est cœlitus, ut assumam uices & honores Messiæ. Id probat in præsenti figura uel schemate, quod rhetores uocant ἀνακοίνωσιν, Ipsi enim testari poteritis, siue uobis testibus euincere potero, quod sæpissime dixerim, Non sum ego Messias. Proinde quamuis Messiæ honores mihi offe- *In dissidio religionis proferenda nõ nisi certa. Christus purificat, baptismus id attestatur. Ioannes non est Messias, sed præcursor Messiæ.*

ratis, & eam gloriam inuideatis Christo domino, ego tamen illos non assumam, neque me pro Messia uenditabo. Iam ne quis ignoraret quis esset Ioannes, & quid de Ioanne sentiret, diserte dicit se missum esse ante illum, id est, se prophetam & præcursorem illum esse, cuius mentio fit in Malachia: & de quo disputaui in primo huius historiæ cap. in 3. item Matth. & 11. cap. Sic Paulus ad Corinthios, Itaq; ne quis, inquit, glorietur in hominibus. Omnia nanq; uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue præsentia, siue futura: nos autem Christi, Christus uero dei. Item, Sic nos æstimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum dei. Proinde qui diuis eam gloriam impendunt, quam debent Christo, quem mediatorem, aduocatum & intercessorem nobis proposuit pater, peccant grauiter, ac amplius quiddam diuis obtrudunt, quàm à deo concessum sit: quo nomine nullo honore, sed contumelia potius sanctos afficiunt.

Christus est Messias & sponsus ecclesiæ.

Rursus ne quid remaneret uel difficultatis uel obscuritatis in animis discipulorum suorum, parabolam mirifice suo instituto conuenientem proponit, qua uidelicet doceat Christo competere omnem gloriam, & ab eo debere propendere totam ecclesiam: se uero ministrum duntaxat, & nuptiarum fuisse auspicem. Videtur autem parabola constare duobus membris. Prius ueluti inabsolutum ac anantapodoton est, quod sic potest sarciri, Quemadmodum sponsa soli ei debetur qui sponsus est: ita non debet populus dei, qui appellatur ab apostolis corpus Christi, ulli adhærere nisi suo capiti Christo. Nam Christus sponsus & caput est ecclesiæ, sui inquam, id est fidelis populi, qui & Christi sponsa est. Posterius membrum huiusmodi esse uidetur, Et quemadmodum is qui non est sponsus, sed sponsi amicus & auspex siue paranymphus, sponso nec inuidet eam felicitatem, nec præripit sponsam, imò gratulatur potius sponso & sponsæ de nuptijs contractis, & astans istis, tacite & in sinu gaudet non uulgariter, quod audit laborem illum suum nuptijs conciliandis insumptum, cessisse feliciter, & sponsam sponso adductam iucundissimo suauissimoq; frui & colloquio & consortio. Ita ego cum Christi sim præambulo, & quasi paranymphus, omnino cupiens illius nuptijs fœderi & amicitiæ populum dei inserere & copulare, nec inuideo illi gloriam tantam, neque populum illi præripere uolo, sed etiam atque etiam uiribusq; meis omnibus gaudeo illum me in diem uixisse, quo oculis meis cerno feliciter meam prædicationem cessisse, ac omnes celerrimo pede ad Christum accelerare, ad quem hactenus omnibus meis concionibus, totoq; meo ministerio quàm ardentissime omnes homines inuitaui, utpote fontem omnis boni & gratiæ largissimum & inexhaustum. Hoc inquam ingens gaudium meum impletum est. Plenissimo enim gaudio gaudeo, uidens uidelicet & audiens filium dei cœlitus uenisse in terras, cumq; toto mortalium genere colloqui quàm familiarissime, docere iustitiam, consolari pusillanimes, adhortari pietatis studiosos, & fidelibus polliceri coniunctionem cum summo bono, ipsam inquam uitam æternam. Nil igitur porrò restat, quàm ut ille solus uiuat, doceat, uigeat, regnet, ac solus omnia sit in ecclesia sanctis: nec est ut mei ultra ulla habeatur ratio. Defunctus sum munere meo, Christum uenturum dixi, imò adesse illum prædicaui, remissionem peccatorum, & omne bonum in illo per fidem promisi, ad hunc Christum omnes uocaui. Aequũ ergo est ut illius gloria solius in orbe crescat & innotescat omnibus: rursus nomen meum utpote ministri minuatur. Minuatur autem dixit, quia ipsi honores tribuebant diuinos discipuli ipsius. Alioqui gloriam & honorem suum in ecclesia merito retinet Ioannes, ueluti bonus, fidelis & uerax testis filij dei. Rursus autem diminutus est, quia intelligimus illum non esse Messiam, sed Messiæ præ-

ſiæ præcurſorem domini Ieſu miniſtrum, qui nihil ex ſeipſo boni habet, nec quicquam ſibi amplius arrogat, quàm quod cœlitus ſibi uel donatum uel conceſſum eſt. Vtinam uero hæc diligenter expenderent qui hodie nihil aliud crepant, quàm diuorum interceſſiones, patrocinia & cultus.

Si autem tanto uerborum molimine & ſententiarum ueluti turbine, ſanctiſſimus ille inter natos mulierum, à ſe repellit, ne quis ipſum eſſe uel ſponſum uel caput eccleſiæ ſuſpicetur: ſi denique uir diuiniſſimus tam anxie populum à ſe ad Chriſtum ſolum relegat, cupiens hunc ſolum & totum uiuere & regnare in omnibus, ſui autem nullam rationem haberi: an quæſo homines eſſe putandi ſunt an dæmones, qui uelis & remis toti in hoc incumbunt hodie, ut omnes credamus Romanum epiſcopum uel parrochum, imò Babylonis potius regulum & tyrannum, qui ferè corruptiſſimus è corruptiſſimis, & ſceleratus è ſceleſtiſſimis deligitur, caput eſſe uniuerſalis eccleſiæ, ac ueluti ſponſæ immaculatæ ſponſum? Cui obſecro ueriſimile uideatur, corpori integro, ſano, ſanctiſſimo, puriſſimoq; dominari poſſe caput corruptiſſimum, morbidum, prophanum, impuriſſimumq;? Corpus eccleſiæ aurum, argentum, gemmas & purpuram non ſine gloria calcat. Caput uero illud Romanum niſi irradiet & fulgeat lapillis, rutilet auro & oſtro, tiaraq; tricorni excellat, ſpernitur à ſuis cultoribus, ceu ignominia deturpatum. Corpus deniq; eccleſiæ multa propter Chriſtum patitur, amat Chriſtum & membra, tranquillitati & paci publicæ ſtudet. At caput illud creatum à Cardinalibus, ſecure uiuit in uoluptatibus, dormit in utranq; aurem, odit Chriſtum, mẽbra Chriſti ferro & igni perſequitur, belligeratur, luxuriat, uiuit ex uſura & rapinis, cœlũ terræ miſcet. Itaque quid aliud poſſum ſuauibus illis lepidisq; hominibus obijcere, quàm quod Horatiano monſtro longe monſtroſius ſpectrum comminiſcantur, præſertim cum caput hi plus quàm Gorgoneum ac Meduſeum corpori connectant innoxio & gratijs refertiſſimo, ille contra capiti humano affingat corpus uarium & monſtrificum, canens,

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi uelit & uarias inducere plumas
Vndiq; collatis membris ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem, mulier formoſa ſuperne,
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Et quis obſecro riſum teneat, qui audiat carnale & plus quàm carnale caput, maxime ſpirituali corpori eccleſiæ à uæſanis iſtis ineptiſſime imponi? Sed reſeruantur iſti ſuo minime ficulneo & iniquo iudici.

Romanus epiſcopus eccleſiæ Chriſti caput.

Qui è ſupernis uenit, ſupra omnes eſt. Qui è terra profectus eſt, terrenus eſt, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, ſupra omnes eſt, & quod uidit & audiuit hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Qui accepit eius teſtimonium, is obſignauit quod deus uerax ſit. Nam is quem miſit deus uerba dei loquitur. Non enim huic ad menſuram dat deus ſpiritum.

Huc uſq; remouit à ſe S. Ioannes ſiniſtram diſcipulorum de ſe conceptam opinionem, nunc ſententiã ſuam de Chriſto dicit, hunc uidelicet eſſe Meſſiam omnibus ſæculis expectatũ, deum uerum & dominũ uniuerſorũ, ſapientiã patris, lumẽ mundi, & doctorẽ orbis irrefragabilẽ, qui eam philoſophiã quã docuit in terris, in ſinu patris didicerit. In hoc præterea donata eſſe mundo uitam & ſalutem, quæ

Chriſtus eſt Meſſias deus uerus.

quidem uera in ipsum fide percipiantur. Hæc potissima capita sunt quæ ad finem usque huius testimonij tractantur. Redimus iam, & singula copiosius exponemus. Initio ut dignitatem & excellentiam filij dei quàm euidentissime omnium exponeret oculis, illumq; discipulis suis adeoq; toti orbi adorandum, audiendum & colendum suspiciendumq; solum proponeret, collationem facit inter Christum & seipsum, imò omnes sanctos siue ministros dei, ea collatione indicans quàm nulla sit inter Christum dominum & sanctos siue ministros eius comparatio, ubique & semper, & in omnibus, ac per omnia excellente dei filio Iesu Christo. Qui è supernis uenit, supra omnes est, inquit: Qui est è terra, è terra est. E supernis ex ipso uidelicet cœlo uenit in hunc mundum dei filius, incarnatus è spiritu sancto, & homo uerus ex Maria natus est. E terra est Ioannes, & omnes ministri & sancti dei sunt ex hominibus, quorum mater & origo terra est. Iam quantum inter se cœlum & terra, dominus & seruus distant, tanto interuallo post se relinquit Christus non Ioannem solum, sed omnes sanctos & uerbi diuini ministros, patriarchas, prophetas & apostolos. Vbi ergo sunt qui æquiparant Christum dominum nostrum prophetis? qui dicunt illum in scripturis deum appellari sicut Moses Pharaonis deus est nominatus? qui appellant ipsum prophetam magnum & excellentem? Veritas enim appellat illum deum uerum, patri coæqualem & consubstantialem, imaginem patris ac characterem, item dominum uniuersorum. In præsenti enim ait, Qui è supernis est, supra omnes est. Et mox se explicans quid sit esse è supernis, Qui è cœlo est, ait, supra omnes est. Omnia ergo illi subiecta sunt, uniuersorum dominus est, ipse non est subiectus iuxta substantiam diuinam, sed præest cum patre, & dominatur omnibus. Id quod Paulus copiosius prosequitur in 1. & 2. cap. ad Hebræos, item in 1. ad Colosſ. & aliàs sæpe.

Christus uerũ è terra corpus habet.

Porrò hic locus, Qui è terra est, terrenus est, &c. non negat Christum iuxta humanam naturam uerum è terra esse hominem, sicuti nos sumus homines. Ideo enim Lucas genealogiam eius ad Adamum usque extendit. Peculiariter hæc congruunt Ioanni, & nobis omnibus qui nihil aliud sumus quàm homines. Filius dei dominus noster Iesus Christus & uerus deus & uerus homo erat, iuxta substantiam diuinam è cœlis, iuxta substantiam uero humanam è terra existens, patrem utiq; in cœlis habens æternũ, è quo æterna generatione genitus est: in terra uero uirginem agnoscens matrem, è qua iuxta carnem Dauidis filius natus est. Tertullianum certe scriptorem uetustissimum, & in hoc negotio per omnia orthodoxum, non puduit carnem Christi, quod materiam attinet, appellare terrenam. Legatur illius liber de Carne Christi. In eo inter alia, Quid caro, inquit, q̃ terra conuersa in suas figuras? Cõsidera singulas qualitates, musculos ut glebas, ossa ut saxa, etiam circũ papillas calculos quosdam: aspice neruorũ tenaces connexus, ut traduces radicũ, & uenarũ ramosos discursus ut ambages riuorũ: & lanugines ut muscos, & comã ut cespitem, & ipsos medullarũ in abdito thesauros ut metalla carnis. Hæc omnia terrenæ originis signa & in Christo fuerunt: hæc sunt quæ illũ dei filium cælauerunt, non aliàs tantummodo hominem existimatũ quàm exhumani substantia corporis. Et mox, Quid dicis cœlestem carnẽ, quam unde cœlestem intelligas, non habes? Quid terrenã negas, quam unde terrenã agnoscas, habes? Esurijt sub diabolo, sitijt sub Samaritide, lachrymatur super Lazarum, trepidat ad mortẽ. Et quæ sequuntur, quæ oĩa uir doctissimus sumpsisse uidetur ex 3. lib. S. Irenæi aduer. hæreses Valentini & similiũ è cap. 32. ubi sic legis, Si nihil sumpsisset ex Maria Christus, nunquã eas quæ à terra erãt percepisset escas, per quas id quod à terra sumptum est nutriretur corpus, nec quadraginta diebus, quemadmodum

modum Moſes & Helias ieiunans, eſuriſſet corpus eius ſuam quærens eſcam: ſed nec Ioannes diſcipulus eius de eo ſcribens, dixiſſet, Ieſus autem ex itinere fatigatus ſedebat, nec lachrymaſſet ſuper Lazarum, nec ſudaſſet guttas ſanguinis, nec dixiſſet, Triſtis eſt anima mea, nec percuſſo latere exĩſſet ſanguis & aqua. Hæc enim omnia ſigna carnis quæ è terra ſumpta eſt, quam in ſe recolligens ſuum plaſma ſaluauit. Propter hoc Lucas genealogiam quæ eſt à generatione domini noſtri uſq; ad Adam 72. generationes habere oſtendit, &c. Hæc Irenæus.

His accedit iam alia S. Ioannis collatio, Qui de terra ſunt de terra loquuntur. Filius dei è cœlo eſt, & quæ uidit & audiuit in cœlo, orbi pandit. Hinc colligere uult diſcipulos, ad Chriſtum eſſe accelerandum, & ab illo unice pendendum, non ab ullo puro & corruptibili homine. S. Chryſoſtomus Homel. in Ioannem 29. hæc interpretans, Cum meum, inquit, ubiq; extollatis teſtimonium, ait Baptiſtes, & diligniſſimum fide eſſe dicatis, illud uos ſcire neceſſarium eſt, nõ licere ut is qui è cœlo uenit, à terreno homine fidẽ accipiat. Nam dicit, Super omnes eſt. Id eſt nullius indiget, ſed ipſe ſibi ſatis eſt & omnium maximus. Et mox, Illæ particulæ, Quod uidit, quod audiuit, magis ſecundum hominem dictæ ſunt. Non enim uiſu neque auditu norat, quæ norat, ſed ſuapte natura perfectus ex ſinu patris procedens, neq; præceptore indigens. Sicut, inquit, cognoſcit me pater, ita & ego cognoſco patrem. Quid autẽ ſignificat, Quod audiuit loquitur, & quod uidit teſtatur? Quoniam per hos ſenſus omnia certe cognoſcimus, & digni uidemur quibus credatur cum uidimus aut audiuimus, utpote qui neq; fingimus, neq; mendacia dicimus. Ideo ut rem confirmet dicit Ioannes, Quæ audiuit & uidit, hoc eſt ueriſſima. Ita & nos ſæpenumero ſciſcitamur, Vidiſti ne an audiſti? Quod ſi fatebitur, certum arbitramur teſtimonium. Hæc ille. Significauit ergo Ioannes ea quæ Chriſtus doceat certa eſſe, explorata & compertiſſima, quippe cum ſit ipſa patris ſapientia, & in ſinu patris. De qua re plura dixi in cap. Ioan. 1.

Chriſtus doctor cœleſtis.

At dicat aliquis, Si is qui è terra eſt terrenus eſt, & terrena loquitur, Chriſtus autem etiam ipſe iuxta corporis ſubſtantiam è terra eſt, apoſtoli item domini unà cum Ioanne Baptiſta è terra ſunt, neceſſe eſt ipſos quoque loqui terrena, neceſſe eſt ipſorum doctrinam non eſſe cœleſtem, ſed terrenam? Cæterum non in hunc finem prolata ſunt hæc à Ioanne. Qui autem uerba ad alium retorquet ſenſum, quàm ab authore propoſita ſint, uitiat ſenſum. Ioannes his neque ſuam doctrinam neque apoſtolorum uoluit facere ſuſpectam de corruptione: ſed quoniam diſcipuli eius nimĩ ipſius admiratores, & rurſus Chriſti domini imperiti contemptores erant, ideo ſe extenuat, Chriſtum euehit, & meritò quidem, quum dominus Ieſus non ſit homo tantum noſtri per omnia, excepto peccato, ſimilis, ſed & deus uerus. Diuus Auguſtinus Tractat. in Ioannem 14. De homine, inquit, dicebat, Quantum ad ipſum Ioannem pertinet, de terra eſt, & de terra loquitur. Si autem aliqua loquitur diuina, illuminatus eſt à deo. Nam ſi non eſſet illuminatus, terra terram loqueretur. Ergo ſeorſum eſt gratia dei, ſeorſum eſt natura hominis. Modo natura hominis in terra naſcitur, creſcit, uſitata iſta hominum diſcit. Quid nouit niſi terram de terra? Humana loquitur, humana nouit, humana ſapit. Carnalis carnaliter æſtimat, carnaliter ſuſpicatur: ecce eſt totus homo. Veniat gratia dei, illuminet tenebras illius, ſicut dicit, Tu illuminas lucernam meam, domine deus meus illumina tenebras meas. Aſſumat mentem humanam conuertatur ad lucem ſuam, quia incipit iam dicere, quod apoſtolus dicit, Non ego, ſed gratia dei mecum. Et, Viuo iam non ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Ergo Ioannes, quod ad Ioannem pertinet, de terra eſt, & de terra loquitur. Si quid

Tametſi apoſtoli è terra, doctrina tamen eorum non eſt terrena.

diuinum audisti à Ioanne, illuminantis est, non recipientis. Hactenus Augustinus.

Porrò arguit suorum discipulorum incredulitatem, quasi dicat, Hæc cum ita habeant, & certissima sit Christi doctrina, utpote ueri Messiæ dei & hominis, nemo tamen eius testimonium accipit. Opponunt se illi pontifices & sacerdotes, tergiuersatur populus, imò uos ipsi debitam illi gloriam inuidetis, & prædicationi eius non creditis. Cæterum hac occasione huc delatus, & Christo fidendum esse docet, & fidei uim prædicat. Qui accepit eius testimoniũ, is obsignauit quod deus uerax sit. Accepit testimonium, qui credit ex animo uerbis Christi testantis se in mundum esse à patre missum, ut omnis qui credit in ipsum, nempe quod à deo nobis datus sit sapientia, sanctificatio, iustitia, expiatio, redemptio, & satisfactio, non pereat, sed absolutus ab omnibus peccatis suis, hæres sit uitæ æternæ. Qui, inquã, sic credit Christo, is obsignauit quod deus uerax sit. Obsignauit, inquam, id est in corde suo per spiritum sanctum, ueluti sigillo quodam (quod fidei faciendæ confirmandæq; caussa adhibetur) obsignatum habet, deum esse ueracem, fidelem & benignum, quippe qui præstito nobis filio, omnia ea præstiterit quæ olim in prophetis promisit: id quod nunc fide nobiscum communicat. Quisquis inquam sic credit, is in corde suo certus & confirmatus est, quod propter Christum bene sibi uelit pater cœlestis, quod hæres nunc sit uitæ æternæ & omnium cœlestium bonorum, adeoq; Christi particeps. Hæc scilicet fidei non exigua uirtus est. Huc iam pertinet quod in Canonica sua apostolus dicit, Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est: quoniam hoc est testimonium dei quod testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei habet testimonium in seipso. Qui non credit deo, mendacem facit eum: quia non credidit in testimonium quod testificatus est deus de filio suo. Et hoc est testimonium quod uitam æternam dedit nobis deus: & hęc uita in filio eius est: qui habet filium, uitam habet. Illud quoq; quadrat huc quod Paulus Ephesijs scripsit, Obsignati estis postquã credidistis spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitæ possessionis, &c. Sequitur, Nam is quem misit deus, uerba dei loquitur. Quo superiora clarius illustrat, ac Christi gloriam deprædicat, qui orbi datus est doctor & magister, cui tuto credere licet, quippe cum cœlestem nobis & indubitatam ueritatem proponat. Cui iam aliud annectit Christi nobis uirtutem ac plenitudinem exponens, Non enim huic ad mensuram deus dat spiritum. Dictum est autem figura prouerbiali, Dat ad mensuram, pro eo quod est, Dat parce & mediocriter. Qui largiter & effuse dat, non metitur quod dat aut numerat, sed cumulatim profundit. Ioannes Baptista ad mensuram accepit spiritum, sicut & reliqui sancti, unde nequaquam possunt Christo comparari, tantum abest ut æquiparari queant. De Christo cecinit uates Psalm. 45. Dilexisti iustitiam, & odisti impietatem, propterea unxit te deus deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Sed & Paulus, In Christo, inquit, inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & in illo estis completi. Idem de sanctis loquens, Vnicuiq;, inquit, datur manifestatio spiritus, ad id quod expedit. Nam huic quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij uero sermo scientiæ, &c. Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 72. pulchre hinc diuinitatẽ ostendens Christi, Cum, inquit, à deo missum esse filium dixerit, deiq; uerba Christum loqui asseruerit, & uerba hęc propheticæ quoq; dignitati accommodari poterant, addit, Non enim ad mensuram, &c. quo longe à prophetis filium separat, & uno hoc signo immensam esse differentiam inter homines & filium ostendit. Impossibile nanq; est, ait, ut qui mensura spiritum acceperunt, alijs illum etiam largiantur. Nunquam enim sanctus uir, alteri sancto, spiritus fuit largitor; sed omnibus ex ampli-

Christo credendum.

Virtus fidei.

Omnis plenitudo in Christo.

Filius spiritum largitur.

amplitudine ſua filius largitur. Non ergo ad menſuram dat, nec ut illi menſura & participatione ſpiritū habet. Quoniam igitur largitor ſpiritus eſt, nemo ambiget, quia ſubſtantialiter in ſeipſo ſpiritum poſſideat. Qui ergo tanta præſtantia prophetas excedit, non ut illi, uerba dei loquitur, ſed ut deus ex deo decentia deum prædicat. Sed obĳciet aliquis, ſpiritum manibus apoſtolorum datum. Orabant illi ſpiritum, ô amice, qui cum exoratus ueniret, manibus eorū præberi dictus eſt. Non enim ipſe beatus Moſes à ſpiritu, qui erat in eo, accipere uidebatur, ac alĳs præbere, ſed ſoli diuinæ hoc ſeruatū eſt poteſtati. Solus enim deus hæc ſublimia deoq; digna efficere poteſt. Tantum Cyrillus.

Pater diligit filium, & omnia tradidit in manum eius. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui uero non credit filio, non uidebit uitam, ſed ira dei manet ſuper eum.

Summa euangelĳ.

Paucis uerbis omnia euangelĳ myſteria colligit Ioannes in compendium, clariusq; ea illuſtrat quæ hactenus dixit de fide & eius uirtute. Tale autem eſt quod dicit, Quid uero pluribus opus eſt? Dominus Ieſus omnium rerum dominus eſt, & omnium poteſtatē habet, tam in cœlo quàm in terra, quippe cum ſit naturalis, natiuus, æternus & uiuus dei patris filius, unigenitus & unice charus. Verba quę Ioannes poſuit ſingula ſuam habent emphaſim. Pater, inquit, diligit filium. Pater inquam cœleſtis & æternus, qui nunquam non habuit coæternum filium. Inter hos ſumma eſt conſenſio & unitas. Nam pater filium non ut adoptiuum diligit, ſed ut ſuæ ſubſtantiæ naturæq; filium. Diligit autē impenſe & ineffabiliter, adeoq; propter filium diligit, & familiariſſime complectitur quicunq; in filio ceu membra filĳ ſunt: atteſtante etiam Paulo apoſtolo, Dilexit nos in dilecto. Et omnia dedit illi in manum. Omnia tam uiſibilia quàm inuiſibilia, omnia denique ſimpliciter, nihil omnino excipiens quod non ſit filio ſubiectum, & cuius non habeat poteſtatem. In manum autem dedit, in poteſtatem utiq; poſſeſſionemq; propriam, in adminiſtrationem & gubernationem. Dedit, non quod iuxta diuinam naturam aliquando illis caruerit, aut patri inæqualis, non fuerit omnipotens. Apud Ioannem enim in 17. cap. orat ad patrem, dicens, Nunc glorifica me tu pater apud temetipſum gloria, quam habui priuſquam hic mundus eſſet apud te. Id quod nimirum æternitatis eſt nota & periphraſis. Quoniam uero in fine temporum filius dei incarnatus & homo eſt factus, humiliatus quoque ad mortem, ad mortē autem crucis, ideo exaltauit eum deus, & iuxta aſſumptam naturam dicitur aliquid accepiſſe, non quidem ceu alienum, ſed tanquam proprium. Cum enim eſſet in forma dei, ſicut ait apoſtolus, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis deo, ſed ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta. Id quod multis proſequitur beatus pater Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 73.

Pater diligit filium.

Filio omnia data in manum.

Sed dicat iam aliquis, Quid uero prodeſt hominibus quod omnia poteſt, omniaq; habet, poſſidet & gubernat dei filius? Multum per omnem modum. Nobis enim illa habet, nobis omnia ſua communicat, ſubĳciens uidelicet nobis omnia, & omnium poteſtatem faciens, ut ſcilicet uitæ, mortis, hominum, dæmonum, denique rerum omnium domini ſimus: apoſtolo teſtante atque dicente, Omnia ueſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia inquam ueſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus uero dei. Idem dei beneficium, & eandem hominum gloriam multis proſequitur & Dauid Pſalmo 8.

Nobis Chriſtus omnia habet.

Quomodo cōmunicet nobis dominus ſua dona.

Sed quomodo communicat illa nobis dominus, & quid illud eſt quo magnifi-

ca dei dona apprehendimus? Fides. Hoc enim gemina ſententia cõtrarijs cõſtante ſiue oppoſitis declarans Ioannes, ſubijcit, Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui, inquam, credit filio, id eſt, ſe totum & ſalutem ſuam filio credit, firmiſſima fide recipiens, & in animo ſuo perſuaſum habens, filium dei ſibi eſſe incarnatum, ſibi fore propitium, ſibi communicaturum dona cœleſtia, quæ habet ut largiſſime in credentes profundat, qui ſic credit filio, habet uitam. Habet dicit, non habebit, nunc enim ceu propriã protinus poſſidet & habet, ſpe expectans quod certò nouit fore certiſſimum. Sentiunt præterea fideles in hac mortali carne agentes motus ſpiritus uitales ac uitam, atteſtante iterum apoſtolo, Viuo iam non ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Vita opponitur morti, maledictioni, & condemnationi, ſignificans iuſtificationem, abſolutionem, felicitatem & beatitudinem æternam. Similia legis 1. Ioan. 5. cap. & in ſuperiore collatione domini cum Nicodemo. Sequitur oppoſitum, Qui non credit filio, non uidebit uitam. Qui nõ credat collige ex contrarijs eius qui credit. Euidentius autem illud eſt quod dicit, Non uidebit uitam, quàm ſi dixiſſet, Non habebit uitam. Ignominia enim plenum eſt ſine ad aſpectũ quidẽ rei concupitæ admittaris. Sic Germanice dicimus, Du můſt mire nimer ſähen. Quanquam uſitatum quoque ſchema ſit pro eo quod eſt, Ea re nunquam frueris: quemadmodum in principio huius cap. dominus ad Nicodemum dixit, Niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt uidere regnum dei. Iam Ira opponitur uitæ, ergo comprehendit omnem miſeriam, calamitatem, infelicitatem, morbos, egeſtatem, uindictam, mortem, peccatum, maledictionem, ſupplicium, tormenta, &c. Significantiſſime uero dixit μένει manet. Manet enim quod rei inhæret, nec tollitur. Fides enim efficit ut peccatum & maledictio, iraq; dei, quæ nobis noſtra inſunt natura, transferantur à nobis nec imputentur. Incredulitas ergo atq; perfidia confirmat & retinet iram & maledictionem. Sanctus Auguſtinus Tractatu in Ioannem 14. Non dixit, ait, Ira dei ueniet ad eum, ſed Ira dei manet ſuper eum. Omnes qui naſcuntur mortales, habent ſecum iram dei. Quam iram dei? Quam excepit primus homo Adam. Si enim peccauit primus homo, & audiuit, Morte morieris, factus eſt mortalis ille, & cœpimus naſci mortales, cum ira dei nati ſumus. Venit inde filius non habens peccatum, & indutus eſt carne, indutus mortalitate. Et ſi ille communicauit nobiſcum iram dei, nos pigri ſumus cum illo communicare gratiam dei? Qui ergo non uult credere in filium, ira dei manet ſuper eum. Quæ ira? De qua dicit apoſtolus, Fuimus enim & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. Omnes ergo filij iræ, quia de maledicto mortis uenientes. Crede in Chriſtum factum propter te mortalem, ut illum capias immortalem. Quando enim eius ceperis immortalitatem, nec tu eris mortalis. Viuebat, moriebaris: mortuus eſt ut uiuas. Attulit gratiam dei, abſtulit iram dei. Deus bibit mortem, ne mors biberet hominem. Hæc ille. Et hæc hucuſq; de Concione ac teſtimonio Ioannis ultimo Chriſto domino exhibito, quo Ioannes diſcipulorum ſuorum immodicum in ſe ſtudium & malignam de Ieſu opinionem caſtigauit, tacite prouocans eos, ut ſe neglecto, iam illum ſequerentur unde omnibus petenda eſſent omnia. Iſtud uero omnibus pijs cenſeo legendum, relegendum, & ſyncero pectore ſæpiſſime repetendum eſſe, quo uiua Chriſti cognitio fidesq; in Chriſtum grandeſcat ſubinde, ſanaq; ſit & integra permaneat.

Vita quid.

Ira dei manet ſuper incredulos.

CAP. IIII. Vt ergo cognouit dominus audiſſe Phariſæos quod Ieſus plures diſcipulos faceret & baptizaret, quàm Ioannes (quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius) reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.

Opor-

Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem: hora erat fermè sexta.

Circũstantiæ.

Pulcherrime faberrimeq; connectuntur huius historiæ omnia hæc in primis. Transit enim nunc apostolus à colloquio Christi & Nicodemi, & à testimonio Ioannis ad aliud colloquium describendum, domini & Samaritidis. Exponit tamen ante omnia circumstantias aliquot quæ ad historiæ sequentis sensum & euidentiam faciunt. Nam & Chrysostomus Homel. in Ioannem 30. Cuius rei gratia, inquit, hunc locum tanta enarrat diligentia? Ne postmodum audiendo mulierem discentem, Iacob pater noster dedit nobis hunc puteum, mireris. Etenim is locus erat ubi pro Dina Leui & Simeon indignati grauem illam cædem patrati sunt. Sed redimus ut de singulis aliquid ad Lectorum utilitatem cõmentemur. Relinquit dominus Iudæam, repetit Galilæam. Caussa indicatur. Non enim inuidebant ac insidiabantur ipsi duntaxat Ioannis discipuli, sed sacerdotes ac pharisæi quoque indignissime ferentes præterito sanctissimo Leuitarum ordine cõcursum à promiscua plebe fieri ad hominem ferè prophanum, idiotam, & nihil cõmertij habentẽ cum ordine sacerdotum. Inuidia ergo cum ambitione & auaritia urebat ipsorum animos. Et solet quidem plerunq; gloriam comitari inuidia, quam in præsenti dominus fuga sua declinare uoluit, ne oleum adderet camino. Licebit ergo cedere furori aduersariorum, & fuga sibi consulere. Nondum plene absoluerat ministeriũ suum dominus ob quod descenderat in terras, imò uix dum incœperat. Oportebat autem priusquam crucifigeretur Hierosolymis, diligenter, iusto tempore, ac compluribus prædicari passionis caussas & effectum adeoq; totum totius euangelij mysterium. Fugit itaque dominus ad utilitatem ecclesiæ, quemadmodũ & Paulus apostolus non semel fugisse legitur. Vnde licebit ministris uerbi declinare inuidiam hostium ac fugere, suis interim constantibus caussis locis & temporibus. Alioqui enim reddunt caussæ & circumstantiæ fugam non raro infamem atque turpẽ. De qua re aliàs. Ingratitudo & inuidia caussæ sunt, ob quas à gente aliqua uel familia recedit dominus. Qui enim beneficio deo ingrati sunt perpetuo, & inuidia laborant, indigni sunt ueritate, & digni qui amittant ueritatis lucem. De Baptismo, & quod per discipulos baptizauit dominus, dixi in cap. tertio quædam. S. Augustinus id paucis expediens, Baptizabat, inquit, dominus & non baptizabat. Baptizabat enim, quia ipse mundabat: non baptizabat, quia ipse non tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ipse adiutorium maiestatis. Ergo Iesus adhuc baptizat, & quousq; baptizandi sumus Iesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum: habet enim superiorem magistrum, &c. Discipulos faciebat Iesus, id est allitiebat auditores, & consecrabat, religionis nexu illos sibi religans. Et fideles quidem auditores domini ab initio appellati sunt discipuli, mox Christiani. Obseruandum hic sacerdotum & monachorum Iudaicorum ingenium, non ferentium ut homines adhæreant Christo. Semper enim metuunt ne uel ipsi nõ satis religiose colantur uel suis nõnihil decedat emolumentis.

Recedit dominus ex Galilæa in Iudæam.

Ingratitudo.

Christus semper baptizat.

Sacerdotum et monachorum ingenium.

Venimus iam propius ad ipsam rem. Profecturus dominus in Galilæã transit per Samariã, atque in hac declinat ad urbẽ Sychar, ac consedit ad fontem Iacob, qui non tantum colloquio locum & aream dedit, sed & occasionem & argumenta præbuit. Et Iudæi quidem populus dei peculiaris opponit se Christo domini &

uerítatí euangelícæ: unde relinquuntur à domino, inuíſuntur gentes quíbus amplíſſímam offert occaſionem recte ſapiendí: nec prætereunt íſtí opportunítatem, quemadmodum paulò poſt audíemus. In hiſtoríæ contextu omíttítur ab ínítío aliquíd quod ex conſequentíbus ſic ſarcírí poteſt. Cum ueníſſet dominus ad cíuítatem Samaríæ Sichem, ac deeſſet cíbus, (Diſcípulí enim tantum ínhiantes domíno, de comeatu non proſpexerant) ípſe quídem Ieſus urbem non íngreſſus (nam ſynekdocha uſus uídetur apoſtolus, qua ín loco eſſe dícímur, cum loco tantum uícíní ſumus) ne Iudæís probabílem calumníandí anſam præberet, quod fugiens Iudæos conferret ſe ad prophanas gentes, díſcípulos paſſus eſt íre ín cíuítatem emendorum cíbaríorum gratía. Ipſe ſolus ad fontem commoratus eſt, & ut ſuorum operíretur redítum, & colloqueretur cum peccatríce. Præſcíebat enim ceu deus uerus breuí uenturam Samarítídem peccatrícem. Porrò círcum loci deſcríptionem hæc ueníunt conſíderanda. Samaría regío ſíue prouíncía ſíta eſt medía ínter Iudæam & Galilæam, unde per ípſam tranſeundum erat ín Galilæam à Hieroſolymorum urbe deſcendere uolentíbus. Regía ſíue metropolís in hac erat urbs Samaría, prímum omnium ab Amrí Iſraelís rege ín monte condita, quem à Schœmer domíno eíus agrí duobus talentís emptum urbí extruendæ deſtínauít, conditamq; Schœmer à domíní nomíne díxit, quemadmodum legímus 4. Regum 16. cap. Itínere díeí díſtabat à Hieroſolymís. Eam urbem ab Hírcano ínteſtínís Iudæorum bellís haud multò ante attrítam Herodes rex ín gratíam Auguſtí reſtauratam Sebaſten, hoc eſt Auguſtam nomínauít. Vícína huíc Sichíma eſt, quæ & Sichem dícítur, & Sychar, adde & Neapolís. Síta erat ín tríbu Manaſſe ſub monte Garízím, procul à Hieroſolymís paſſuum 1030. Huíus ager optímus erat ad paſcua ouíum, & ualde copioſus ad pabulum largíendum. Ideo conſedít híc Iacob cum fílíjs, & fodít ſíue reſtaurauít puteum, cuíus híc fít mentío. Plura reperíes Gene. 33. & 48. Memoría fontís uoluít dominus refrícare promíſſíones Iacobo factas, & beneficía ípſí exhíbíta plurima, quæ nunc ídem dominus locupletat, præſtans nunc quoque quæ olím promíſerat. Veterum allegorías de fonte ſíue puteo prudens híc tranſeo.

Contextus hiſtoriæ.

Samaria.

Sichem.

Dominus ſedit ſuper fontem.

Porrò fatígatus ex ítínere ſedebat ſíc ſuper fontem, ὕτως addít μιμητικῶς, ut geſtus exprímat hominís laſſí. Vel ſíc quía fatígatus. Chryſoſtomus putat ſíc ſígnificatíonem habere neglectus, íd eſt non ín ſella aut commodo loco, ſed neglectím humí, ut ſe locus feſſo dederat, fonti uídelícet ímmínens ac uelut ex aura fontís refocíllatíonem captans. Sextam horam expreſſít, quæ nobís duodecíma eſt meridíana, ut íntellígeremus dominum non ſolum ítíneris labore, uerum etíam æſtu meridíano fuiſſe fatígatum. Sol enim uergens ad meridíem æſtu ſuo laborís moleſtíam conduplícat. Cæterum famem & ſítím ſuſtínuít dominus noſter, partím ut doceret nos patíentíus huíus ſæculí neceſſítates ferre: partím ut declararet ſe uerum eſſe hominem nobís per omnía, peccato excepto, ſímílem, fídelem ítem pontífícem, quí poſſít affící ſenſu ínfírmítatum noſtrarum. Obſeruanda ſunt quæ ad hæc annotauít beatus pater Cyrillus. Sic enim dícit, Quíd autem dícent Arrianí? Fatígatus ex ítínere ſedít? Vtrum ergo uírtutum omnium dominum propter hæc uerba ínfírmum putabítís? Laborémq; ítíneris unígenito patrís fílío accommodabítís, ut paſſíbílís íuxta uos ínueníatur, quí patí mínímè poteſt? An hæc quídem tanquam ímpía recuſabítís, & naturæ humanæ, quam aſſumpſít atq; corporí recte facientes hæc attríbuetís? Nam quoníam ín unam perſonam duæ naturæ conuenerunt, íccírco nõ ín duos fílíus unus ſcíndítur, & omnía poſſe ut deus dícítur. Cũq; ímpaſſíbílís ſít, hominís tamen dolores ſíbí attríbuít, quos non ut deus, ſed ut homo

Dominus ſitit & eſurit.

Chriſtus homo uerus.

homo perpeſſus eſt. Caueamus igitur ne quando artificio quodam ac acie mentis ad conſequendam pietatem nobis maxime opus ſit, tunc quaſi rudes atq; agreſtes rationem incarnationis aſſumptionemq; hominis longe abiiciamus, & maiora quàm ferre poſſumus onera humeris noſtris imponamus. Si enim homo factus non eſſet, ſi ſeruí formam non accepiſſet, conturbari iure poſſetis quando ſeruile aliquid de ipſo dicitur. Sin uero firmiter credimus quia uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, cum ea dixiſſe aut perpeſſus fuiſſe dicitur, quæ naturæ noſtræ conueniunt, humanitati hæc eius attribuas. Non enim poteramus aliter uerbum dei hominem factum eſſe cognoſcere, niſi & loquutus & perpeſſus aliqua ut homo fuiſſet. Hæc Cyrillus. Rurſus pedes dominus noſter non equis aut uehiculis molliue lectica confecit iter, ut luxũ epiſcoporũ noſtrorum ſuo calcaret & condemnaret exemplo. Poſt labores uero quæſiuit refrigerium, ne quis ultra modum putaret corpus infeſtandum. Non enim probatur deo immodica exercitatio qua homo ante tempus præmatura morte conficitur.

Venit mulier Samaritana ut hauriret aquam. Dicit ei Ieſus, Da mihi quod bibam. Nam diſcipuli eius abierant in ciuitatem ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu cum ſis Iudæus potũ à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim commertium habent Iudæi cum Samaritanis.

Colloquium domini cum Samaritana.

Sequitur nunc colloquiũ domini & Samaritidis, quod præcedentibus miranda quodam conſilio nectitur. Docuit enim in 3. cap. quæ & quanta bona deus pater mundo dederit in filio, remiſſionem uidelicet omniũ peccatorum, uitam ac felicitatem beatiſſimam. Hoc ipſum uero in 4. cap. cõprobat & demonſtrat euidenti exemplo Samaritidis, quã familiariſſime, licet peccatrix eſſet, inſtituit, amiciſſime recipit, & totum in ipſam gratiarũ theſaurum profundit. Recepit in 3. cap. hominem Iudæum omnium opinione ſanctum, probum & doctum: in præſenti allicit gentilem & parum integræ famæ mulierem, peccatricem, & rerum diuinarum ſatis imperitam. Vel hoc maxime argumento comprobans, ſe ſaluandis ueniſſe peccatoribus, tam Iudæis q̃ gentilibus. Admiranda eſt dei bonitas & maxime memorabilis huius ſuauiſſimi colloquij iucunditas, quo ſe miro modo inſinuat dominus Samaritidis animo. Sentiet quiſq; fructum non pœnitendum ſi in ſeſe transferat peccatricis perſonam, & imaginetur illa quæ mulieri dicuntur ſibi dici. Scopus colloquij primarius talis eſt. Declarat Chriſtus ſe eſſe fontem aquæ uiuæ, qui inareſcentem omnium peccatorum animum non refrigeret modo, ſed omni bono ſaturet, ut poſt Chriſtum anima fidelis nihil deſideret, nihil aliunde ſibi conquirendum putet, in Chriſto autem ſolo omnia ea habeat atq; poſſideat quæcunq; ſunt felicitatis beatæ. Huic attexitur aliud quoq; de religioſo dei cultu contra ſuperſtitioſum: ſed de eo dicemus ſuo loco. Vbiq; uero & ſemper anticipãt nos miſerationes miſericordis dei, uocantis electos ſuos ex mera gratia, nullo operum aut meritorũ noſtrorum illectus prærogatiua, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ. Iccirco in præſentiarum non expectat donec Samaritana gratiam poſtulet aut prior alloquatur dominum, ſed præuenit nihil colloquij meditantem, & argumentũ offert colloquio, dicens, Da mihi quod bibam: modeſtiſſime compellans, quam potuiſſet titulo ornaſſe parum decoro: nunc per totum colloquium quaſi cum honeſtiſſima cõferat perſona, ubiq; ſermonem temperat, necubi aſperitate illa offenderetur ac reſiliret. Eã re exemplum reliquit euangelicis concionatoribus, ut lenitate & ciuili pruden

Scopus huius colloquij.

Gratia uocamur.

tia plurimos Christo & iustitiæ lucrifaciant, atq; hoc nomine sibi temperent à conuitijs & petulantia linguæ. Adijcitur in euangelista, Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, &c. idq; per occupationem, ne quis rogaret, & cur non iusserit haurire discipulos? Vilis sanè & cõtemptibilis uidetur esse hæc ansa peccatrici oblata à domino: nec mirum cum plerisq; nobis etiam hodie uilissimæ uideantur occasiones, quas nobis suppeditat dominus, ut de emẽdatione tandẽ cogitemus. At fidelis nihil eorũ aspernatur quæ quolibet modo incitant ad resipiscentiã. Samaritana è cultu & lingua, sicut Chrysost. uisum est, suspicans Iesum esse Iudæũ, nõ absq; admiratiõe, Quomodo, inqt, cũ sis Iudæus potũ à Samaritana poscis? Et huius quæstionis ac admirationis causſam de suo subiungens euangelista, pro iure & more historici scriptoris, adijcit, Non enim commertiũ habent Iudæi cum Samaritanis.

Impedimenta obstantia quo minus agnoscamus gratiam.

Cæterum sub responsione mulieris ferè adumbrãtur nobis impedimenta obstantia, quo minus recte nos ipsos cognoscamus, & thesaurũ nobis à Christo cœlitus allatum & oblatũ liberalissime, auide recipiamus. Obijcit Samaritana domino offerenti gratiam, nullũ esse inter Iudæos & Samaritanos cõmertium. Obijcimus plerisq;, dum audimus nobis offerri gratiã dei per euangeliũ, nullũ esse inter deum & hominem cõmercium. Deum enim æternũ esse, incõprehensibilem, summe bonum, iustum & sanctum: homines uero esse mortales, miseros, ad extremũ deprauatos, iniustos, & prophanos. In ea sententia si constanter perseueret homo, non mirum si in desperationem incidat & intereat. Oportet ergo incarnationis dominicæ mysterium rectius expendere, & promissiones dei ob oculos reuocare, in primis quod deus misso in mũdum & in carnem filio communionem cum omnibus credentibus habere instituit.

Samaritanorũ Iudæorũq; inter se odia mutua.

De Samaritanis & odio Iudæorum in Samaritanos, odij item origine, legis 4. lib. Reg. 17. cap. in libris itẽ Ezræ & Nehemiæ, multis testantibus quanto conatu Samaritani sese opposuerint Iudæis templũ & urbẽ restaurare conantibus. Certè quandiu imperium tenuerunt Persæ, nunquã cessarunt Samaritani diuexare Iudæos. Vbi uero Darius ultimus Medorum & Persarum rex ab Alexandro uictus esset, & uictor iam Syris arma inferret, Sanabalath antea Darij Persæ per Syriam præfectus, magno militum numero ad Alexandrum defecit, fauoreq; Alexandri impetrato, templũ ingens super montem Garizim proximum Samariæ, et Sychimæ ferè imminentẽ, condidit: qui locus posteris annis cultu confuso ex Iudaismo & Gentilismo sanè celeberrimus est factus. Author Iosephus lib. Antiq. 11. cap ultimo, quo loco illa quoq; posuit, Huiusmodi naturæ sunt Samaritę, ut calamitatibus immersis Iudæis negent se esse Iudæorũ cognatos, in eo ueritatẽ confitentes: cum autem uiderint clarum aliquid eis oblatum, tunc socios se Iudaico generi profitentur, originẽ suam à nepotibus Ioseph, Ephraim & Manasse recensentes, &c. Congruunt his ferè quæ apud Chrysost. in hæc uerba leguntur, Nõ omnes scripturas recipiebant Samaritani, sed Mosis duntaxat, prophetas respuebant. Interim se inferebant in nobilitatem Iudaicam, ad Abraham suũ genus referentes, utpote qui Chaldæus fuisset, & Iacob patrem appellabant, utpote nepotem Abrahæ. Verum Iudæi hos auersabantur & abominabãtur. Vnde Christo exprobrabant, dicentes, Samaritanus es tu, & dæmonium habes, &c. Præterea meminit Iosephus nõ paucos Iudæorum ob scelera inter Iudæos patrata, & ob reiectam disciplinã defecisse ad Samaritanos, quorum religionem quo liberius præuaricari liceret, receperint. Vnde apparet Samaritani & Apostatæ siue defectoris conuicium eo tempore pro eodẽ fuisse usurpata. Sunt qui hodie peregrina lingua appellent Mamalukẽn. Certe quia gentiles erant Samaritani, ideo iuxta præscriptum legis Exodi 23, & Deut. 7.

nullam

nullam Iudæi cum ijs habuerunt mutuam uitæ consuetudinem. Interim uero nihil peccauit hic in legem dominus, quemadmodum ne Iosue quidem legem creditur transgressus quod Rachab meretricem in fidem recepit. Sunt enim iustæ causæ ob quas licet dispensare.

Respondit Iesus, & dixit ei, Si scires donum dei, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.

Aperit se mulieri dominus.

Nihil respondet ad obiectum dissidium Iudæorum & Samaritanorũ, quin potius ad saluandum & ad exponendum thesaurũ cœlestem festinat. Nam clarissime incipit aperire arcana regni cœlorũ peccatrici, quæ quo rectius & facilius singula intelligat, sermonẽ allegoria uestit, & in cœpta aquæ & bibendi persistit metapho ra. Et quia admiratio de rebus concepta, mirifice exagitat & incendit animos fœmineos, præsertim ad indagandam rerum admiratarum ingenium atq; naturam, iccirco dominus admirationẽ animo mulieris injcere tentans, Si scires donũ dei, inquit, & quis ille sit, &c. Delectatur enim deus accurata hominum perquisitione posteaq; semel cœpit nobis sua aperire mysteria: grauissime autẽ offenditur nostra segnitie & inertia. Proinde mulieris mentem excitans, Si scires, inquit, si inquam nosses intelligeresq; donum dei: ipsis mox uerbis euangelij mysteriũ amplificans. Nam τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ appellauit excellentissimum illud dei donum, gratiam inquam abundantissimam, & omnis felicitatis beatissimæ absolutissimam plenitudinem, seipsum. Ergo si nosses, inquit, quantũ beneficium atq; thesaurum orbi exhibuisset deus, posteaquã me filium suum unigenitum mũdo donauit, profecto fieri non posset quin omnibus relictis in orbe rebus maximis, sanctissimis, præstantissimisq;, totã tuam fiduciã & spem in me collocares, totum tuũ in me desiderium conuerteres, tota denicq; à me uno penderes. Germanice quoq; referam, si possim diuinissima uerba reddere magis proprie & plenissime explicare, Wenn du verstündist was grossen schatzes vnd fürträffenlicher schencke Gott der wält bewisen / do er mich sinen sun in die wält gesendt hatt / du wurdest dich aller hilff vnd alles trosts entziehen / vnd dich an mich allein lassen / vnd von mir alle gnůge alles gůten allein begären. Donum se uocat dominus, quia gratuitum est dei beneficium. Quod enim filium nobis dedit, nullis meritis nostris commotus illum dedit, sed ex natiuo bonoq; suo ingenio excitatus, per filium in nos omnes profudit cœlestes thesauros, qui sua natura summe clemens, benignus & misericors, imò & misericordiarum pater est. Iam quod per Donum seipsum intellexerit dominus Iesus, interpretatione subiecta, Et si nosses quis sit, inquit, qui nunc aquæ potũ abs te petit, id est, si meipsum nosses, tu potius petisses à me, & dedissem tibi longe potiorem aquam ista, uidelicet aquam uiuam. Quibus uerbis ante omnia fidelibus indicat quod ipsorum sit officium, & quid faciant, incessanter uidelicet dona postulent ab aceruo illo donorũ Christo. Præterea ostendit quod ipse sit illud dei excellens ac singulare donum, & quid conferat poscentibus se: nimirum Aquam uiuam. Sed quid quæso est Aqua uiua? S. Augustinus Tract. in Ioan. 15. Viua aqua dicitur uulgo, inquit, illa quæ de fonte exit. Illa enim quæ colligitur de pluuia in lacunas aut cisternas aqua uiua non dicitur. Ergo quæ non interrupto meatu proxima è scatebris fontis excipitur, uiua aqua dicitur. Sic ille. Cæterum dominus iuxta metaphoram ac allegoriam ducit sermonem à uisibili fonte, ad inuisibilem dei gratiam. Simul indicans gratiam sibi non participatione, sed natura inesse. Pater fons est, riuus ex fonte descendens substantia nihil à fonte differens filius est. Refrigerat, potat et repurgat corpus aqua uiua: refrigerat aĩam, potat & repurgat dei gratia & spiritus p̃ Christũ nobis datus. Proinde

Quid sit aqua uiua.

remissionem peccatorum, tranquillitatem conscientiæ, iustificationem, & hæreditatem uitæ cœlestis, omnia denicq; dona cœlestia promittit dum aquã uitæ siue uiuificantem promittit. Eleganter ergo & uere beatus pater Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 82. Aquam, inquit, uiuam, uiuificantem spiritus gratiam appellat, per quã humana natura ab ariditate infœcunditateq;, qua diaboli artibus infecta fuerat, depulsa, ad pristinam pulchritudinem ac uiriditatem irrigata recurrit, magno uirtutum numero flores, & charitate erga deum suauissimos fructus producens. Quod per Isaiam futurum deus prædixit, Glorificabunt me bestiæ agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas & flumina in terra inaquosa, ut darem potum populo meo, quem mihi formaui ut laudes meas enarret. Et reliqua. Istis autẽ uerbis eleganter & breuiter expositum Christus quis sit, & quid conferat suis fidelibus omnem plenitudinem uitæ & felicitatis.

Dicit ei mulier, Domine, neq; quo haurias habes, & puteus profundus est, unde ergo habes aquã illam uiuam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteũ, & ipse ex eo bibit, & filij eius & pecora eius?

Mulier mysteria regni dei nõ intelligit.

Animalis muliercula, & nondum spiritu dei renata, nihil cogitat nisi terrena, omnia expendit carnaliter, quemadmodum & Nicodemus in cap. 3. ergo cœlestẽ doctrinam non intelligit, aquam uiuam non postulat. Potuisset quidẽ domino respondere petulantius ac dicere, Si haberes aquam uiuam, haud quaquã posceres à me putealem, proinde nihil aliud crepas quàm uentos: uerũ nihil tale loquuta modestissime agit cum domino, quem honoris gratia dominũ appellat, pro more inquam eius gentis, consuetæ honorificos quosq; & præstantes uiros, in primis hospites et peregrinos, nuncupare dominos. Atq; huiusmodi quiddã dicit, Pollicéris domine aquam hac præstantiorem: atqui ne uas quidem ἄντλημα, haustrũ, urnam, situlam siue cadum habes, quo haurias, sed & puteus profundus est, ut citra situlã non liceat ullam haurire aquam: neq; uspiam hic in uicinia est alius fons: unde ergo habes aquam quam polliceris uiuam & recentẽ? Magnifice quidem sentimus omnes de hoc puteo, utpote quem à patriarcha Iacob, ad cuius originẽ nos quoq; Samaritas referimus, accepimus, qui illum non tantum nobis parauit, sed ipsum adeò non cõtempsit, ut ipse ex eo bibere solitus sit, & tota eius familia, unà cum pecoribus. Quod si tu aquam suppeditare potes præstantiorem hac, excellentiorem certè te esse oportebit patriarcha Iacob: id quomodo tibi arrogare uel usurpare liceat, tute pro tua expenderis prudentia. Expendamus ista paulò diligentius. Docuit dominus se esse fontem aquæ uiuæ, apertum planè & profusissime scaturientem omnibus poscentibus ad saturitatẽ & iucundã omnium bonorũ impletionẽ.

Impedimenta à fonte prohibentia.

Cæterum occurrunt mox impedimenta, quæ se interponũt ac prohibent quo minus acceleremus ad bibendum, agnoscamusq; Christum dominum plenitudinem esse omnis gratiæ & felicitatis. Ea qualia sint relucet ex oratione Samaritidis. Principio uidetur dominus carere situla qua hauriat. Deinde apparet puteus nimis esse profundus. Postremo reclamat sanctorũ patrũ præstantia sanctitas & religio. Urna uas est quo hauritur aqua uiua. Nõ uidetur aũt Iesus is esse per quẽ nobis deus donum uitæ cõmunicet, quippe qui morti obnoxius in cruce expirauit. Clamant ergo gentiles, Is ne uitam nobis seruaret incolumem, qui suam propriam seruare non potuit, uerum exhalauit in cruce? Scriptura autem addit dominum resurrexisse à mortuis tertia die, & calcata morte ascendisse in cœlos, quo exaltatus omnes ad se à morte ad uitã sit traducturus. Atqui profundus est puteus, profunda est nostra malitia, propheta attestante, Prauum est cor hominis & inscrutabile.

tabile. Excelsus item est dominus, qui in altis habitat, imperuestigabilia sunt eius iudicia. Et quis ascendit in cœlum? Paulus respondit ad ista iam olim, & dixit in epist. ad Romanos, Iustitia fidei sic loquitur, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? Hoc est Christū ex alto deducere. Aut, Quis descendet in abyssum? &c. Rom. 10. Patrū uero sanctitas, religio & præstantia eos in cognoscendo Christo remoratur, qui ad fidei in Christum prædicationem clamant, Hactenus aliud est uisum sanctis patribus, quorum constitutiones præterire & negligere nephas est. Fuerunt enim uiri præclari sanctimonia & eruditione, quibus tamen aliud uisum est quàm nouis illis uideatur euangelij concionatoribus. Excellentiores uide licet his fuerūt prisci illi patres, quibus cum hactenus recepta religio fecerit satis, deoq; per ipsam fuerint reconciliati, ego in patrum religione perseuerabo. Hi nescire uolunt Christum ac uerbum eius multis nominibus antecellere omnes patres, imò omnes patres in fide Iesu Christi esse seruatos.

Respondit Iesus, & dixit ei, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: quisquis autem biberit de aqua quam ego dabo ei, non sitierit in æternū: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternā.

Aquæ plenitudo gratiæ cœlestis.

Exponit his dominus superiorem suam sententiam de aqua, significans se nō loqui de aqua elementali, sed cœlesti ac spirituali: comparat item inter se aquam terrenam & cœlestem, huius amplificans præstantiam, ut eius laude allecti audítores confertim accurrant ad hauriendum, id est credendum. Dixi modo Aquam metaphorice significare omnimodam domini gratiam adeoq; ipsum Christi spíritum benedicentem nobis, omniq; benedictione spirituali nos adimplentem. Reperies autem in scripturis frequentissime Aquæ uocabulum sic usurpari, in Isaia maxime, cuius uerba in 44. cap. & 55. omnibus sunt notissima. Nec ignorare quenquam arbitror dominum apud eundem hunc euangelistā nostrum in 7. cap. dixisse, Si quis sitit ueniat ad me & bibat: qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquę uiuæ. Quibus uerbis mox appendit apostolus, Hoc autem dixit de spíritu quem accepturi erant credentes in ipsum. Apud Ieremiam in 2. cap. appellat se dominus fontem aquæ uiuæ, dicens, Duo mala fecit populus meus, me deseruerunt fontem aquarum uiuentium uel perennium, & effuderunt sibi puteos, puteos inquam pertusos qui aquas non continent. Deus enim iugis & perennis fons est, scatebra uiua omnium bonorum: in creaturis ac idolis nulla est gratia, præsertim in hominibus impijs. Pij si quam assequuti sunt gratiam, eam tamen non deriuare possunt in alios. Solus deus fons gratiæ & donorum largus, liberalis, inexhaustus, deriuat in nos omnes aquam uitæ. Hæc de aqua uitæ dicta sufficiant, de qua & in superioribus paucula prælibauímus. Iam in collatione aquæ terrestris, & aquæ cœlestis, huic duo præcipue attríbuit, & quod satiet bibentem, ita ut non sitiat amplius, & quod fiat in eo qui bibit fons saliens in uitam æternam. Quibus ingenium sanctorum, spíritus item fideiq; operantis & uiuificam uim exerentis, in fidelibus hominibus adumbrauit. Quisquis, inquit, biberit de aqua cœlesti, id est, quisque uere in Christum credíderit, spíritusq; Christi particeps factus fuerit, is nunquam sitiet amplius, cum in seipso fontem habeat largissime profluentem, fœcundantem, reficientem & satiantem. Sentit enim in se uirtutem Christi, qui plenitudo est fidelium, agentem & uiuentem in corde pacantemq; turbulentam hucusq; conscientiam. Qui enim per fidem possidet Christum, is omnia in hoc uno possidet dona cœlestia.

Effectus aquæ uitæ.

Satiat aqua uitæ plenissime.

Huic Christus est sapientia, iustitia, redemptio, satisfactio, hostia, sanctificatio, pontifex, mediator, intercessor, rex, liberator, reconciliator, lumen, magister, doctor, resurrectio, uita, supremum bonum, & æterna felicitas, per quem plene saturatus nihil porrò desiderare potest, cum nihil in cœlo & in terra sit quod in Christo non habeat: ergo in Christo plene acquiescit fidelis, & cum sponsa clamat, Apprehendi eum, nec dimittam. Nam quid obsecro recensebunt mihi filij hominum beatitudinis, deliciarum & felicitatis, quod non possideam in dilecto meo unigenito dei filio? Placuit enim patri omnia recapitulare, & ceu in compendium redigere in Christo, atque in uno omnia nobis felicitatis & uitæ præmia proponere. Qui autem talem in se fontem habet scaturientem, non poterit unquam ulla diuexari siti, nec subinde aliunde petenda erit ei aqua, sed semel hausta illa singularis ac cœlestis permanet in eo qui bibit, & exaturat, refocillat, & per omnem uitam irrigat. Rursus & ex opposito, Omnis, inquit, qui biberit de aqua hac, corporea uidelicet, sitiet iterum. Sub aquæ uero corporeæ inuolucro omnia comprehendit externa præsidia, quæ uidelicet sunt extra Christum, extra Christi spiritum & fidem, qualiacunq; aut cuiuscunque illa tandem sint generis aut hominis. Ea non tranquillam reddunt conscientiam, non saturant, non absoluunt. Verissimum enim hic est quod poëta canit, Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Sacrificat enim aliquis deo pro peccatis suis, iuxta legem & præscriptionem Papisticam, sed non conquiescit sacrificantis animus. Recurrit ad confessionem auricularem, euomit uirus in aurem sacrifici, accipit absolutionẽ peccatorum & satisfactionis leges: uerum idem ille nondum se satis iustificatum arbitrans, abit emptum indulgentias & Missas atque preces precarias. Verum & his non per omnia fidens, astringit se uotis, peregrinationibus et innumeris huius generis ineptijs, in quibus omnibus cum diu se satisq; uolutarit, tamen non exit purgatior quàm è uolutabro sus: ut uerissime dixerit diuinus uates, Impijs non est pax. Pij sunt qui recipiunt euangelium, & in Christum uere credunt: unde apostolus dixit, Iustificati ex fide pacem habemus erga deum, per dominum nostrum Iesum Christum. Præterea qui biberit ex aqua cœlesti (quod huius nostræ collationis membrum alterum est) non tantum satiabitur, sed & aqua illa uiua gignet in ipso fontem perpetuo scatentem ac profluentem, & tandem in uitam usque æternam salientem. Quibus uirtus fidei ac effectus spiritus Christi mira breuitate describitur. Fides enim non est iners & otiosa, neque torpet & dormit in sanctorum animis spiritus Christi. Profert enim fides ac spiritus Christi fructus se dignissimos, studia uidelicet pietatis, & opera iustitiæ, innocentiæ & charitatis, quæ exprimunt tam dictis quàm factis quicunq; Christum recte imbiberunt. De fructibus fidei & spiritus alibi copiosius est dictum. Hos fructus non temere appellat fontes aquæ salientis in uitam æternã. Nam Christus, qui uerus est fons aquæ uiuæ, per fidem habitat in cordibus fidelium, & animat uegetatq; palmites sibi insertos, siue eos quos inhabitat, & in quorum animis uiuit, ut uiuos profundant latices, riuos bonorum operum, proximos refrigerantes, & honestate omnes sanctos reficientes, in primis autem glorificantes deum sanctissimum. Saliunt isti fontes tandem etiam in uitam æternam. Posteaquam enim sancti in præsenti sæculo satis fuerint decorati uirtutibus, satisq; glorificarunt deum, refocillarũtq; proximos, migrant ex hoc sæculo ad Christum salientes euolantesq; uirtute spiritus & fidei in dexteram patris. Quo nimirum illud Pauli pertinet, Manumissi à peccato, serui facti sumus deo, habentes fructum in sanctificatione, finem autem uitam æternam. Hæc & huiusmodi scripturæ testimonia planè aurea sunt, & aureis literis cordibus in-

Aqua uitæ salit in uitam æternam.

bus inſculpenda humanis. Deo & domino noſtro Ieſu Chriſto fonti omnis gratiæ & uitæ ſit laus & gloria, Amen.

Dicit illi mulier, Domine, da mihi aquam iſtam ut non ſitiam, neq; ueniam huc ad hauriendum.

Perpetuo ſui ſimilis muliercula prædicationem domini carnali mente æſtimat, nec animum attollit ad cœleſtia, quemadmodum & Nicodemus faciebat. Quamuis ergo ſatis aperte myſterium regni dei explicaſſet dominus, & demonſtraſſet quis eſſet, pro carnis tamen admiranda ſtupendaq; cæcitate & inertia, humana adhuc ſomnians, dicit, Domine imparti quæſo mihi aquam iſtam, quæ omnem reſtinguit ſitim, ne ſubinde recurrente ſiti, cogar hunc adire puteum, haurire, & urceum humeris baiulare. Quod autem à domino poſcit muliercula, hoc ipſum hodie ex euangelio reportare exoptant qui maxime ſtudioſi ueritatis euangelicæ uideri uolunt. Non admodum curant uel regenerationem uel iuſtificationem, adeoq; ſtudium ſanctimoniæ & iuſtitiæ. Sermones de ijs rebus inſtitutos & habitos non intelligunt, uel ſi intelligunt non admodum curant: otium & quietem carnalem, denique uoluptates quærunt, ut excuſſo ſemel omni legum iugo, iuxta deſideria carnis ambulent, hoc eſt, urnam ac omnem exercitationem ſiue diſciplinam ſanctam abijciant, adeoq; urceum cõfringant, ſecuriq; in utranq; aurem indormiant. Atque hoc impedimentum hodie pleriſq; obſtat, quo minus participes fiant aquæ uiuæ. Dominus miſereatur noſtri. *Carnis ſtupenda inertia.*

Dicit ei Ieſus, Vade, uoca uirum tuum, & ueni huc. Reſpondit mulier, & dixit ei, Non habeo uirum. Dicit ei Ieſus, Bene dixiſti, non habeo uirum. Quinq; enim uiros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus uir. Hoc uere dixiſti.

Contemnitur negligiturq; medicus quandiu morbus à ualetudinario non ſentitur uel agnoſcitur: neque magnifecerit aquam uitæ anima, niſi ſiti inareſcat. Quia itaq; Samaritis peccata ſua nondum nec ſentiebat nec agnoſcebat, nihil mirum quod ſermonem domini non intelligit, neque aquam uitæ petit. Aggreditur itaque ipſam alia uia dominus, quando illa non ſucceſſerat, ac uulnera retegit peccatorum, ſcelere propudioſo ob oculos mulieris poſito, ſi forte uel ſic ſitire & aquam uiuificam à ſaluatore poſcere uelit. Denudat enim & aperit peccatrici cupidinis furta, Venerem illicitam, adulterium inquam ſiue ſcortationem. Iubet ergo uirum ſuum accerſat. Mulier cupiens ſuam tegere turpitudinem, Domine, ait, uirum non habeo, inficians matrimonium, interim & ſtuprum diſſimulans. Ieſus uero peccatum mulieri ob oculos palàm reuocans, Recte, inquit, dixiſti, tibi non eſſe uirum. Etenim cum quinq; uiros habueris ad libidinem, nullum tamen habuiſti legitimum: atq; hic ipſe quem nunc quoq; habes, non eſt uir tuus legitimus: unde nihil mentita es. His ſimul diuinitatem ſuam declarauit, omnibus modis conſulere cupiens mulieri, quemadmodum & 1. cap. Nathanaeli. Profecto cum iuſtus dominus peccata noſtra arguit, nullo alio conſilio profert & arguit, quàm ut agnoſcamus morbum, & accurramus ad medicum, atq; ſanemur. Poſſet ſanè dominus uirtute diuina & quaſi per capillos, ut dici ſolet, ad ſe trahere peccatores, ſed agit omnia ordine iuſto. Allicit quos uocat & trahit uerbo, legitimisq; mediis, quibus qui ſe adduci ſinunt, abundantiore gratia ſubinde magis magisq; *Medicus uulnera peccatorum retegit.*

locupletantur. Nam gratiæ diuinæ est quod uocamur, gratiæ eiusdem est quod uocationi obsequimur. Qui uero uerbum, preces, & alia legitima media præterеunt, quæ in uocandis hominibus adhibet dominus, miraculosam adeoq; uiolentam compulsionem uerius quàm legitimam uocationē expectant, tentant deum.

Dicit ei mulier, Domine uideo quod propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & uos dicitis quod Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare.

Agnoscit mulier peccatum. Agnoscit tandem peccatum suum Samaritis, nec tergiuersatur tantillum, ingenue concedens deo gloriam. Cum enim dicit, Video quod propheta sis, nihil aliud dicit quàm, Agnosco me talem qualem dixisti esse, & quod ueritatem dixeris. Propheta enim uir est diuinus, & ueridicus. Hunc sensum sequutus & Paraphrastes, Mulier, inquit, ubi sensit uitæ suæ domestica probra non latere Iesum hospitem & Iudæum, qui quod narrabat ex hominum narratione scire non poterat, non resilit ab illo pudefacta, non irritata regerit contumeliam, sed magis etiam in illius admirationem inflammatur: quum si quid tale Iesus dixisset Pharisæis, clamaturi fuerint, Magus est, & dæmonium habet. Quid autem hæc pia peccatrix Samaritana? Domine, inquit, ut uideo, propheta es tu. Tantum ille. An non hic uerum illud esse cernis, quod apud Matthæum dixit dominus ad Pharisæos, Publicani & meretrices præcedunt uos in regnum dei? Discamus Samaritidis huius exemplo cum per uerbum ac spiritum dei apperiuntur nobis peccata nostra, ingenue & sponte confiteri ipsa. Sunt qui impatienti animo exiliunt, patrataq; scelera & negant & pernegant, quibus profecto nihil obuenit gratiæ & condonationis, apostolo testante, Si dixerimus, peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate nostra. Si dixerimus,

Consultat de expiatione. Non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis. Interim occulte uidetur innuere mulier, si ita placeat prophetæ & consulat dominus, ilico abituram in templum, & expiaturā scelera. Non enim manifeste dicit, Ascendam in montem adoratura dominum, ut mihi clemens & propitius peccata mea condonet, sed quæstionem interponit de ratione adorandi deum iusta, de uera religione & uero dei cultu. Simul ciuiliter ac astute pro pudore muliebri statum orationis transferens ad aliud, ne subinde cogeretur domestica sua probra audire. Porrò hoc loco iterum repetendum est quod paulò superius dixi, Samaritas in monte Garizim prope Sichem ædificasse phanum, in quo sacrificarūt deo, ac religionem exercuerunt. Videri uolebant id instituti & eum cultum à sanctis accepisse patribus, qui haud dubie diuina cōmoti ordinatione, cuius mentio fit Deut. 27. & exemplo Iosue, quod describitur Iosue 8. templum & cultum imposuerint exercerique uoluerint in monte Garizim. Cæterum tabernaculum domini ponebatur non in monte Garizim, sed in Silo, quemadmodum testatur cap. Iosue 18. ubi firmum mansit ad tempora usq; Heli, sub cuius sacerdotio & Silo uastabatur à Palestinis, & arca domini capta abducebatur. Reducta tandem uarie fuit translata sub rege Dauid, qui tandem angelo domini demonstrante aream præparauit futuro templo, quod Solomon in monte Zion extruxit, siue in collem Hierosolymorum Moream imposuit. Iam ergo quæstio mulieris huiusmodi esse uidetur, Cum

Quæstio mulieris de adoratione. patres nostri, haud aspernandis caussis permoti, extruxerint in monte hoc (ἀναστιχῶς) templum, iusserintq; in eo numini sacrificare, & deum colere, Iudæi contra contendant Hierosolymorum urbem cultui diuino & religioni esse cœlitus destinatam,

natam, edíſſere mihi quæſo, quando uideo te prophetiæ dono pollere, qui rectius colant deum, & quæ ſit uera adorandi ratio, quis uerus dei cultus? Sic enim recte inſtituta, rectius & uerius in gratiam cum deo rediero, & reconciliatum coluero. Annotauit D. Ioannes Oecolampad. hinc colligi duplicem eſſe religionẽ, Vnam uerbo dei confirmatam, quæ certa ſit: Alteram opinione patrum roboratã, ac eam quidem eſſe incertam dubiamq;. Ego Adorandi uocabulo comprehenſam puto totam religionem & dei cultum.

Dicit ei Ieſus, Mulier, crede mihi, uenit hora quando neque in monte hoc, neq; Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed uenit hora, & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt patrem ſpiritu ac ueritate. Nam & pater tales quærit qui adorent ipſum. Spiritus eſt deus: & eos qui adorant eum, ſpiritu ac ueritate oportet adorare.

Neq; Iudaica neq; Gentilis religio iuſtificat.

Breui exordiolo mulieris animum diuerſitate opinionum planè diſtractũ, ancipitemq; recolligit, ac ſibi ut prophetæ doctoriq; ueraci aſtringit, dicens, Mulier, abijce ex animo rixas, altercationes factionum, & pugnantes inter ſe ſententias, & ſi credis me prophetam eſſe, ſicut confiteris, meis uerbis fidem adhibe. Nõ enim fallam, nihil mentiar, ſed ueritatem ſynceram ſimpliciter & pure proponã, nempe breui futurum ut neq; in monte hoc, more inquã conſueto, id eſt Samaritico, neq; Hieroſolymis, more Iudaico, deus ſit colendus. Abolebitur itaque utraq; religio. Proinde neutra te iuſtificabit, id eſt à peccatis expiatã reconciliabit deo. Porrò ne interim Samaritanæ religioni uideretur cultum Iudaicum æquiparaſſe, hominũ corruptiſſimo inuento, ritum cœlitus inſtitutum, protinus adijcit, Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus. Quaſi dicat, In hoc tamen nos Iudæi (ſe enim annumerat Iudæis dominus, ex quibus natus eſt ſecundũ carnem) non mediocriter præſtamus, quod deum uerum per doctrinam legis & prophetarũ cognitum adoramus, eumq; ſolum colimus. Vos Samaritani adoratis quod neſcitis, nihil uidelicet firmitatis habẽtes in ſcripturis. Adoratis quidẽ deum, ſed quem nondum recte cognouiſtis, imò quem neſcitis. Nam cum deo uero colebant etiã deos alios, quemadmodum de ipſis legitur 4. Reg. 17. cap. Certè qui uerum deum colit quidem, ſed non ſolum colit, utpote uniuerſorũ dominũ, & ſolum ad omnia ſufficientem, fontem aquarum perennium, is de ſeipſo teſtatur opere proprio quod deum adhuc neſcit. Præterea præſtant in eo quoq; Iudæi ὅτι ἡ σωτηρία, quod ipſa ſalus exiſtit ex Iudæis. Paulus enim ad Rom. 9. Iudæorum, inquit, eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, et legis cõſtitutio, & cultus, & promiſſiones, quorũ ſunt patres, & ij ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet ad carnem, qui eſt in omnibus deus laudandus in ſæcula, Amen. Quoniã uero teſtatur ſalutem, id eſt ſaluatorẽ mundi, ipſam hoſtiã expiatoriã & uitam, exiſtere ex Iudæis, obiter ſignificat neq; Hieroſolymitani templi ceremonijs, neq; Garizæi phani ſuperſtitionibus expurgari & expiari ſiue iuſtificari credentes. Nam ſanctificationem & ſalutem ſoli tribuit Meſſiæ, qui ſolus aqua cœleſti ſatiet inareſcentem animã. Fruſtra certe eſſet promiſſus & exhibitus Meſſias, ſi ulla alia ratione iuſtificaremur quàm per Meſſiam. Gal. 2. His neceſſario & multa cum utilitate interpoſitis, mox rediens per Epanaphoram ad illud quod dixerat, Venit hora quando neq; in monte hoc, &c. & abſolute ad quæſtionem reſpondens clariſſime declarat quæ ſit uera adorandi ratio, quæ uera religio, & in quo cõſiſtat uerus dei cultus. Tale autẽ eſt quod dicit, Dixi

Quæ uera adorandi ratio ueraq; religio ſit.

abolendam aliquando tam Iudaicam quàm Samaritanam religionem, utpote ad iustificationem non efficaces, id iam plenius tibi explico & addo, ueniſſe illud tempus, & iam adeſſe, quo iſtis quidem rebus externis, partim ſuperſtitioſis, partim uero ueluti umbris & figuris rerum futurarum euaneſcentibus, uera iam ratio adorationis, illuſtris denique ueræ religionis ac ueri cultus lux ſuccedens rutilat, hac uidelicet breui ſententia omnia habens comprehenſa, quod ueri adoratores patrem adorabunt in ſpiritu ac ueritate. Proinde in ſpiritu ac ueritate conſiſtit uera adoratio, uera religio, & uerus cultus.

Adorare in ſpiritu et ueritate

Quid uero eſt Spiritus? quid eſt Veritas? Spiritus opponitur carni & rebus externis: cõprehendit autem fidem, obedientiam, dona ſpiritus, animum regeneratum & timentem amantemq; deum. Itaq; religio nulli loco temporiue erit affixa: cultus dei non uerſabitur in templis extruendis aut ornandis, in ſacrificijs mactandis, in cibo aut ueſtitu ullo. Vere religioſus, uerus dei cultor erit quiſquis per ſpiritum dei renatus, fide uera & ſpe firma deo inhæret, ſpiritu ſuo, id eſt conſcientia ſyncera deo ſupplicat, & indiuulſe adhæret. Veritas autem opponitur umbræ & hypocriſi, comprehendit ipſam rem, ipſam integritatem, innocentiam, cæterasq; animi uirtutes ſacras. Ideo religio non erit in typis, figuris, uſuue ceremoniarum, quæ ſignificationem habuerunt rerum futurarum, non erit in externa, quantumuis ſpectabili ſpecie ſanctimoniæ. Vere enim religioſus eſt, qui ipſis rebus cœleſtibus affixus inhæret, ſignificatis per typos, ipſi inquam domino Ieſu Chriſto, in quem ipſa lex & omnes prophetæ intenderunt: qui item integer eſt & innocens, ſe totum deo conſecrat & offert. Vnde Chryſoſtomus Homel. in Ioannem 32. Qui, inquit, ſunt ueri adoratores? Qui nullo loco diuinum cultũ circumſcribunt, qui deum in ſpiritu colunt, ſicut & Paulus, Cui ſeruio, inquit, in ſpiritu, in euangelio filij eius. Et iterum, Obſecro uos fratres per miſericordiam dei, ut exhibeatis corpora ueſtra, hoſtiam uiuentem, ſanctam, deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Per ſpiritum autem ſignificat incorporeum. Opus eſt enim incorporei hunc cultum eſſe, et per incorporeum quod eſt in nobis, hoc eſt per animam, & animæ munditiam offerri. Iccirco ait, Et adoratores eius in ſpiritu & ueritate adorare oportet. Nam cum & Iudæi & Samaritani contempta anima, munditiæ corporis plurimum ſtuderent, Nõ ablutione, inquit, & ornatu corporis, ſed incorporea noſtri parte adorandum. Quamobrem non pecora, non uitulos, ſed te totum deo offeras ſacrificium, ſic uiuentẽ hoſtiam exhibebis. In ueritate enim adorare oportet. Nam quæ ſuperiori tempore figura erant circunciſio, holocauſta, ſacrificia, incenſum, non ſunt amplius, ſed omnia ueritas. Non enim caro, ſed malæ circuncidendæ ſunt cogitationes: & noſipſos crucifigere, & irrationales auferre cupiditates oportet. Hæc ille.

Adijcit dominus cauſſas & argumenta ſiue rationes cur in ſpiritu & ueritate dixerit uerſari uerum dei cultum. Primum argumentum ducit à beneplacito ſiue uoluntate dei, in hanc ferè ſententiam, In adoratione ſiue religione ueroq; dei cultu, is haud dubie ſpectandus eſt ante omnia, qui adoratur & colitur. Cæterum hic cupit, uult & iubet cultores ſuos adorare & colere ipſum ſpiritu & ueritate: conſtat ergo religio uera ſpiritu & ueritate. Quod autem omnino cupiat, & uelit coli ſpiritu & ueritate, colliqueſcit è teſtimonijs legis & prophetarum. Teſtimonia extant Deuteron. 10. Iſaiæ 1. Ierem. 7. Mich. 6. & multis alijs locis, in Pſalmis præcipue. Alterum domini argumentum petitum eſt ex natura dei. Deus, inquit, ſpiritus eſt. Spiritus opponitur corporeæ ſubſtantiæ. Deus ergo natura & ſubſtantia ſua incorporeus eſt: ergo non eget neque delectatur rebus corporeis, neque demereri

mereri illum nobis, neque conciliare possumus nisi spiritu. Afficitur rebus puris, syncerís, spiritualibus. Vnde ueri adoratores adorant & colunt eum spiritu & ueritate. Persequitur hoc multo copiosius diuinus propheta Asaph in Psalm. 50. multis docens deum holocausta & libamina non poscere à populo suo, sed oblationes spirituales, naturæ diuinæ congruas. Vidit hoc ipsum gentilis ille Cato, quisquis tandem fuerit, qui in sententijs suis inter alia egregie dicta pronunciauit,

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Paraphrastes utraq; domini argumenta mira illustrans luce, Iam, inquit, instat tempus, imò iam adest, quando ueri adoratores patrem adorabunt non in templis, non pecudibus, non rebus corporeis, sed spiritu: non umbris, sed ueritate. Deus enim, cum spiritus sit, non delectatur puritate corporali, nec templorum parietibus, nec pecudum uictimis, sed spirituales adoratores amat, à quibus adoretur iuxta spiritum ac ueritatem. Hactenus enim satis figuris atq; umbris Mosaicæ legis datum: posthac ubicunq; mens erit per fidem euangelicam à uitijs pura, ibi templum erit deo dignum: ubicunq; uota cœlestia, preces puræ, cogitationes sanctæ, ibi uictimæ quibus litatur deo. Hæc ille.

Fœcundus hic euãgelij locus.

Memorabilis est hic euangelij locus, & multum habet utilitatis & euidentiæ, innumeros item errores & omnes superstitiones iugulat. Et breuissimo quidem in compendio cernere licet, quæ sit uera religio, quis uerus dei cultus, quæ superstitio, & quis falsus dei cultus. Plura ego de hoc argumento dedi in libris de Origine erroris, unde copiosiora peti possunt. Cæterum non citra eximium fructum adiecero his, opinor, quæ in hunc locum de Adoratione Christi disputauit Cyrillus. Hic enim lib. in Ioannem 2. cap. 92. Adorantibus, inquit, seipsum connumerat Christus, qui cum patre ac spiritu sancto tam ab angelis quàm à nobis adoratur. Cum enim serui formam assumpserit, seruo conueniens ministerium susce-

Quomodo Christus adoret & adoretur.

pit, nec amisit ne ut deus ac dominus adorabilis sit: idem ipse est etiam factus homo: ubique utriusq; naturæ rationem conseruans. Et paulò post, Quomodo in similitudine hominum factus est (ut Paulus ait) si congruentia hominibus non assumpsit? Conuenit autem maxime hominibus tanquam debitam deo adorationem offerre. Adorat igitur etiam Christus postquam factus est homo, ut homo. Adoratur autem semper cum patre & spiritu: quoniam deus uerus secundum naturam est. Post hæc multis confutat illorum errorem, qui negarunt dominum adorare ut creaturam, sed confinxerunt adorari patrem à filio non ut à nobis aut angelis, uerum alia quadam ratione sublimiore, quasi secundum id quod filius est dei adoret. Verba eius si quis requirat hæc sunt, Illi nugantur, dicentes, quia nec ut seruus, nec ut creatura, sed ut filius patrem adorabit. Sub finem autem satis prolixæ confutationis tandem subijcit, & ait, Quod si nostri adhuc contendere audent aduersarij, & friuolas accumulare rationes non erubescunt, ostendant nobis omni sancta scriptura reuoluta, ubi uerbo & filio dei carne nudo adoratio attribuitur? Nam ut homo iure adorat: sic antequam homo fieret nunquam à sacris literis id ab eo factum esse ostenditur. Coniecturis autem falsis utentes, merito audient, Erratis nescientes scripturas, & uirtutem dei, unigenitiq; gloriam ignorantes. Nam quia ea ratione, qua uerbum dei est, non adorat, sed factus homo propter nos, propter carnem id suscepit, non aliunde melius quàm è uerbis suis cognoscemus. Vos enim, ait, adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Nónne igitur cum plurali numero utatur, & seruis seipsum

connumeret, perſpicuum eſt hæc à ſeruitutis homine dici? Et quæ ſequuntur? Quæ omnia libentius in hos meos retuli commentarios, quo optimi quiq; cernant manifeſtiſſime calumniatores eſſe qui hodie nos inſectãtur maledictis, quod cum apoſtolica ueteriq; eccleſia docemus Chriſtum dominum iuxta aſſumptam naturam & creaturam eſſe, manereq; & ceu ſeruum adorare patrem deum, iuxta æternam uero ſubſtantiam & creatorem eſſe & adorari ab omnibus angelis ac creaturis tanquam dominum uniuerſorum. Iſti ad creaturæ, ſerui, & adorationis mentionem ſtupent, errantes uidelicet & ignorantes ſcripturas ac incarnationis myſterium.

Dicit ei mulier, Scio quod Meſſias uenturus eſt, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo uenerit, ille nobis nunciabit omnia. Dicit ei Ieſus, Ego ſum qui loquor tibi.

Oſtendit mulieri dominus ſe eſſe Meſſiã.

Hoc Ieſu ſermone tam diuino, quem multa cum authoritate, geſtu item graui & decoro, facie denique uultuq; amplius quiddam præ ſe ferente quàm hominis, protulit, obſtupefacta & prorſus capta Samaritis, quæ nimirum & in corde ſancti ſpiritus uirtute attacta, illuminabatur, ſuſpicari uidetur, Ieſum eſſe Chriſtum: obiecta itaque mentione Chriſti, uerum ac certum, ab eo quem mitiſſimum & promptiſſimum propenſiſſimumq; ad docendum eſſe uidebat, uoluit elicere. Ideoq; quaſi colloquio finem impoſitura, Non ignoro, inquit, uenturum Chriſtum à deo promiſſum & multis iam ſæculis expectatum, ad cuius aduentum reſeruabo illas quæſtiones. Is enim pleniſſime nobis explicabit omnia quæcunque tu de abrogando cultu Iudaico, Samaritico & gentili, de uera adoratione ſiue religione, de remiſſione ſiue expiatione peccatorum, deq; fonte uiuis & iugibus ſcatente aquis, protuliſti in medium. Verum unde, inquis, Samaritis hauſerat, quod de Meſſia, Iudæis tantum promiſſo & cognito, obijcit? Multa & frequens erat Iudæis mentio de Meſſia & aduentu eius in mundum, adeò ut Gentes quoque de illorum ſpe loquerentur. Sed & impletæ erant omnes prophetiæ, ſublatum erat Iſraeli regnum & ſacerdotium, deuenerat in poteſtatem & gubernationem gentilium, iuxta ueterem Iſraelis prophetiam, Non auferetur ſceptrum de Iuda, & magiſter de poſteritate eius, donec ueniat mittendus. Itaque uulgatiſſimi erant inter Iudæos & Gentes uicinas ſermones de Meſſia iam iam uenturo. Et ueriſimile eſt Samaritanos quoque ex Moſis promiſſione prophetam illum eximium expectaſſe oriundum ex Iudæis, è ſemine Dauid & Abrahæ. Hinc illa Meſſiæ aliquam cognitionem habere potuit. De uocabulo Chriſti ſiue Meſſiæ dictum eſt aliàs. Ieſus peccatricis delectatus ſimplicitate, uidensq; docilem eius credulitatem, & ardens cognoſcendæ ueritatis ſtudium, quale non repererat hactenus inter Iudæos, dignatur iam uno uerbo aperire totum regni dei myſterium, docens & apertiſſime profitens ſe eſſe Chriſtum ſiue Meſſiam. Mentionem, inquit, facis uenturi Meſſiæ, qui propediem ſit affuturus, hunc ſcito ueniſſe & adeſſe, ac nunc colloqui tecum. Nam ego ſum promiſſus ille & expectatus Meſſias. Confirmauit autem, repetijt & illuſtrauit breui hac ſententia dominus quæcunque hactenus mulieri propoſuit. Quid enim aliud eſt, Ego ſum Meſſias, quàm ſi dixiſſet, Ego ſum fons aquæ uiuæ, reficiens in me credentes, fœcundans ac prouehens ad uitam æternam. Ego ſum ſcrutator ille cordium, cui nihil eſt abſconſum, quem nihil latet: retecta ſunt oculis meis omnia. Ego ſum ſalutaris illa hoſtia, emundans mundum à peccatis. Ego omnem Iudaicam & Samaritanam religionem, quod

Quid ſit Ieſum eſſe Chriſtum.

ceremonias

ceremonias attinet & superstitionem, abrogo. Placuit patri in me recapitulare omnia, & per me omnia mundo conferre quæ uitæ sunt & ueræ salutis. Ego sum doctor ille ueritatis, ueræ religionis & cultus ueri. Qui mihi credit, qui in me omnem collocat fiduciam, is ab omnibus peccatis absolutus, uereq; religiosus, præsentem uitam sancte uiuet, & posthac transferetur ad cœlos beatissimi dei æterno felicique fruiturus cõsortio. Porrò impugnat hic locus perfidiam & incredulitatem Iudæorum aliũ post Iesum dominũ nostrum Messiam expectantiũ. De aduentu Messiæ dicta sunt quædã in Matthæi cap. 11. & aliàs. Præterea impugnat idem locus eos quoque quibus uidetur scripturis sanctis non omnia esse tradita, quæ ad salutem perfectionemq; humani generis pertinent. Hi sibi licere putant quod libet. Condunt enim hodie leges quas cras abrogant, quas pro libidine figunt & refigunt. Atqui testatur hic locus Messiam docuisse omnia. Omnia inquam necessaria ad salutem, non friuola quidem & curiosa omnia, quæ male feriati requirunt. Ad hæc constat certo apostolos tanquam fideles domini ministros ac ecclesiam ardentissimo amore & studio complectentes, fide summa & diligentia exquisitissima omnia ea tradidisse nobis etiam scriptis quæ salutaria sunt. Quærat autem hic aliquis, Quare non ab ipso protinus initio colloquij dominus se Messiam esse declararit? Resilijsset haud dubie illa, & exhorruisset insolentem & arrogantem hospitis iactationem. Nunc uero cum per gradus procedit, non intellectus ferè & propemodum aliud agens illabitur in pectus illius. Necq; commode traditur euangelij mysterium, nisi de infimis transcendatur ad summa, ac negotium amplissimum prudenter distribuatur, præparenturq; animi subinde ad maiora. Principio ergo amplifice & liberaliter exponit opes suas dominus, quis & quantus sit, & quid nobis conferat, idq; sub inuolucro fontis & aquæ uiuæ. Hoc cum non caperet angustum mulieris pectus, protinus secreta cordis eius ac domestica probra pandit & protrahit. Qua re animus peccatricis sic impulsus ac commotus est, ut de templo & lustratione faceret uerba. Cæterum dominus indicat religionem ueram in fide & pietate uersari, non in rebus externis, salutemq; ex Messia fore expectandam. Atque illum ipsum se esse manifestissime tandem profitetur. Et certè non cognoscitur Christus uere, nisi prius cognoscamus nos ipsos et nostra peccata. Pręterea sapit nobis tum demum uera religio, ubi prius didicimus in quo sit superstitio.

Scripturis omnia tradita.

Vera institutio, gradus & interualla habet.

Et continuo uenerunt discipuli eius, & mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit, Quid quæris, aut cur loqueris cum ea?

Interrupit colloquium, quanquam iam ad finem perductum, reditus discipulorum ex urbe. Nihil enim porrò respondit mulier, nimirum stupefacta, & admiratione rei omnino maximæ penitus illaqueata. Simul enim atque dixisset dominus, Ego sum qui loquor tibi, ὦδε τούτῳ in hoc ipso aderant ex urbe discipuli. Priusquam autem accederent cõspicati illum colloquutum cum muliere admirantur, non tam quod colloqueretur cum muliere quàm quod cum muliere alienigena & Samaritana. Nam Ioannes paulò ante monuit, Iudæis nullum cõmercium intercessisse cum Samaritanis. Et alibi in euangelio dixit ad discipulos dominus, In urbes Samaritanorum ne introieritis. Alioqui plurima fuit domino familiaritas cum mulieribus honestis, quarum etiam beneficentia & liberalitate uiuebat, sicut apertissime dicitur Lucæ cap. 8. Imò non respuit uspiam ipsas quoque meretrices,

Mirantur discipuli dominum colloqui cum muliere.

quas ubique reuocabat ad resipiscentiam. Quare nihil hinc probabunt impuri illi cathari, id est monachi, consueti uias publicas igni lustrare & scopis uerrere per quas honestissimæ incesserunt matronæ. Nobiscum facit & beati patris Cyrilli expositio, quæ in hæc uerba legitur libro in Ioannem secundo, cap. 97. Stupent discipuli tantam saluatoris humanitatem. Non enim (ut nonnulli simulatione sanctitatis) colloquutiones cum mulieribus euitabat, sed misericordiam suam omnibus præbebat, reipsa non uiris solummodo, sed etiam fœminis uitam per fidem attribuens. Non repellant ergo mulierculas qui pastoris uice funguntur, nec uoluntati suæ, sed utilitati seruiant prædicationis. Hæc ille. Quod nemo discipulorum dixit, Quid quæris, aut cur loqueris cum ea? inde erat, quod multis iam ex argumentis didicerant nihil temere & sine certa ratione agere dominum. Id si nos hodie quoque crederemus non tot inanes & curiosas necteremus quæstiones circa electionis & prouidentiæ dei negotium. Cyrillus hinc colligit probi discipuli officium esse tanta doctorem reuerentia colere, ut nihil temere interrogare audeat.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus, Venite, uidete hominem, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci: num hic est ille Christus? Exierunt ergo è ciuitate, & ueniebant ad eum.

Officium fidelium & fidei effectus.

Adumbratur iam in exemplo Samaritidis, quid faciant qui aliquam percepe-runt domini cognitionem, & quis sit fidei effectus. Iam enim exciderat aquæ sitis, gustata nonnihil aqua uitæ, quam Christus promiserat. Vnde relicta hydria cursu concitato fertur in urbem. Hydria symbolum corporis gerit humani, quod & ipsum ex argilla, deo plaste, confictum esse constat, Paulo dicente, Circumferimus thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia dei sit. 2. Corinth. 4. Relinquimus ergo hydriam quando abnegatis nobis ipsis & carnalibus desiderijs totos nos cultui consecramus diuino. Efficit ergo fides præcipue ut nostri ueluti oblíti, totos nos conferamus ad seruiendum deo. Deinde amplissime prædicat fides illum quem cognouit, omnibus illum insinuare cupiens, neque hac parte sibi quicquam parcens. Vnde Samaritis magnifice Christum prædicat, prædicatione omnibus ciuibus commendat, nec dissimulat quod omnia sibi peccata ob oculos reuocarit. Ex ea re quod arcanorum cordiumq; scrutator sit, omnibus æstimandum relinquit quis & quantus sit, forte Messias ille promissus & expectatus hucusque. In eo exerit se etiam charitas desiderans omnes gaudij sui facere participes, & ad uitam perducere æternam. In his præcipue obseruanda est insignis domini gratia ac misericordia eximiam omnibus pœnitentibus consolationem afferens, quod peccatrix, quę hactenus multis fuit ruinæ causa, nunc apostola & concionatrix facta plurimos erigens adducit ad Christum. Bene ergo speremus de gratia & bonitate saluatoris nostri, facientes dignos pœnitentiæ fructus, neq; respiciamus ad Sodomam recurramus ue ad uomitum, sed perseueremus in confessione ueritatis & studio innocentiæ. Ciues Samaritani exemplum præbent obedientiæ fidelis. Non obijciunt scelera mulieri, quemadmodum feciſſe leguntur Iudæi cæco dicentes, In peccatis totus natus es, & tu nos doceres? Ioan. 9. Exeunt & ipsa re experiuntur quod amplissime uerbis prædicarat peccatrix. Proinde non tam dicentis habenda est ratio, quàm quid nobis dicatur expendendum est.

Interea rogabant eum discipuli, dicentes, Rabbi, comede. Ille autem dixit

dixit eis, Ego cibum habeo comedendum quem uos nescitis. Dicebant ergo discipuli inter se, Num quis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus, Meus cibus est, ut faciam quod uult is qui misit me, & perficiã opus eius.

De prædicatione euangelij et apostolatu in gentes.

Inseritur colloquium Christi & discipulorum institutum de prædicatione euangelij & apostolatu in gentes. Id quod præsenti loco admodum congruebat, accurrente iam maxima Samaritanorum siue gentilium turba ad prædicationem euangelij. Indicat dominus in primis quàm sit necessaria uerbi diuini prædicatio, longeq; pluris esse facienda & diligentius procuranda spiritualia quàm corporalia, id est ardentius escam animæ quàm corporis expetendã. Beatus Cyrillus, Quoniam orbis, ait, futuri erant magistri, exemplo suo eos docet, multo maiorem salutis hominum quàm proprij corporis curam esse habendam. Cumq; suauissimum sibi cibum esse dicat, ut uoluntatem patris faciat, & opus eius perficiat, apostolici ministerij conditionem breuissime describit. Itaq; illos affectos esse oportere ostendit, ut à sola docendi cura pendeant, & quæ corpori necessaria sunt, non ad uoluptatem, sed ad conseruandam uitam solummodo accipiant. Tantum Cyrillus. Discipuli quidem existimantes iam fame discruciari dominum, inuitant ipsum ut cibum, quem emerant in ciuitate, sumeret. Iesus tametsi esuriret iuxta naturam ingeniumq; carnis suæ, habebat tamen famem longe maiorem seruandi homines, ac pelliciendi discipulos suos ad prædicandi functionem. Itaq; sicut mulierem ex mentione aquæ pellexerat ad cognitionẽ diuinæ gratiæ, ita nunc discipulos suos ex occasione cibi prouocat ad studium euangelizandi, in quo perficiendo poscit non segniorem operam quàm in comparando cibo curandoq; corpore. Mihi, inquit, alius est cibus, qui mihi magis cordi est quàm iste sit quem uos affertis. Crassi autem illi, & nondum à spiritu plene illuminati discipuli, dictum illud domini non intellexerunt. Existimantes enim ipsum loqui de cibo corporali, desipiunt sicut & Nicodemus & Samaritis ineptierant. Dicũt enim, An interim dum nos abfuimus alius quispiam attulit illi cibum? Iesus crassitiem illorum animaduertens, seq; ac suam sententiam explicare, denicq; & illis studium euangelizandi altius infigere uolens, per occultam quandam collationem huiusmodi quiddã dicere uidetur, Quod cibus est esurienti corpori, id animo meo est uoluntas dei. Corpus fame contabescens nunquam non cogitat de cibo, quomodo exaturari queat. Neque ego aliud perinde percupio atq; inquiro, quàm ut faciam uoluntatem patris. Voluntas patris est, ut omnes homines ueniant ad agnitionem ueritatis, & credentes in me habeant uitam æternã. 1. Timoth. 2. Ioan. 3. 6. 17. Hac causa misit me in mundum. Salus itaq; hominũ meus est cibus delicatissimus. Iam itaq; cum ex urbe Sycharena ingens effundatur hominum turba, cupientium audire ueritatem euangelicam ut salui fiant, neglecto plane corporis huius cibo magis impellor ad faciendam uoluntatem patris, ad prædicandam inquam euangelicam ueritatem Samaritanis ut ei credant, & per fidem adipiscantur uitam æternam. Hoc ubi fuerit factum, abunde mihi satur, laute pastus, & splendide saginatus uidebor. Pluris enim merito fit apud omnes nunquam intermorituræ animæ cibus, quàm esca corporis ægri & mox interituri. Fœcundus est hic locus suppeditans nobis plurima pietatis singularia dogmata. In primis quod deus uult omnes homines saluos facere, & ad agnitionem ueritatis uenire: unde uoluit salutis ac ueritatis negotium non Iudæis tantum, sed & Gentibus per totum terrarum orbem prædicari. Prædicatione uerbi non est aliud in orbe præstantius, utilius & magis necessarium. Hinc enim ipse dominus Iesus tanto

animi desiderio, omnibus præteritis & neglectis, euangelizauit. Peccant ergo grauissime Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & reliqua prælatorum turba, arbitrantes indignissimũ esse si reuerendissimus reuerendus & beatus pater functionem suscipiat aut obeat euangelistæ. Imò omnibus modis indigni sunt ineptissimi mortalium, qui ministerio diuinissimo seruiant. Peccant grauissime etiam uulgares homines & turba promiscua, quibus prædicatione uerbi dei nihil est in hoc mundo ingratius, grauius & molestum magis. Reliqua quæ hinc colligi possunt, diligentibus relinquo lectoribus expendenda.

Nónne uos dicitis, adhuc quatuor menses sunt, & messis ueniet? Ecce dico uobis, Attollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & cõgregat fructum in uitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est sermo uerus, quod alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendum quod uos non laborastis, Alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.

Incitat dominus prædicatores ad fidem et diligentiã præstandam.

Subiungit dominus argumenta aliquot, quibus apostolos suos orbis magistros ad fidem eximiam diligentiamq; fidelissimam in munere apostolico præstandam incitat. Primum comparationem habet & ferè inabsolutum est. Ornatur interrogatione & communicatione, & est tale, Nónne uos diligenter tempus messis supputatis, dicentes, nunc tres, mox duæ tantum erunt septimanæ, quibus elapsis aderit messis? Vbi autem hæc aduenerit, adeò occasionem non negligitis, ut magis omnibus postpositis tantum accingamini ad messem. His addendum quod quasi suspensam inabsolutamq; absoluat sententiam. Quod si in re terrena tantum uisitur studium hominum, quantum obsecro ibi uideri conuenit, ubi agitur animæ salus, multorum incolumitas & negotium regni dei? Istis mox attexit quod adhuc plenius perficiat orationem. Agitur autem nunc multorum hominum salus. Id quod allegorice proponit. Allegoriam simpliciter exponens Paraphrastes, Quemadmodum, inquit, ipsa seges iam flauescens falcem & messorum operam quasi flagitat: ita si sustuleritis oculos uestros, & obseruaueritis humanarum mentium segetem etiam apud Samaritanos & Ethnicos properantium ad euangelicam doctrinam, intelligetis regiones undique uelut albescere ad messem euangelicam, & operam ac studium nostrum flagitare. Secundum argumentum petitum est à diuino præmio, quod & ipsum eleganter explicans Paraphrastes, Quod si fructus spes, inquit, facile prouocat messorem ad operam, quanto magis oportet uos alacres esse ad hanc messem patri colligendam quæ & messori præmium in cœlis amplissimum parabit, & deo colliget non triticum in horrea, sed animas hominum in uitam æternam. Atque ita futurum est ut pariter gaudeat, & qui sementem fecit, & qui metit. Hæc ille. Audiemus autem mox Seminatores esse prophetas, messores apostolos. Sensus itaque est, Vt simul cum prophetis ineffabili gaudio exultetis in æterna illa patria. Tertium indicat operis facilitatem, quod eum uidelicet laborem sint aggressuri, cuius bonam partem prius alij perfecerunt. Atque ad hanc rem demonstrandam adagio siue prouerbio utitur apud Græcos quoque usitatissimo, ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δὲ ἀμήσονται. Sensum pulchre iterum reddens Paraphrastes, ait, Nam uobis usuuenit, quod uulgato prouerbio dici solet, Alium esse qui serit,

ferit, alium qui metit. Plus est sudoris in semente, quàm in messe. Proscinenda tellus, rastro sarculoq; comminuendæ glebæ, lætamine stercorandus ager, iaciendum semen, occandum & tuendum, reuellenda zizania. Cæterum ubi iam seges maturuit, non magno negotio demetitur. Paratus autem ipse fructus lenit laboris tædium. Cæterum hic secus accidit quàm in messe corporali. Nam illic quoties, iuxta uulgi prouerbium, ad alium deuenit fructus messis, quàm ad eum qui sementem fecerat, gaudet quidem messor, sed discruciatur seminator. Hic contra fit. Nam simul gaudet & qui sementem fecit, & qui messem colligit: neuter enim caret fructu suo. Ego uos misi ad metendum segetem, in qua uos non laborastis. Prophetæ suis laboribus subegerunt arua, & mundum adhuc intractabilem sua doctrina præpararunt euangelio. Vos nunc in eorum laborem succeditis, & rem paratam aggredimini, mundo iam ultrò se præbente cœlesti doctrinæ & mortalibus in regnum cœlorum uel per uim irrumperere conantibus. Tantum Erasmus. Istius porrò negotij, quomodo uidelicet apostolis uiam strauerint prophetæ, si quis exempla quædã uidere cupit, legat S. Irenæi cap. 40. lib. 4. Debent autem hæc domini uerba omnibus diuini uerbi concionatoribus perpetuo uersari ob oculos, ut subinde extimulentur ad fidem & diligentiam in functione sibi iniuncta præstandam.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter sermonem mulieris, testificantis quod dixisset sibi omnia quæcunq; fecisset. Cum uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum ut apud se maneret. Et mansit ibi duos dies. Ac multo plures crediderunt propter sermonem ipsius. Et mulieri dicebant, Iam non propter tuam orationem credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quod hic est uere seruator mundi, Christus.

Obedientia & fides Sychimitarum.

Redit ad id quod ante præcedens colloquium cœperat, & plenius describit promptam obedientiam & increscentem fidem Sycharenorum ciuium. Est autem hic unicus totius historiæ in 4. cap. hucusque descriptæ scopus, ut credamus in Iesum dei filium, & credentes per ipsum saluemur. Nam ista nobis scripta sunt in exemplum, ut obedientiam & fidem sequentes Samaritanorum salui fiamus, qui totius euangelij fructus est. Principio simplicem obedientiam & facilitatem ad credendum Samaritanorum felicissimam designans, Multi, inquit, ciuium Sychar crediderant uenisse Messiam, ex eo persuasi quod peccatrix magna constantia & certitudine testaretur illum sibi occulta uitæ dedecora aperuisse. Quia autem crediderant, & aliquod iam fidei cognitionisq; Christi habebant initium, iccirco procurrunt ex urbe, cupientes uirum uidere illum, de quo existimationem & spem non leuem conceperant. Semper enim fides sanctorum proficere & amplissime sese extendere satagit, nuspiam iners cessat aut stertit inq; arctum contrahitur. Iam uero postquam exoptatum inuenissent, & coràm iam astantẽ cernerent, nihil offenduntur uili & contemptibili eius specie & comitatu nihil regij præ se ferente, quin potius inuitant illum ceu maximorum bonorum datorem, rogantq; ut urbis suæ hospicio dignaretur uti. Dominus qui quærentes se in ueritate non spernit, protinus nec grauatim ad Samaritanos syncero pectore dominum quærentes concedit, & per biduum apud eos manet. Hoc ipso nobis omnibus egregiũ exhibens specimen promptissimæ erga nos

uoluntatis, si modo ipsius amicitiam & consuetudinem syncero pectore ambierimus. Quid autem biduo egerit facile est cõiectari ex eo quod sequitur, Ac multo plures crediderunt propter sermonem ipsius: ergo docuit ipsos. Nec parum profecit. Audimus enim multò plures, ijs inquam qui exierant ad ipsum, credidisse in ipsum. Nam qui non fuerant egressi, audientes in urbe ipsius sermones, ad fidem perducti sunt. Præcipue uero illi qui nonnihil initij suæ fidei conceperant ex præconio peccatricis, glisscente fide eorum, ad miram fidei perfectionem per doctrinam Christi pertigerunt. Certe ne quis ignoraret quanta esset ipsorum fides, & ut ueræ fidei exemplum extaret ecclesiæ in Samaritanis, confessio ipsorum exponitur à Ioanne, qui testatur illos mulieri dixisse, Partius tu quidem prædicasti de Iesu quàm ipsa habeat res. Nunc enim ipsi huius experti uirtutes planè diuinas, quantus sit sentimus, nec tuis modo uerbis persuasi credimus illum esse Messiam: sed ipsius potius euidentissima conuicti doctrina, scimus, indubitate credimus, & ingenue fatemur, Iesum illum non Iudæorum modo, sed & totius mundi esse saluatorem. In quibus omnibus hæc potissimum uidentur notanda. Principio prompta Sychimitarum credulitate damnari nostri sæculi, non Iudaici modo inuincibilem incredulitatem & peruicatiam. Neque enim nobis biduo imò ne biennio quidem uel octennio quicquam euangelicæ ueritatis & puritatis persuaderi potest. Deinde discimus fidem gradibus quibusdam assurgere, & ad perfectionem procedere, tum maxime cum ipse nobis dominus loquitur in animos nostros. Postremo præscribitur & commendatur nobis insignis & purissima ueræ fidei orthodoxæ & catholicæ confessio, Iesum uidelicet esse Christum mundi totius saluatorem. De qua copiosius disputaui in Matthæi cap. 16. Quod si Samaritanis his Iudæos conferas, dices hos iusto dei iudicio reiectos, gentes uero legitime & optimo iure in societatem dei & hæreditatem regni dei allectos esse atq; adoptatos. Id quod adhuc clarius patebit ex ijs quæ sequuntur.

Post duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipse enim Iesus testatus est quod propheta in sua patria honorem non haberet. Cum ergo uenisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, ut qui uidissent omnia quæ fecerat Hierosolymis in die festo. Nam & ipsi uenerant ad diem festum.

Iudaica ingratitudo.

Ne quis miraretur quod in itinere diuertisset in urbem Samaritanam ad gentes, subiungit aliquot exempla ingratitudinis & peruicaciæ Iudaicæ. Breuis est in illa expositione Ioannes, atque ideo obscurus, unde maioris lucis gratia aliqua erunt adijcienda. Egressus Sychima dominus præterita urbe Capernaum Nazaretham contendit: hæc quoniam patria erat, cupit illi aliquid præclari conferre numeris. Synagogam ergo ingressus, & assumpto libro Isaiæ, ex eo docet se esse expectatum in lege & prophetis promissum Christum, cui qui credant uitam habituri sint æternam: idem omnino tractans argumentum quod in urbe Sychem tractarat. Verum indignati isti quod debitum dei filio honorem sibi, quem arbitrabantur Iosephi esse filium, tribueret, eiectum ex urbe à rupe prærupta præcipitem dare uoluerunt: quemadmodum copiosius expositum est à Luca in cap. quarto. Inde ergo digrediens, testatus est nullum prophetam in patria sua honorem habere. De quo diuerbio disputaui in capite Matthæi decimotertio. Hunc autem cõtextum, quem hactenus compositimus, ad eundem

modum

modum ante me contexuit uir doctissimus D. Andreas Osiander lib. 1. Harmo. Euang. cap. 26. uideturq; omnium esse simplicissimus. Video enim aliud ferè placuisse Augustino, aliud D. Chrysost. & aliud item uisum esse beato patri Cyrillo, cuius uerba, si quis requirat, hæc sunt, Salutari uerbo in urbe illa iam seminato, & fide in animis hominũ posita, non ut silentio quæ audierũt & uiderunt traderent, sed ut post absentiã eius maiore arderent desiderio, & hoc modo ad maius peruenirent, urbẽ illorũ post duos dies reliquit. Verũ cum Nazareth, ubi enutritus fuerat, in Galilæam descendenti primũ occurrebat, tamẽ in eam non diuertit, eiusq; rei caussam attulit, dicens ipsum Iesum testatum fuisse, quia propheta in patria sua honorem non habet. Solemus enim quod tritum est atque quotidianum, etiamsi magnum sit, paruipendere. Præterijt ergo patriam, non quia inanis gloriæ esset cupidus, sed quia optime sciebat prædicationem fidei fructum ibi facere non posse, ubi prædicator contemnitur. Et reliqua. Sequatur quisq; quod ueritati maxime consentaneum esse uidetur. Ex istis autem omnibus quis obsecro non intelligat ideo regnum dei à Iudæis translatum esse ad Gentiles, quia Iudæi indignos se regno dei exhibuerunt? Rursus ne quis totum semen Israelis reiectum crederet, aut morositate dei illos abdicatos esse arbitraretur, subijcit fuisse in Galilæa homines qui aduenientem exceperint dominum. Quod ergo Nazarethani à domino relicti & reiecti sunt, sua culpa reiecti sunt, quia prius ipsum dominum auersati repulerunt. Reliqui Galilææ inquilini non reijciunt aduenientem, sed recipiunt, ergo diuertit ad eos dominus, nec præterit. Caussa appenditur quare exceperint, Valuit apud ipsos ueritas. Viderunt signa & magnifica facta quæ Hierosolymis patrarat dominus. Equidem & Galilæi uenerant Hierosolymam festum diem celebraturi, tum cum dominus eijceret ementes & uendentes. Visis autem illius præclaris factis, magnifice de eo sentire cœperunt, unde nunc illum animis excipiunt promptissimis, cupientes maiora ex ipso discere. Testantur hæc semper in orbe futuros homines, quorum alij recipiant, alij abijciant Christum domini. Qui recipiunt ipsum, recipiuntur uicissim in gratiam ac tutelam æterni numinis: qui uero repudiant, relinquuntur suis erroribus, & manent damnationi planè obnoxij. De Galilæis diuersum est uisum doctissimo pijssimoq; uiro D. Ioan. Oecolampadio, qui in suis ad Ioannem annotationibus, Videntur hæc sequentia, inquit, dissonare cum præcedentibus. Dicit euangelista, Christus testimonium perhibuit, quod propheta non est acceptus in patria sua. Nunc subiungit quod Galilæi ipsum exceperint. Quomodo acceperunt eum citra honorem? Sed hoc additum, Non acceperunt illum tanquam crediturí. Non igitur erat deo grata fides. Exceperunt illum magis editorem miraculorum, quàm saluatorem. Non ergo grati erant, nec pœnitentiam agebant. Vnde exceperunt eum, & non exceperunt. Itaque sententiæ non sunt inter se discordes. Et cætera. Iudicent autem Lectores quæ sententia sit simplicior.

Abdicantur Iudæi.

Venit ergo Iesus iterum in Cana Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audisset, quod Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut descenderet, ac sanaret ipsius filium, siquidem is agebat animam. Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa & prodigia uideritis, non credetis. Dicit ad eum regulus, Domine descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus, Vade filius tuus uiuit.

Facto declarat se Iesus esse filium dei.

Pertinent etiam hæc ad superiora: approbant enim Iesum illum esse quem se hucusq; prædicauit, & Samaritani agnouerunt & receperunt, nempe filium dei, Messiam & saluatorem mundi, uniuersorum, uitæ item & mortis potentissimum dominũ. Hoc enim facinore præsenti præclarissimo demonstrat apertissime. Vbi illud in primis admirandum est, quod quanquam Iudæi pergerent in sua malitia, rebellione & incredulitate, dominus tamen nihilo segnius benefacit. Sunt autem in tota historia hęc duo in primis obseruanda, Virtus & beneficentia Christi, quæ relucet in factis eius: & fides uera qua participes efficimur beneficiorum dei. Indicatur locus in quo factum est miraculũ, Cana, & Cana quidẽ Galilææ, in quam se receperat postquam à Nazareth aufugisset, & ubi prius miraculo patrato inclaruerat, aqua in uinum conuersa. Hic hærebat ad tempus, quod Galilæi ipsum

Regulus.

beneuolo recepissent animo. Huc iam ad dominum confert se Regulus. Gręce est τὶς βασιλικὸς, quidam regalis, siue regius, ein Königischer, uel quod esset generis regij, uel quod magistratu munereq; regio fungeretur: atq; ita interpretatus est D. Chrysost. S. Hieron. lib. in Isaiam 18. cap. 65. putat rectius illum dici posse palatinum. Verba eius hæc sunt, Regulus, qui Gręce dicitur βασιλικὸς, quẽ nos de aula regia, rectius interpretari possumus, palatinum, nõ solum filij, sed uniuersæ domus suæ reperit sanitatem. Fuit nimirum officialis uel œconomus Herodis regis, agens in ædibus regijs Capernaum. Hunc putat Paraphrastes neq; Samaritanum neq; Iudæum fuisse, sed Gentilem. Alij rursus Iudæum fuisse arbitrantur. Et sanè huius aliquid significare uidetur, quod mox dicit dominus, Nisi signa & prodigia uideritis non creditis, non de Gentilibus, sed Iudæis suis loquens. Vtcunq; uero id habeat, Regulus relicta Capernaum proficiscebatur Canam, ut inde secum abduceret Iesum Capernaũ, ubi reliquerat filium iam iam agentem animam, retineretq; morientem in uita. Periculi grauitas exprimitur cum dicitur egisse animam, Das er in zügen gelägen. In eo certè quod in summo discrimine proxima ad Christũ contendit, filijq; curam gerit accuratam, relinquit nobis exemplum pietatis, paria uidelicet in similibus casibus conandi & efficiendi. Quod arbitratur filiũ non posse sanari nisi dominus corporaliter descendat ad ægrotum, imperitia uirtutis Christi lapsus, toto cœlo errat. Rectius de Christi domini maiestate uirtuteq; sentiebat Centurio ille apud Matth. & ipse Capernaita, qui cõfitebatur nulla opus fore corporali præsentia, quippe qui diuina uoluntate & uirtute efficere posset quod postularat. Sed & dominus increpans illius imperfectam fidem, & cum ipso simul totius gentis suæ incredulitatem, Nisi signa, inquit, & prodigia uideritis, non creditis. Quod explicans Paraphrastes dicit, Porrò Iesus indicans adhuc imperfectam esse Reguli fidem, qui nondum crederet filium sanari posse, nisi Iesus eò se contulisset, quasi medicum accerseret, aut quasi non posset & mortuo uitam restituere, sed magis arguens quorundam Iudæorum incredulitatem, qui nec miraculis uisis crederent, ait Regulo, Illorũ fiducia mihi gratissima est qui nudo sermoni nullis miraculis confirmato credunt: uos mihi non creditis nisi uideritis signa & prodigia. Ad hæc Regulus, quia totus erat intentus periculo morientis filij, nihil respondit, sed urget potius dominum ut properet priusquam charissimus filius animam efflet. Sua nobis improbitate postulandi exemplum præbens, ne desinamus precari dominum, donec desiderata uota nostra extorqueamus. Nam uis illa deo grata est si intra modum humilitatem q; consistat, & ex fide proficiscatur. Quid au

Viuificat Christus.

tem facit dominus? Reipsa ostendit se longe plus posse quàm ille se posse cõfideret, adeoq; se dominum esse uitæ & mortis, qui uidelicet possit & animam retinere è corpore euolaturã, & elapsam reuocare, hoc est qui possit uiuificare. Dicit enim,

Vade

Vade, filius tuus ualet & uiuit. Neq; falsa, uana, uel inania fuerũt uerba illa. Nam ipse rerum declarauit euentus, diuina Christi uirtute restitutum & seruatum esse inuisibiliter, quem sensibiliter exaudiente anhelo patre uicturũ & ualiturum pronunciarat. Hæc ergo Christi domini uirtus est, ut quod uult possit, fiat item quod cunq; dixerit siue præceperit: unde deus est omnipotens & totius orbis rex atque Messias. Hanc diuinam Christi potentiam ineffabilem suis coloribus quantũ possibile erat, distinguens, uetustus ille & doctissimus poëta Sedulius in Paschali operis lib. 3. canit,

Post regulus nato quidam moriente rogabat
Flebilis & supplex dominum, quo uiseret ægrum
Febre laborantem puerum, trepidamq; uetaret
Labi animam de sede sua: tunc larga potestas
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat,
Velocem comitata fidem sermone salutem
Concedens facili, Viuit iam filius, inquit,
Perge tuus. Quantum imperij fert iussio Christi.
Non dixit Victurus erit, sed Iam quia uiuit,
More dei, qui cuncta priusquam nata uidendo
Præteritum cernit, quicquid uult esse futurum.

Confirmant hæc fidem nostram non leuiter. Tametsi enim nunc quoq; dominus Iesus iuxta corporis humani proprietatem in cœlis agat, in terris non sit corporaliter: quemadmodum in præsentiarum quoq; non Capernai, sed Canæ erat, operabatur tamen illic sua uirtute totus: ita quamuis iuxta carnem nunc sit in cœlis nõ in terra, uiuit tamen in suis super terram totus, & operatur in eis salutem efficaciter, iuuat, seruat & uiuificat se inuocantes. Quod si quis post ista cupiat etiam carnem è cœlis detrahere in terras, an non mereretur huiusmodi graui obiurgatione cum hoc regulo nostro increpari? Non diuidimus his indiuisibilem Christi domini personam, quemadmodum & Ioannes non diuisit, qui dixit dominũ fuisse Canæ cum operaretur Capernai, & angeli non diuiserunt, dicentes, Surrexit, non est hic. Iuxta enim quod deus erat, & hic erat & ubiq; : iuxta uero quod homo erat, non erat hic. *Confirmatur fides Christiana.*

Credidit homo sermoni quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, occurrerunt ei serui eius & renunciauerunt, dicentes, Filius tuus uiuit. Sciscitatus est ergo horam ab eis in qua melius habuisset. Et dixerunt ei, Heri hora septima reliquit eum febris. Intellexit pater, illam esse horam qua dixisset sibi Iesus, Filius tuus uiuit. Et credidit ipse & tota domus eius. Hoc iterum secundum signum ædidit Iesus, cum uenisset ex Iudæa in Galilæam.

Fide efficimur participes donorum dei. Credidit enim prius quoq; regulus domino. Neq; enim uenisset ad ipsum nisi spem aliquam egregiam de ipsius uirtute & beneuolentia concepisset: nunc autem audito uerbo & intellecta eius promissione firmius credit. Ideo non molestauit ultra dominum, sed abijt, & quemadmodum sperauit, reperit filium incolumitati redditum. Beatus Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 120. Duos, inquit, ijsdem uerbis curauit Saluator. Nam & reguli animum ad fidem induxit, & à corporis morbo adolescentem eripuit. Hæc ambo eodem tempore ita fecit, ut difficile dictu sit quem nam prius curarit. Simul autẽ ego utrumq; *Fidei uirtus.*

unà cum uerbis ſaluatoris alterum anima, alterum corpore curatum fuiſſe arbitror. Et hæc eſt uirtus fidei, ut dei uirtute ita tibi fiat quemadmodũ credidiſti. Fiat inquam quomodo uerbum promiſſionis, in quod fides intendit, dixit futurum. Neq; enim quiduis ex fide eſt præſumendum. Quæ poſt iſta ſequuntur tam uirtutem Chriſti quàm fidei effectum & ingenium exornant: quo uidelicet clarius illuceſcat miraculum, purgeturq; ab omni praua ſuſpicione purius, ac magis magisq; inclareſcat fidei uis. Certe tempus & hora reſtitutionis puelli diligentiſſime perquiruntur & deſignantur, ne fortè caſui aut fortunæ aſcribatur beneficiũ, ſed integrum & inuiolatum Chriſto patratori maneat. His appenditur, quod poſt diligentem operum dei inueſtigationem cognitionemq; confirmata increuerit, & ſeipſa maior ſubinde euaſerit Reguli fides: & quod tota domus, id eſt familia, patriſfamiliâs imitata exemplum, crediderit & ipſa in filium dei ad incolumitatem & ſalutem perpetuam. Id quod non tam patresfamiliâs quàm totæ familiæ obſeruabũt, inde diſcentes quodnam ipſorum ſit officium ſi pie uolunt uiuere in Chriſto, nempe ut ipſi quoq; totos ſeſe deo conſecrent, & Chriſto filio dei credant. Sub finem adĵcit Coronidem Ioannes, Hoc iterum ſecundum ſignum ædidit Ieſus, &c. qua ueluti nota nobis declarauit quod inſtituerit certa numerata & præclara aliquot Chriſti domini miracula ad prædicandam Chriſti uirtutem & docendam fidei ueritatem deſcribere.

Proſequuti ſumus hoc lib. 2. & in fine primi Commentariorum noſtrorũ, quæ dominus primo ferè anno & per initium prædicationis ſuæ fecerit, & dixerit, in Galilæa primũ, deinde Hieroſolymis & Iudæa, mox in Samaria, tandẽ iterum in Galilæa: quomodo inquam miraculo in Cana, profligatione item ementiũ & uendentium è templo Hieroſolymitano, nec non alĵs quibuſdam argumentis declararit ſe eſſe uerum Meſſiam. Rurſus quomodo Nicodemum Iudæum doctum & ſanctum hominem inſtituerit in religione Chriſtiana, Samaritanam item mulierem gentilem, indoctam, & peccatricem erudierit in pietate uera: ex quibus facile intelligi datur quæ ſit uera inſtituendi ratio in fide Chriſtiana. Quibus acceſſerunt huius generis permulta inſignia & omnigena utilitate refertiſſima, Quæſtio de purificatione, Vltimum & abſolutiſſimum Baptiſtæ de Chriſto teſtimonium, Samaritanorum prompta obedientia, Reguli fides: & uirtus Chriſti, qui eſt dominus uitæ & mortis, conſeruare potens omnes illos qui omnem ſuam eamq; firmam in ipſum infigunt fiduciam.

Com-

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER III.

INSIGNES in uera religione Christiana Christi domini institutiones & disputationes huc usq; cum Nicodemo & Samaritana habitæ, quasi priuatæ fuerunt. Sequuntur proximis duobus capitibus beneficia eiusdem Christi domini publica, quæ occasionē præbent publicis disputationibus, in primis memorabilibus, & his quoq; de ijsdem, id est de maximis fidei nostræ capitibus institutis. Alterum beneficium præstat homini afflictissima ualetudine à multis iam annis miserrime depresso, quem benignus incolumi sanitate donat. Sed quia hoc fecerat sabbato, calumniantur pharisæi beneficium, & accusant benefactorem uiolati sabbati. Dominus caussam suam agens, ostendit patris sui æterni dei ueluti exemplo se non uiolasse sabbatum. Ex qua responsione decerpunt nouum accusationis caput, impingentes domino crimen læsæ maiestatis diuinæ, atque blasphemiæ in deum. Vnde multis argumentis ijsq; uiuacibus & euidentissimis approbat deum esse patrem suum, ac se natura esse dei filium, & patri per omnia æqualem, deum uerum, uiuum, & æternum. Sub finem tamen eius demonstrationis declinat ad obiurgationem siue expostulationem cum Iudæis, aperitq; caussas humanæ incredulitatis & perfidiæ, studium uidelicet gloriæ, opum, & uoluptatis, horrendas simul his comminationes adhibens, grauissimas uidelicet pœnas illos ultori deo aliquando daturos. Alterum beneficium maxime publicum est. Exhibet enim epulum mirificum & planè regium aliquot hominū millibus in deserto, manifestissime sic declarans se esse illum benedicti dei adorandum filium, cuius uirtute & prouidentia aluntur nutriunturq; uiuentia uniuersa. Populus autem non intelligens tanti beneficij iustum finem, pro sua crassitie, uult dominum creare regem Israelis. Sed dominus qui non uenerat regnaturus in humilitate, in terris deniq;, aut in Iudæorum modo regione, aut regnum accepturus ab hominibus, sed gloriosus, cœlestis, in cœlo simul & uniuersa terra, omniumq; creaturarum uisibilium & inuisibilium, ab ipso deo patre coronatus rex futurus, secedit et abdit se in montem solus. Discipuli ubi lateret aut quò profugisset dominus nescientes, nauigio Capernaum contendunt: quos sequutus dominus marinis fluctibus, ceu solidæ terræ inambulauit, & periclitantibus in lacu succurrit, hoc quoq; argumento diuinam suis uirtutem commendans. Postera die nauibus sequuntur & turbæ, suis sermonibus domino occasionem suppeditantes disserendi publice in schola Capernaitica de compendio & summa religionis nostræ, nempe quod ipse uerus dei filius cœlitus sit missus à patre, ut totum genus hominum uiuificet, & in uita conseruet, quod inquam incarnatus sit pro nobis, quod in mortem pro nobis carnem suam & sanguinem suum obtulerit, ut omnis qui credit in ipsum habeat uitam æternam. Hoc uero maximum fidei nostræ mysterium continuo panis siue cibus & potus, edendi item bibendiq; uelamine allegoriaq; tectum proponit, quo & rectius res spirituales ex imagine corporearum caperentur, & hominum pectoribus inhærerent tenacius. Porrò cum illa Capernaitæ sinistrius crassiusq; intelligerent, clarissime se explicat dominus diserte quid eo orationis genere intellexerit edisserens. Deficientibus autem ab ipso non paucis, rogat discipulos illos suos, quos uocarat ad apostolatum, an & ipsi defectionem meditarentur. At beatus Petrus omnium nomine apostolorum confessionem fecit per omnia orthodoxam, & omnia uerę fidei comprehendentem, hanc ecclesiæ relinquens ut & ipsa in omnibus turbis & hæresibus sic pergat Christum confiteri. Habes ergo in hoc libro signa duo, tertium & quartum, quæ fecit Iesus, & descripsit Ioannes: duo item maxima fidei nostræ capita copiosissime & doctissime tractata, & quod Iesus est deus uerus, unius cum patre essentiæ, & quod idem uerus est homo, animæ cibus, totiusq; hominis conseruatio & uita, fide uera in ipsum innitentis.

Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. CAP. V.
Est autem Hierosolymis ad Probaticam piscina, quæ nominatur Hebraice Bethesda, quinq; porticus habēs, in his iacebat multitudo magna ægrotorum, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat certo tempore in piscinam, & turbabat aquam. Itaq; qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus fiebat, à quocunq; detineretur morbo.

Christus uniuersorum dominus.

Historia præsens præcipue docet dominum corporale beneficium præstitisse

homini paralytico, eiq; morbum sustulisse nulla arte curabilem & proinde desperatum: qua re declarauit se esse uniuersorum dominum & omnium potentem. Ea ipsa quoq; subindicare uoluit, nullos animi morbos, quantumuis uideantur hominibus graues, diuturni & incurabiles, sibi futuros immedicabiles, quippe qui calamitoso huic peccata sua condonauit, atq; eadem potentia & gratia omnibus peccata sua condonare potest. Docent ergo hæc fidem in dominum Iesum, qui omnibus animi morbis & corporũ ægritudinibus mederi & ualet & uult. Priusquam tamen ipsum beneficium seu miraculum describat, præmittit quædã pro more historico, quibus & tempus notat & locum in quo id factum sit, & occasionẽ beneficij. In temporis consignatione planum illud est, quod in die festo & turba siue ecclesia maxime frequenti id euenit. Non conuenit autem interpretibus quodnam festum significarit Ioannes, Alij enim pentecostes intelligũt, alij paschæ festũ fuisse contendunt: illorum tamen uerisimilior uidetur esse sententia. Locum & occasionem miraculi copiosius prosequitur, Fuisse uidelicet Hierosolymis piscinã quandam ad probaticam, templo fortassis conterminã: quæ sibi imminentes habuerit porticus quinq; extructos pro usu ægrotorum hominum, ut sub his tecti à cœli iniuria operirentur piscinæ motum siue turbationem. Statis enim temporibus descendebat in piscinam angelus domini commouens piscinam, in quam qui primus sic cõmotam fuisset ingressus, liberabatur à morbo corporis quocũq; teneretur. Hæc descriptionis summa est: redimus ad expositionem quorundã non perinde omnibus expositorum.

Probatica. Probatica uox est petita à Græcis, quibus προβατον significat ouẽ uel pecudem: unde προβατικὴ significat ouillam siue pecualem, domũ uidelicet aut lanienam, in qua solebant sacerdotes hostias immolandas mactare & abluere. Ad

Piscina. hanc siue iuxta hanc erat piscina. Piscina uero iuxta catachresim significat lacum aut lauatorium, collectionem item aquarum in qua natare possis uel lauare, nec pisces insunt. Hebraice appellabatur Bethesda, quod & ipsum sonat domum pecualem. Nam בית domus est עז pecus & caper. Videtur autẽ uox deflexa esse ad proprietatem linguæ Syriacæ, quam eo tempore constat fuisse uulgarem. Germanice uertere liceret, Es was am Schlachthuß ein wetty. Plurimas in urbe fuisse ob inopiam fontium piscinas author est lib. Nehemiæ. S. Hieronymus in locis suis Hebraicis, Piscina, inquit, in Hierusalem quæ uocabatur προβατικὴ, à nobis interpretari potest pecualis. Hæc quinq; quondam porticus habuit, ostẽduntur q; gemini lacus, quorum unus hybernis pluuijs adimpleri solet: alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo la-

Porticus. uari à sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomẽ accepit. Porticus uero quas Græci nominant στοὰς, Germani Schöpff, tecta sunt propter repentinos imbres umbrarumq; & deambulationis gratia fulcris seu columnis impositа: hæ uidentur extructæ in gratiam ægrotorum, quo commodius & tutius sub his delitescentes operirentur aquæ commotionem.

Beneficium gentis peculiare. Fuit autem peculiare quoddam huius gentis beneficium, cuius hic fit mentio, qualia complurima alia habebat. Signa erant ea quod adhuc esset electus dei populus, præferebant item quendam typum breui uenturum qui populũ liberet ab omnibus malis. Incertum uero quando & quoties (quamuis id factum existimet Cyrillus in die pentecostes) descenderit angelus in aquam, semel ne in anno an sæpius. Certum tamen illud est deo id beneficij ascribendum esse, qui operando, ministerio uti solet angelorum, hominum ac elementorũ. Quod enim hic egit angelus, ut minister dei egit. Aqua sanè nullam in se uirtutem habuit sanandi. Alioqui omnes sanasset quouis tempore introeuntes, nunc uero non nisi primũ quẽq; sanat.

nat, Præterea cõmouebatur, & ab angelo domini commouebatur, tranquilla non erat salubris, ut uel ea nota designaretur dei non aquæ illud esse beneficium. Itaq; si hodie quoq; in Heluetijs thermæ nostræ Fabarienses, Castelli thermarum & Valesianæ ualetudinarios restituunt, id quidem diuinæ tribuendum est benignitati. Nam nullæ res terrenæ uim in se habent salutarẽ hominibus nisi efficaces reddantur per potentiã omnipotentis. Interea beneficia illa per media nobis dispositа non sunt contemnenda, neq; ijs est abutendum. Omnibus enim donis dei utendũ est et ad gloriam dei animarumq; salutẽ & corporis necessitatem. In Porticibus quæsiuit S. Augustinus mysterium per allegoriam, ad hunc ferè modum, Quinq; porticus legis typum habent quinq; libris Mosi cõprehensæ. In illis iacuit infinita hominũ languentium turba, expectantiũ salutem. Nam lex neminem iustificauit, sed fuit modo pædagogus ad Christũ. Christus iustificat, iubens orbi prædicari sermonẽ crucis, qui per aquam turbatam est significatus. Ego allegorijs suum locũ in sacris dari non nego, at eas ubiuis applicare & inferre non uideo quẽ habeat fructũ. Ad epitasim uero miraculi seu beneficij dei illud facit, quod languentium turba mira uerborum congerie enumeratisq; morborum & ægrotorũ speciebus ueluti oculis subijcitur.

Erat autem quidam homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebatur: hunc cum uidisset Iesus decumbentẽ, & cognouisset quod iam multum temporis morbo teneretur, dicit ei, Vis sanus fieri? Respõdit ei ægrotans, Domine hominem nõ habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: sed interim dum ego uenio, iam alius ante me descendit. Dicit ei Iesus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum & ambulabat.

Benefacit maxime deploratо.

Post descriptionem loci, temporis & occasionis beneficij Christi, subiungitur iam beneficium & ipsum suis illustratũ circũstantijs. Non enim quemlibet è turba ægrotantiũ elegit dominus quem sanaret, sed unum quempiã elegit ex omnibus maxime deploratum, ut qui morbo periculoso imò immedicabili, deinde inueterato teneretur, postremo qui maxime desideraret aliorum subsidiũ. Hic enim adeò erat tenuis, ut neminem conducere aut precibus sibi obnoxiũ facere posset à quo tempestiue deferretur in aquam. Id quod non sine eruditione nostri proponitur. Nam numerus annorum morbi ideo tam diligenter consignatur, ne quis desperet in morbo diuturno uetustissimoq;, sed quisq; potius patientiam discat, ac opportunum dei expectet auxilium. Certe nihil hic maledixit, nihil obmurmurauit, sicut à plerisq; fieri solet languentibus, nec deo ullum præscripsit tempus. Nouit enim ille quando appareat liberator & ferat opportunum auxilium. Iam & morbi diuturnitas miraculi magnitudinem amplificat. Porrò dubium non erat quin miser cuperet sanitatem, qui tot annis obsederat piscinam pertinaci spe salutis: quod ergo dominus rogat, Vis ne sanus fieri? non rogat quasi ignorans eius desiderium, sed ut excitet in ipso preces, ardentiusq; sanitatis desiderij. Tametsi enim diuina seruemur gratia, ac hoc ipso loco ægroti preces anteuertat dominus gratuito conferens sanitatem, requirit tamen deus à nobis studium, desiderij & preces ardentes. Præterea indicare uoluit dominus nemini obuenire salutem, nisi oderit morbum quo hactenus correptus atq; implicitus decubuit, & ex animo desideret incolumitatem. Aegrotus pro sua crassitie non intelligens institutum domini, calamitatem suam domino copiose exponit, significans interim sibi non deesse uolunta-

tem, destitui autem se facultate, quod nemini persuadere possit ut commota aqua
Prouidẽtia dei. ipsum deferat atque in lacum immergat. Neque uero sine dei prouidentia factum uidetur quod miser hic intra trigintaocto annos neminẽ consequi potuit qui tantillum calamitosissimo officij præstaret, nimirum domino ipsum maiori seruante miraculo. Proinde si quando tardius nobis nostra restituitur incolumitas, cogitemus id certo domini fieri consilio, quod tandem felicissimo cum exitu sit reuelandum. Dominus uero declarare uolens se illum esse cui seruiant angeli, cuius ui turbetur aqua, ægrotantibusq; conferatur sanitas, se item esse qui solo nutu suo animorum & corporum morbos tollat, dicit paralytico, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Nec inania fuerunt hæc uerba, neque suo caruerunt effectu. Mox enim atque præcepisset dominus, eu estigio restitutus est ægrotus, ac ita plenè est restitutus, ut absque hominum adminiculo subrigeret sese in pedes, lectum in humeros sustolleret, & robusto incederet gressu. Et hoc nomine lectum tolleret præcepit, quo omnibus manifestum fieret, ægrotum plenissime esse restitutum. Quin & occasionem sic suppeditare uoluit quæstionibus, ex quarum discussione pateret tandem & miraculi euidentia, & quod Iesus Christus hoc patrauit miraculi: quemadmodum ex consequentibus mox patebit. Sic autem declarauit suam potentiam uniuerso populo, qui propter sabbati religionem frequentior conuenerat. Non est hominis tanta potestas, ait beatus pater Cyrillus lib. in Ioannem 2. cap. 126. & uirtus. Solius enim dei est proprium ut sic imperare possit. Non enim orat ut homo curetur, ne de prophetaru numero aliquis esse uideatur, sed ut uirtutum omnium dominus, fieri quod uult imperat. Grabatum etiam in humeris ferre iubet, ut qui uidebant, quanta domini uirtus esset inde colligerent.

Erat autem sabbatum die illo. Dicebant ergo Iudæi ei, qui sanatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum. Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, Quis est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset, Iesus enim subduxit se quod turba esset in eo loco.

Innotescit uirtus domini. Epitasis est huius drammatis: quibus miraculum siue beneficium Christi domini uehementer amplificatur euehitur atq; in uulgus spargitur mirifice, etiã per ipsos Christi aduersarios. Et dominus noluit uirtutẽ suam latere obscuram, sed maxime fieri illustrem, ut fulgore & admiratione uirtutis suæ potentiæq; quàm plurimos pertraheret ad fidem. Dies consignatur ante omnia quo miraculum patrauit dominus. Nam eo seminarium rixis et occasionem Iudaicis quæstionibus præbuit, per quas miraculum & confirmaretur & spargeretur in uulgus. Iudæi enim peruersa religione & præposteros sabbati usu ac intellectu dementati, illicitum putant sabbato grabatum gestare, quod scriptum sit, Nullum opus seruile facietis in eo. Item, Nolite portare pondera die sabbati. Ierem. 17. ideo onus deponat restitutus iubent, qua re illi occasionem præbent prædicandi miraculum. De sabbato disputaui in 12. cap. Matth. Et Grabatum lecti genus est seu lecticæ potius, Germanice Ein Baar oder ein pfulw. Obijcientibus Iudæis restituto sabbatum, respondet hic cordate, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Tolle grabatum tuum & ambula: occulte nimirum ac tecte innuens eum qui rem tantam uerbo præstare potuerit homine simul & sabbato maiorem uideri. Et Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 128. Prudentissime,

dentissime, inquit, atque breuissime Iudæorum criminationes repellit. Nam quoniam ut transgressorem accusabant, non licere dicētes, in sabbato hæc onera ferentem ambulare, ad illum totam rem refert qui sanitatem ei largitus est, & magna quasi uoce dicere uidetur, Illum potius quàm sabbatum esse honorandum, cui tanta uirtus tantaq; gratia inest ut diuturnum hunc morbum uerbo fugauerit. Non enim homo sed deus solummodo rem huiusmodi facere potest. Quomodo enim gratus deo non est qui mirabili diuinaq; potestate utitur? Ita significantius atq; acerbius in eos oratio fertur. Hæc ille. At uerisimile est pharisæos euidentiam orationis intellexisse ac subodorasse authorem rei tantæ Iesum esse, quē non ignorabant maxima hucusque designasse miracula, mira tamen calliditate id dissimulantes, & ulcus atque uenenum inuidiæ tegentes, rogant, Quis ille homo sit qui iusserit tollere grabatum. En hominem uocant: quasi dicant, Magnifica tu de isto prædicas, quasi præstantius & maius quiddam homine sit: nos uero hominem putamus, & peccatorem quidem, qui sabbati religionem uiolauit. Restitutus, quoniam neque nomen Iesu tenebat, neque signis describere poterat, ex facie tantum cognoscebat, in præsenti non respondet ad istorum quæstionem, sed deliberat secum ac cogitat de perquisitione diligentiore. Sed & Ioannes addit caussam quare authorem ignorarint tanti miraculi, Quia Iesus subduxit se quod turba esset in eo loco, ἐξένευσεν, quod uerbum Erasmus putat dictum esse à ξενεύειν, ueluti dicas, peregrinum & ignotum se fecit. Additur enim, Cum turba esset in loco. Equidem facile est in turba frequentiore aliquem latere ut non agnoscatur: itaque turba concurrente, & magna populi frequentia circumfundente sese, ut fit, restituto & baiulanti grabatum deumq; pro accepta sanitate glorificanti, dominus interim in turba sic tumultuante latebat, & subinde magis magisq; se subducebat. Cæterum subduxit se certo consilio, nimirum ne magis irritaret satis alioqui tabescentem Iudæorum inuidiam, deinde ut eo absente diligentius excuteretur & quodammodo cribraretur ueritas miraculi, constaretq; omnibus uere id & diuina potestate esse factum. Indicauit has caussas & Ioannes Chrysostomus Hom. in Ioannem 36. sic dicens, Quare declinauit? Primum ne se absente suspicionsum uideretur testimonium. Qui enim sanum se esse intelligebat, certior accepti beneficij testis erat futurus. Inde, ne illorū insania uehementius incenderetur. Sciebat enim præsentiam inuidiosi non paruam inuidorum animis furoris scintillam excitare. Discessit igitur ut ipsi inter se de miraculo quærerent disceptarentq;, ipse nihil de se, sed qui sanatus fuerat & calumniatores colloquerentur. Ipsi enim miraculo iam ferunt testimonium cum non dicerent Cur fieri ea in sabbato præciperet, sed Cur faceret? neque prævaricationem ægreferrent, sed paralytici inuiderent sanitati. Hæc ille. Et quidem indubitatum est pharisæos religionem sabbati suæ prætexuisse inuidiæ. Adijci potest & alia caussa secessionis domini, quod ea docuerit modestiam & humilitatem, prohibuerit ambitionem & arrogantiam. Si quid boni per te operatus est dominus, ne quære mundi gloriam, fuge turbam, & applausum hominum. Sufficit si uideat pater in occulto, qui rependit in propatulo.

Postea reperit eum Iesus in templo, & dixit illi, Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid tibi deterius contingat. Abijt ille homo & nunciauit Iudæis quod Iesus esset à quo sanatus fuisset.

Diligenter excussa est hucusque miraculi ueritas, porrò indicabitur manifeste miraculi author Iesus. Ipse enim Iesus iterum se exhibet restituto, eru- *Author miraculi indicatur.*

diens illum plenius quod ipse is sit à quo acceperit incolumitatem. Restitutus, posteaq; certò intelligeret Iesum esse beneficij tanti authorem, protinus abit ad Iudæos, ac respondet ad quæstionem, ad quam prius non potuerat respondere, Iesu nomen ignorans. Ostendit autem Iesum esse cui restitutam deberet sanitatẽ. Nec prauo id, proditorio, insidioso ingratoq; in Christũ animo fecit. Nam existimabat illud interesse multorũ, ut omnibus innotesceret qui uerbo potuit mederi morbo deploratissimo, si fortè hunc alij quoq; afflicti adeundum sibi putent. Vnde Cyrillus lib. in Ioan. 2. cap. 131. Nunciat, inquit, manifestatq; Iudæis medicum, non ut mali quicquam in eum cogitantes impietatis se crimine coinquinent, sed ut non ignorarent medicum, si quis etiam eorum curari desideraret. Non enim quasi accusans dixit, quia Iesus esset qui tollere grabatum ac ambulare in sabbato (id est sabbatum uiolare) imperasset, sed qui fecit eum sanum. Quare patet nihil aliud eum facere uoluisse, quàm medicum eis ostendere. Tantum ille. Intertexitur his præclarissima domini sententia, multiplicia & uaria habens dogmata. Nam dicit, Ecce sanus factus es, &c. Quibus uerbis principio discimus morbos corporis plerunq; oriri è uitijs animi. Peccata enim nostra flagellat dominus flagris ægritudinum. Id quod copiosius docetur Exodi 15. Leuitici 26. Deute. 27. Interim malis affliguntur etiam innocentissimi & iustissimi quiq;, ueluti infantes, Iob, prophetæ & apostoli. Verum istud fit ad probationem: quemadmodum aurum igni injcitur ut probetur atque purificetur. Deinde colligimus hinc morbos & calamitates hominibus sceleratis immitti, eo fine quo uerberantur pueri, nimirum ut coerceantur & retineantur in officio, ne totos sese effundant in flagitia totiq; semel pereant. Nã Paulus, Cum corripimur, inquit, à domino corripimur, ne cum impio mundo penitus condemnemur. 1. Corinth. 11. Instruimur item ipsis domini uerbis esse apud deum gradus supplicíorum, ascendentes pro delicti qualitate. Punit deus calamitate aliqua peccatores, qui tamen uerberibus castigati resipiunt & ueniam ac mali liberationem consequuntur: at illi ipsi mox calamitatis præteritæ ueluti obliti repetunt consuetam corruptionem & iniquitatem: adest ergo deus ultor & nunc grauius aliquod irrogat supplicium quàm prius intulerat. Videre hoc licet in populo Israelitico, qui aliquando ex periculis liberatus, scelera repetijt, ob quæ fuerat coniectus in pericula, unde iratus dominus grauiori ipsos mulctauit pœna. Addit his confine Cyrillus, Docemur hinc non solum ad futurum iudicium peccatoribus supplicia reseruari, uerum etiam multis ac uarijs modis in hac uita plerunq; eos puniri. Præterea colligimus inde dominum Iesum non tantum corporis tollere morbos, sed & animi mederi uitijs omnibus. Restituit enim membra paralytici luxata: sed prius gratuito omnia condonauit peccata, causam utiq; & neruum dissoluens morbi quo sanitas esset integrior. Iam usus quoque beneficiorum dei ostenditur. Non restituitur sanitas mortalibus, ut fortius & uehementius bibamus, crapulæ indulgeamus & libidinemur, sed ut seruiamus religiosius deo. Quia autem plerique morbis defuncti liberatiq; totos sese dedunt studio uoluptatum, ideo iusto dei iudicio puniuntur grauius. Nec ideo purgamur à peccatis nostris, ut mox recurramus ad uomitum, sed ut continuo nos pietatis studio exerceamus. Nam addit dominus, Ne posthac pecces, quo nimirum commendauit nobis innocentiæ & sanctimoniæ studium, quo uidelicet utribus omnino omnibus nostris adnitamur ne peccemus, aut quàm minimũ peccemus. Alioqui enim scriptum est, Septies cadit iustus et resurgit. Et iterũ, Si iustus essem, nõ respõdere possem, quin ut iudicẽ meũ deprecarer. Si iustus esse cõtendero, os meũ condemnabit me: si integer, puersum me

Morbi corporis ex animi uitijs.

Vsus sanitatis.

me declarabit. Iob 9. Rursus Eccles. 7. Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet. Ioannes Chrysostomus illud quoq; annotauit, quod dominus restitutũ reperit in templo non sine gratitudine, dicens, Magnæ profecto & reuerentiæ & pietatis signum id est. Non enim in forum, non in porticus cõcessit, non uoluptati, non otio indulsit, sed in templo uersatur, & quamuis Iudæorum imperium & maledicta expectaret, nihilominus tamen à templo non discedit.

Ac propterea persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant illum occidere, quod ista fecisset in sabbato. Iesus autem respondit eis, Pater meus ad hoc usq; temporis operatur, & ego operor.

Perstringitur præpostera & peruersa religio Iudæorum existimantiũ Iesum uiolasse sabbatum, quod beneficium præstitisset paralytico ac iussisset ipsum tollere grabbatum: quo nomine etiam cædem spirabant. Quasi uero homo conditus sit ob sabbatum, ac non potius sabbatum hominis caussa repertũ: quasi sustuliſſe grabbatum impietate non careat, culpa autem uacet inuidere misero salutem. Sic peruerse religiosi sunt, quibus etiam hodie uidetur nephariũ esse scelus sabbatorũ otium uiolasse, nullius autem momenti esse putant sabbato fraudare proximum, potare, crapula uentrem & neruos distendere, libidinari & omnem exercere nequitiam. Porrò quod Num. 15. ligna sabbatis colligens lapidibus obruebatur, præcipiente hoc domino, inde colligebant Iudæi quemlibet aliquid seruilis operis facientem iure posse ac deberi occidi. Dominus uero tuetur factum suum exemplo patris & operum similitudine demonstrans se non uiolasse sabbatum. Nam Gen. 2. ita legimus, Et quieuit deus in die septimo ab omni ope suo quod fecerat. Interim uero non ita quieuit ab operatione, quin conseruet atq; gubernet uniuersa. Inde iam colligit, Quod si pater conseruando, gubernando, id est benefaciendo non uiolat quietem sabbati, nec ego sabbatum uiolaui qui benefeci misero. Hoc argumentum paulò copiosius exponens Paraphrastes, Quemadmodum, inquit, pater ob religionem sabbati, quo dicitur ab opificio mundi conquieuisse, non desinit benefacere mortalibus quotidie ac rebus creatis omnibus: ita ego qui filius illius sum, ãb eo & potestatem & exemplum habens operandi quæ faciunt ad generis humani salutem, non impedior religione sabbati, quo minus ea perficiam quæ pater mandauit. Quod si me damnatis ob sabbatum uiolatum, eadem opera damnatis & patrem meum, qui mihi & exemplum est & author hæc agendi. Quod si illum absoluitis, cur mihi sabbati uiolati crimen impingitis? &c. Quod uero Erasmus potestatem iunxit exemplo, ex interpretatione Cyrilli mutuauit, ex cuius uerbis ista rectius intelliges. Scribit autem libro in Ioannem secundo, cap. 134. Quoniam filius eiusdem naturæ cum patre est, nec aliud præter illum, quantum ad identitatẽ substantiæ pertinet, iccirco alia quàm pater uelit, uelle nõ potest. Ipse enim uiuens consiliũ atq; uirtus patris subsistens est, ac ideo uniuersa operatur cũ patre. Vt igitur iratos sibi propter sabbatũ recõciliaret, Pater meus, inquit, operatur usq; modo & ego operor. Si creditis, inquit, nutu & uoluntate opificis dei sabbati quoq; die omnia gubernari, ac solem quidem oriri, fontes fluere, plantas è terris prorumpere, ignem usui hominum etiam die sabbati seruire: cur temere atq; imperite accusatis eum per quem omnia pater operatur? Omnia enim deus pater non aliter quàm per uirtutem & sapientiam suam, qui filius eius est, peragit: propterea, inquit, & ego operor. Tantum Cyrillus. Summa ergo argumenti huiusmodi est, Pater ab exordio mũdi etiam sabbatis operans nihil peccat, nec sabbatũ

Dominus non uiolauit sabbatum.

uiolat. Ego uero omnia mea poteſtate operor patris, adeoq; uirtute patris paralyticum reſtitui ſabbato. Proinde nihil peccaui, nec ſabbatum beneficio hoc meo uiolaui. Nam ut pater ſabbato operando conſeruat res, ac uindicat ab interitu: ita ego quoque illo meo opere ac beneficio aſſerui miſerum ab interitu. Commendat præterea hic locus diuinam nobis prouidentiam. Cum igitur ſolem orientem, lunæ curſum, ſtagna, fontes, fluuios, naturæ uim in ſeminibus, in noſtris & brutorum corporibus progreſſum, cætera hæc omnia quibus hoc totum conſtat, uides, intellige dei prouidentiam & patris filiiq; perpetuam operationem. Teſtatur item idem locus, patris & filij eandem eſſe poteſtatem & operationem, quod uidelicet diuinam attinet naturam. Eleganter enim Chryſoſtomus, Vt filium, inquit, creatorem non creaturam intelligeres, non attulit creaturæ operantis exemplum, ſed patris, &c.

Propterea ergo magis quærebãt eum Iudæi interficere, quia non ſolũ ſoluiſſet ſabbatũ, ſed patrem ſuum dixiſſet deum, æqualẽ ſe faciens deo.

Ieſus Chriſtus naturalis dei filius.

Nouus ſtatus nouæ diſputationi ex præcedenti de ſabbato enaſcitur & proponitur, ad quem omnia ſequentia ad finem uſq; cap. 5. referri oportet. Adeò, inquit, Iudæorũ animi non ſunt mitigati apologia Ieſu, ut magis exaſperati iam non tantum intenderent uiolationem ſabbati, ſed & blaſphemiã, ob quam plane dignum exiſtimabant qui capitis afficeretur ſupplicio, quippe qui opera ſua cõferret cum operibus dei, qui dei ſe iactaret filium, adeoq; æqualẽ deo per omnia. Diſerte enim dixerat, Pater meus uſq; modo operatur, & ego operor. Illud enim in primis obſeruandum eſt, quod Iudæi recte intelligunt Ieſum non ita appellaſſe deum patrem ſuum, quemadmodũ homines nuncupamus deum patrem noſtrum. Ipſi enim Iudæi poſtea dicent, Vnum patrem habemus deum, nec quicquam putant ſe peccare. Vocauit ergo Ieſus deum patrẽ ſuum modo quodam ſingulari: unde Græce dicitur, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεόν, ſed & patrem propriũ dixiſſet deum: uidelicet, quod ex patre naturaliter ab æterno proprius, natiuus, & naturalis filius ſit genitus, patri per omnia coæqualis, eiuſdem uidelicet eſſentiæ, gloriæ & poteſtatis: & non dũtaxat filius adoptiuus, ſicut omnes ſancti uocantur filij dei. Quod etiam S. Auguſtinus obſeruans Tract. in Ioannem 17. Non quemodocũq; ait, patrem ſuum dicebat deum, ſed quid? Aequalem ſe faciens deo. Alioqui omnes dicimus deo, Pater noſter qui es in cœlis. Legimus & Iudæos dixiſſe, Cum tu ſis pater noſter. Ergo non hinc iraſcebantur, quia patrẽ ſuum dicebat deum, ſed quod longe alio modo quàm homines. Ecce intelligunt Iudæi quod non intelligũt Arriani. Arriani quippe inæqualem patri filium dicunt, & inde hæreſis pulſat eccleſiam. Et reliqua. D. Ioan. Chryſoſt. Hom. in Ioan. 37. annotauit quod deminus dixerit, faciens non dicens. Non enim uerbotenus, ſed operibus ſe deum eſſe oſtenderat. Idem mox pluribus cõfutat obijcientes Chriſtũ ſe non feciſſe æqualem deo, ſed Iudæos ita fuiſſe ſuſpicatos. Rurſus S. Auguſt. in eo Tract. quem modo citaui, inter alia quærit, Nónne ergo erat æqualis deo, qui ſe deo æqualẽ faciebat? Ac reſpõdet, Non ipſe ſe faciebat æqualem deo, ſed ille illum genuerat æqualem. Si ſeipſum faceret æqualem deo, caderet per rapinã. Qui enim ſe uoluit æqualẽ facere deo, cecidit, et ex angelo factus eſt diabolus, &c. Et mox, Chriſtus æqualis patri natus erat, non factus natus de ſubſtantia patris. Vnde illũ ſic cõmendat apoſtolus, Cũ in forma dei eſſet, nõ rapinã arbitratus eſt ſe eſſe æqualẽ deo. Quid eſt, Nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ deo? Nõ uſurpauit æqualitatẽ dei, ſed erat in illa in qua natus erat. Et nos ut ad æqualẽ deũ puenirem⁹ ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens.

accipiens. Nõ ergo se exinaniuit amittens quod erat, sed accipiens quod non erat. Hanc formam serui contemnentes Iudæi dominum Christum æqualem patri intelligere non poterant, quamuis eum hoc de se dicere minime dubitabant, & ideo sæuiebãt, &c. Docent hæc, ueram esse blasphemiã, quando creatura sibi tanquam proprium tribuit, quod ipsius est creatoris, quando gloriam deo debitam sibi impendi postulat creatura. Leuit. 24. irrogata legitur blasphemis capitalis pœna. Arguunt hæc præterea huius mundi ingratitudinem, qui cum laudes & gratias deo offerret pro beneficijs, rependit probra, calumnias & contumeliã. Dominus enim beneficium paralytico præstiterat ingens, ac laudem merebatur: uerum Iudæi accusant illum impietatis, nempe sabbati uiolati & blasphemiæ in deum. Idem expectes ex impijs. *Blasphemia.*

Respondit itaq; Iesus, & dixit eis, Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam nisi quid uiderit patrem facientem. Quæcunq; enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit. Pater enim diligit filium, & hæc omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini.

Solidis argumentis probat se naturalem esse dei filium, deo patri per omnia æqualem. Probatio prima est huiusmodi. Quicunq; faciunt paria, eiusdem sunt potestatis ac æquales: eadem cum patre facio, ideo eiusdem sum cum eo potestatis & patri per omnia æqualis. De prima ppositione nemo dubitat. De secunda ne quis dubitaret, iureiurando apposito & maxima cum asseueratione dicit, Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquã, &c. Quæ oratio non illud indicat quod prima mox facie significare uidetur, quasi nullam prorsus potestatẽ habeat filius, omnem possideat pater. Tribuit enim loquutio patri & filio potestatẽ & operationem eandẽ, cum dicitur filius nihil facere quod non faciat & pater. Nam per interpretationem subijcitur, Quæcunq; enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit. Præterea uideri poterat dominus hæc esse loquutus iuxta dispensationem humanam, iuxta quam filius omnia à patre accepisse legitur, qui tamen ab æterno omnia ut propria possedit, communiaq; habuit cum patre. Vtrunq; sensum copiosius prosequens & felicius exponens beatus Cyrillus libro in Ioannem secundo, cap. 135. Nemo autem turbetur, inquit, quoniam filius nihil se facere posse ait, nisi quid uiderit patrem facientem. Nam quia serui formã assumpsit propterea dispensando ita loquitur, ut deum & hominem simul deceat. Et hæc quidẽ ratio uera est. Illa uero etiam acutior, Cum enim dicitur filium non posse quicquam à se facere, non imbecillitatem aliquam filius sibi tribuit, ut si quis dixerit, Non posse decem se millia pondo humeris ferre, sed est alia quoq; istius uerbi potestas. Stabilẽ enim operationem naturæ quæ aliter se habere non potest nõnunquam significat: ut si rationalis quidẽ homo ex homine rationali secundũ naturã natus, nõ posse diceret quasi propriũ quicquam à seipso naturaliter facere, quod naturæ patris ineſſe non uideat. Hoc igitur modo nihil à seipso filius facere potest, nisi quod uiderit patrem facientem. Nolite igitur filij opera carpere, qui non aliud facere potest quàm id quod substantia patris similiter facit. Verbi gratia, Si misericors est natura patris, filius quoque, qui ex eo est, misericors naturaliter est, nec potest se habere aliter quàm habeat pater. Vt enim à patre substantiam habet, sic substantiæ quoque bona, simpliciter & procul ab omni compositione, ut deus habet. Quod autem hic sensus integerrimus sit, ipse declarans mox subijcit, Quæcunq; enim ille *Probatur uera & naturalis Christi diuinitas.*

fecerit, hæc & filius similiter facit. Et mox, Quoniam, inquit, semper etiam in sabbato misericordem esse patrem uideo, ideo etiam ego in sabbato misericordiã præsto. Non enim possum substantiam patris commutare, cum unum atq; idem cum patre secundum naturam sim. Quare ut ab ipso sum, ita omnia quæ ipse peragit facio. Idem ille ante hæc illud quoq; annotauit, dominum non dixisse, Non possum à meipso facere quicquam nisi concessum sit à patre, sed, Nisi quid uidero patrem facere. Addit, Illud enim imbecillitatem eius ostenderet: hoc æqualis esse uirtutis atq; potentiæ comprobat. Videndi enim sensus nõ solet maiores immittere uires. Et quæ sequuntur. Rursus, Qui dicunt, inquit, patrem primo facere, deinde filiũ opera illius imitari, magna laborant imperitia. Quomodo enim seorsum, ut ita dicam, ac solus absq; filio pater unquam operabitur, cum uirtus eius qua operatur sit filius, qui æternaliter inest, & uoluntatis eius motionisq;, ut sic dicam, in agendo expressimus? Ex quibus omnibus liquido intelligis eandem esse potestatem ac diuinitatem patris & filij. Ad illustrationem eiusdem argumenti illud quoq; pertinet quod sequitur, Pater enim diligit filium. Quasi dicat, Nullum est dissidiũ, nulla inuidia & æmulatio: qualis propter regni societatem fuisse legimus inter Thebanos illos Romanosq; fratres, quorũ primi maduerũt sanguine muri. Summus est hic consensus, quia nulla hic imaginanda est societas, sed substantiæ indiuisa & eadem unitas. Apud Isaiam clamat deus, Ego dominus, hoc nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Filius non est alter à patre, sed substantia idem, quippe splendor gloriæ & expressa imago substantiæ paternæ: ideo deus est uerus & naturalis. Nam sequitur, Et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, Demonstrat inquã non quasi depicta in tabula, uerbis utor beati Cyrilli è lib. 2. cap. 137. nec quasi ignorantem doctrina iuuans (est enim filius uerbum & sapientia patris) sed totum seipsum in natura filij ita depingens, ut quæcunq; in se habeat in filio demonstret: ita ut qui uelit ingenium & naturam patris cognoscere, ex filij ingenio oporteat cognoscere. De qua re pluribus agit Ioan. 14. cap. Sequitur, Et maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini. Quæ beatus Cyrillus lib. 2. cap. 138. exponens, dicit, Sanatus est homo qui morbo uexabatur annos triginta & octo, unde oportebat meam diuinitatem intelligere: uerum quoniam illo opere magis exasperati non creditis, multò maiora uidebitis, ac mirabimini in me tantam esse sitã potestatem qui mortuos queam excitare, quæ uirtus & gloria soli deo congruit, &c. Proinde ex operibus Christi colligere oportet diuinam eius potentiam atq; uirtutem: quemadmodum & cap. 10. clarius dicetur.

Consensus inter patrem & filium.

Sicut enim pater suscitat mortuos, & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat.

Ex actis siue operatione euidentius probat, quod idem faciant & possint pater & filius, atq; ideo æquales sint in unitate substantiæ, deus uerus. Proprium, inquit, est supremæ substantiæ excitare à mortuis, conseruare, & uiuificare. Excito autem mortuos, conseruo res, & uiuifico: non sum itaq; alienus à substantia patris. Imò qua ratione & uirtute, nimirum diuina & æterna, pater uiuificat, eadem & ego uiuifico. Particula Quos uult, plenam & liberam filio potestatẽ uendicat, sed & ordinem redemptionis ac salutis notat. Nam electos uiuificat. Electi autem sunt qui credunt. Paulò post plura dicet de Viuificatione illa diuina.

Filius uiuificat.

Neq; enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit illum.

Con

Connectuntur hæc superioribus, quibus adhærent sensu magis quàm ordine uerborum. Est enim sententia, Sicut pater sine filio nihil facit, ita ne iudicat quidem sine filio. Triplex tamen horum sensus assignari potest. Prior à beato Cyrillo eleganter & proprie sic exponitur libro secundo, cap. 140. Aliud quoddam diuinum & præcipuum affert argumentum, quo se natura & uere deum esse ostendit. Cui enim orbem terrarum alij iudicare conuenit quàm soli deo? quem solum ad iudicandum diuina scriptura uocat, dicens, Exurge deus iudica terram. Et rursus, Quoniam deus iudex est, alium humiliat, & alium exaltat. Datum autem sibi à patre ait iudicium, non quia potestatem hanc ipse natura non habeat, sed per dispensationem, ut homo in diuina potestate sita esse docet uniuersa. Quare in quantum quidem uerbum dei & deus est, hanc potestatem naturaliter habet, in quantum autem homo factus est (quoniã ad hominem dicitur, Quid enim habes quod non accepisti?) accepisse hanc se potestatem aperte profitetur. Et mox in cap. 141. Qua igitur de caussa, ait, hęc omnia dicta sunt, Vt omnes, inquit, honorent filium sicut honorant patrem. Nam si omnia ipse est quæ pater est, quantum ad deitatis maiestatem pertinet, quomodo par non erit æqualiter illum cum patre honorari, cui ad identitatem substantiæ nihil prorsus deest? Tantum ille. Posterior sensus huiusmodi uerbis exponitur à S. Augustino Tractatu in Ioannem 21. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium filio dedit, hunc sensum habet, quia hominibus in iudicio non apparebit nisi filius. Pater occultus erit, filius manifestus. In quo erit filius manifestus? In forma qua ascendit. Nam in forma dei cum patre occultus est, in forma serui hominibus manifestus. Nõ ergo pater iudicat quenquã, sed in manifesto omne iudicium dedit filio. Hoc enim dictum est, quia hominibus in iudicio non apparebit nisi filius & manifesto. In quo manifesto iudicio filius iudicabit, quia ipse iudicandis apparebit. Euidentius nobis ostendit scriptura, quia ipse nobis apparebit. Quadragesimo die post resurrectionem suam ascendit in cœlum uidentibus discipulis suis, & uox angelica dicens, Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Iste qui à uobis assumptus est in cœlum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Quomodo uidebant eum ire? In carne quam tetigerunt, quam palpauerunt, cuius etiam cicatrices tangendo sibi probauerunt: in illo corpore in quo cum eis intrauit & exiuit per quadraginta dies, manifestans se eis in ueritate, non in falsitate aliqua, non in phantasmate aut umbra, non in spiritu, sed quemadmodum ipse dixit non fallens, Palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut uidetis me habere. Est quidem illud iam corpus dignum cœlesti habitatione, non subiacens morti, non mutabile per ætates. Non enim sicut ad illam ætatem creuerat ab infantia, sic ab ætate quæ iuuentus erat, uergit in senectutem: manet sicut ascendit, uenturus ad eos, quibus antequam ueniat, uerbum suum uoluit prædicare. Sic enim ueniet in forma humana. Hanc uidebunt & impij, uidebunt & ad dextram positi, uidebunt ad sinistram separati: sicut scriptum est, Videbunt in quem pupugerunt. Si uidebunt in quem pupugerunt, corpus ipsum uidebunt quod lancea percusserunt. Lancea non percutitur uerbum. In hoc enim impij uidere potuerunt quod & uulnerare potuerunt. Latentem deum in corpore non uidebunt: post iudicium uidebitur ab his qui ad dextram erunt. Hoc est ergo quod ait, Pater non iudicat quenquam, &c. quia manifestus ad iudicium ueniet filius in humano corpore apparens hominibus, dicens, Venite benedicti. Et cætera. Porrò ultimus sensus uidebitur fortassis & ipse satis esse simplex & minime à pietate & instituto domini alienus. Per occupationem enim, dicentibus, Nulla mihi filij uiuificatione opus erit, quando pa-

Filius iudicat.

trem agnoſco uiuificatorem, reſpondet, Atque adeò uiuificat filius, ut pater non iudicet quenquam, id eſt, nequaquam uel damnet uel abſoluat confitentem duntaxat patrem ſine filio: ſed omne iudicium dedit filio, uolens utique ut ſaluus fiat ac uiuificetur qui patrem agnoſcit per filium, damnetur qui filium non agnoſcit. Idq; in hunc finem fecit pater, ut omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. Proinde non ſolus pater erit honorandus, adorandus atque colendus, ſed filius quoque, & honore quidem æquali, utpote cum ſit patri coæqualis. Ex contrario enim productam infert illuſtriſſimam ſententiam, Qui non honorat filium, non honorat patrem, &c. Itaque ſi quis uelit adorare patrem ſine filio, patrem inquam ſolitarium, qualem ſibi imaginantur Iudæi & Turcæ, non habentẽ ſibi per omnia ſimilem aut coæqualẽ filium, hi ne patrem quidẽ adorant. Nequit enim pater eſſe qui caret filio. Et contemptũ filij ſibi irrogatũ æſtimat pater, qui non cognoſcitur uere niſi per filium. Vnde idem ille Ioannes euangeliſta in Canonica ſua, Hic eſt, inquit, Antichriſtus qui negat patrem & filium. Quiſquis negat filium, is ne patrem quidem habet. 1. Ioan. 2. Hæc cauſſa eſt cur patriarchæ ac prophetæ adeoq; ſancti ab exordio mundi omnes deum agnouerunt patrem, non utiq; ſolitarium, ſed filium ſibi coæqualem habentem, per cuius gratiam ſeſe ſperarũt redimendos atque ſeruandos. Proinde obijciemus hunc locum omnibus Iudæis ac Turcis, Ethnicis atque hæreticis contendentibus ad ſalutem & iuſtificationem ſatis eſſe religionem unius dei, tametſi interim trinitatis neſciant myſterium, & filium cum patre non adorent. Nam hic locus manifeſte euincit religionem illorum et uanam eſſe & mancam: ut iam non commemorem quod alibi dicit ueritas, Nemo uenit ad patrem niſi per me. Præterea obijciemus hoc teſtimonium Arrianis ineptiſſime clamantibus, in ignominiam uergere dei patris ſi pergamus adorare & colere unà cum patre etiam filium. Nam teſtatur ipſa ueritas, patrem uelle ut omnes filium ſicut patrem honorent. Sed & Paulus apoſtolus ſcribit, uoluntatis eſſe dei, ut omnis lingua confiteatur quod dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam dei patris. En cedit hoc ad gloriam, inquit, non ad ignominiam dei patris. Breuiter poterit hoc domini diuinum teſtimonium multis opponi impijs obiectionibus, imò cauillis, blaſpheme trinitatis myſterium atque diuinitatem filij dei inceſſantibus. Iccirco commendo hæc uerba omnibus Chriſti cultoribus diligenter, quæ ſi frequenter & prudenter ſecum expendentes repetierint, ſentient fidei robur non parum increſcere. Quod autem mittitur filius, diſpenſationis eſt non imbecillitatis, ſed & miſit uerbum ſuum ut in ipſo nobis manifeſtaretur deus. Eſt enim filius paternæ ſubſtantiæ character propriſſimus. Et S. Auguſtinus Tract. in Ioannem 21. Quid, inquit, calumniam uis facere, quia ille miſit, hic miſſus eſt? Sol radium mittit, & non ſeparat: luna ſplendorem mittit, & non ſeparat: lucerna lumen fundit, & non ſeparat. Video in his miſſionem, ſed nullam ſeparationem. Et reliqua.

Non adoratur aut colitur ſine filio pater.

Mittitur filius à patre.

Amen amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, ſed tranſiuit à morte in uitam.

Quod uiuificet Chriſtus, & quomodo?

Redit ad argumentum quod paulò ante conſtruere cœperat de Viuificatione, propriſſimo dei opere, idq; illuſtriſſime nũc expolit, abſoluensq; per partitionem uenuſtiſſime diducit. Summa & ſcopus totius negotij eſt, Chriſtũ uerum ac naturalem eſſe dei filium, deo æqualem, id quod inde pateat quod uiuificet, quod conſtat propriſſimum eſſe dei opus. Quod autem uiuificet Chriſtus, & quomodo uiui-

do uiuificet, in præsenti demonstrat. Et quia duplex est uiuificatio Animæ & Corporis, cum & animæ & corporis duplex quoque mors sit, ostendit uirtute Christi tam animam quàm corpus uiuificari. Principio differit de Viuificatione siue uita animæ, quam confert Christus credentibus in eum. Quod quo foret certius ac indubitatum magis, pronunciatum suum solito suo iureiurando roborat, dicens, Amen amẽ dico uobis, qui sermonem meum audit, &c. Habent singula uerba in hac sententia suum pondus suamq; emphasim. Continet eadem totius salutis & iustificationis ordinem siue dispensationem, quocirca diligentius uidetur excutienda. Caput omnium est, Fide in uerbum Christi constare animarum uitam atq; salutem. Primum autem in ordine salutis & iustificationis est audire sermonem, nec quemuis, sed Christi iustificatoris ac saluatoris. Cæterum auditus flagitat prædicationem, apostolo dicente, Quomodo audient absque prædicante? Necesse est itaque auditum excitet & instruat sermo Christi. Vbi arbitror excludi figmenta hominum & constituta legesq; patrum. Nam fides uerbo dei non hominum innititur. Sermo enim Christi, qui uerbum dei est, promittit remissionem peccatorum, reconciliationem cum patre, iustificationem & uitam æternam: unde fidem requirit ab auditoribus. Neque enim satis est audisse uerbum Christi, nisi & fide recipientes, toto corde credamus nobis promitti uitam, nostrum esse Christum. Iccirco sequitur, Et credit ei qui misit me. Quare non dixit, Et credit in me? Amplius quiddam illis uerbis dixit, & mysterium fidei & salutis nostræ magis proprie expressit. Nam patri credendum est quod generi mortalium bene uelit, & quod ideo filium miserit ut suam erga genus mortalium gratiam & misericordiam declararet. Ideo significanter loquens duo notauit, credendum uidelicet esse patri, & patri quidem filium mittenti. Duo ergo mysteria complexus est, patris beneuolentiam erga nos, & missionem, id est dispensationem, totum inquam incarnationis & redemptionis negotium filij dei. Interim fides neque scinditur neque diuiditur. Tendit enim in unum deum, quem intelligit unum esse substantia, trinum personis: atque ideo uni innititur, tametsi interim operationes, personas, hypostases seu proprietates in deo non confundat. Iccirco credit fidelis se deo esse acceptum & gratum, ac cœlestis uitæ hæredem: idq; ex eo credit, quod deus pater filium misit in mundum, ut hic nos à peccatis ablutos sanguine crucis, hæredes faceret uitæ æternæ, ac spiritum sanctum conferret, qui sanctificaret nos in diem, ac in spe hereditatis retineret. Hoc mysterium fidei est. Sed quis quæso huius fidei effectus est? Sequitur in uerbis Christi, Habet uitam æternam. Qui sic credit, inquit, habet uitam æternam. Habet inquam dicit, non habebit, ut sic indicaret certitudinem & infallibilem fidei uim. In Canonica sua ait Ioannes, Qui credit in filium dei, habet testimonium in seipso. Qui enim credit, tranquilla fruitur conscientia, sentit in se uiuentem Christum, & infallibilem spem habet uitæ æternæ sibi à morte corporea participandæ. Vita ergo est tranquillitas conscientiæ, gaudium animæ, & sensus ille Christi, quem experiuntur in animis fideles in præsenti uita, ac conseruatio incolumitasq; animæ in morte corporea & post mortem, qua Christi ac fidei in Christum beneficio & uirtute conseruatur homo, ne quicquam illi noceat peccatum, mors, & condemnatio, sed expiatis peccatis omnibus & confracta morte condemnationeq; proxima euolet in regnum patris. Porrò fidei tribuitur illa uiuificatio, non quia qualitas est in animis hominum, sed quia donum & uirtus dei est, quia fides non innititur ullis operibus, sed soli dei filio, qui est iustitia, salus, uita & conseruatio fidelium. Propriè itaque loquendo ipse nos uiuificat dei filius, ipse est uita & iustitia nostra: fide applicantur & con-

Viuificatio animæ.

Credẽdum deo patri per filiũ.

Fidelis habet uitam æternam.

Vita.

Fides uiuificat.

feruntur nobis dona dei, id est fide efficimur participes filij dei, fide copulamur & unimur seruatori nostro, ut ipse uiuat in nobis, & nos in ipso, apostolo dicente, Vitam quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Galat. 2. Cæterum quo rectius & significantius teneremus omnem rationem Vitæ, subiungit per Interpretationem, Et in iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Dixerat enim, Qui credit habet uitam: ergo ut intelligeremus quomodo fidelis habeat uitam, addit, Et in iudicium non ueniet. Quid est iudicium? Iudicium est sententia prolata contra aliquem, condemnatio ipsa, afflictio item, pœna atque tormentum. Non uenit in iudicium qui absolutus à pœna & culpa, securus apud se gaudet & conquiescit, neque ullæ subijcitur pœnæ, non affligitur, neque ulla tormenta animæ patitur. Quid ergo? Sed transiuit à morte in uitam. Transiuit iterum dicit, non transibit, ne quis remoram & impedimentum interponens, uitam ad aliquod temporis spacium suspenderet. Ideo simul atque uere credidit homo Christi uerbo, transijt à morte in uitam. A qua morte obsecro? Tam animæ quàm corporis. Simul enim atque credit fidelis, incipit in ipso uiuere Christus, quæ animæ uita est, sicut iamiam exposui. Vnde Paulus quoque dixit, Nulla igitur nunc est condemnatio ijs qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. In præsenti itaque uita, uiuificantur animæ nostræ, ita ut protinus à morte peccatorum in fide incipiant uiuere. Rursus à morte corporea eueſtigio transeunt animæ nostræ ad uitam, ad ipsum Christum qui uita est, ac in regno patris residens illuc ad se trahit quotquot in ipsius fiducia è uiuis excedunt. Neque hic quoque ulla interponitur remora, nullus locus intermedius, qualem finxerunt è suis somnijs Papistæ, purgatorij ignem appellantes. Veritas, quæ mentiri nescit, & statum atque conditionem futuræ uitæ optime nouit, simpliciter pronunciat animas fidelium non uenire in ullum iudicium siue tormentum, nec hoc dixisse contenta, amplius & significantius appendit, sed transiuit à morte in uitam, à morte nimirum corporea in uitam æternam: quod Germanice appellamus, Von mund vf zů himmel faren. Huic infallibili ueritati credunt & innituntur quibus sana est ratio & uera dei religio, fatui & superstitiosi credunt se igne quodam purgari, quem nesciunt, cuius nullum fructum sentiunt, nisi is magnopere commendandus sit quod sentiunt sibi loculos purgari à pecunia. Fidelis credit se solo Christi sanguine purgari, ac animam beneficio Christi domini protinus à morte corporea in uitam traduci æternam.

In iudicium nõ ueniet fidelis.

Amen amen dico uobis, quod ueniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint uiuent. Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicandi quoq;, quia filius hominis est.

Viuificatio corporis.

Descendit ad alium locum uiuificationis, nempe resuscitationem corporum siue uitam corporum, demonstrans se corporum esse uiuificatorem, atque ideo deum uerum patri æqualem. Demonstrat autem illud ex Actis suis, Veniet, inquit, tempus, & iam nunc est, quando non tantum morbis confecti, sed & mortui, id est qui iam è uiuis excesserunt ac elati sunt, audient uocem filij dei, iussum inquam præcipientis redire ad uiuos, & redibunt ac uiuent. Porrò audi-

uit uo-

uit uocem filij dei filia Iairi, & reuixit quæ fuerat mortua. Audiuit uocem filij dei filius uiduæ Naimitæ, & surrexit è loculo. Audiuit uocem filij dei Lazarus iam quatriduo agens in monumento, & uiuus prodijt. Filium reguli iamiam exhalantem animam in uiuis retinuit idem dominus. In morte Christi aperta sunt sepulchra non pauca, ac prodierunt rediuiui complures exhibentes sese ciuibus Hierosolymorum. Quid quod ipse dominus attrito serpentis capite, peccato item exarmato, spoliatis & dissipatis inferis, deuicta item morte, tertia die resurrexit ex mortuis? Quibus omnibus ceu irrefutabilibus argumentis demonstrauit dominus se esse dominum uitæ & mortis, deum utique uerum & patri æqualem per omnia: qui ut animam potest uiuificare & seruare, ita corpus quoque exanime & mortuum animare & ex mortuis excitare ualet. Excitarunt mortuos etiam apostoli, sed in nomine domini Iesu, non uirtute sua propria. His adjicit repetitæ probationis summam ceu confirmationem eorum quæ proposuit, dicens, Sicut enim pater habet uitam in semetipso, &c. Dixit enim superius, Sicut pater uiuificat, ita & filius quos uult uiuificat. Idem hic repetit, nisi quod in præsenti aliquanto significantius loquens, dicit filium ut patrem habere uitam in semetipso: quæ proprijssima nota est diuinæ naturæ. Est autem uitam habere in semetipso, natura sua esse uiuificum, esse uidelicet ipsam met uitam, fontem uitæ perennem, quæ ex sua plenitudine omnibus alijs uitam communicat, quicunq; uita participant. Dedit autem uitam filio pater non tanquam minori maior, sed naturaliter, & ut personarum distinctionem in indiuidua essentia agnosceremus. Sanctus Augustinus hunc locum multis enatrans Tractatu in Ioannem 19. inter alia, Quid est, inquit, pater habet uitam in semetipso? Non alibi habet uitam, sed in semetipso. Viuere quippe suum in illo est, & non aliunde. Et non alienum est, non quasi mutuatur uitam, nec quasi particeps sit uitæ, eius uitæ quæ non est quod ipse: sed habet uitam in semetipso, ut ipsa uita sibi sit ipse. Addit exemplum, Non proprie dicitis habere lucem uos in uobisipsis. Habetis lucem, sed in cœlo. Habetis lucem si forte nox est, sed in luna, in lucernis, non in uobisipsis. Nam clausi amittitis quod aperti percipitis. Non in uobisipsis habetis lucem, sole occidente tenete lucem si potestis. Hoc est ergo habere lucem in semetipso, non indigere lucem ex altero. Et mox, Hoc solum interest inter patrem & filium, quia pater habet uitam in semetipso, quam nemo ei dedit. Filius autem habet uitam in semetipso quam pater dedit. Et iterum, Quid ergo, ait, dedit filio uitam habere in semetipso? Breuiter dixerim, genuit filium. Neque erat sine uita, & accepit uitam, sed nascendo uita est. Pater uita est non nascendo, filius uita est nascendo. Pater de nullo patre, filius de deo patre. Pater quod est à nullo est: quod autem pater est propter filium est. Filius uero & quod filius est propter patrem est: & quod est à patre est. Hoc ergo dixit, Vitam dedit filio ut haberet eam in semetipso, tanquã diceret, Pater qui est uita in semetipso genuit filium qui esset uita in semetipso. Item, Quid ergo filio dedit? Dedit ei ut filius esset: genuit ut uita esset: hoc est, dedit ei habere uitam in semetipso ut esset uita, non egens uita: ne participando intelligatur habere uitam. Si enim participando haberet uitam, nõ in semetipso, posset & amittendo esse sine uita. Hoc in filio ne cogites, ne credas. Et reliqua.

Filius uitam habet in semetipso.

Subjcit dominus post hæc aliud argumentum quo astruit naturam suam diuinam, dicens, Et potestatem dedit ei iudicandi quoque, quia filius hominis est. Potestas iudicandi nulli competit creaturæ puræ. Habet autem Iesus iudicandi

Filius habet iudicandi potestatem.

potestatem, est itaque deus uerus & naturalis. Loquitur de iudicio illo extremo, cuius & Paulus apud Athenienses meminit in Actis cap. 17. præterea de dominio & gubernatione omnium quæ in cœlo sunt & in terra. Omnia enim filio subiecta sunt. Particula ergo adiecta, Quia filius hominis est, emphasim habet, & ex uaticinio Danielis petita uidetur. Nam Danielis 7. ita legimus, Spectabam in uisis nocturnis, & ecce ueniebat in nubibus cœli quidam ceu filius hominis, qui usque ad prouectum ætate peruenit, eumq; adduxerunt ante illum. Et dominatus est ei traditus, & honos & regnum, ut omnes populi nationes & linguæ colant eum, cuius dominatus est dominatus æternus, &c. Huiusmodi ergo quiddam dicit dominus, Pater iudicandi & uniuersorum potestatem filio suo dedit, quoniã is ille filius hominis est, cuius mentio fit apud Danielem. Plerique interpretes sic ferè exponunt, Dedit filio potestatem iudicandi, quatenus uidelicet filius hominis est. Quatenus enim filius dei est, habet ab æterno omnem potestatem cum patre communem & æqualem. Itaque Cyrillus libro in Ioannem secundo, cap. 144. Caussam, ait, quare hæc sibi data à patre dixerit, ilico subiecit, dicens, Quia filius hominis est: ut intelligamus omnia sibi data fuisse ut homini, qui cum creatura sit, nihil habet à seipso. Vnigenitus uero filius nõ uitæ particeps, sed uita naturaliter ut pater est. Ad eundem modum exponit & Aurel. Augustin. Tract. in Ioan. 19.

Quare filius dicatur aliquid accipere.

Nolite mirari hoc, quia ueniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicij.

Iudicium extremum.

Pertinent etiam hæc ad status argumentorumq; superiorum confirmationem & explanationem. Dixit enim dominus sibi esse potestatem plenariam uiuificandi, excitandi mortuos, & orbem iudicandi, ex quibus demonstrare uult se naturalem esse dei filium patri per omnia æqualem. Id uero nouum adhuc uidebatur Iudæis nihil in domino agnoscentibus nisi humanam naturam: ideo dominus proposita firmius confirmans, & dilucidius singula exponens, quasi à comparatis argumentatur, & ait, Nolite mirari quod mihi & uiuificandi & iudicandi potestatem uendicaui: uenit enim dies ultima, uidelicet mundi, qua ista omnia me posse comprobabo. Tunc designabo longe maiora quàm patrarim hucusq;, aut in carne super terram in tempore hoc dispensationis patraturus sim. In fine enim sæculi descendet è cœlis filius hominis, apparebit in nubibus cœli, cinctus satellitio sanctorum angelorũ, ac præcipiet non iam ut filius duntaxat hominis, sed etiam ceu filius dei, non paucis aliquot occisis, sed omnibus ab initio mundi ad finem usque mortuis, ac nunc quidem in monumentis agentibus aut etiam resolutis in puluerem ac cinerem, ut resumptis corporibus & animabus resurgant ac plene uiuant. Vbi obseruabis significanter dici à domino, Qui in monumẽtis sunt, & non, Qui mortui sunt. Nam Augustinus in Tract. in Ioannẽ 19. Expresse, inquit, sic loquutus est, ut calumniam hæreticus negator resurrectionis corporum non inueniat. Quid enim euidentius, quid expressius, quàm quod dicit, Omnes qui in monumentis sunt? Corpora sunt in monumentis, animæ non sunt in monumentis, nec iustorum nec iniquorum. Iusti anima in sinu Abrahæ fuit: iniqui anima apud inferos torquebatur: in monumento non erat, nec hæc nec illa. Hæc ille. Sed & illud annotandũ quod dicit, Omnes qui in monumentis sunt, omnes inquã tam iusti quàm iniusti: alibi quoq; Paulo dicente, Omnes nos manifestari oportet coram tribunali

Qui in monumentis sunt.

tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit siue bonum siue malũ. 2. Cor. 5. Ac in præsenti Omnes amplificationis causſa adhibetur, opponiturq; paucis illis quos dominus agẽs in terris excitauerat. Nec inefficax & inanis erit uox, id est uirtus, imperium & iussio filij. Audient enim uocem illam qui in monumentis agunt: nec audient modo, sed prodibunt etiam, & prodibunt quidem uiui, resumptis animabus, ac in suis proprijs constituti corporibus, quæ uox filij dei è puluere per omnipotentiam excitauit. Habetis apertissimã probationem eius quod filius hominis ac dei potestatem habeat uiuificãdi. Copiosiora de resurrectione corporum qui uolunt reperient apud Paulũ in 1. ad Cor. 15. & in 1. ad Thes. cap. 4. item in 12. lib. Comment. nostrorum in Matth.

Sequitur iam de iudicio filij. Prodibit quidem è monumentis & ex puluere terræ uiua omnis caro, sed non erit eadem omnibus ratio, status atq; conditio uitæ. Viuent sanè omnes homines uita animali & sensibili, tam boni quàm mali: iudicio tamen iusti iudicis Christi cõditio uitæ distinguetur. Nam qui bona fecerunt, prodibunt in resurrectionem uitæ: qui egerunt mala, prodibunt in resurrectionẽ iudicij: iudice pronunciante, Venite benedicti patris mei, possidete regnum, &c. Matth. 25. Ex quibus colligere possumus omne iudicium filio esse datum, & quod dominus sit uitæ regniq; cœlorum, quod ceu hæreditatem & peculium suis possit dare cultoribus. Bona autem faciunt fideles. Bona enim sunt quæ iusta sunt. Iusta sunt quæ à iustis fiunt. Iusti uero ex fide uiuunt: fideles ergo ex fide bona faciunt, qui sine fide nihil boni facerent. Et hi resurgunt, inquit, in resurrectionem uitæ, id est in permanentiam uitæ ut uiuant & gaudeant semper. Conditio ergo uitæ beatorum felix erit ac beata. Qui uero τὰ φαῦλα mala egerunt, resurgent seu prodibunt in resurrectionem iudicij. Significat autem φαυλίζω uilipendo & subsanno: unde φαῦλος is esse uidetur qui Hebræis dicitur לץ lez peruersus ac irrisor, subsannans uerbum dei & pietatem omnem uilipendens, contra, mundũ & omnia mundi magni faciens, Der alle gottſäligkeit verſpottet/ vnd mit fulen ſachen vmbgadt. Incredu li ergo huiusmodi mala agunt respuentes doctrinam fidei, ideo resurgẽt quidem, iudice ipsorum corpora ex puluere excitante, sed resurgent in resurrectionẽ, id est permanentiam iudicij, id est afflictionis. Recte enim Augustinus, Iudiciũ, inquit, pro pœna posuit. Recte item & significanter interpres uertit, In resurrectionem condemnationis. Nam conditio uitæ impiorũ infelix erit & misera. Viuent enim corpore & anima perpetuo sicut sancti, sed non eadem conditione. Torquebuntur enim illi perpetuo, sicut hi absque omni dolore iubilabunt semper. Et fortassis suasit sic dominus Iudæis fidem in ipsum recipiant, ne propter incredulitatẽ aliquando corporibus & animabus demergantur in tartara. Videntur autem hæc omnia domini uerba petita & occulte roborata esse ex his prophetę Danielis è 12. cap. uerbis, Multi siue multitudo dormientium in puluere terræ resurgent: hi ad uitam æternam, illi uero ad probra & contemptum æternum, ad tormẽta inquam perpetua, propter quæ æterno quodam cruciatu contabescent. Isaia quoq; in ult. cap. dicente, Et egredientur & uidebunt cadauera uirorum qui perfide à me defecerunt. Quoniam uermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt fastidium omni carni. Vides hunc locum patere latissime. Nam & corporum resurrectionem demonstrat, & attestatur fore iudicium, uitam item esse æternam quæ debetur bonis, & pœnam perpetuam quæ irroganda est malis.

Conditio uitæ distinguitur in iudicio.

Non possum ego ex meipso facere quicquam, Sicut audio iudico, &

iudicium meum iustum est: quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me patris.

Collectio & epilogus.

Post probationem & cõfirmationem diuinitatis suæ, & quod patri per omnia æqualis sit filius, redit ad propositionem & occasionem disputationis unde fuerat digressus, & colligit omnia in particularem quendam epilogum. Dixerat ab initio, Non potest filius à se facere quicquam, nisi quid patrem uiderit facientem: eò iam post copiosam demonstrationem probationemq; rediens tale quid colligere uidetur, Videor ego uobis uestri similis infirmus & miser esse homo, ac si talis essem, nec maior accessisset humanitati meæ, ueræ aliàs & sanctissimæ, uirtus & potestas: nemo est qui non intelligat, non posse me ex meipso, id est ex mera infirmitate humana, tanta patrare opera quanta me posse patrare cernitis, quanta denique me aliquando patraturum intelligetis. Quid ergo restat aliud, nisi me non tantum hominem esse innoxium & sanctum, sed & deum uerum, filium inquam dei naturalem patri per omnia æqualem? Sicut enim audio, iudico, id est omnia mea instituo non secundum hominem & humanam imbecillitatem (quamuis interim uerus sim homo) sed secundum diuinam potentiam & gloriam, qua patri æqualis sum. Ideoq; iudicium meum, id est quicquid loquor & facio iustum est: quia ex diuina potentia omnia loquor & facio. Cyrillus libro secundo in Ioannẽ, cap. 146. hæc omnia ad superiora arctius astringens eleganter ait, Misertus est Iesus eius qui longis uexabatur temporibus recte de ipso iudicans. Non enim debebat propter sabbatum misericordiam suam retinere. Nam & pater etiam in sabbato omnes creaturas gubernat, nec per alium id facit quàm per filium. Quare ipse quoque filius hominem curauit in sabbato. Quare saluatoris iudicium rectum fuit. Fons enim bonitatis natura deitatis est: nec minus in sabbato quàm in alijs diebus bona inde permanant. Iudæorum autem iudicium, qui commoti hac re temere in cædem ruebant, diuinæ legi aduersabatur. Et cætera. Dominus certe aliud argumentum siue rationem simplicem & planam adijcit quare ipse recte agat omnia, Quia non quæro uoluntatem meam. Meam inquam, sicut uos interpretamini, pure humanam, corruptam, & legi dei aduersam, sed uoluntatem eius qui misit me patris. Voluntas enim mea cum illius congruit. Non abhorret ab hac expositione D. Ioannes Chrysostomus, qui Homel. in Ioannem 38. Si, inquit, pater uult, & ego uolo: si quid ego, & pater: & quemadmodum nemo reprehendit patrem iudicantem, ita neque me. Eadem enim utriusque sententia est. Quod si humilius hæc & hominis more dicta sunt, noli admirari. Hominem enim adhuc ac etiam uilem arbitrabantur. Quamobrẽ non modo in his quid dicatur, sed quid auditores senserint inquirendum est, & secundum eorum opinionem uerba metienda sunt, ac si ad ea responderit. Aliter multa sequerentur absurda. Et cætera.

Si ego testimonium perhiberem de meipso, testimonium meum non esset uerum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio uerum esse testimonium, quod testificatur de me.

Certa sunt Christi testimonia.

Ad hæc omnia obijciat Iudæus aliquis, Quis ignoret leuissimum & prorsus nullius authoritatis esse testimonium eius qui de seipso amplifica deprædicet? Cum autem Iesus de seipso testatus sit hactenus, sibi esse plenariam potestatem uiuificandi & iudicandi, & quæ huius generis alia sunt, cui non foret illius testimonium de ueritate suspectum? Nam Solomon in Prouerb. cap. 27. Laudet te pro-

te proximus tuus, inquit, & non os tuum: alienus, & non labia tua. His per occupationem respondens, dicit, Si homo duntaxat essem & omnia mea humano more agerem, merito, fateor, posset testimonium de falsitate esse suspectum: nunc uero cum etiam sim deus uerus, & ipsa natura humana sit purgatissima, ut propheta dixerit nullum dolum aut errorem in ore meo inuentum, non poterit non esse uerissimum & infallibile meum testimonium. Hoc tamen membrum ueluti præteriens & auditoribus pijs atque sedulis apponendum relinquens, aliud adijcit, Alius est qui testimonium perhibet de me, &c. Atque hunc sensum sequutus est ferè etiam D. Ioannes Chrysostomus, qui Homelia in Ioannem 39. Illa, inquit, particula, Non est uerum, non temere legenda est, sed ad illorum opinionem referenda, hoc est, Vobis non est uerum. Non enim authoritate sua, sed pro auditorum suspicione loquitur, quam arguit eorum adducens obiectionem, &c. Cæterum quod apponit, Alius est qui testimonium perhibet de me, exponi potest de testimonio patris qui cœlitus testificatus est Iesum Christum illum esse prædilectum filium, per quem uitam & salutem conferat toti mortalium generi. De hoc testimonio legis Matth. 3. & 17. & 1. Ioan. 5. cap. Ad confirmationem huius testimonij illud pertinet quod per asseuerationem apponit, Et scio uerum esse testimonium, &c. Sciunt uerum esse omnes item uere pij & fideles quibus datus est spiritus sanctus obsignans ipsorum corda. Alij referunt hæc ad cõsequens Ioannis testimonium, è quorum numero est & Ioan. Chrysost. qui hæc uerba explicans, Et scio uerum esse testimonium, Quid si ille ad gratiam testatus est, inquit? Ne hoc dicerent, ait, Scio uerum esse eius testimonium. Et, Vos misistis ad Ioannem, &c.

Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati. Ego autem non ab homine testimonium recipio: sed hæc dico ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens: uos autem uoluistis ad tempus exultare in luce eius.

Inducit iam Ioannis Baptistæ testimonium quo probet quod probandum assumpserat se naturalem esse dei filium patri æqualem. At non est quod pluribus his inhæream. Nam quæ ad Ioannis testimonium pertinent, exposui in cap. 1. & 3. huius historiæ. Per occupationem uero his annectit, Ioannis autem testimoniũ non in hoc profero, quod eo is mihi amplius quiddam contulerit, ut nunc alius sim quàm fuerim priusquam ille testificatus sit, id est deus non sim futurus nisi ille dixisset me esse filium dei. Naturaliter enim sum quod ille esse dixit. Propter uos potius ipsius adduco testimonium. Quoniam enim magna fuit eius apud uos authoritas, putaui facilius uerbis eius credituros, & per fidem in me consequuturos salutem æternam. Imò ne quis arbitraretur Ioannis testimoniũ his domini uerbis eleuatum atq; depressum, protinus adijcit, Ille erat lucerna ardens & lucens, præco inquam ueritatis celeberrimus, zelo fidei & pietatis ardens, magnoq; mo limine & illustrissima perspicuitate negotium euangelij promouens. Mox tamen per correctionem atq; occupationem adijcit, Sed quid illius uiri tanti uobis testimonium profero, cum ad tempus modo uolueritis in luce eius exultare. Placuit ab initio uobis doctrina eius, sed cum mihi ferret testimonium & acrius, scelera & incredulitatem uestram persequeretur, displicere cœpit. Nam defecistis ab illo: Recipitis ergo illum ubi libet & quandiu libet, repudiatis rursus quoties placet. Paraphrastes huius loci contextum & sensum pulcherrime cõstruens, sic scribit, Non potestis tergiuersari, leue pondus habere apud uos Ioannis te-

Ioannes testatur Iesum esse dei filium.

Christus Ioãnis testimonium approbat.

ſtimonium. Ipſi uiros graues ad illum miſiſtis, tanquam à certiſſimo authore per certos homines cogniturí num ipſe eſſet meſſias. Ille non uindicauit ſibi falſam laudem, quam illi uolebatis tribuere, ſed ueritatem profeſſus eſt, palàm teſtificans ſe non eſſe, qui putabatur, ſed me eſſe Meſſiam, qui tolleret peccata mundi, & uitam daret mundo. Huius certe teſtimonium, cui tantum tribuebatis, ut eum crederetis eſſe Meſſiam, apud uos pondus habere deberet, præſertim cum à me non ſit procuratum, ſed à uobiſipſis expreſſum. Ego, quod ad me pertinet, non opus habeo commendari hominis teſtimonio, ſed Ioannis de me teſtimonium uobis ingero, non ut ego pluris apud uos fiam, qui nihil moror humanam gloriam, ſed ut uos, apud quos tanta eſt Ioannis authoritas, credentes ei de quo ille teſtificatus eſt, uitetis incredulitatis condemnationem, & per credulitatem aſſequamini ſalutem. Magnus quidem erat Ioannes, ſed lux illa promiſſa mundo non erat, tantum erat lucerna de noſtro igni ardens, de noſtro lumine lucens. Vos autem cum illius indicio debueritis properare ad lucem ueram, quæ ſemper illuminat omnem hominem uenientem in mundum, maluiſtis ad breue tempus in illius luce gloriari, quàm ueram amplecti lucem, quæ gloriam largitur perennem, nec unquam obſcuratur occiditue. Præluxit ille, ſoli mox ceſſurus, & uero lumine emicante obſcurandus. Voluiſtis illum eſſe Meſſiam qui ſe negabat dignum qui ſolueret corrigiam calciamentorum Meſſiæ. Cur ergo teſtimonium illius apud uos nunc leue eſt quod de me tulit, cum alioqui tam magnifice de illo ſenſeritis? Non pendeo à Ioannis teſtimonio, ſed tamen optarem apud uos habere pondus ne pereatis ob incredulitatem. Tantum Eraſmus. Loci præterea obſeruandi hi ſunt, Deum non egere hominum teſtimonio. Eiuſdem enim nihilominus eſſe & uiuificare & iudicare, tametſi mundus nunquam credat. Quod ſi qui teſtimonium ferunt ueritati, non ſunt aſpernandi, neque ipſorum contemnendum eſt teſtimonium. Quod ergo hactenus multi iuxta ſæculum hoc ſapientes euangelium recipere noluerunt, nihil hoc obſcurat euangelicam doctrinam. Rurſus quod multi receperunt, ac egregia huic dederunt teſtimonia, recipiendum atque deprædicandum eſt cum gratiarumactione, quamuis integritati, plenitudini & indubiæ ueritati euangelicæ addiderint nihil. Atque ad hanc regulam probabimus omnes omnium ſapientum & Synodorum de Verbo dei ſententias atque decreta. Huic ſi accedant, laudanda ſunt propter gloriam uerbi dei. Ab hoc ſi recedant, manet huic nihilominus integra ſua authoritas. Non accipit ab homine teſtimonium diuina & æterna ueritas. Sancti euangelij myſterium ſyncere & cum zelo prædicantes, ardentes ſunt lucernæ, omnem fulgorem & gratiam habentes ab æterno lumine. Mundus hic afficitur initio ad prædicationem euangelij propter nouitatis ſtudium, mox tamen deficit ab euangelio propter uoluptates & affectus corruptos, quibus plus tribuit quàm ſtudio pietatis.

Deus hominum teſtimonio non indiget.

At ego teſtimonium habeo maius teſtimonio Ioannis, Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipſa inquam opera quæ ego facio, teſtificantur de me quod pater miſerit me. Et qui miſit me pater, ipſe teſtificatus eſt de me.

Opera probãt Ieſum eſſe filiũ dei.

Formula utitur tranſitionis, qua præcedentia non reijcit, ſed ad ſequentia potius attentiorem reddit auditorem, ueluti ſi dicam, Et magna quidem audiſtis huc uſque, porrò autem audietis maiora. Ita enim hic quoque dicere uidetur, Habetis

Ioannis

Ioannis de me testimonium, nūc uero maius accipite, operum uidelicet meorum. Nam nullum est testimonium certius ipsis factis. Ideo opera sua non raro pro se adducit, præsertim in cap. 10, dicens, Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: sin uero facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quod pater in me est, & ego in patre. Opera uero illa sunt, remittere peccata, uiuificare, excitare à mortuis, seruare, dominium in res omnes obtinere. Hęc quoniam in Christo reperiuntur, manifeste testantur quod sit filius naturalis, & coæqualis patri; siue, sicut hic loquitur, quod miserit filium pater, id est prodierit ex substantia patris, denicp cœlitus descenderit in uterum uirginis, unde uerus deus & homo fuit progenitus. Quod autem dicit, Quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, perinde est ac si dixisset, Quæ habeo ex paterna substantia ut ea perficiam. Nam ne quis Christum cōtenderet hoc nomine minorem esse patre, ac hunc non illum hæc operari, mox adiicit, Ipsa inquam opera quæ ego facio. En quæ ego facio, inquit. Quanquam interim hic locus sic quoque possit exponi, ut Christus id intelligatur dixisse propter humanam naturam, quæ dedit mihi pater, illud uero, Opera inquam quæ ego facio, propter diuinam maiestatem, imò secundum utrācp naturam. Nam operabatur ille ut deus uerus & homo uerus. Post hæc adducit & patris illud magnificum testimonium, cuius nos meminimus in cap. huius historiæ 1. & apud Matth. in cap. 3. & 17. ubi pater diserte pronunciauit Iesum esse filium suum.

Necp uocem eius unquam audistis, neque speciem eius uidistis, & sermonem eius non habetis in uobis manentem: quia quem misit ille, huic uos non creditis.

Subiiciuntur hæc per occupationem in hanc ferè sententiam, Dixi patrem mihi tulisse testimonium, quod non ita crasse intelligi uolo, quasi putem deum hominibus in propria apparuisse substantia. Vt enim deus natura sua inuisibilis est, ita neque uidetur oculis corporeis nondumcp clarificatis, neque auditur auribus hisce corruptibilibus. Exhibet interim ille suis spectra, imò signa quædam suæ præsentiæ, & affingit sibi uoces hominibus perceptibiles. Ita enim apparuit & loquutus est prophetis. Quorum testimoniis quia non creditis, cōsequens est quod non habeatis ullum in uobis sermonem dei manentem. Id quod ea re amplius & illustrius quodammodo elucescit, quia quem pater misit, me uidelicet filium suum, huic uos non creditis. Videri sanè uultis fidem adhibere testimoniis prophetarū, sed fucus est. Pietas enim uestra similis est rori matutino, sicut apud Oseam quocp legitur, quem sol oriens euestigio exiccat. Nam si uera & stabilis esset cordibus infixa pietas, si uerbum dei haberetis manens in uobis ipsis, id est si ex animo & firmiter religioni adhæreretis, non possetis non agnoscere dei patris uerbum missum in hunc mundum: iam cum uerbum dei non recipitis, declaratis nullam in cordibus uestris esse synceram religionem. Ita uero obiter increpat Iudaicam incredulitatem, imò omnium eorum perfidiam plus quàm Iudaicam, qui simulant se dei patris esse cultores, at filium interim dei, uerbum dei nec agnoscunt nec recipiunt: cuius generis monstra Turcæ sunt & hæreticorum phalanges.

Quomodo loquatur & testificetur deus hominibus.

Scrutamini scripturas, quia uos uidemini uobis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt quæ testificantur de me: nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis.

Scripturæ testantur Iesum esse filium dei.

Pertinent etiam hæc ad demonstrationem siue probationem primarij huius disputationis capitis, quod Iesus Christus sit naturalis dei patris filius, patri per omnia æqualis. Ducit probationem ex scripturis, oratione figurata per rhetoricã Permissionem: quasi dicat, Et ut multa alia prætereamus testimonia, illud in præsenti proponam uobis, quod etiam uestro iudicio prorsus est irrefragabile, ipsam uidelicet indubitatam scripturarum authoritatem. Nónne enim palàm fatemini ex scripturis diuinis uitam peti non mortem, ueritatem non falsitatem, beatitudinem non miseriam, adeoq; in ea contineri pleniſſime quæcũq; ad piam, sanctam, recte instituendam in terris, & ad uitam in cœlis consequendam pertinent? At illas si consulatis diligenter, accurateq; scrutemini, reperietis eas aperte de me testari, quod dei sim filius, patri coæqualis p omnia, redemptor & saluator totius mundi. Vnde mirandum maxime cum illæ apud uos tantum ualeant, ac illæ ipsæ nihil aliud quàm de me testentur ac differant, quî fiat, quod non credatis ipsis, ac credentes me recipiatis quo æternum uiuatis. Et certe dubium est ἐρεύνατε scrutamini dictum ne sit modo indicandi an imperandi. Vterq; sensus pius, proprius & accommodus est, uterq; & Christo fert testimonium, & Iudæorum arguit incredulitatem. Prior sensus talis est, Inquiritis sanè satis diligenter scripturas, quia persuasistis uobis, neq; falso & temere, in ijs habere uitam, & cum illæ abunde de me testentur, non tamen creditis in me. Posterior sententia hæc est, Scrutamini quæso diligenter scripturas, quas nostis uobis suppeditare uitam, & inuenietis illas abunde de me testari: sed quid hæc frustra uobis ingero, cum uideam uos destinata malitia annitì ne unquam ad me ueniatis atq; uiuatis? Testimonia scripturæ de Christo dei filio redemptore mundi extant in lege & prophetis innumera. Moses hoc elegantissimis typis inuoluit, et explicandum studiosis proposuit. Prophetæ diserte loquuti, ipsum dominum Iesum suis proprijssimis distinxerũt coloribus, Dauid in Psalm. 2. 22. 110. Isaias in 2. 7. 9. & à. 49. in finem usq;, Ieremias in 23. 31. Micheas in 4. & 7. Daniel in 7. & 9. & alij multis alijs in locis. Commendatur interim nobis sanctæ scripturæ authoritas. In scripturis cõtinetur Vita, uel ipse Christus, qui salus & uita est fidelium, hic unice docetur & inculcatur in scripturis: uel omnia quæ ad uere piam uitam pertinere uidentur, continentur in sacris literis, sicut & Paulus manifestissime dixit in 2. ad Timoth. 3. cap. Vbi ergo sunt qui clamant, ideo opus habere decretis patrum dei ecclesiam, quod scripturis non omnia sint tradita quæ ad salutem necessaria uidentur? Porrò non satis est legisse scripturam nisi legas diligenter, scruteris inquam, omniaq; ad certum dirigas scopum. Scopus uniuersæ scripturæ est Christus, fides in ipsum, & animi pietas, uitæ innocentia, puritas & charitas. Qui illas legunt ut rixentur, errores tueantur, inuentos affectus propugnent, & ut opes & gloriam cumulent, aberrant à uero scopo, & præcipites ruunt in tenebras perpetuas.

Authoritas scripturæ.

Gloriam ab hominibus non accipio: sed cognoui uos quod dilectionem dei non habeatis in uobis. Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me; si alius uenerit nomine suo, illum recipietis.

Obiurgat hominum incredulitatem.

Post longam & euidentem demonstrationem excurrit dominus in obiurgationem & expostulationẽ cum gente Iudaica, acerrime inuehens in incredulitatem ipsorum, & protrahens monstrificam eorum inuidiam. Aperta & plana sunt omnia, & ideo non multis explicanda, aptanda potius & deriuanda uidentur in nostri sæculi homines eodem morbo laborantes. Ante omnia, Istis, inquit, omnibus quibus demonstraui me esse filium dei, patri æqualem per omnia, nõ quæro quod

suspicari

ſuſpicari poteratis, gloriam & laudem humanam, non uenor auram popularem, qua admodum afficiuntur ambitioſi huius ſæculi homines: gloriam dei patris & ueſtram omnium incolumitatẽ quæro. Interim uero ex ſignis colligens, & perſpicaci diuinoq; ſuo iudicio cernens Iudæos ſua demonſtratione hactenus præmodum eſſe exaſperatos, mox per Correctionem planè patheticam ſubijcit, Quid uero ſurdis narro fabulam? quid rebellibus offero pacẽ & ſalutẽ, cum certo uideam me & oleum perdere & operam? Experior etenim nullam in uobis eſſe dilectionẽ dei, id eſt timorem dei nullum, nullam fidem, nullam religionem, aut ullum denique pietatis ſtudium. Id autem ex actis ueſtris ſic colligo, Qui diligit deum, eidem credit & obtemperat: qui patrem diligit, nõ poteſt odiſſe illi chariſſimum filium. Ego uero ſum ille prædilectus dei filius, miſſus à patre in mundum, non ut gloriam, regnum aut opes ambiam apud homines, ſed ut dei gloriam promoueam, & ſeruem uos omnes. Proinde totas meas uires intendo in hoc & huc dirigo omnia, ut ſcilicet in me glorificetur deus, & ut omnes ſaluemini. At hæc conantem & agentem repellitis, unde conſequens eſt, nihil in uobis ipſis ſupereſſe pietatis, timoris ac dilectionis dei. Præſertim cum tanta ſit ueſtra illa corruptio, ut quemlibet alium ſitis recepturi, quantumuis ueſtræ ſalutis & gloriæ dei negligentem ſuiſq; ſtudentem rebus, modo mei nullam faciat mentionem, ueſtriſq; palpet & erroribus & prauis affectibus. Itaque ἄμ@ ſiue alius infinite uidetur poſitum pro quouis. Alij referunt ad Antichriſtum, quaſi ſenſerit Antichriſto credituros qui nolunt credere Chriſto. Iudæi certe innumeros receperunt ſeductores: quemadmodum expoſui in Matth. 24. certe ad uindictam ſuæ perfidiæ repellentis Chriſtum. In nomine porrò patris uenit qui cauſſam agit patris, cuius etiam gloriam & honorem quærit. Suo in nomine ueniunt, quicunq; neglecto deo & neglecta omni pietate, ſeipſos quærunt, gloriam uidelicet, opes & uoluptates. Porrò quod Iudæis euenit, idipſum hodie multis accidit. Dum enim Chriſti doctrinam recipere nolunt, erroribus implicantur & pereunt in peccatis ſuis. Expilant ipſos pſeudoprophetæ, quibus etiam ludibrio ſunt. Atq; huiuſmodi quidem eſt ingenium ſtultorum hominum, quorum mores accuſans apoſtolus, Libenter, inquit, ſuffertis inſipientes cum ſitis ſapientes. Suffertis enim ſi quis uos in ſeruitutem adigit, ſi quis exedit, ſi quis accipit, ſi quis attollit ſeſe, ſi quis uos in faciem cædit. 2. Corinth. 11. Nolebant Iudæi Chriſtum ſuper ſe regnare, Cæſarem uolebant, atq; hic eos ſtrenue cædebat nomini ſuo omnibus modis reſpondens.

In nomine patris uel ſuo in nomine uenire.

Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo deo proficiſcitur non quæritis?

Fontem & cauſſam his aperit perfidiæ & incredulitatis. Quod non creditis doctrinæ meæ, hinc eſt, quod contempta uera gloria, quam ſolus confert deus, iuſtificans uos, & ſanctificans, hæredesq; æternæ uitæ faciens, perituram ab hominibus gloriam, auram uidelicet popularem, titulos, honores, opes ac uoluptates quæritis, inuicemq; defertis. Colligimus hinc duplicem eſſe gloriam, diuinam & humanam. Diuina à deo datur & in deum tendit, coronat innocentia & uita æterna. Humana ut ab hominibus proficiſcitur, ita conſiſtit in rebus perituris ac fluxis, in opibus & uoluptatibus. Huius ſtudium faſcinat etiam hodie epiſcopos, principes & populum, quo minus etiam curent gloriam quæ à ſolo deo proficiſcitur, atq; ideo calcent uerbum Chriſti cui non credunt.

Fontes incredulitatis.

Nolite putare quod ego accuſaturus ſim uos apud patrem. Eſt qui accuſat uos Moſes, in quo uos ſperatis. Si enim credidiſſetis Moſi, credidiſ-

ſetis utiq; mihi. De me enim ille ſcripſit, Si autem illius ſcriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis?

Minæ & iudicia contra incredulos.

Concludit demonſtrationem ſuam comminatione, quam paucis quidem uerbis, ſed efficaciſſimis proſequitur, æternam interminans Iudæis, ſi ſic in ſua incredulitate perrexerint, condemnationem. Recidit autem eadem comminatio in omnes Chriſti hoſtes negantes Ieſum eſſe uel dei uel hominis filium, nolentesq; benignas euangelicæ prædicationi aures præbere. Dicuntur uero omnia in hunc finẽ, ut non pereamus, ſed credentes habeamus uitam æternam. Cæterum ſchema orationis, Nolite putare quod ego accuſaturus ſim uos apud patrem, &c. non omnẽ filio dei adimit accuſationem. Tametſi enim primo aduentu in mundum non uenerit iudicare quenquam, nihilominus tamen damnantur quotquot damnantur propter incredulitatem, id eſt quod non receperunt filium dei: hoc ueluti accuſatore apud patrem exiſtente, qui alioqui omnium fidelium eſt interceſſor & aduocatus. Moſis ergo accuſationem profert quod plus apud Iudæos haberet momenti & exiſtimationis. S. Cyrillus id annotans libro in Ioannem tertio, cap. 8. Patet, inquit, accuſatum iri omnes apud patrem per Chriſtum, qui eum non ſuſceperũt: non erunt igitur Iudæi Chriſtum negantes ab ea accuſatione liberi, ſed commodiſſime & ad utilitatem eorum oratio contexitur. Nam quoniam doctrinam eius paruipendebant & Moſis ſe diſciplinam ſeruare contendebant, clamantes, Nos ſcimus quia Moſi loquutus eſt deus, hunc autem neſcimus unde ſit, neceſſario nunc Moſen quoque, quem iactabant, ſperni ab eis affirmat, nec opus eſſe alio accuſatore, ſed etiam cæteris omnibus ſilentibus ſolam legem Moſis ad condemnationem non credentium in ſe Iudæorum ſufficere aſſerit. Hæc ille. Nec tamen imaginanda erit craſſa quædam & forenſis accuſatio, qua Moſes ſit in beata uita diuexandus. Quia enim Iudæi ſuo Moſi teſtificanti de Chriſto & æternum excidium interminanti non recipientibus Chriſtum, non credunt, dicuntur à Moſe accuſari, qui à propria accuſantur conſcientia. Paraphraſtes eam Moſis accuſationem diligenter tractans inter alia, Etenim cum maiores ueſtri, ait, offenſi terribili uoce dei & igni pernicioſo, deprecarentur ne poſthac dei uocem audirent, aut ignem formidabilem experirentur, deus approbauit poſtulationẽ ueſtram, ac promiſit Moſi ſe ſuſcitaturum de fratribus ueſtris eximium prophetam, ipſi ſimilem cuius uocem placidam ac mitem, nec territantem minis, ſed ad ſalutem inuitantem oporteret audire. Cæterum huius dictis non obtemperanti pœnam comminatus eſt deus, dicens, Qui autem non audierit uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, ego ultor exiſtam. Nemo igitur alius uos magis accuſabit apud deum quàm Moſes amicus ueſter, cuius ſcripta cõtemnitis. Ille me promiſit placidum, mitem, & omnia quæ deus uoluerit loquentem: talis adſum & repellitis, &c. Ad amplificationem ſceleris illud pertinet, quod ait Iudæos non ſolum in ſe, ſed in Moſen quoq; eſſe contumaces, cuius teſtimoniis nullam adhibeant fidem. De me enim ille, ait, ſcripſit. Quia ergo mihi non creditis, ne Moſi quidem creditis. Certe Chriſtus unicus fuit ſcopus Moſis. Scribit de hoc ſingulariter in ſingulis ſuis libris quinq;. In Geneſi ponit inſignes illas de Chriſto promiſſiones, ad quas omnes prophetæ & apoſtoli reſpexerunt, Deum uidelicet ſemen ex muliere daturum hominibus, quod & caput atterat ſerpentis, & benedictionem mundo conferat pleniſſimam. In eodem libro deſignauit & tribum Iuda, è qua naſcendus, & conſtituit tempus quando naſcendus ſit in mundum dominus. In eodem libro mirificis figuris contexit & ornauit totum Chriſti myſterium, in rebus uidelicet Abrahæ &

Quomodo Moſes accuſet Iudæos.

Deut. 18.

Moſes de Chriſto ſcripſit.

Melchi-

Melchizedek, in rebus Isaac, Iacobi, & Ioſephi. In Exodo mirificis coloribus pingit Chriſtum ſub imagine agni paſchalis, ſub figura ſacerdotis ſummi Aaronis totiusq; ſacerdotij, ut multa alia eius libri celebria de Chriſto teſtimonia non commemorem. Totus ferè Leuiticus de ſacerdotio & ſacrificio Ieſu Meſſiæ perfectiſſimo conſcriptus eſt, & crucem ac mortem, mortisq; fructum, expiationem & uitam manifeſtiſſime deſcribit. In Numeris ſub imagine ſerpentis ærei exaltatur in crucem dominus, & fideles ueneno peccati, ne interficiat, liberat, inq; uita conſeruat. In Deuteronomio non unius generis nec pauca ſunt edita per Moſen teſtimonia, Chriſtum ceu unicam ſalutem commendantia orbi. Veriſſime ergo dixit dominus, Moſes de me ſcripſit.

Commendantur libri Moſis.

Interea commendatur nobis amplifice philoſophia Moſis, quam qui uel abrogatam contendunt, ignorant potiſſimum illam uerſari in deſcriptione rerum Chriſti: uel prorſus negligendam arbitrantur, utpote de fabulis quibuſdam Iudaicis traditam, huic cõmendationi domini non credunt. Quin potius contemptis iſtis blaſphemiarum magiſtris, hæreticis, ſacrilegis, & extremæ impietatis hominibus, agnoſcamus inter omnes prophetas primum locum obtinere Moſen, & ex huius libris ceu fonte uiuo manaſſe omnem ueram de religione traditionem, ad uniuerſam poſteritatem, ſpiritu ſancto ſubinde alios atque alios excitante prophetas, per quorum ora deus cœleſtem illam à ſe in Moſen deriuatam philoſophiam & ueram ſapientiam renouarit. Agnoſcamus unicum omnium librorum Moſis ſcopum eſſe Chriſtum, de quo ille potiſſimum omnes ſermones ſuos contexuit. Huc pertinet illud Pauli 2. Corinth. 3. Ad hunc uſque diem cum legitur Moſes, uelamen cordibus Iudæorum impoſitum eſt. At ubi conuerſi fuerint ad dominum, tolletur uelamen quod per Chriſtum aboletur. Nam alibi quoque dicit idem apoſtolus, Finis legis Chriſtus eſt, ad iuſtificationem omni credenti. Quoniam uero noſtra ætate complures non quærunt in libris Moſi Chriſtum, ſed externa neſcio quæ, ideo ſordet ipſis Moſes. Reiecerunt & contempſerunt impiſſimi quiq; in orbe Moſen, Ariſtoteles, Cornelius Tacitus, Porphyrius Tyrius dicax uafer & impudens nebulo, & ex impiſſimis hæreticis Artemon, Cerdon, Manichæus, & neſcio qui alij. Verum de Moſe aliàs dictum eſt copioſius. Certè præſens Chriſti eulogium amplius ipſum commendat quàm poſſit ulla hominis quantumuis eloquentis ornare teſtimonium. Merito enim maximam in eccleſia authoritatem is habet, quem ita commendauit nobis uerbum patris, ſapientia dei, ipſe inquam dei filius. Ad finem appendit dominus, Si autem uerbis illius nõ creditis, qui tantæ apud uos authoritatis eſt, quid ſperem mihi credituros qui nulla apud uos authoritate polleo? Recte ergo monuit Cyrillus, præſens loquutionis genus ductum eſſe ex æſtimatione aduerſariorum non ex re ipſa. Alioqui enim conſtat uel apoſtolo docente ad Hebr. 3. maiorem eſſe Chriſti quàm Moſis authoritatem.

CAP. VI.

Poſt hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eum turba multa, quia uidebant eius ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subiit autem in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Inſtabat autem paſcha dies feſtus Iudæorum.

Relinquuntur increduli.

Cum dominus Ieſus tanta fide, diligentia, perſpicatia & euidentia primarium noſtræ religionis caput expoſuiſſet ac declaraſſet ſe naturalem eſſe dei filium ſaluatorem omnium credentium, merito recepiſſent auditores Hieroſolymitæ ueritatem: quia uero reiiciunt, reiicit etiam ipſos dominus, relinquens eos ſuis tene-

bris atq; erroribus, & cõfert se in Galilæam, sicuti antea quoq; fecerat. Sequuntur dominum turbæ nimirum attractæ miraculorum præstantia, per quæ uel in spem adductæ sperabãt etiam se curandos à suis infirmitatibus, uel amore & studio doctrinæ eius abreptæ, nihil uehementius cupiebant quàm audire ipsum. Ascendit autem in montem Iesus, non utiq; subducens se populo ipsum desideranti, sed rebus magnis se paraturus & subuecturus animos suorum à terra in consideratio-

Pascha. nem cœlestium. Instabat autem siue in proximo erat dies festus Iudæorũ, quo memoriam isti peragebant beneficiorum dei olim in Aegypto acceptorum. Ipse uero Iesus, qui hoc constituto tempore uires suas promit, indicat se uerum esse agnum paschalẽ, cuius cruor fidelibus spiritualiter aspersus liberet ab angelo percutiente. Idem ille agnus est cibus animarum nostrarum, qui fide comestus seruat.

Cum sustulisset ergo oculos Iesus, & uidisset quod multa turba uenisset ad se, dicit ad Philippum, Vnde sumemus panem ut edant isti? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; pusillum quidpiam accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ipsius Andreas frater Simonis Petri, Est puer unus hic qui habet quinq; panes ordeaceos & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos?

Nec diu populi mentem auidam & spem intentam fallit, frustrat aut suspẽdit. Simul enim atq; uidit turbam hominum innumeram, incipit discipulorum men-

Dominus præparat ad fidem mentes suorũ. tes ad fidem præparare miraculi siue beneficij, quod populo præstare cupit. Ante omnia enim diligenter percontando de cibarijs, euincit cibariorum summam esse inopiam: unde mox ipsi colligerent miraculose & potentia dei maxima pasti esse tam frequentem turbam: præsertim cum discipuli duo Philippus & Andreas existimarent nullam supereſſe rationem qua cibus tot hominum millibus comparari queat. Ille enim, Si ducentis denarijs, inquit, emamus panes, uix minutula portio cuilibet erogari poterit, tantum abest ut diutina inedia famelici exaturari queant. De Denarijs annotaui quædam in Matth. Efficiunt ducenti denarij supputatore Budæo coronatos Francicos 20. libras Tigurinas 60. & paulò plus. Hic uero indicato puero quodam qui habeat quinq; panes ordeaceos, & pisces duos, sed addit, Sed quid tantulum ad tantam multitudinem tam diu fame diuexatam? Hæc ergo miraculi fidem & amplificant & extollunt. Porrò sollicitus est de nobis dominus priusquam quicquam postulemus ab eo. Nam in præsenti prior interrogat de panibus, neq; rogatus, sed sua sponte & benignitate pascit sequentes doctrinã uel prædicationem eius.

Dixit autem Iesus, Facite ut homines discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero fermè quinquies mille. Accepit autem panes Iesus, cumq; gratias egisset distribuit discipulis, discipuli uero discumbentibus. Similiter ex piscibus quantum uolebat.

Benefacit populo Christus. Hactenus mentes suorum parauit ad miraculum, iam ipsum edit. Est autem hoc alterum illud insigne & publicum quidem domini miraculum siue beneficiũ populo benigne præstitum. Exhibet enim epulum populo uniuerso munificum & plane regiũ. Quo beneficio quid significarit aut ecclesiam docere uoluerit, patebit in fine historiæ cum populus conclamat, Hic est uere propheta ille. Vniuer-

sam

ſam hanc hiſtoriam paulò fuſius expoſui apud Matth. in 14. cap. quo nomine hic breuior ſum, inde copioſiora petas licebit. Quantum uolebat particula refertur ad dominum. Nam pro omnipotentia ſua & pro arbitratu ſuo, quantumcũq; turbæ credebat ſufficere, augebat piſciculos, creſcebatq; inter diuidendum opſonium. Id quod euidentiſſimum eſt diuinitatis Chriſti teſtimonium.

Vt autem impleti ſunt, dicit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperfuerũt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus ordeaceis quæ ſuperfuerant his qui comederant.

Pertinet etiam hoc ad miraculi cõmendationem, atq; demonſtrationem, quod opera domini Ieſu & beneficia eius perfectiſſima ſunt. Diues eſt dominus, & diuitias ſuas ſuis abundantiſſime communicat, adeo ut his multum etiam ſuperſit.

Illi ergo homines cum uidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant, Hic eſt uere propheta ille, qui uenturus eſt in mundum.

Hæc clauſula uſum & fructum indicat hiſtoriæ. Declarauit dominus hoc ſigno ſiue miraculo, ſe uerum illum in Moſe Deute. 18. promiſſum eſſe prophetam, id eſt Meſſiam, qui ut omnia uiuentia alit, ita hominem præcipue conſeruat, corpus ipſius nutriens & animam exatians. De qua re paulò poſt plura ſequentur. Reliqua pete è Matthæi cap. 14. *Chriſtus eſt uerus ille propheta.*

Ieſus ergo cum cognouiſſet quod uenturi eſſent, ac rapturi ipſum, ut facerent ipſum regem, ſeceſſit iterum in montem ipſe ſolus.

Paraphraſtes hunc locũ eleganter explicans, dicit, Porrò qui ſaturati fuerant cœperunt magnifice prædicare de Ieſu, dicentes, Hic eſt uere propheta ille iam diu expectatus qui uenturus erat in mundum. Hoc eſt plebis ingeniũ: citius ſentit uentris quàm mentis beneficium. Viderant maiora miracula, nec tamen unquam tam magnificum elogium illi tribuerunt. Saturitas hanc uocem extorquere potuit. Iamq;, ut erant rudes adhuc & craſſi, Meſſiam in hoc expectantes ut regnum mundanum ſibi uendicaret, conſultarũt inter ſeſe ut Ieſum raperent, ſibiq; regem conſtituerent, ubertatem rerum, annonæ copiam, opes, uoluptates & gloriam mundi, libertatem, cæteraq; huius mundi cõmoda ſibi pollicentes, ſi talis rex contigiſſet. Ieſus autem qui longe aliud regnum ambiebat, quiq; in hoc uenerat ut nos doceret opes, uoluptates & gloriam mundi contemnere, non ignarus quid agitarent, rurſus ſubduxit ſeſe in montem, unde paſturus eos deſcenderat. Subduxit autem ſeſe ſolus clanculum, ſic ut non ſentiretur aufugiſſe. Ad regnum uocantibus furtim ſubduxit ſeſe, ad crucem rapientibus ultrò occurrit, euidens exemplar exhibens his qui uices ipſius eſſent geſturi. Non enim poteſt ſyncere diſpenſare ſermonem euangelicum quiſquis amat regnum & gloriam apud homines: quæ adeo non ſunt affectanda paſtoribus, ut etiam ſi ultrò deferãtur, fugere oporteat. Non enim conuenit regno cœlorum cum regno mundi, non profecto magis quàm luci cum tenebris. Tantum ille. Proinde multa his traduntur nobis egregia dogmata, Vulgus ferè in euangelica diſpenſatione uentris quærere negotiũ, quod ubi ſuccedit pro uoto, amplificas de euangelio uoces iactari: probra & conuitia exaudiri ubi aliquid acerbius eſt ferendũ. Chriſtus ut non uenit regnaturus more regum huius ſæculi, ita non confert uoluptates & commoditates temporales, ſed æterna bona. Chriſtus rex eſt fidelium, uerum non regnat in terris more regum *Fugit Chriſtus ne fiat rex.* *Chriſtus rex et regnum eius.*

huius sæculi, habens metropolim, exercitus, aulicos, & alia impedimenta regum. Christus rex est cœlestis, è cœlo uidelicet regnans super omnẽ terram, & super omnes homines, habens omnis generis & ordinis subditos, reges, principes & populos, qui ipsi pro sua quisq; uocatione seruiunt. His dominatur, hos fouet & regit. Tandem cultores suos ad se transfert in regnum patris ac suum æternum, &c. Tyranni & nebulones sunt impudentissimi, qui se ꝓpter priuilegia à Christo donata concessaq; clamitant Christi esse uicarios, pulsisq; principibus & regibus sibi regna usurpant terrena. Ambitio & libido dominandi multos oppressit in hoc sæculo: ergo dominus suo exemplo humilitatem docet, ac dominandi contemptũ. Potuisset sanè populi promptitudine uti ad gloriam suam, uerum potior ipsi erat gloria dei. Ne ergo abutamur cuiusquam insania aut stultitia denicq; promptitudine ad emolumentum nostrum. In monte orauit haud dubie, qui frequentissime cum deo patre colloqui solebat.

At ubi iam uespera esset, descenderũt discipuli eius ad mare, & cõscensa naui, uenerũt traiecto mari ad oppidũ Capernaũ. Iamq; tenebræ erant, nec uenerat ad eos Iesus. Mare autem uento magno flante intumescebat. Cum remigassent ergo fermè stadia uigintiquinq; aut triginta, uident Iesum ambulantem super mare, & appropinquantem naui, ac timuerunt. Ille autem dicit eis, Ego sum, nolite timere. Voluerũt ergo eum recipere in nauim, & ilico nauis appulerat terræ ad quam ibant.

Christus potest opitulari in tempore necessitatis.

Nouum quoddam designans miraculũ dominus, nouo beneficio suo locupletat. Hoc declarat se dominum esse maris maxime barbari elementi, adeoq; uniuersorum deum uerũ, qui possit opitulari in tempore necessitatis. Inambulat ergo fluctibus ceu aridæ. Adit suos & eripit ipsos à malis undiq; ingruentibus, ea re maxime regem se populi sui esse declarans. Regũ enim est suos asserere atq; tueri. Duo ergo hinc loci ducuntur. Alter, In omnibus periculis confugiendum esse ad dominum uniuersorum. Alter, Dominũ perpetuo adesse suis periclitantibus, & opem ferre opportunam. Plura annotaui in hanc historiam dum exponerem Matthæi cap. 14. inde plura require. Stadium, inquit Plinius lib. 2. cap. 23. centum uiginti quinq; nostros efficit passus, pedes 625.

Stadium.

Postero die turba quæ stabat trans mare, ut uidit quod nauicula alia non esset ibi, nisi una illa in quã ingressi fuerant discipuli eius, & quod nõ introisset cum discipulis suis Iesus in nauiculã, sed soli discipuli eius abissent: aliæ uero superuenerunt nauiculæ à Tiberiade iuxta locum ubi comederant panẽ, posteaquam gratias egisset dominus. Cum ergo uidisset turba quod Iesus non esset ibi, neq; discipuli eius, ascenderũt & ipsi in nauiculas, & uenerunt Capernaum quærentes Iesum.

Occasio subiecti sermonis.

Paulatim descendit ad occasiones propiores diuinissimi illius sermonis quem habuit in schola Capernaitica dominus, de summa & cõpendio religionis nostræ, nempe quod ipse uerus dei filius cœlitus orbi sit missus à patre, ut totum uiuificet genus humanum, cuius quidem uiuificationis participes sint credentes in ipsum. Est autem in contextu huius loci prælongũ hyperbaton, quod uix post lineas aliquot hisce absoluitur uerbis, Cum ergo uidisset turba quod Iesus nõ esset ibi, &c. Quod cõmemorat turbam uidisse nullã illic fuisse nauim præter unam qua transmiserant

miſerant apoſtoli, quos cum à littore ſoluere uiderit, certum habuerit Ieſum eam nauim nõ fuiſſe ingreſſum, facit ad cõmendationem eius miraculi quod aquæ inambulauit dominus. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, Omnis turba dabat teſtimonium, Chriſtũ abſq; nauicula lacum tranſiſſe, unde & admiratione maxima capiebatur. Rurſus ne quis interrogaret quomodo turbæ tranſmiſſo lacu peruenerint Capernaũ, admonet Ioannes, à Tiberiade aduectas eſſe aliquot naues, quibus impoſiti tranſierint. Iterum uero repetit dominũ in deſignando miraculo & augendis panibus egiſſe gratias, nimirum ut domini exemplum ſanctiſſimum altiſſime nobis inculcaretur, ſemperq; deo pro acceptis beneficijs ageremus gratias.

Et cũ inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc uenisti? Reſpondit eis Ieſus, & dixit, Amen amen dico uobis, quæritis me, non quia uidiſtis ſigna, ſed quia comediſtis de panibus, & ſaturati eſtis. Operemini non cibũ qui perit, ſed qui permanet in uitam æternã: quem filius hominis dabit uobis. Hunc enim pater conſignauit deus.

Hanc quæſtionem non ſine adulatione proponunt, ſubindicantes ſcilicet non nihil ſe ſuſpicari de nouo illo ſuo modo traijciendi. At dominus ne uideretur recipere adulatores, autoſtentare uirtutem ſuam, nihil ad ea reſpondet, utpote humilis, & nihil curans populi applauſum. Conuertit autem ſermonẽ totum ad ea quæ putauit longe utiliora & magis eſſe neceſſaria. Affectum enim multitudinis non ſolũ inconſtantem, ſed craſſum quoq; minimeq; dignum doctrina euangelica corrigit obiurgatione ſatis ſeuera, oſtendens illos accedere ac inſequi non animo erga doctrinam pietatis ſyncero, neq; fide in Ieſum integra. Quo autẽ plus fidei inueniret apud omnes eius oratio, incipit protinus ab obteſtatione ſiue iureiurando dicens, Profecto certum & indubitatũ eſt uos parum ſynceris me conſequi pectoribus ac adhærere mihi. Deſignaui hactenus ſtupenda aliquot miracula, quibus ueſtros animos ad ſublimiora ſubuehere uolui, ut à me peteretis cœleſtia & perpetua bona, quem cerneretis omnium bonorum eſſe potentiſſimũ, ditiſſimũ & munificentiſſimum largitorem: cæterum uideo uos heſterna ſaturitate magis cõmoueri quàm ullis quantumuis admiranda uirtute diuinis facinoribus. Siquidẽ non cupitis erudiri, non deſideratis cibo ſatiari diuino & cœleſti: uenter potiſſimũ uobis curæ eſt, uentrem colitis, uentri in primis proſpectum cupitis. Id quod non modo turpe & fœdum eſt, ſed impium inſuper, cœleſtibus uidelicet theſauris & bonis æternis procaciter præteritis atque contemptis, ſumma cura & diligentia uenari ſaburram uentris putidi. Sic inquã grauiſſime accuſat inſyncerum auditorum ſuorũ affectũ, ueluti ex contrario ſignificans qua mente, quoũe propoſito ad doctrinam pietatis accedere oporteat, ſimplici nimirum, probo, puro, id eſt defecato à prauis cupiditatibus, auaritia, crapula, ſuperbia, otio, ambitione, luxu, rixandi libidine, & reliquis id generis affectibus corruptiſſimis. Quærenda itaq; in doctrina pietatis, & apud Chriſtum dominum iuſtificatio, innocentia, pietas, humanitas & uita ſempiterna: id quod ipſe dominus mox ſignificantiſſime docebit. Apud Lucam in 14. cap. indignos ſe conuiuio reddunt, qui pluris faciunt uillam, boum iuga & nuptias, quàm dei uocationẽ. Beatus Cyrillus lib. in Ioan. 3. cap. 27. Hinc, inquit, eccleſiæ præſules diſcant non decipi ſuauitate uerborum & aſſentatiunculis, quibus plerũq; utuntur oẽs qui non recte de fide Chriſti ſentiũt. Non enim oportet ſilentium de ignorantia ſua tanquam in mercedem laudis, qua ab illis afficimur, ſibi retribuere. Arguendi enim ſunt, ut & ipſi ſe ad melius tranſ-

Adulatores nõ recipit Chriſtus.

Obiurgat craſſitiem hominũ dominus.

Quomodo accedamus ad doctrinam pietatis.

ferant, & alij exemplo eorum firmentur, ut est apud Paulum, Peccantes, inquit, in conspectu omnium argue, ut etiam reliqui timeant. Discant item doctores ecclesiastici ante omnia auditoribus eximere sententias prauas & noxias, deinde uero instillare bonas & orthodoxas. Perditur enim uinum etiam præstantissimũ si immundis & fœtentibus infundatur uasculis.

Quid quærendum apud Christum.

Iam ne quis ignoraret quid quæreret apud Christum, & quo cõuertamus omne studium nostrum, præueniens dicit, Operemini non cibum qui perit, &c. Quærenda est utiq; apud Christum & in doctrina euangelij sanctificatio, iustitia, uita et immortalitas, nõ autem quærenda sunt peritura & mundana, quæ instabilia sunt, incerta & fallacia. Manet interim dominus in eodem sermonis genere eadem inhærens allegoria. Orationẽ enim ducit à uisibilibus & corporalibus ad inuisibilia & spiritualia, à cibo & alimento corporis ad animæ cibum. Operemini, ait, non cibum qui perit, quod Germanice sic poterit significantissime reddi, Werbend vnd stellend nit der spyß nach die verdirbt. Id est, omnem curam uestram conuertite non ad eum quidem cibum parandum qui sumptus cõcoctione perit ac egeritur: eum potius omni studio comparemus nobis qui spiritualiter reficiens, uiuificans atq; conseruans, ad uitam æternam perducit. Sed quis obsecro hic cibus est? Hoc iterũ manifestissime explicans ipse dominus respondet, Quẽ filius hominis dabit uobis. Dedit autem seipsum nobis in cibũ uitæ: ergo ipse dominus Iesus est cibus cõseruans in uitam æternam. Id quod cõsequentibus copiosissime docebit. Operabimur itaq; cibum nunquam periturũ, quando omnes uires animi in hoc intendimus ut Christus fiat noster, uiuat in nobis & nos in ipso. Proinde uita apud Christũ & in Christo est quærenda. Addit dominus quod hæc confirmet & amplificet, Hunc enim pater consignauit deus. Id est, Deus pater, qui mentiri & fallere nequit, hunc filiũ suum uoluit esse cibum uiuificum. Emphasim autẽ habet quod dixit, Obsignauit, ἀπεφράγισεν. Obsignamus enim quę uolumus esse certę et indubitatę fidei. Ergo obsignauit, cũ testimonijs & uirtutibus diuinis manifestissime declarauit adeoq; confirmauit mundo, hunc esse filiũ sibi dilectũ, per quem saluetur mundus. Hoc uult esse apud omnes certũ, confirmatũ & indubitatũ, ceu literis siue tabulis, quod dici solet, atq; sigillo roboratũ. Sensus itaq; est, Cibũ uiuificũ ego uobis suppeditabo, uidelicet meipsum. Nec est quod hic quicquam addubitetis. Nam pater meus cœlestis certissime & fide indubitata uult me esse huiusmodi cibum ac salutem totius mundi: id quod multis & irrefragabilibus in diem argumentis demonstrat. Beatus Cyrillus obsignationem illam pluribus libro in Ioannem tertio, cap. 29. sic exposuit. Dominus dicit à filio hominis hunc cibum qui ad uitam nutrit æternam datum iri: & statim subiecit à deo patre seipsum esse signatũ. Signari autẽ aut pro ungi posuit: signabatur enim qui ungebatur: aut naturaliter ad formam patris (ut ita dicã) se esse formatũ, signationis nomine denotauit. Hoc enim dicere uidetur, Non est mihi difficile permanentẽ cibum uobis largiri, quo ad æternæ uitæ inauditas delicias deducamini. Nam & si homo sum ut unus uestrũ, unctus tamẽ à deo patre signatusq; sum ad incõmutabilẽ eius identitatẽ. Nam ego in patre, & pater in me naturaliter cernimur. Quare quamuis ꝓpter uos per ineffabilem dispensationis rationẽ, homo ex muliere factus sim, eam tamen uirtutẽ habeo qua possum oĩa ut deus efficere. Nec ullo modo uirtus mea minor est quàm patris: unde si spiritualẽ cibum, & ad uitam æternã conducentẽ pater nobis præstare potest, potest similiter & filius. Et cętera. S. Augustꝰ. Tract. in Ioã. 25. de obsignatiõe illa sic scribit,

Christus seipsum offert in cibum.

Obsignare.

Signare quid est, nisi propriũ aliquid ponere? Hoc est enim signare, imponere aliquid quod non cõfundatur cũ cæteris. Signare, est signũ rei ponere. Cuicunq; rei

ponis

ponis signum, ideo ponis signum, ne confusa cum alijs à te non possit agnosci. Pater ergo eum signauit. Quid est signauit? Proprium quiddã dedit ne cæteris comparetur hominibus. Ideo de illo dictum est, Vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Ergo signare quid est? Exceptum habere, hoc est præ participibus tuis. Itaq; nolite, inquit, me contemnere, quia filius sum hominis: & quærite à me cibum qui non perit, sed permanet in uitam æternã. Sic enim filius hominis sum, ut non sim unus ex uobis: sic sum filius hominis, ut pater deus me signaret. Quid est signaret? Proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum. Has sententias expendat Lector diligenti trutina, & retineat simpliciorem.

Scopus & propositio totius sermonis domini.

Vt autem omnia colligam denuo in breuem summam, Iesus Christus est uiuificus animæ cibus, saturans & conseruans in uitam æternam. Quod si is cibus est, elaborandũ erit nobis ut ipsum edamus, id est per fidẽ eo participemus, & ipsum faciamus nostrum. Atq; hic scopus est, hæc propositio totius cõcionis siue disputationis præsentis, ad quam referre oportet, ceu ad statum totius orationis, quæcũq; sequuntur. Absoluitur oratio siue disputatio domini tribus ferè partibus, aut quatuor propemodum: sicut in contextu & expositione patebit. Modũ in tradendo, docendo, siue disputando sequitur maxime uulgarem & popularem. Nam similia producit à rebus maxime cognitis, ab esu & potu, quorum imagine res spirituales crassius adumbrat: sed & dialogi ferè speciem habet tota disputatio. At euidenter & luculenter docemus dialogis: quo nomine antiquissimis philosophis admodũ usitati fuerunt.

Dixerũt ergo ad eum, Quid facimus ut operemur opera dei? Respondit Iesus, & dixit eis, Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille.

Significantius propositionem exponit.

Proposuit dominus superiore sententia, Operemini non cibum, &c. totius ueræ pietatis & salutis summã. Perinde enim est quod ijs significauit uerbis, ac si dixisset, Credite in me, ut uiuatis æternũ: quia uero obduxerat uerba allegoria quadam, petita è proximo colloquio, instituto de saturitate & manducatione superioris diei, atq; iccirco non plene intellexissent dominum quid Operandi uocabulo significarat, inde occasionem interrogandi petentes, dicunt, Iubes nos operari, cupimus ergo audire quid operari oporteat quo deo fiamus accepti? S. Cyrillus putauit illam quæstionem ex contemptu esse prolatam. Quasi dixerint, Sufficiunt nobis præcepta Mosis quæ omnia in se continent opera bona: ergo quæ bona opera nobis recensebis, quæ non sint à Mose expressa atq; cõprehensa in lege? Certe dominus ita respondet ad illorum quæstionem, ut & superius ac ignotum loquutionis genus, Operemini cibum, &c. luculenter exponat, & statũ totæ disputationi præfigat. Sensus responsionis domini hic est, Misit me pater in mundum ut morte mea uiuificem credentes: unicum ergo opus dei, unicum dei consiliũ est, ut credatis in illum quem ipse misit. Saluum ille uult mundũ, atq; ideo misit filiũ: saluatur mundus si credat patri per filiũ, uult ergo pater ut mundus credat in filiũ, atq; ita oblatã in filio recipiat salutẽ. Nam fide recipitur salus, fide noster fit Christus. Eleganter ergo S. Augustinus hunc locũ exponens Tract. in Ioan. 25. scribit, Dixerũt ad eũ, Quid faciemus ut operemur opa dei? Dixerat enim illis, Opamini escã nõ quę perit, sed quę permanet in uitã. Quid faciemus, inquiũt, quid obseruando hoc præceptũ implere poterimus? Respõdit Iesus, et dixit eis, Hoc est opus dei, ut credatis in eum quẽ misit ille. Hoc est ergo manducare cibũ qui non perit, sed qui permanet in uitam æternam. Vt quid paras dentem & uentrem? Crede & manducasti.

Fides quomodo opus.

Hæc Augustinus. De fide uero non semel iam dixi cum in Matthæũ scribens, tum in præcedentia Ioan. cap. Nec est ut multis porrò disputemus de fide an sit opus hominis. Nam per Mimesim & ex occasione præcedentium uerborũ uocat opus. Illi enim dixerant, Quid facimus, ut operemur opera dei? Dominus ergo, Hoc, inquit, est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Præterea obseruandum est quod dominus non dicit absolute & nude, Hoc est opus, sed addit dei. Fides enim donum dei, adeoq; opus dei est quo ille operatur in nobis, efficitq; ut bona operemur opera. Quo arbitror S. Augustinum respexisse, qui dicit, Noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus dei. Ipsa est enim quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, Hoc est opus uestrum, sed hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille: ut qui gloriatur in domino glorietur. Beatus Cyrillus putat operis uocabulum uelut ex antithesi & oppositione sic esse inculcatum. Cum enim illi, inquit, doctrinam saluatoris impie spernentes satisq; sibi ad sciendum opus dei legem Moseos esse putantes dicerent, Quid facimus ut operemur opus dei? commode longe à uero cultu dei esse eos subaperit, nihilq; scire ipsos docet: quia literæ inhærentes figurarum atq; umbrarum non ueritatis pleniſſimi sint, ita significanter fidei fructum à legali cultu disseparans, dicit, Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Hoc est, inquit, opus dei, non illud quod uos putatis, umbras solummodo legis atq; figuras respicientes. Non est opus dei quod putatis, sed illud ut credatis in eum quem misit ille. Fides enim salutem affert, & gratia iustificat, mandata uero legis condemnant magis. Opus igitur dei fides in Christum est, quare doctrinæ suæ non umbræ legis inhærendum est. Hæc ille lib. in Ioan. 3. cap. 31. Est autem hæc propositio (quod sæpius repetendum uidetur) totius disputationis Christi domini status, ad quem omnia referre oportet. Neglecto aut non unice obseruato scopo differere, est insanire, & inania profundere uerba.

Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis signum, ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, Panem de cœlo dedit eis ad edendum. Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico uobis, nõ Moses dedit uobis illum panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panẽ de cœlo uerum. Panis enim dei est qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo.

Postulant signũ quo approbet se missum à deo saluatorem.

Intellexit turba quod fidem ab eis postulasset, ac diceret, se orbi datum à deo patre ut credentes in ipsum haberent uitam æternam: tale ergo quiddam obiiciunt, Magnifica quidem de te prædicas Iesu, quasi uidelicet in orbem è cœlo missus sis ad seruandum & redimendum genus mortalium. Quod si is es qui uideri ac haberi cupis, demonstra id nobis aliquot cœlestibus signis, quibus ceu irrefragabilibus conuicti argumentis tutò iam te recipiamus, & tibi tanquam dei filio ac saluatori orbis credamus. Non dices, opinamur, postulationẽ nostrã esse superuacaneam, cum non ignores eum esse dei morem ut prophetas quos mittit editis commendet signis. Exemplum sit Moses, qui editis signis multiplicibus declarauit se missum uenire à deo: præcipue uero pauit ille ingentem populi multitudinem, nempe patres nostros in deserto, de cœlo iubens depluere manna. Nosti enim quid legatur in Psalmo 78. Exodi 16. & Numeri 11. Inde autem sic colligere uolunt dominum, Si itaque tu quoque nos satiaueris, credemus te nobis à deo missum uenire. Vbi obseruanda uidetur admiranda carnis uafricies, mirifice

Carnis ingenium.

suos

suos affectus ingerentis. Extabant multa & memoranda signa Mosis, sed nullum his occurrit, nisi illud quod faciebat ad farciendum uentrem. Nam oratio uere speculum animi esse dicitur. At his erat pro animo uenter, unde de cibo potissimum contexitur oratio. Et tamen fœdæ huic cupiditati prætexunt fortitudinem atque constantiam quandam. Quasi dicant, Non absq; nota leuitatis atque inconstantiæ crederemus tibi, qui nondum editis aliquot miraculis missionem tuam nobis approbaueris. Dominus non nescius quàm turpes essent illorum affectus, nihil respondet ad signum postulatum: partim quod non uenerat ut uentres expleret famelicorum, ludos item exhiberet, & uelut histrionicam curiosis exerceret: quo nomine & Herodi nihil respondit: partim quod manifestius esset signum pridie toti populo exhibitum, quàm multis uideretur repetendum. Probarat dominus eo signo se illum esse prophetam, quem hactenus expectarant patres. Et illi ipsi qui signum in præsenti postulant, confessi tunc fuerant ueritatem, quam nunc uertunt in dubium. Dixerant enim, Hic est uere propheta ille qui uenturus erat in mundum. Proinde dissimulata plebis ruditate, ingratitudine & inconstantia, imò malitia, conatur ipsam pura simplicitate perducere in ueram ac plenam cognitionem mysterij fidei. Ac tria quidem agit in responsione sua. Principio negat se quic quam in præsentiarum loqui de tali cibo qualem Moses, deo authore, suppeditauit populo agenti in deserto. Dedit enim corporalem cibum: qui corpora alebat non animos, uitam conseruans animalem, nil conferens uitæ spirituali. Neq; è cœlo is uenerat, sed ex aëre depluebat. Quemadmodum itaque aues in aëre uiuentes, aues cœli, id est aëricolæ, dicuntur, ita Manna appellatus est panis cœlestis, ac imaginem quandam ueri panis cœlestis filij inquam dei habuit. Verissime itaque ipsam uobis ueritatem dico, ait dominus, Mosen non dedisse uobis aut patribus uestris panem illum de cœlo, illum inquam de quo ego loquor in præsenti. Deinde clarissime indicat quis det panem illum, de quo ipse loquitur, solus utiq; pater, Sed pater meus, inquit, dat uobis panem de cœlo uerum. Pater ex sua substantia genuit sibi per omnia similem & æqualem filium ab æterno. Hic uerus panis est. Hunc è cœlo misit in terras, pro salute hominum perficienda. Nulla itaq; creatura potest uerum uitæ panem dare hominibus. Postremo planius & plenius explicans quod modo dixerat de pane, subdit, Panis enim dei est qui de cœlo descēdit, & dat uitam mundo. Id est, Is qui de cœlo descendit, qui cœlitus inquam missus uenit in terras, incarnatus è spiritu sancto & natus ex Maria uirgine, is est panis ille dei, cibus à deo datus hominibus. Sed in quem finem? Cur descendit de cœlo, & cur dicitur filius dei panis? Sequitur, Et dat uitam mundo. Descendit è cœlo, & incarnatus est filius dei, ut uitam amissam recuperaret, non sibi quidem qui non carebat uita, sed mundo qui in peccatis erat mortuus. Panis dicitur filius dei: non quod sit panis triticeus, ordeaceus, siligineus: substantia enim sua atq; natura deus est ac homo. Dicitur tamen panis ob effectum. Quis enim nesciat Panē Hebræis ac sacris literis dici omnem cibum & sustentationem? Est autem Cibus pro diuersitate naturarum hominis duplicis generis. Est cibus corporis: est & animæ cibus. Ex uisibili & corporali colligimus qualis sit cibus animæ. Visibilis cibus sustinet uitā, confortat membra ad laborem & operationē. Si desit cibus homini, adeo nō laborandi habebit facultatē, ut ne uiuere quidē diutius possint. Christus porrò animæ cibus est, ergo sustinet & in uita conseruat animā ne morte uidelicet secunda pereat, uiuificatur ergo per Christū homo & uegetatur atq; roboratur ad opa bona perficienda. Quod si aīa careat Christo (Caret cum hic per fidē non uiuit in corde hominis) neq; uiuere neq; bene operari poterit. Sic inquā Christus est panis

Moses non dedit illum cibum quem promittit Christus.

Pater dat cibū uitæ.

Christus Iesus est ille cibus uitæ.

Quare Christus dicatur panis uel cibus.

uitæ: quia ſicut panis ſuſtinet uitam corporis, & roborat membra: ita Chriſtus uitã dat mundo, id eſt hoibus ex mundo recipientibus fide dominũ. Moſes pauerat in deſerto certum hominũ numerum: Chriſtus paſcit totum mundũ, id eſt ex Iudæis & Gentibus credentes quoſq;. Mundi ergo uocabulũ in præſenti emphaſim ſuam habet. Ex iſtis uero omnibus colligimus per Panem perpetuo intelligendam eſſe in hac diſputatione, non panem aliquem corporeũ, ſed uim conſeruandi & uegetandi adeoq; ipſam fidelium in fide per Chriſtum conſeruationem & uitam.

Dixerunt ergo ad eum, Domine, ſemper da nobis panem iſtum. Dixit autem eis Ieſus, Ego ſum panis ille uitæ: qui uenit ad me non eſuriet: & qui credit in me non ſitiet unquã. Sed dixi uobis quod etiam uidiſtis me, nec creditis.

Iudæi ſomniant perpetuo panẽ corporeum.

Iudæi perpetuo ſui ſimiles imaginantur panem ſiue cibum corporeum, fameliciq; uentrem ſibi cupientes impleri, petunt à domino præſtantiſſimum illum panem dari, qui toto ſufficiat mundo pleniſſime ſaturando, magnifica uidelicet ſpe ſuffulti omnibus ſe laboribus ſemel ſubleuandos fore. Tale quiddam & Samaritana ſomnians, dum dominus de ſpirituali loqueretur refectione, Domine, inquit, da mihi aquam iſtam ut non ſitiam, neq; ueniam huc ad hauriendum. Talia ſunt uidelicet non renatorum ingenia & uota. At dominus tanta hominum craſſitie & ruditate commotus, ipſo ſole illuſtrius ſuam ſententiam explicans, primo manifeſte oſtendit quis ſit ille panis de quo loquatur, & quid per panem intelligamus. Ego, inquit, ſum panis ille uitæ, de quo uidelicet iam dixi, Panis enim dei eſt qui de cœlo deſcendit, & dat uitam mundo. Nam Chriſtus Ieſus dominus noſter naturalis eſt dei filius, ergo & naturaliter uita. Deſcendit autem de cœlo, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria uirgine, ut ſcilicet uitam cõmunicaret credentibus

Quomodo edatur panis uitæ.

ſuis. Deinde pluribus exponit quomodo panis hic edatur, fiatq; uitalis, ſuſtineat, roboret atq; uere conſeruet animam, dicens, Qui uenit ad me non eſuriet. Dixiſſet, Qui edit me non eſuriet. Relationem enim ad inuicem habent Edere & non eſurire: ſed maluit uti uerbo Venire, quod eſt accedere, aſſentiri, firmiter recipere ac credere. Et poſt aliquot ſententias ipſe dominus, Omnis, inquit, qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me: id eſt recipit me & credit in me. Item apud Matthæũ, Venite ad me omnes, ait, qui laboratis & onerati eſtis, & ego uos reficiam. Paulus certe, Oportet, inquit, accedentem credere. Veniebant quidem multi pedibus ad dominum Ieſum, à quo animis erant diſiunctiſſimi: atq; his nihil profuit acceſſus ad dominum. Multo plures corporibus ad Chriſtum nunquam peruenerunt, animis tamen ipſi fuerunt coniunctiſſimi, atq; his plurimum profuit ſpiritualis acceſſus ad dominum, ipſa inquam fides in dominum Ieſum. Colligimus hinc uenire edere & credere uſurpari in hac diſputatione pro eodem. Sed audiamus quem ex-

Edere & Bibere eſt credere.

pectemus fructum ex fide. Qui uenit ad me, ait, non eſuriet. Satiat ergo fides in Chriſtum, purgat, expiat, iuſtificat, uiuificat & abſoluit, id eſt participes nos facit Chriſti, qui eſt iuſtitia, uita & redemptio noſtra, poſt quem nihil poteſt deſiderare fidelis anima, cum in uno omnia habeat iuſtitiæ uitæ & beatitudinis. Eandẽ rem aliis uerbis & quodammodo ſignificantioribus denuo exponens dominus addit, Et qui credit in me, nõ ſitiet unquam. Dixiſſet hic iterum, Qui bibit me, non ſitiet unquam. Nam relationem ad inuicem habent Bibere & non ſitire: uerum maluit uti uocabulo Credere, quo clauem nobis præberet allegoriam totius orationis ſuę reſerandi & rectius iudicandi de tota illa diſputatione ſua. Habent hic reſponſionem qui clamant, An defuerunt uerba ſaluatori quibus explicaſſet animi ſui ſententiam,

tentiam, ſiquidem ita ſenſiſſet, ſicut ipſum ſenſiſſe contendunt noui iſti ſcripturarum expoſitores, pro edere ſiue manducare nobis reponentes credere? Reſpondemus enim domino nunquam defuiſſe uerba bona, dilucida & neceſſaria, itaq; dominum ipſum, non nos, in præſenti, repoſuiſſe pro bibere credere, nimirũ ut hinc totam diſputationem æſtimaremus.

Quærũt alij, Quare uero huiuſmodi figuris loquendi uſus eſt dominus, quare non citra omne inuolucrum uerborum & ſententiarum quod ſenſit ſimpliciter expreſſit? Ratio facilis & non uulgaris patet minime ignauis & non contentioſis hominibus. Cum enim oratio ueſtitur atq; ornatur allegoria, parabolis & ſimilibus ſchematis, non modo ſplendidior & auguſtior redditur, ſed & gratior atq; dilucidior ſiue planior. Collatione enim rerum & rectius & facilius ad ueram rerũ cognitionem penetramus. Nam ignotiora per notiora indagamus, & ad ſpiritualium rerum ſenſum per conſiderationem corporalium ceu fulcro eleuamur atque aſſurgimus. In præſentiarum itaq; uolens docere dominus quis ſit, & quare uenerit in mundum, quis inde ad nos redeat fructus, quomodo is à nobis percipiatur, & quæ ſit uirtus fidei, non potuit id nobis explicare melius ac uiuidius quàm per allegoriã cibi & potus. Vt enim cibus & potus uiuificat, roborat, & in opere conſeruat corpus hominis: ita uerbum incarnatum cibus & potus eſt animæ. Solus enim Chriſtus uiuificat, uegetat & in omni opere bono conſeruat. Nam ſolus dat ut bona & uelimus & faciamus opera: quemadmodũ paulò ante perſtrinxi. Rurſus Cibus quantumuis pretioſus ſit, & laute apparatus, nihil huius efficit in homine uiſus tantum aut etiam contactus, niſi hauriatur quoque & trañciatur in corpus. Sic neminem uiuificabit Chriſtus, nemini ſalutaris erit, in nemine ſuas uires exeret, ex eo quod Chriſtum audit, & uidet in prædicatione euangelij & ſancto ſacramentorum exercitio, niſi credat. Manducatione proprius fit cibus, trañcitur in corpus, digeritur & uirtute penetrat per corpus ſiue membra omnia, uires atq; uitam ſufficiens atque conſeruans. Itaque fide noſter fit dominus Ieſus, qui nos uiuificat, uires ac facultates ſufficit pie uiuendi. Dum enim uerbis & pollicitationibus eius credimus, ille ſe nobis impartit, ſuam nobis cõferens iuſtitiam ac uitam. Hoc autem diuiniſſimum fidei Chriſtiq; myſterium propoſuit nobis ſcriptura ſub inuolucro cibi & potus: quæ alibi quoq; tam ipſi Chriſto uiuenti in ſuis, quàm fidei ueræ, per quam Chriſtus uiuit in ſuis, uitam attribuit. Apertiſſime enim Paulus ex prophetis repetijt, Iuſtum fide ſua uiuere. Rurſus in Canonica ſua dicit Ioannes apoſtolus, Vita eſt in filio: qui filium habet, uitam habet. Vtrũq; rurſus aſſerens apoſtolus clamat, Viuo iam non ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Vitam autem quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei. Vita itaq; fidelium Chriſtus eſt, uita etiam fides eſt, nimirum propter Chriſtum. Id quod propter argutulos quoſdam indico fortaſſe operoſius, qui contendunt fidem eſſe inſtrumentũ uitam participandi, non uitam. Apoſtoli & prophetæ tanta acutie aut curioſitate non excuſſerunt cauſſarum locum, neq; acu & ſuperſtitione tanta differentias rerum diremerunt. Sed de his hactenus.

Quare dominus allegoria edendi & bibendi uſus ſit.

Chriſtus iuſtificat & item fides.

Redimus ad uerba Chriſti domini, quæ, ut ſummatim omnia complectamur, hunc habẽt ſenſum, Ieſus ut excuteret Iudæis ſomniũ cibi corporalis (uerbis utor Paraphraſtæ) apertius eis explicat ſe non loqui de pane qui dentibus manditur, & per gulam in ſtomachum traiectus corporis famem ad tempus ſedat, ſed de pane cœleſti qui eſt ſermo diuinus, aitq;, Ego ſum panis ille uitæ largitor æternæ: qui hunc eſuriens ad me uenerit, eumq; in animæ uiſcera per fidem traiecerit, nõ eſuriet rurſum, recurrente poſt ſaturitatem famis moleſtia, ſed permanebit in eo qui

sumpsit usq; in uitam æternã: & sermo meus fontem habet aquæ spiritualis, quæ per fidem hauritur animo non corpore. Itaq; qui credit in me, non solum non esuriet, uerum ne sitiet quidem in æternum. Non oris hiatu sumitur hic panis, sed animi credulitate. Tantum Paraphrastes. Memorabilis autem est hic euangelij locus, neque alius ullus euidentius euangelij mysterium explicat, atq; hic. Nam docet in solo dei filio esse uitam, & hanc fide nobiscum participari. Adijcit mox dominus per correctionis speciẽ, Sed dixi uobis, quod etiã uidistis me, nec creditis. Quod perinde est ac si dixisset, Sed quid frustra hæc tam multis & claris inculco uobis? Olim opprobraui uobis inuincibilem uestram incredulitatem, eandẽ etiam nunc in uobis experior. Tametsi enim heri uideritis atque senseritis beneficium ingens & signum stupendum, tametsi antea sæpe uideritis maiora præstantem, quàm si uos manna pauissem, permanetis tamen perpetuo in uestra incredulitate, unde & perpetua discrutiamini fame.

Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet: & eum qui uenerit ad me nõ eijcio foras. Quia descendi de cœlo, ut faciã non quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Hæc est aũt uoluntas eius qui misit me, patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Hæc est autẽ uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.

Vnde sit beneficium fidei.

Obiter indicat dominus unde sit beneficiũ fidei, de qua tanta prædicat, ex mero nimirum patris cœlestis dono, non ex uiribus hominis. Quicũq; enim filio dantur à patre, ueniunt ad filium. Dantur à patre qui illuminantur atq; docentur siue trahuntur, illi ueniunt ad filium, id est credũt. Ergo qui credunt, dei beneficio credunt: qui non credunt, non malignitate dei patris, sed ꝓpria malitia non credunt. Interim euidentissime demonstrat idem esse patris & filij consiliũ, eandem uoluntatem in saluando mundo, & quod pater non nisi per filium credentes seruare decreuerit: quæ demonstratio mirificam habet apud fideles consolationem, confirmans ualidissime fidem sanctorum, & extinguens ardentissima desperationis tela ex sinistra diuinæ prædestinationis intelligentia altius cordibus incussa mortalium.

Decretum dei ab æterno immobile.

Decretum dei patris firmum et immobile ab æterno illud est, quod per filium suum uult seruare credentes. Summus ergo in hoc est inter patrem et filium cõsensus, conspiratio seruandi sanctissima & indissolubilis. Vterq; hic strenue suas tutatur partes. Pater quos uult saluos fieri, filio dat, datos recipit filius. Dat autẽ pater cum uoluntates hominum impellit & cõmouet, uires & facultates sufficit credendi uerbo & miraculis domini. Recipit filius cum ueniẽtes ad se amice excipit, benigne fouet, sibi ipsi inserit. Id eloquitur per contrarium dicens, Et eum qui uenerit ad me non eijcio foras. Ratio horum, Quia eadẽ est uoluntas patris & mea in saluando mundo. Eum uero uoluntatis consensum effert nouo quodam orationis genere, magis spectans auditorum falsam de se conceptam opinionem, quàm ipsum uoluntatis suæ ingeniũ. De qua re superius etiam quædam annotauimus. Paraphrastes sententiam domini simplicissime referens dicit, In hoc ipsum descendi de cœlo, non ut faciam quod ipse uolo, uelut dissentiens à patre, sed quod uult pater qui misit me, à cuius uoluntate mea uoluntas non potest dissidere, cum sit eadem uoluntas. Iam ut toti mundo appareret quodnam sit consilium & decretũ patris & filij, quæ uoluntas dei, subijcit minime obscuram, sed omnibus modis illustrissimam sententiam, confirmantem & erigentem conscientias nostras, Hæc

est uo-

est uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi. Dati à patre sunt credentes in filium. Horum nullum uult perditum pater: uult ergo pater omnes credentes per Christum seruari, atq; ita seruari, ut resuscitet ipsos filius in nouissima die.

Nouissima dies, est extrema cuiusq; dies & hora illa fatalis qua è uiuis excedit. Resuscitat filius quando in ipso mortis articulo, gratia sua & uirtute diuina animas morientium in uita conseruat, neq; morte æterna extingui sinit. Itaq; uoluntas patris est, ut anima morientis pij & fidelis hominis per Christum uiuat, & in cœlos transferatur, non præcipitetur torquenda in æterna illa tormenta. Rursus nouissima dies est ultima illa iudicij dies, quo omnis caro iudicabitur. Resuscitat filius in illo die tam bonos quàm malos, restituens cuiq; suũ corpus, et suo cuiq; corpori suam animã, ac fideles resuscitat ad uitã & gaudia sempiterna: sicut dixi etiã in 5. cap. Itaq; uoluntas patris est, ut totus homo per Christum corpore & anima saluetur & uiuat in æternum. Eandem uero sententiam denuo repetit dominus quo singuli essemus de decreto & consilio dei æterno, deq; salute & bona erga nos patris uoluntate & filij uiuifica uirtute securiores, Hæc est, inquit, uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filiũ & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Principio patris uoluntas erga homines bona est, id quod missione filij approbauit. Deinde neminẽ repellit, nullã personam respicit, quisquis credit deo, acceptus est deo. Ideo enim usus est uocabulo Omnis. Præterea non uult saluare quemlibet, sed eum duntaxat qui uidet filium & credit in eum. Videt autem filium qui oculis mentis suæ ipsum perspicit, & mysterium eius intelligit, hinc etiam credit ei, acquiescit & sese totum conijcit in tutelam filij mortui pro fidelibus & exuscitati. Qui autem sic sese committunt filio & fidunt patris bonitati, ij iam habent uitam: sicuti declaraui in cap. 5. Sed & expositionis ac perspicuitatis gratia iterum adijcitur, Et ego suscitabo eum in nouissimo die, id est conseruabo animam eius in morte, & resuscitabo corpus ipsius in iudicio, totumq; inde ad me transferam, ut in cœlis mecum apud patrem æterna uita & felicitate fruatur. Hoc uidelicet est æternum dei decretum, hæc est inuiolabilis dei uoluntas. In his simus toti, hæc credamus pectore toto, in his acquiescamus, nihil curiosius disputantes de occultis dei iudicijs, de prædestinatione ipsius. Prædestinauit dominus omnes credentes per filium ad uitam. Ergo si credas, prædestinatus es, ac uiues per Christum. Neq; patere ut satan tibi scrupulum inijciat incredulitatis. Confide bonitati & misericordiæ dei patris, & clama cum apostolis, Adauge nobis domine fidem. Confirma mentem tuam splendidis his Christi pollicitationibus, Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, &c. Matth. 7. Atque hic locus euangelij saluberrimus & perspicacissimus, uidetur subinde à pijs esse repetẽdus, quo confirmentur ipsorum animæ magis magisq; in firma & solida fide.

Nouissima dies animæ & corporis.

Et hactenus proposita est altera pars huius disputationis, quæ mirum est quàm proprie relata sit ad scopum, subinde repetita propositione primaria. Scopus est, Operemini cibum qui non perit, &c. Expositio huius, Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Huc proprijssime retulit quæ subiecit reliqua omnia. In fine autem significantissime subiungit & colligit, Hæc est uolũtas patris, ut omnis qui credit in me, habeat uitã æternã. Summa ergo doctrinæ pietatis illa est, quod fide in Christum iustificamur. Et hoc est decretum illud dei ab æterno constitutũ. Hæc est bona & inuiolabilis dei uoluntas. Hæc est uera Christi euangelica, apostolica & orthodoxa doctrina: peruersissima & blasphema est doctrina quæ alijs rebus iustificationem & salutem tribuit, quàm unicæ per Christum fidei, uel unico

Summa omniũ quæ dicta sunt.

per fidem Christo domino uiuificanti sanctos in æternum. Habes hic aceruata & se inuicem comprehendentia, confirmantia atq; explicantia testimonia, proinde persistito in tam aperta & confirmata ueritate, nihil sollicitus de quorundam excerptis sententijs ac strophis à Christo & uera in Christum fide animum tuum abstrahentibus.

Murmurabãt ergo Iudæi de illo quod dixisset, Ego sum panis ille qui de cœlo descendi. Et dicebant, Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, De cœlo descẽdi?

Altercatio propter doctrinam fidei exorta.

Hactenus posuit fundamentum Christianæ fidei, quod subinde à pijs repetendum est, quo hæreat infixũ animis tenacius. Impetitur enim atq; impugnatur doctrina illa pietatis uarie & à multis hostibus. In præsenti mox exemplum ponitur, ex quo discamus quomodo afficiatur mundus erga prædicationẽ euangelij, Murmurabant, inquit, Iudæi, non tam apud seipsos cõmoti indignatione, quàm altercantes inter se, de illo quod dixerat dominus, Ego sum panis ille qui de cœlo descendi. Erant enim haud dubie boni & fideles multi qui adhærebant firma fide domino: quos impugnabant, quibus potior erat error & mundi deceptio. Incredulitas enim & superbia murmuris erat causa. Siquidem non credebant Iesum esse Christum dei uiui filium, hominem duntaxat suspicabantur, Iosepho patre ex Maria natum, hominem uilem atq; contemptum, quo nomine & proprium eius nomen apponunt, ut hodie quoq; uulgus hominem nulla dignitate præditum proprio compellat nomine. Expectabant illi Messiam magnificũ & uictoriosum, qui Solomonis instar Cyri atq; Alexandri putabatur regnaturus, itaq; aspernabantur Christi humilitatem, non intelligentes quomodo uilis hic homo descẽderit de cœlo. Orígo quidem humanitatis refertur ad matrem uirginem, non ad Ioseph neq; ad cœlũ quoq;. Conceptus est enim dominus noster de spiritu sancto, & natus est ex Maria uirgine: sicut expositum inuenies in 1. cap. Matth. atq; Lucæ. Neq; uero homo purus hic conceptus atq; natus est. Descendit enim è cœlo uerbũ quod erat apud patrem, & in sinu patris ab æterno in uterum uirginis, & inde uerus deus & homo natus est: quia scriptum est, Verbũ caro factum est, Et quod nascetur ex te filius altissimi uocabitur. At hoc mysterium non intelligebant, qui murmurabant quod dixisset dominus se descendisse de cœlo. Hodie certe cum prædicamus Iesum & hunc quidem crucifixum, cum inculcamus mortificationem & regenerationem, contemnitur prædicatio à superbis, auaris, ambitiosis, & luxu perditis hominibus, clamantibus, Vnde hæc nobis noua doctrina, quam noui isti apostoli nobis proponunt? &c. Notatur hic quoq; uulgi inconstantia & leuitas. Populus enim qui hactenus cibi spe ferebat utcunq; sermonem, nunc posteaquã uidet ademptam spem pastus corporalis, uertitur ad calumniam: & quem saturi uolebant regem facere, nunc ut humilem contemnunt, atq; ut arrogantẽ criminantur. Proinde nemo quicquam fiduciæ collocet in plebem multicipem & uariam, speret quisq; in deum uiuentem & æternum.

Iesus non est filius Ioseph.

Leuitas uulgi.

Respondit ergo Iesus, & dixit eis, Nolite murmurare inter uos. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docti à deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me: non quod patrem uiderit quisquam, nisi is qui est à deo, hic uidit patrem.

Murmur

Murmur contra deum & ueritatem, rixæ item & concertationes in religione diſſidiaq; præmodum deo diſplicent, perfrequenter illa grauiſſime atrociſſimeq; puniente: unde dominus turbis optime uolens conſultum, hortatur ne ſic murmurent & altercentur, ſed & modum & certam rationem oſtēdit qua diſſidium componi queat, & murmur conſopiri, ſi uidelicet agnoſcant fidem ſolius dei eſſe beneficium atq; donum, itaq; renuncient omnibus affectibus, & ſe deo patri præbeant docendos. Equidem religio ueraq; Chriſti cognitio non hauritur ex ullo humano ingenio, aut ex ulla diſceptatione. Quo plus diſceptatur, eo à ueritate recedítur longius. Solus deus legitime inſtituit, & mentes hominum format, unde à ſolo deo pendere, & ſcientiam cognitionemq; poſtulare oportet. Nemo, inquit, poteſt uenire ad me. Venire ad Chriſtum, eſt credere & inniti Chriſto, recipere Chriſtum, & ab eo unice pendere. Nemo ergo poteſt credere omni in Chriſtum collocata fiducia, niſi pater traxerit eum, diuina inquam potentia intellectum & uoluntatem eius commouerit impulerítq; : ſed & facultates præſtiterit perficiendi ea quæ cognouit & iam uult. Vbi ergo ſunt qui tantopere prædicant uires hominis? Dominus neminem excipiens, omnes autem homines comprehendens, Nemo, inquit, poteſt credere niſi ipſi datum ſit à patre. Nam ſub finem diſputationis huius, eandem hanc ſuam ſententiam ſic effert, Nemo poteſt uenire ad me, niſi fuerit ei datū à patre meo. Interea nō probo eos quibus perſuaſum eſt homines neceſſitate quadam cogi, ac ueluti per capillos & ceu truncum trahi. Placet hic Auguſtini expoſitio, qui hunc exponens locum Tract. in Ioan. 26. dicit, Magna eſt gratiæ cōmendatio, Nemo uenit niſi tractus. Quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli uelle iudicare ſi non uis errare. Semel accipe & intellige, Non traheris, ora ut traharis. Et cum audis, Nemo uenit ad me niſi quem pater attraxerit, noli cogitare te inuitum trahi. Trahitur animus & amore. Si enim Poëtæ dicere licuit, Trahit ſua quenq; uoluptas, non neceſſitas ſed uoluptas, non obligatio ſed delectatio, quanto fortius nos dicere poſſumus trahi hominē ad Chriſtum, qui delectatur ueritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna uita, quod totum Chriſtus eſt. Et mox, Quem traxit pater? Illum qui dicit, Tu es Chriſtus filius dei uiui. Vide quia tractus eſt, & à patre tractus eſt. Et dominus quid? Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Iſta eſt reuelatio, iſta attractio. Ramū uiridē oſtendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur & trahitur: & quod currit trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis uinculo trahitur. Si ergo iſta quæ inter delicias & uoluptates terrenas reuelantur amantibus trahunt, quoniam uerum eſt, Trahit ſua quenq; uoluptas, non trahit reuelatus Chriſtus à patre? Quid enim fortius deſiderat anima quàm ueritatem? Hæc ille. Qui uero à patre ſibi ipſi ſuiſq; abſtractus affectibus mihi ſe totum credit, eum ſuſcitabo, id eſt in uita conſeruabo, tam in morte corporea, quàm in extrema iudicij die: ſicut paulò ante expoſui. Cæterum quo plus fidei inueniret apud eos hæc doctrina de illuminante patre atq; trahente, illuſtrat atq; confirmat quod dixerat prophetarum teſtimoniis, quæ ſi quis requirat inueniet apud Iſaiam in cap. 54. apud Iere. in cap. 31. apud Ioelem in 2. & Ezech. 36. cap. Erunt, inquiunt, omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, id eſt dociles dei, ut accipiamus paſſiue, quaſi dicas diſcipulos dei, qui magiſtro & doctore deo diſcunt.

Quomodo altercationes & diſſidia ſopiri poſſint.

Quomodo trahamur.

Porrò per Epanaphoram quandā rediens ad illud quod protulerat de tractu, copioſius, clarius, & ſimplicius deſcribit modum & rationem qua trahit ſiue inſtituit pater. Omnis, inquit, qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me. Tria conſi-

Modus & ratio quomodo pater trahit.

gnantur in ordine, audire uidelicet, discere atq; uenire. Postremum oritur ex primis, Veniunt enim ad Christum, qui credunt in Christum: credunt, qui didicerũt à patre: didicerunt autem à patre, qui patrem audierũt. Audire ergo primum obtinet locum, & refertur proprie ad præeuntem patris institutionem seu inspiratio nem. Pater enim foris uerbo ueritatis per ministros ut organa sua docet, intus inspiratione sua rapit & incendit. Hæc agit tanquam fidelis doctor & magister. Porrò hic opus est ut docilis sit discipulus qui discat. Discit autem qui aurem præbet institutioni atq; doctori, qui mentem applicat, diligentiam ubiq; præstat, monenti obsequitur, nec repellit quod magister præcipit. Id quod non nostræ nobis uires præstant, ut illa uelimus & efficiamus, sed mera patris per filium gratia. Quicunq; uero tales se patri discipulos prebent, uerbo & spiritu patris imbuuntur, proxima ad Christũ contendunt, quem ex patris institutione intellexerũt uerum deum & hominem esse, unicum orbis saluatorem, in quo placuit patri inhabitare omnẽ plenitudinem, ac de plenitudine eius omnes accipere fideles. Hic inquam est modus, hæc ratio per quam trahit pater. Alienam ab hac cõminisci, est conscientias hominum infandis torquere tormentis. His per præoccupationem appendit, Nõ quod patrem uiderit quisquam, nisi is qui est à deo, hic uidit patrem. Id quod perinde est ac si dixisset, Ista mea nolim uos ita intelligere quasi pater de cœlo descendat, ac sese suis uisibilem discipulis præbeat, aut in sua essentia cuiquam appareat in hoc sæculo mortalium: de instinctu & doctrina patris loquor, qua discipulos suos suo more imbuit. Alioqui patrem in sua natura atque substantia nemo uidit nisi filius. De quo disputatum est Ioan. 1. & Matth. 11.

Amen amen dico uobis, qui cõfidit mihi, habet uitam æternam. Ego sum panis ille uitæ. Patres uestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de cœlo descendens, ut ex ipso edat aliquis, & non moriatur. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.

Repetitur superior doctrina de fide.

Posteaquam certantes nonnihil pacauit, & murmur populi indignantis compescuit, ostendendo unde fides, et quod ea precibus à patre postulanda diligentiq; uerbi dei auscultatione comparanda sit, redit denuo ad institutũ suum dominus, ac iterum illis fidem, quæ religionis Christianæ & prora & puppis est, commẽdat atq; inculcat, repetens in hac secunda parte orationis siue disputationis quæ in prima hucusque tractauit. Nec uitio danda est ea repetitio doctori & magistro cœlesti. Ita enim nobis sese impendit, nobis seruiuit, nostras nebulas discutere uoluit. Difficulter intelligimus mysteria regni dei, unde si quis semel illa nobis exponat non multum inde utilitatis percipimus, cum uix incipiamus rectius & iudicare & sapere si quis eadem nobis repetat atque inculcet. Proinde nostram in utilitatem repetit illa dominus, quæ nisi mori & damnari libeat omnino cognitissima esse oportet. Scopus, status & summa omnium prima in acie, minime obscuris uerbis adeoq; ne figuratis quidem sub obtestatione iurisiurandi sic ponitur, Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Ad hanc propositionẽ referuntur alia omnia. Subiungitur enim ipsi protinus ratio & declaratio quare dominus suis fidelibus promittat uitam æternam. Ego sum panis ille uitæ, is nimirum qui meis fidelibus & possum & uolo uitam dare, si uidelicet panem uitæ hauriant, id est in me credant. Sicut superius copiosius est expositum. Porrò illud ipsum

Qui credit, æternum uiuet.

sum demonstrat & expolit significantius elegantiusq; per comparationem sui ipsius ad manna, simul diluens obiectionem Iudæorum de patribus manna donatis, cum innuit se longe maiora conferre. Patres, inquit, uestri comederunt manna in deserto & mortui sunt. Nam & Paulus in 1. ad Corinth. 10. cap. Patres nostri omnes, ait, eandem escam spiritualem comedebant, & omnes eundem potum spiritualem bibebant: sed plures illorum non approbauit deus: prostrati sunt enim in deserto. Si quis autem de illo pane quem ego præbeo edat, id est, si quis mihi credat, qui ideo de cœlo descendi ut sim salutaris, & ut mihi mei fidant, non moritur, id est uiuet in æternum, uita quidem non animali, sed spirituali. Et ut in sano sensu ipsos retineret ne uspiam excciderent, & de pane corporeo nescio quid somniarent, lucis & euidentiæ caussa iterum subiungit, Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Non est quod alium uobis imaginemini panem. De meipso loquor cum de pane loquor. Meipsum in cibum propono cum panem propono. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. At iam nunc dixit, Qui confidit mihi, habet uitam æternam: ergo panem hunc edit qui in filium dei & hominis omnem suam fiduciam collocat. Quid his quæso dici poterat euidentius, apertius, certius & perspicatius? Habemus ergo doctrinam orthodoxam manifestissime hic propositam & ualidissime confirmatam, quod Christus sit panis uitæ, uita inquam, & iustitia mundi, qui iustificet atq; uiuificet: uiuificet autem non quosuis, sed credentes in se. Panis enim uitæ nisi hauriatur aut edatur, non uiuificat. Porrò panem uitæ edit, quisquis se per fidem in Christum conijcit.

Modus quomodo se Christus nobis cibum parauit.

Sequitur, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Qua sententia utcunq; breui modum ostendit quomodo paraturus sit se nobis cibum. Nisi enim coquatur & apparetur cibus, nequaquã manducari potest. Itaq; dominus certo modo se nobis parat quo haurire edereq; illum liceat. Bis autem ponit uocabulum Dabo, non eadem significatione. Tale enim est quod dicere uidetur, Dixi filium hominis daturum uobis cibum seu panem qui non pereat, sed permaneat in uitam æternam: iam ut liquido intelligatis de quo cibo seu pane sum hucusq; loquutus, & quomodo sim meipsum uobis daturus in cibum uitæ, addo nunc carnem illam meam adeoq; me totum illum esse cibum & panem quem polliceor & qui pascat ad uitam æternam. Sic autem parabo illam in cibum, Dabo illam pro mundi uita, id est expendam me in mortem, ut morte mea uiuat mundus. Mundus enim mortuus est in peccatis. At mortuus est in carne filius dei, ne dominaretur mors secunda fidelibus: atque ita filius dei uiuificat. Apertius si possum explicabo hoc mysterium, Cum audit homo prædicationem euangelij testantem Iesum esse panem uitæ, qui de cœlo descendit, mox apud se ita cogitat, Ille quidem panis uitæ est, quia dei filius est: tu uero peccator & sceleribus adobrutus es, unde nullum poteris cum deo habere commertium. Quis enim habitabit cum deo purissimo, nisi qui sanctis est manibus & puro corde? Hac cogitatione impeditus homo, ad panem uitæ nec accedit nec illũ edit. Nondum enim sentit illum sibi paratũ esse. Itaq; dominus parat seipsum, assumens uidelicet carnem nostram, quam expendit in mortẽ, quæ quia iustitia nostra est, redemptio, uita, satisfactio atq; sanctificatio, bene sperare iubet peccatores & pertrahit ad Christum. Sic enim reputat secum fidelis, Peccata mundantur sanguine & expiãtur morte. Filius dei incarnatus & mortuus est, sanguinẽ fundẽs ꝓ peccatis, mundata sunt itaq; & expiata peccata, adeoq; tua ipsius peccata. Pro te enim incarnatus & mortuus est filius dei. Viues itaque & non morieris, cum uis mortis

peccatum, sit morte Christi eneruatum. Iam ergo cum ille se pro te impendit, & ad se inuitat, cur nõ accederes? Itaq; cõfirmatur animus hominis mortis Christi beneficio, ut iam ausit accedere, & Christum panem uitæ manducare, id est omnem fiduciam figere in Christũ, qui solus morte sua uiuificat. Hæc scilicet ratio est & hic modus quo se nobis parauit Christus cibũ ut ipsum manducare queamus. Quis enim uitam speraret à deo, nisi ille prius filium pro nobis dedisset in mortem? Quis rursus iam non speret uitam, quando mortuus est dei filius ut uiuant credentes?

Per sacrificium parauit se in cibum dominus.

Huc pertinet quod Sanctus Cyrillus libro in Ioannem quarto, cap. 12. hæc domini uerba exponens, scribit, Morior, ait dominus, pro omnibus, ut per meipsum omnes uiuificem, & caro mea omnium redemptio fiat. Morietur enim mors morte mea, & simul mecum natura hominum resurget. Factus enim homo sum ex semine Abraham, ut in omnibus fratribus similis sim. Quod cum recte intellexerit beatus ille Paulus, ait, Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, similiter ille participauit ijsdem, ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium, id est diabolum. Non enim poterat mors aliter destrui, & mortis princeps deponi, nisi Christus seipsum in redemptionem pro nobis tradidisset. Propterea in Psalmis immaculatam hostiam patri offerens, ait, Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perforasti mihi: holocausta pro peccato non placuerũt tibi, tunc dixi, ecce uenio, in capite libri scriptum est de me ut faciam tuam uoluntatem deus. Nam quoniam taurorum, hircorumq; sanguis, & iuuencarum cinis ad ablutionem peccatorum non sufficiebat, nec brutorum unquam animalium cædes mortem potuit deijcere, ipse Christus, IPSE INQVAM VNVS pœnas pro omnibus luit. Liuore enim eius sanati sumus, & delicta nostra ipse corpore suo in lignum tulit. Crucifixus autem est pro omnibus, ut morte unius in ipso omnes uiuamus. Non enim fuit amplius possibile à morte atq; interitu uitam nostram detineri. Et reliqua.

Cõtra abusum horum uerborum.

Post tam claram & indubitatam huius loci expositionem, pudet atque piget me illorum recensere obiectionem, qui ad rixas atque scripturas peruertendas torquendasq; ueluti nati, contendunt hoc domini uerbum, Et panis quem ego dabo, caro mea est, promissionẽ esse, qua dominus ecclesiæ suæ promiserit daturum se aliquando sub specie panis ueram suam carnem ad manducandũ, quod etiam præstiterit cum in ultima illa cœna accepto pane & discipulis distributo dixerit, Hoc est corpus meũ. Quis enim non colligat ex integro totius disputationis cõtextu, nullã hic mentionẽ fieri ullius panis sacramentalis? Allegorice & per allusionem ipsum sese dominus panẽ, id est cibum uel alimentũ atq; sustentationẽ uimq; uiuificam appellat, eo quod uiuus dei filius sit, naturalẽ & propriam habeat uim uiuificandi, & quod assumptam carnem suam impendit pro nobis in mortem, ut morte eius à peccatis liberati & sanctificati æternũ uiuamus. Hæc simplex & sancta est puritas. Isti rixas excitant & omnem simplicitatem contaminant. Id quod quilibet ex contextu orationis totius facile deprehendet: unde ipsos suo relinquimus iudici, nos in sententia uerborum domini pergimus explicanda.

Decertabant ergo Iudæi inter se, dicentes, Quomodo potest hic carnem illam suam dare ad edendum? Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinẽ,

habet

habet uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea uere eſt cibus, & ſanguis meus uere eſt potus. Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo ꝓpter patrẽ: ita & qui ederit me, uiuet ipſe quoq; propter me. Hic eſt panis ille qui de cœlo deſcendit, non ſicut comederũt patres ueſtri manna & mortui ſunt: qui ederit hunc panẽ uiuet in æternũ.

Iudæi exiſtimãt carnem Chriſti edendam, ſicut caro è macello editur.

Alia rurſus exoritur concertatio inter auditores Chriſti propter uerba ipſius, non eodem ſenſu percepta. Murmurarant ſuperius quod dixiſſet dominus ſe deſcendiſſe de cœlo deiq; eſſe filium, nunc palàm decertant quod dixiſſet, Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, id enim perinde intelligebant, ac ſi ſenſiſſet ſuam ipſius carnem ita manducandã eſſe, ſicut caro è laniena aut macello editur. Clamant itaq;, Quomodo dabit hic nobis crudam hominis carnem edendam? an iubet nos more Anthropophagorum uictitare humana carne? Ita perpetuo cæcutit & turpiter hallucinatur intellectus hominis nondum renati. Erant alij rurſus in turba mitius multò uerba domini interpretantes: erant item qui recte & ſpiritualiter intelligerent ſententiam Chriſti: inde itaq; orta eſt inter ipſos concertatio, aliis nimirum aliter atq; aliter quod dictum erat interpretantibus. Ac præbent quidem ampliſſimam domino occaſionem tertia illa diſputationis parte conſtantius aſſeuerandi confirmandiq; copioſius quod hactenus breuibus propoſuerat, fide nimirum in Chriſtum dei filium pro nobis in mortem traditum conſtare iuſtitiam & uitam ſempiternam. Proinde quod Iudæi quidã iudicabant abſurdum & fieri non poſſe, id nunc dominus confirmat omnino eſſe neceſſarium, ſed ſenſu ſano non craſſo illo & modo Anthropophagico. Etenim non oportet doctorem euangelicũ ideo diſſimulare quicquam, aut à ueritatis doctrina uel latum, quod dici ſolet, culmum diſcedere, quia auditores iniquiore in ueritatem animo ſunt, progrediendũ in illius aſſertione perpetuo, ac confirmanda illa, urgenda & inculcanda ſubinde magis atq; magis. Nam hoc in præſenti conſtantiſſime facit dominus. Illis uidebatur abſurdum edere carnem filij hominis: hic urget non aliud ad ſalutem conſequendam magis eſſe neceſſarium, id eſt docet fidem in traditum Ieſum Chriſtum ad ſalutem & iuſtificationem omnino eſſe neceſſariam.

Aſſeritur diuina & humana natura in Chriſto.

Et quanquam hæc tractatio in idem recidat cum ſuperiore: nihil enim noui dicet: hoc tamen peculiare habebunt conſequentia, quod ut in ſuperioribus diuinã maxime urſit naturã, demonſtrans ſe deſcendiſſe de cœlo, atq; ideo panem eſſe uitæ: ita in conſequentibus ueram ſuam humanitatem, crucem & mortem inculcat ualidiſſime, plenã utiq; fidem docens dum utriuſq; naturæ tam aperta profert argumenta. Neq; enim plena eſt fides, quæ confitetur quidẽ & agnoſcit Chriſtũ, ſed non plene. Non plene cognoſcit Chriſtũ qui deum tantum, uel hominem tantum cognoſcit: confitetur plene Chriſtũ, qui unum & indiuiſum ex utriſq; conſtantem uerum utiq; deum & uerum hominem confitetur. Quia itaq; humanam naturam in hac hucuſq; diſputatione attigerat partius, diuinã approbarat frequentius, ideo illam pluribus commendat atq; confirmat per cõſequentia. Illud, inquit, habetote pro certo, niſi ipſam filij hominis carnem, id eſt meam illam naturalem carnẽ ederitis, & biberitis eius ſanguinem, meum utiq; proprium cruorẽ, non habebitis uitam in uobis. Huic ſententiæ aliam, more ſuo, adiungit per antitheſim, & propter euidentiam & perſpicuitatẽ, Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Non eſt dubiũ quin

Oportet edere ueram & naturalẽ in Chriſti carnem.

loquatur de humana & uera carne ſua, quam traxit ex Maria uirgine de ſemine Dauid & Abraham, quam etiam pro nobis uere obtulit in cruce, in qua mortuus, ſepultus & exuſcitatus eſt, non de ſpirituali aliquo inuiſibili & intangibili corpore ſeu carne. Nam dixit paulò ante hæc uerba, Carnem meam dabo pro mundi uita. Miraris autem ſcio quomodo uera Chriſti caro, quæ in cruce oblata eſt, quæ reſuſcitata eſt, & ſedet ad dexteram patris, poſſit à nobis manducari. Hic repete quæ hactenus dixi de eſu Chriſti, qui eſt panis uitæ, & intelliges edere aliud non eſſe quàm credere. Conſtat hoc ipſum uel ex eo quod dictum eſt à domino, Amen dico uobis, qui cõfidit mihi, habet uitam æternam. Et iterum, Hæc eſt uoluntas eius qui miſit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Et quod nunc repetitur, Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Auguſtius tamen euidentiuſq; eſt hoc quàm illud, & plenius exprimitur hoc incarnationis & paſſionis myſterium. Ideoq; carnem edit & ſanguinem bibit Chriſti, qui fide firma credit Chriſtum uerum uiui dei filium pro ſe incarnatum, crucifixum & exuſcitatum, ſanguineq; ſuo nos lauiſſe à peccatis, & reconciliaſſe deo patri. Hoc qui credit habet intra ſe uitam, ipſum Chriſti ſpiritum uiuificantem, iuſtitiæ & redemptionis uirtutem, adeoq; ſentit in ſe uiuentem Chriſtum, ac uiuit ipſe in Chriſto. Congruit hic euangelij locus cum illo D. apoſtoli, Scimus non iuſtificari hominem ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti: ac diſerte teſtantur, ſola Chriſti morte & reſurrectione per fidem iuſtificari. Apud Ioannem in 14. cap. dicit dominus, Ego ſum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem niſi per me. In his ſententijs omnibus uocabulum Niſi, & loquutionis genus perinde ualet, ac ſi dicas, Solius Chriſti merito iuſtificamur, & in cœleſtia gaudia transferimur. Id quod diligentiſſime obſeruandum eſſe cenſeo, maxime cum iuſtificationis, id eſt Chriſto & gratiæ dei debitam gloriam, multi uiribus hominis & operibus atque meritis noſtris tribuere non ceſſent, contra quorum ſtrophas & uenena huiuſmodi ſententijs animos in confeſſione ueræ & orthodoxæ fidei confirmare oportet. Illi ipſi clamabunt, ſat ſcio, me euangelium adulterino ſenſu corrumpere, qui auſim aperta & minime figurata uerba domini, præcipientis carnem ſuam manducare, ueluti tropica ſint, exponere, & pro edere credere reponere. Verum his abunde ſatis reſponſum eſt in contextu ipſo expoſitionis noſtræ. Quod ſi quid apud ipſos ualet Auguſtini orthodoxi doctoris expoſitio, audiant quid ille ſenſerit & credant ueritati. Diuus Auguſtinus libro de Doctrina Chriſtiana tertio, cap. 16. ſic ſcribit, Si præceptiua loquutio eſt, aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam uetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & ſanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis, facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni domini eſſe communicandum, & ſuauiter atq; utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata ſit. Ait ſcriptura, Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potũ da illi. Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit. Et quæ ſequuntur.

Spiritualis manducatio.

Quare uita tribuatur manducatæ carni dominj.

Adijcit dominus rationem & cauſſam cur uitam tribuat mãducatæ carni ſuæ, & poto ſanguini. Quia caro mea uere, id eſt, uerus eſt cibus, & ſanguis meus uere, id eſt uerus eſt potus. Caro enim filij dei oblata in cruce pro nobis, & ſanguis filij dei effuſus pro nobis in remiſſionem peccatorum, uera illa media ſunt, per quæ peccatũ purgatũ, mors confracta, diabolus contritus, & infernus eſt conculcatus.

Nam

Nam ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. In mortuis teſtamentum ratum eſt. In morte uita eſt. Hoſtia oblata ſanctificat. Vera ergo criminum purgatio, uera uitæ reſtitutio, uera redemptio conſtat corpore filij dei tradito & ſanguine eius fuſo. Sed quibus eſt ſalutaris caro & ſanguis Chriſti? quos cibat & ſaturat? Sequitur, Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Edentes ergo cibat, Bibentibus ſalutaris eſt traditus Chriſtus. Edunt & bibunt qui credunt. Significantiſſime enim dixit Ioannes apoſtolus 1. Ioan. 4. cap. Ex hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Et nos uidimus & teſtamur quod pater miſit filium ſeruatorem mundi. Quiſquis cõfeſſus fuerit quod Ieſus eſt filius dei, deus in eo manet, & ipſe in deo. Confitetur qui credit. Vocabulum tamen ſiue allegoria edendi & bibendi longe eſt auguſtior, & plus quiddam ſignificat quàm primo mox aſpectu uideatur, ſicut ſuperius indicaui. Quemadmodum enim cibus humanus traiectus in ſtomachũ, ac per membra digeſtus tranſit in ſubſtantiam corporis, ut iam idem ſit cibus & ueſcens homo: ita qui fide confidit bonitati & miſericordiæ dei, in Chriſto ſe exhibentis homini, concorporatur, inſeritur, & fœdere quodam, uinculo ſpiritus conſtrigente, connectitur cum deo & Chriſto eius, ut ijs iam fruatur, operantes in corde ſentiat, atque ipſorum ui & beneficio uiuat, & bona operetur. Fides enim uera & uiua non eſt imaginatio rerum extra nos poſitarum, & quæ nihil ad nos pertinent, quorum naturã & uires non ſentimus: ſed eorum maxime quæ noſtra ſunt, quæ peculiaria ſunt, quæ intra nos ſunt, in nobis agunt & nos ſuſtinent. Quanquam enim caro Chriſti in nobis non ſit corporaliter, uniuerſa tamen totius Chriſti incarnati & traditi pro nobis uirtus, Chriſti ſpiritus, Chriſti uiuificatio & operatio agit in nobis per fidem efficaciter. Id quod omnes ſancti ſentiunt in cordibus ſuis. Sanctus Paulus plura de hac re diſputauit in octauo cap. ad Romanos. Ad Epheſ. 3. cap. ait, Oro dominum ut det uobis iuxta diuitias gloriæ ſuæ, ut fortitudine corroboremini per ſpiritum ſuum in internum hominem, ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus ueſtris, fixis in charitate radicibus. Ioannes quoq; apoſtolus 1. Ioan. 3. Et per hoc ſcimus, inquit, quod manet in nobis, è ſpiritu quem dedit nobis. Multus eſt idem ille apoſtolus in epiſtola eadẽ in mentione communionis & ſocietatis dei uidelicet & animæ fidelis, quæ ab inhabitante ſpiritu ab apoſtolo apellatur templum ſancti ſpiritus. Agit ergo & uiuit in ſuis Chriſtus dominus per fidem, non eſt extra nos prorſus ceu alienus à nobis conſtitutus. Atque hoc eſt quod ueritas diſerte dicit, Qui edit & bibit me, in me manet, & ego in illo. Quoad itaq; fides uiguerit, uiget & floret fœdus & communio inter Chriſtum & fidelem. Maxima ſunt hæc myſteria fidei Chriſtianæ: beatus qui intelligit hæc, ac ſentit. Moneo autem iterum Lectorẽ ut hæc domini uerba fideli cõmendet memoriæ, atq; ea ceu peltam impenetrabilẽ in oĩbus obĩciat certaminibus & tentationibus. Suggerit diabolus per pſeudoprophetam nouam iuſtificandi rationẽ, obĩce Caro mea uere eſt cibus, Der hingegeben lyb Jeſu iſt die recht vſenthalt der ſeel vnd deß lybs: in hoc acquieſcam. Nec facile pelluntur loco qui per fidem ſentiunt intra ſe uerum iuſtificatorem Chriſtum ſpiritu ſuo & uirtute ſua uiuentem.

Qui edant corpus domini.

Fides efficit ut in nobis uiuat Chriſtus.

Rurſus ne quid in tanto ſalutis noſtræ myſterio ſupereſſet dubĩj, multo fortius adhuc confirmans, quod dixerat ſuam carnem uerum eſſe cibum, ſanguinẽ ſuum ueram refocillationẽ ac potum uerum, ſubdit, Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: ita & qui ederit me, uiuet ipſe quoq; propter me. Hoc enim dicit, Ne quis interim dubitet de uiuificandi poteſtate, quaſi hic mihi, cum homo ſim ueſtri ſimilis, nimium arrogem. Tametſi enim homo ſim uerus, carnem

Probatur quod Chriſtus manducatus uiuifi-cet.

ueram & ſanguinem humanum habens, diuina tamen ſubſtantia, natura atque potentia non ſum ſeparatus à patre, aut minor infirmiorue patre meo cœleſti. Sicut enim ille ſuapte natura uita eſt, ita ego filius eius, ex ſubſtantia eius ab æterno genitus natura uita ſum. Poſſum itaq; eos qui me edunt, id eſt mihi fidunt, uiuificare. Obſerua autem quod dicit, Viuet propter me. Quod enim iuſtificamur, uiuificamur & beamur, non eſt noſtri meriti, ſed meri beneficij Chriſti. Ideo enim & apud Ezech. in 36. cap. dicit dominus, Propter me faciam redemptionem, nõ propter te. Beatus pater Cyrillus lib. in Ioan. 4. cap. 18. multis contra hæreticos ſuper hiſce domini uerbis diſputat, tandem ita concludit, Qui ergo immaculata eccleſiæ dogmata ſequitur, fugiat ab hæreticis, & ad ſimplicem ueritatis pulchritudinem uias ſuas dirigat: & ſicuti patrem uitam naturaliter eſſe credit, ſic filium quoq; uitam eſſe ſubſtantialiter non dubitet. Vt enim lumen de lumine eſt, ſic & uita de uita. Et quemadmodum quæ luce indigent per filiũ pater illuminat, & ſapientes per eum facit: ſic quæ uita egent, per filium ut per uitam ſuam, quæ ex ipſo emanat, uiuificat. Quando igitur ipſe dicit, Viuo propter patrem, noli cogitare ipſum ideo uiuere quoniam à patre uitam recipiat (quam per ſe non habeat) ſed quoniam ex uiuo naturaliter patre natus eſt: propterea ſe quoq; uiuere naturaliter uidelicet confirmat. Non enim poteſt non uiuere qui ex uiuo uere natus eſt patre. Vt ſi aliquis diceret ſe rationalem eſſe hominem, quia natus ſit ex rationali: ſic & unigenitus dei filius, Viuo, inquit, propter patrem. Hactenus Cyrillus.

Summa contexitur.

Tandem uero epilogũ toti cauſſæ ac diſputationi ſuæ appendens colligit quæcunq; hactenus fuſe propoſuit, nempe ſe eſſe filium dei, & pro noſtra quidẽ ſalute incarnatum & paſſum. Nam hoc comprehendit his uerbis, Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Quaſi dicat, Hic inquam habetis de quo loquutus ſim hactenus pane. Nam ego ipſe ſum panis ille, cibus, uita & ſuſtentatio mundi, qui ideo de cœlo deſcendi ut uiuificem. Quoniam uero aduerſarij ſubinde obijciebant, domino de pane cœleſti differente, manna, negat is ſe de ullo corporali pane loqui, qui uitam modo ſuſtineat animalẽ, quam mors de improuiſo opprimit & corrumpit. Loquor, inquit, de ui uitali & ſalutifera, cuius particeps fit quiſquis credit. Sic autem redit caput ad circulum. Conſtat enim ex his omnibus fide per Chriſtũ iuſtificari credentes. Solent multæ circa hunc locum quæſtiones peregrinæ proponi & tractari, quas omnes data opera prætereo, ne rixando cuiquã moleſtus fiam, aut uerba domini obſcurem ac genuinũ ſenſum altercando amittã. Arbitror autem uindicata oſtenſaq; puritate & ſimplicitate ueritatis, facile confutari poſſe abs quolibet errores & opiniones exoticas & à pietate alienas.

Hæc dixit in ſynagoga docens in Capernaum. Multi ergo his auditis ex diſcipulis eius dixerunt, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?

Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei.

Locum annotat in quo hæc geſta & dicta ſunt, pro more hiſtorico, ad indicandam rei indubitatam ueritatem ac certitudinem. Sermo hic Chriſti & hæc diſputatio de fide fideiq; effectu, habita eſt in frequenti Iudæorum auditorio ſeu ſchola ac templo ſiue eccleſia. Quia pertinebat ad totam eccleſiam & ad mundum uniuerſum recte erudiendum. Craſſi uero illi auditores, nondum quod docuerat intelligentes, obmurmurant doctori diuino, dicẽtes σκληρὸς ἐστὶν οὗτος ὁ λόγος, dura, aſpera, trux, atrox & inhumana eſt hæc oratio. Principio quia dixerat ſe eſſe panem uitæ deſcendentem de cœlo. Hoc nomine blaſphemum arbitrabantur ſermonẽ domini. Deinde quia dixerat, Caro mea uere eſt cibus, &c. Ideo enim crudam plurimumq; lupinæ feritatis & Schyticæ barbariei habentem iudicabant illius orationem,

nem, quæ ipsis de cruda hominis uiui carne bibendoq; cruore humano uidebatur instituta. Ita uero animalis homo perpetuo sui similis raro sapit, & semper salutaria negligit.

Sciens autem Iesus apud semetipsum quod murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc uos offendit? Quid igitur si uideritis filium hominis ascendentem eò ubi erat prius? Spiritus est qui uiuificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt.

Remouet dominus impedimenta & se exponit.

Iesus pro sua mansuetudine mederi cupiens illorum offendiculo & errori fœdo, cum pro natura sua diuina non ignoraret cuiusquam cogitationes pectorisq; arcana, sciebat in præsentia quoque quid auditores illos suos torqueret. Sequitur enim, Sciens autem Iesus apud semetipsum quod murmurarent de hoc discipuli eius. De quo Hoc? Et quod dixisset se panem uitæ, & quod carnem illam suam appellasset cibum, omnino ad uitam parandam esu necessariam. Sciens inquam in hos duos ueluti scopulos impingere pingues, quarta & ultima hac huius disputationis parte remouet impedimenta illa, suaq; & confirmat firmius & explicat luculentius pleniusq; ut consequentia sint præcedentium ueluti dilucida exegesis. Ac principio, Video, inquit, offendi uos hac mea sententia, Ego sum panis uitæ qui de cœlo descendi: ac miror uos ita offendi posse. Arbitramini uero indignum esse ut cum homo sim uestri similis, dicam me descendisse de cœlo, & uim habere uiuificandi, itaq; originem mihi uindicem cœlestem diuinamq;. Atqui sum panis uitæ, sum dei filius, descendi de cœlo. Vtrum quæso uobis uidetur facilius, filium dei nondum carne indutum de cœlo descendere in terras? an filium hominis iam carne amictum ascendere in cœlum, & agere in omni gloria patris? Quid ergo dicetis, ubi uideritis me filium hominis, eò ascendere ubi eram prius? an adhuc negabitis filium esse dei, panem uitæ, origine cœlestem, etiamsi interim & originem habeam terrenam? Euincam itaque gloriosa illa mea in cœlos ascensione regnoq; glorioso, quod is reuera sim, panis uitæ de cœlo descendens, quem nunc grauatim auditis hæc pronunciantem. His respondit ad alterum impedimentum siue offendiculum, quod & egregie amouit. De loquutione, Filius hominis ascendet eò ubi erat prius, lege quæ annotaui in cap. Ioannis 3. Sanctus Augustinus Tractatu in Ioannem 27. paulò diuersius hunc locum exposuit. Nam dicit, Quid est hoc, Si uideritis filium hominis ascendentem? &c. Hinc soluit illud quod non nouerant: hinc aperuit unde fuerant scandalizati, hinc planè si intelligerent. Illi enim putabant illum erogaturum corpus suum: ille autem dixit se ascensurum in cœlum, utiq; integrum. Cum uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe uel tunc uidebitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum: certe uel tunc intelligetis quia gratia eius non consumitur morsibus. Hactenus Augustinus.

Christus est panis uitæ.

Caro Christi uerus cibus quomodo manducandus.

Iam uenit dominus ad secundum impedimentum. Offendit & illud, ait, quod dixi carnem meam uerum esse cibum, sanguinem uerum potum, atque adeo ut nisi quis mea uescatur carne, & meum potet cruorem, nullam habiturus sit uitam. Hinc enim existimatis me meam uobis carnem ceu bubulam ex macello dentibus corporaliter dilaniandam offerre. Atqui si totum orationis meæ contextum diligenter obseruetis, nullo intelligetis negotio loqui me de uiuificatione siue uita hominis Christiani, & de uita quidem spirituali animæ, non de uita animali corporis, quam cibus sustinet & confortat sensibilis & corporalis. Animæ

uitam ſpiritualem non præſtat aut conſeruat ullus cibus ullusue potus corporalis. Spiritus ille meus, uis inquam uiuifica, qua uerus deus & homo credentes uiuifico, uirtus incarnationis & paſſionis meæ, uis cœleſtis & diuina agens in piis, exerens ſe & uiuens in ſanctorum pectoribus, illam de qua loquor confert uitam animæ, adeoq; toti homini. Confertur autem ſpiritus hic fidelibus. Proinde fide uera fit ut uiuam in meis, & meos ad uitam æternam conſeruem: ſpiritu ergo uobis opus eſt, ac fide in primis uegetante. Sed de his abunde ſatis dictum ſuperius. Addit, Caro non prodeſt quicquam. Caro illa inquam mea, quam cernitis, non prodeſt quicquam, eo uidelicet modo hauſta, quo uos hauriendã edendamq; uobis imaginamini, nimirum carnaliter & corporaliter, ſicut caro editur ex macello. Ita uero remouit etiam alterum offendiculum ſiue impedimentum, docens manifeſte talem ſe carnis ſuæ manducationem, talem ſanguinis ſui potum minime poſtulare, qualem iſti putabant. Alioqui non oportet ſententiam domini nude ac ſimpliciter interpretari, ex occaſione ſiue materia dicti dirigendus eſt ſenſus. Prodeſt enim permultum, & amplius quàm ulla, quantumuis eloquens hominis lingua, exponere ualeat, caro Chriſti. Hoſtia enim eſt ſalutaris, expiatio mundi, pignus ſalutis, arrhabo ſpei & reſurrectionis noſtræ. Sine carne & ſanguine non potuiſſet perfici ſalus. Ideo dixit, Caro mea uere eſt cibus, & ſanguis meus uerus eſt potus: prodeſt itaq; caro Chriſti, & adeo prodeſt, ut niſi illam edamus non ſimus habituri uitam: non prodeſt autem ſicut iſti intelligebant edendam, non fide quidem & ſpiritualiter, ſed carnaliter. Atque hanc ſententiam & expoſitionem ſequutus eſt etiam Sanctus Auguſtinus Tractatu in Ioannem 27. Sed non indigemus ulla hominum expoſitione, ubi ipſe dominus ſeſe ſubinde clarius luculentiusq; exponit. At protinus hic dilucidam interpretationem appẽdit, Verba quæ ego loquor uobis, ſpiritus & uita ſunt. Quæ uerba obſecro? Ego ſum panis uitæ. Caro mea uere eſt cibus, & ſanguis meus uerus eſt potus. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Hæc inquam uerba ſpiritus ſunt & uita. Ergo non ſunt intelligenda de carnali quadam corporis dominici manducatione, quæ de carne non niſi animalem uitam ſuſtineret ſeu conſeruaret, ſed de ſpiritu ui ac uirtute Chriſti ueri dei & hominis uiuifica, exerente ſe & operante per fidem in credentibus, conſeruante nos in uitam æternam. Hactenus ergo uita ſunt, & eatenus uiuificamur, quatenus fide recipimus Chriſtum, qui ſanguine ſuo nos abluit à peccatis, patri reconciliat, ſpiritu ſuo imbuit ac totus in nobis uiuit, quo & nos uiuamus in eo. Proinde non eſt quod anxie nos torquentes per Carnem intelligamus literam, adeoq; carnalem ſapientiam: ſpiritum uero opponamus literæ. Totus enim contextus totius loci ualidiſſime conuincit Carnem hic pro ipſa carne corporis Chriſti, quod ex ſubſtantia uirginis accepit, capiendam, & per Spiritũ, diuinum Chriſti ſpiritum, uim uiuificam & uirtutem Chriſti liberantem ac exerentem ſe operantemq; per fidem in piorum cordibus eſſe intelligendam. Verbum enim caro factum eſt, in carne ſalutem peregit pleniſſime, paſſus pro nobis, mortuus, & ex morte reſuſcitatus, in carne aſcendit in cœlos, conſedit ad dexteram patris. Non enim ſupererat quicquam ſalutis perficiendæ quod ille in terris permanens perficeret. Expenderat corpus ſuum in mortem, mortem morte pepulerat, uitam reſurrectione reduxerat, atque eo modo ſe in cibum toti mundo, fide percipiendum & manducandum appararat. Itaq; ad cœlos aſcendit, unde ſe cibum omnibus diſtribueret gentibus. Emiſit interim apoſtolos inuitatum ad cœleſte conuiuium, qui docerẽt fidem, qua Chriſtus editur. Ipſe uero dominus Ieſus in omni gloria patris reſidens

Caro non prodeſt quicquam.

& cœlitus

& cœlitus iam regnans, uerus deus & homo, ille cibus, illa salus & uita est omniũ in se credentium. Communicat enim omnem iustitiam morte sua partam, & uitam resurrectione reductam in se credentibus, repurgans & uiuificans eos, et per fidem habitans in cordibus ipsorum, spiritu suo eos regens atq; gubernans.

Ita uero exposuit hunc locum maximæ eruditionis & rarissimæ pietatis uir, imò ecclesiæ Christi iubar beatus Athanasius, in libello de peccato in spiritum sanctum, siue de hoc quod dictum est in euangelio, Quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, &c. Verba si quis requirat hæc sunt, Cum de seipso loqueretur dominus, & filium hominis dixit & spiritum, ut ex illo quidem ostenderet sese corporeum esse, ex spiritu uero spiritualem suam intelligibilem uerissimamq; deitatem declararet. Nam posse consequi ueniam retulit ad filium hominis, ut significaret corpoream ipsius naturam: cæterum blasphemiam aduersus spiritum non remittendam declarauit ad spiritum pertinere, ut uerbis distinguens spiritum ab hac corporea natura suam ostenderet deitatem. Hanc autem sermonis formam etiam in euangelio Ioannis perspexi, ubi cum de corporis cibo differens, uideret eo sermone multos offensos, ait dominus, Hoc uos scandalizat? Si igitur uideritis filium hominis ascendentẽ ubi erat prius? Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquutus sum uobis, spiritus sunt & uita. Et hic siquidem utrunq; de se prædicauit, carnem ac spiritum, ac spiritum à carne distinxit, ut non tantũ quod uidebatur, sed hoc etiam quod in illo erat inuisibile credentes discerent, quod ea quoque quæ loquebatur non essent carnalia, sed spiritualia. Quot enim hominibus suffecisset corpus ad esum, ut hoc totius mundi fieret alimentum? Sed hac de caussa meminit ascensus in cœlum filij hominis, ut corporalem cogitationem ex eis auelleret, & posthac discerent, carnem de qua fuerat loquutus, cibum è supernis cœlestem, & spiritualem alimoniam ab ipso dari. Quæ enim dixi uobis, inquit, spiritus sunt & uita. Quod idem ualet ac si diceret, Quod quidem ostenditur oculis ac datur, pro mundo dabitur alimonia, ut spiritualiter hæc in unoquoq; distribuatur, fiatq; omnibus cõseruatorium ad resurrectionem æternæ uitæ. Ab hac beati Athanasij interpretatione nihil ferè discrepat uetustissimi scriptoris Tertulliani expositio in libro de Resurrectione carnis.

Expositio S. Athanasij Caro nõ prodest quicquam.

Oppugnatur his apertissimis sacrosancti euangelij locis ualidissime Romanæ illius neotericæ ecclesiæ sententia, perhibẽtis ipsum uerum domini corpus & sanguinem in sacramento altaris, transsubstantiatis pane & uino in corpus & sanguinem, contineri & esse, & sensualiter non solum sacramentum, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fideliumq; dentibus atteri, &c. Tametsi enim nihildum in hoc capite de sacramẽtali loquatur manducatione, de qua dicitur Matthæi 26. manifestissime tamen confutat omnium eorum sententiam, qui putant uerum domini corpus corporaliter siue carnaliter manducandũ esse. Ita enim manducatum nihil prorsus prodesse pronunciat apertissime dominus. Prodest autem ad uitam æternam spiritualiter, id est fide ac spiritu manducatum. Non mutatur corporis Christi substantia, non exuit suam naturam, nõ uertitur in spiritum, non diffunditur per omnia, non deificatur, ut ille ait, non fit inuisibile, ut illud iam spirituale & inuisibile redditũ nihilominus corporaliter sumamus. Perstat enim immobilis ueritas, Caro mea uere est cibus. Et, Nisi ederitis carnem meam, non uiuetis. At hæc caro ipsissima est caro quæ assumpta est de Maria uirgine, nostræ carni, excepto peccato, per omnia similis, quæ crucifixa est, resurrexit, ascendit in cœlos, ac sedet nunc ad dexteram patris, inde uentura iudicare uiuos & mortuos. Non ergo aliud domini corpus quàm naturale illud ex uirgine sumptum, est ui-

Noua expositio Rom. ecclesiæ neotericæ.

talis cibus, quod nec aliud ad uitam percipiendam edendum est. Verum edendū, non ore quidem corporis, sed animi, nempe per fidem. Nam ratio sumendi certa aperta & maxime effabilis est. Si enim credamus uere & ex animo, non quidem quod panis conuersus sit in carnem, aut corpus in pane lateat, sed quod corpus domini pro nobis traditum, sanguis pro nobis effusus est, illa ipsa fide & non ulla alia ratione edimus corpus domini uerum, & bibimus sanguinem uerum. Nam edere & bibere aliud non est quàm credere. Vnde non est ut nodum quæramus in scyrpo ac tortuosis loquutionibus diuexemus conscientias piorum, confingentes uel miraculum uel modum edendi alium, aut fidem aliam quàm hic docuit dominus, aut curiosa quædam mysteria, quæ nec ipse dominus tradidit, nec ipsi plene intelligimus, nec alijs plene ac plane explicare possumus. Maneamus in simplicitate pia, in ipso inquā uerbo Christi, ut Christus maneat in nobis. Quæ uero de Cœna illa domini sacra & maxime mystica dicenda sunt, exposui pro mea tenuitate in 26. cap. Matth.

Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Nouerat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis proditurus esset ipsum. Et dicebat, Propterea dixi uobis, quod nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datū à patre meo.

Obiurgat incredulitatem.

Pertinent etiam hæc ad superiora. Per correctionem enim planè patheticam tale quiddam dicit, Multa quidem differui hactenus de uera salutis ratione, quomodo iustificentur & uiuant homines: uerum uideo multos ex uobis ista non magnifacere: quia non habent fidem. Addit Augustinus Tractatu in Ioannem 27. Non dixit, Sunt quidam in uobis qui non intelligūt, sed causſam dixit quare non intelligant. Sunt enim quidam in uobis qui non credunt, & ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit, Nisi crediderit is, non intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum uiuificamur: prius hæreamus per fidem ut sit quod uiuificet per intellectum. Nam qui nō hæret, resistit: qui resistit, non credit. Nam qui resistit quomodo uiuificatur? Et cætera. Intertexit Ioannes pro more historico Iesum non ignorasse pro diuino suo ingenio eos qui non erant crediturí. Id monuit ad amplificandam Christi authoritatem maiestatemq́, & ad præmolliendum defectionis scandalum. Rursus uero & fidei & incredulitatis causſam repetit. Credunt qui trahuntur à patre: qui non trahuntur â patre, non credunt. Trahit pater per gratiam non opponentes se ueritati, sed obsequentes & industrios discipulos. Non trahuntur contemptores uerbi, calcantes omnem doctrinam cœlestem, affectibusq́, nequicquam aliud in cordibus spiritu dei bono dictante, perrumpentes: unde tandē omnibus spoliantur donis erroribusq́ relinquuntur circumraptandi. Itaq́ non credebant Iudæi sermonibus Iesu, quia rebelles & ignaui erant auditores, aures quidem præbentes uerbis & uoci domini, sed animos subtrahentes eius obsequio.

Incredulitatis causſa.

Ex eo tempore multi discipulorū eius desciuerunt, eo relicto, nec amplius cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Num & uos uultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. Respondit eis Iesus, Nónne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Dicebat autē de Iuda Simonis Iscariota:

hic

hic enim erat proditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

Attexuntur superiori disputationi egregia manducantium & bibentium carnem & sanguinem domini, & non manducantium bibentiumq; carnem & sanguinem Christi, exempla. Defectores enim neque edunt neq; bibunt Christum, quia fide carent. Vndecim uero discipuli siue apostoli uere edunt ac bibunt. Credunt enim in dominum Iesum quem magnifica & uiuida confessione fidei confitentur. Vide autem Lector quantum malum sit insynceris mentibus ad prædicationem uerbi dei accedere. Capernaitæ uentrem quærũt non Christum, ob quam rem cum amicè admonerentur à domino, docente quid in prædicatione uerbi dei quærendum sit, adeo non resipuerunt ut etiam murmurare incipiant: murmur deinde exit in dissidium & rixas, quas excipiunt blasphemiæ & defectio à Christo & ueritate. His uidelicet gradibus in profundum descendunt hypocritæ impuris pectoribus euangelium consectantes. Subducunt se isti à conuictu & consortio Christi, cuius iam pudebat atque pigebat, ceu hominis blasphemi, indigna & deo & homine uerba profundentis. Discessu suo palàm damnare uolunt uniuersam & doctrinæ & uitæ rationem. Hoc si domino euenit, de quo cecinit propheta diffusam esse in labia eius gratiam præstantissimam, quid balbutientes seruuli expectaremus aliud? Si ergo uideas plurimos deficere à ueritate euangelica, cui hactenus adhærere uidebantur, ne turberis: cogita quæ & Christo & apostolis acciderunt, & persta in cognita ueritate immobilis.

Exempla manducantium corpus Christi & non manducantium.

Defectio à ueritate.

Duodecim rogat, num & ipsi discessionem meditentur, nõ quod ignoret quid cogitent aut quid facturi erant, sed ut fidem eorum fideiq; professionem in exemplum toti ecclesiæ proliceret proponeretq; imitandum & retinendum: simul autem indicaret spontaneas propensasq; sua sponte mentes in religionis negotio nõ coactas difficilesq; postulare & approbare dominum. Discedentibus ergo reliquis cõuersus ad duodecim, quos singulariter peculiares sibi asciuerat testes omnium quæ docebat atq; gerebat, ait, Num & uos uultis abire? Ad quæ Simon Petrus ardentis fidei semper in Iesum, & nunc quoq;, non suo, sed omnium nomine (uel Augustino quoq; ipso dicente, Respondit Petrus pro omnibus, unus pro multis, unitas pro uniuersis) respondens magna cum alacritate clamat, Domine ad quem ibimus, &c. Omnes aspiramus ad lucem & uitam æternam, quæ non inuenitur nisi eo loco ubi est: est autem apud te solum lux, iustitia & uita sempiterna: quò ergo abiremus domine quæsitum lucem & uitam? Tu uerba uitæ æternæ habes: si quis uerbis tuis obsequatur, si quis promissionibus tuis credat, uiuet in æternum: tu itaq; largiris uitam qui es salus & uita fidelium. Vitam, exponit Augustinus, habes in ministratione corporis & sanguinis tui. Cyrillus quoque libro in Ioannem quarto, cap. 28. ait, Ad quem ibimus, inquit, id est, quis nos docere similia poterit? uel apud quem meliora inueniemus? cum tu non dura ut illi dicas uerba, sed æternæ uitæ uerba habeas, id est, quæ conducere credentes possunt ad uitam incorruptibilem. Addit ille, Hinc etiam discimus unum solummodo Christum sequendum esse magistrum, illi soli inhærendum qui ad uitam æternam deducere potest. Et reuera meretur hic euangelij locus ab omnibus Christianæ religionis studiosis quàm diligentissime obseruari. Nam docet nos simplicissime & uerbis paucissimis ubi ueram philosophiam discamus, ubi ueram uitam, ubi denicq; indubitatam ueritatem inueniamus: in Christo uero deo & homine ac eius sacrosancto euangelio. Vita illa non inuenitur in philosophia Platonis aut Aristotelis, non inuenitur apud Pharisæos & monachos: mors se promit in omnibus horum insti-

Christus fons est uitæ.

tutis: mors, deceptio & interitus in uniuerso se mundo improuidis & stulta sectan tibus ingerit: mortem, fallaciam & interitum solus ille effugit qui Christum arctis sime complexus cum Petro clamat, Ad te solum ibimus: uerba uitæ æternæ habes, in uerbo tuo, in scriptura, in sacrosancto euangelio, adeoq; in teipso est lux, ueritas & uita.

Vera fidei confessio.

Sequitur quod amplius fidem apostolicã declaret, Et nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. Discedãt alij, pudeat eos Christi & euangelij eius, eligant sibi præcellentia huius mũdi gaudia, adhæreant doctis, eloquentibus, opulentis, & opinione huius sæculi beatis: nos uero facile illis omnibus ualedicimus, omnia illa præ te contemnimus. Nam de eorum sumus numero qui tua carne cupimus pasci ac saturari, tuoq; inebriari sanguine: ergo credimus fide indubitata, & cognouimus iam ex multis cum sermonibus tum factis diuinis te esse panem uitæ, filium inquam uiuentis dei, uiuificatorem mundi, illum expectatum Messiam, redemptorem ac saluatorẽ orbis. Puto autem apostolos magnam, imò indubitatam fidei suæ certitudinem his uerbis, Et nos credimus & cognouimus, enunciare uoluisse. Sanctus Cyrillus libro in Ioannem 4. cap. 29. singulari sapientia putat duo hæc discrete esse posita. Non enim, inquit, quia credimus rationem omnino contemnimus, sed conamur potius aliquam ut in speculo & ænigmate cognitionem habere. Optime autem fidem cognitioni præposuerunt. Præcedit nanq; fides, cognitio sequitur, iuxta illud, Si non crediderit is, non intelligetis. Nisi enim absq; ulla dubitatione fidei ieceris fundamenta, non poteris paulatim cognitionem quæ in Christo est superædificare, ac ita in uirum spiritualẽ euadere. Ecce, inquit, ego immittam in fundamentis Zion lapidem, electum angularem & preciosum: initium enim & fundamentũ in sanctificationem atq; iustitiam Christus est, per FIDEM scilicet, & NON ALITER. Hoc enim modo in nobis habitat. Hæc ille. Quid autem crediderunt & cognouerunt apostoli? Quod tu es Christus filius dei uiui. Id est (uerbis utor Sancti Augustini) quia ipsa uita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo nisi quod es. Plura de hac confessione, Tu es Christus filius dei uiui, lege apud Matth. in 16. cap. Porrò hanc ueritatis orthodoxam confessionem reliquit dominus ecclesiæ suæ ad finem usque mundi, ut electi in hac, in omnibus turbis, sectis, hæresibus & discessionibus maneant cõstantes. Non est quod te diuexes quomodo panis sit naturalis caro Christi, conuersa & transsubstantiata specie: non est quod te affligas propter manducationem corporis Christi carnalem & tamen inuisibilem & ineffabilem. Apostoli in præsenti uere edunt carnem Christi & bibunt eius sanguinem, & suæ manducationis relinquunt nobis uiuum exemplum, quod hactenus descriptum est. Crediderunt in dominum Iesum: quomodo autem crediderint, satis hucusq; expositum est: constat ergo quomodo nos quoq; recte credamus, & manducemus corpus domini bibamusq; eius sanguinem. Postea uero cõmunicarunt etiam sacra synaxi siue Cœna mystica apostoli domini. Ideoq; propter spiritualem manducationem non est negligenda sacramentalis illa, quæ maximum in ecclesia usum & fructum habet. De quo suo loco.

Ad maiorem incitat diligentiam.

Post hæc acrioribus eos confirmat uerbis, diligentioresq; facit periculo in medium prolato. Sic enim uidetur dicere, Recte uos confitemini, recte creditis, recte item mea omnia intelligitis, uerum nolite ideo extolli, magna potius opus erit uobis diligentia magnaq; uigilantia. Vndiq; se ingerunt pericula. Videmini habere consortium integrum & probum, sed est inter uos nebulo. Sic ergo res mortalium lubricæ parumq; tutæ sunt, ut nunquam non metuendum, uigilandum atq; orandum sit,

dum sit. Ego uos ut bonos elegi, quanquam interim futura non ignoraui, sed retinet unum uestrum auaritia deceptum diabolus. Quod si è duodenario illo numero à Christo ad satanam unus deficit, quis oro polliceatur sibi porrò securitatem? Diabolus calumniator & delator est, Iudam appellauit diabolum, non tam quod delator & proditor futurus erat, quàm quod ministrum & organũ se præbuit diabolo, per quod operaretur. Ioannes apostolus de suo & explicandi gratia adiicit, Dicebat autem de Iuda, &c. Indignitatem rei subnotat, quando dicit, Cum esset unus ex duodecim. Obseruandũ in his diligenter, quod apostolos licet recte confitentes ad maiorem incitat diligentiam uigilantiamq;. Hoc enim cauet dominus ne nobis propter aliqua dona nimiũ placeamus atq; stertamus securi. Ideo enim Iudæ exemplum calamitosissimum protulit. Perpetuam ergo uult esse in pijs sollicitudinem de retinendis atq; augendis dei donis. Id quod eleganter prosequutus Ioannes Chrysostomus Homel. in Ioan. 46. dixit, Hoc admoniti exemplo et sobrij esse & uigilare contendamus. Nam si ei qui in sanctum illum chorum connumeratus erat, qui tantum donum consequutus, ut signa faceret (etenim Iudas cum alijs ad suscitandos mortuos & mundandam lepram mittebatur) ex quo grauissimo auaritiæ morbo captus est, nihil ei neq; beneficia, neq; dona, neq; Christi consuetudo, non obsequium, non lotio pedum, non mensæ participatio, non loculorum custodia profuit, sed omnia hæc aditus ei ad supplicium fuerunt, timeamus & nos, ne quando per auaritiam Iudam imitemur. Non qui tradit Christum, sed qui pauperem fame confectũ uel frigore, cõtemnit, eiusdẽ reus erit supplicij, &c.

Exposui hisce duobus capitibus & libro hoc commentariorum nostrorum tertio maxima nostræ religionis capita, quod Iesus Christus dominus noster uerus & naturalis sit dei filius, patri coæqualis & consubstantialis: & quod idem incarnatus sit pro salute nostra & homo factus: quod corpus suum tradiderit in mortẽ, ut nos à morte liberet, sanguinemq; effuderit ut nos à peccatis ablueret hæredesq; faceret uitæ æternæ, quodq; huius uitæ & hæreditatis per fidem in Christum fiamus participes.

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER IIII.

COMPENDIVM *summam & scopum uniuersæ doctrinæ euangelicæ hactenus graphice depinxit Ioannes, subiungit nunc peculiaria quædã de doctrina & doctoribus euangelij, quod nam horum sit officium: qualis esse debeat eorum doctrina: quomodo probandæ & cognoscendæ doctrinæ, an ex deo sint: quod Christus dominus nihil peccarit contra doctrinam legis: quomodo item ueritatis doctrina prolata mundo excipiatur, & quantæ propter euangelium turbæ exoriantur, dum hic uinculis, minis & cæde illud conatur opprimere excindereq;. In his tamen turbis perstat dominus nihilominus animo intrepido, testimonium ferens ueritati, admonens etiam quæ mala maneant euangelij contemptores, & inculcans idem perpetuo doctrinæ genus, unde uidelicet salus sit, ex unico dei filio, si in ipsum credatur, & quæ sit fidei uis. Hanc pietatis doctrinam ut pij cupide recipiunt & complectuntur, ita impij irritantur magis ac magis, conantes ipsam conuitijs defœdare, ac modis omnibus opprimere, sed dei potentiam non superat impotentia hominum, quæ semper frustratur & delusa atque turpiter confusa abit. Post hæc ponit Ioannes insigne bonitatis & misericordiæ dei exemplum, unde intelligere licet quomodo Iesus sit fons aquæ uiuæ sitientes potans ad uitam æternam. Rursus autem sub inuolucro alterius cuiusdam parabolæ sanæ doctrinæ summam comprehendens, docet se esse lucem & saluatorem totius mundi: quam ueritatis doctrinam Iudæi rixatores polluere conantes multa cauillantur. At tuetur & confirmat illam dominus gnauiter ac firmiter, denuncians contentiosis pœnam, aperiens simul contentionis errorisq; causas, ac subinde se clarius clariusq; explicans quod sit saluator mundi, qui seruet credentes, incredulos damnet: quod doctrina eius certa sit & infallibilis, id quod iterum atq; iterum repetendo inculcat. Hoc enim mordicus in omnibus concertationibus retinendum est. Porrò fideles & sanctos, qui ipsi crediderant, plenius instruit quid faciant, quomodo oporteat in cognita ueritate perseuerare, & quæ sit libertas filiorum dei. Rursus refellit prauam Iudæorum gloriationem iactantium se esse filios dei ac semen Abrahæ. Docet enim dominus qui sint ueri Abrahæ filij, quod ingenium filiorum dei & diaboli, item quod ingenium quæ opera diaboli, ac notam quidem filiorum dei euidentissimam esse auscultationem uerbi dei. Hanc fidelem & egregiam domini disputationem conuitijs excipiunt Iudæi, quibus dominus denuo summam ueræ & sanæ doctrinæ ingerit, non nisi fide in Iesum Christum constare salutem & uitam mundi, adeoq; ipsum Abrahamum uixisse per fidem Iesu Christi filij dei. Ad quam ueluti blasphemiam extremam excitati lapides arripiunt, animaduersuri scilicet in blasphemum: uerum hic sese è turba subduxit tumultuantium. Suppeditat autem tota hæc totius lib. 4. dissertatio pulcherrimum exemplum rei maxime necessariæ, quo modo uidelicet oporteat in omnibus turbis, persequutionibus, minis, disputationibus, rixis, conuitijs atq; calumnijs huius mundi unice ad Christum ac infallibile huius uerbum euangelij ceu unicam in procelloso ponto Cynosuram respicere, & fidem in eum constantissime retinere.*

CAP. VII. Versabatur Iesus post hæc in Galilæa: non enim uolebat in Iudæa uersari, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in propinquo dies festus Iudæorum scenopegia. Dixerunt igitur ad eum fratres eius, Transi hinc & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palàm esse. Si hæc facis, declara teipsum mundo. Nam ne fratres quidẽ eius credebant in eum.

Fugit Iesus à sanguinarijs.

Adnotat locũ & tempus quod ex ijs existat consequentis historiæ occasio. Locus notatur Galilæa, in qua ideo hæsit dominus, abhorrẽs à Iudæa, quoniã Iudæi struebãt insidias uitæ illius. Libẽter enim dñs subducit se hoĩbus sanguinarijs, cædesq; spirantibus, requiescit autem spiritus eius super pacificos, humiles, & uerbũ ipsius reuerentes. Et fugere quidem licere hostiũ insidias approbat domini exemplum. Tempus appetebat quo solebãt se hoĩes Galilæi Hierosolymitanæ profectioni accingere apparareq; ad diei festi celebritatem. Græcis ea uocabatur σκηνοπηγία nimirum

nimirum à figendis tabernaculis seu constitutione tentoriorum. Nam σκηνὴ scena est ac tabernaculum πηγνύω figo. De ea festiuitate legis Leuit. 23. Iosephus Antiquitatum lib. 3. cap. 13. Memoria, inquit, erat patrum, qui aliquando habitarant in tabernaculis, maxime in deserto dum ex Aegypto redirent. Typus uero erat uitæ humanæ, quæ nihil certi aut fixi habet, sicut alibi quoque apostolus Paulus testatur, maxime ad Hebræos 11. & 2. Corinth. 5. Quoniam autem ad diem festum magna hominum uis ex uniuersa Syria ac finitimis etiam regionibus confluere solebat Hierosolymam, ob templi celebritatẽ, cuius religionẽ uel apud gentes uenerabilẽ fuisse testantur historiæ, cognati Iesu, quos pro linguæ sacrę proprietate, de qua dictum est 12. cap. Matth. fratres appellat, freti propinquitatis iure, & gloriam famamq; ex cognati laude & egregijs facinoribus quærentes, hortantur ipsum satis imperiose, confidenter, intempestiue, nec sine omni contemptu, dicentes, Satis superq; hic cessatum est, quid hic inter ignobiles Galilæos delitescis? apud quos nullam neque tibi ipsi neque nobis cognatis tuis gloriam consequeris. Proinde transi hinc, Mach dich von hinnen, & confer te in Iudæam florentissimam regni partem, & Hierosolymam totius gentis caput. Illic licebit plures colligere discipulos præclaris istis tuis factis, & si quos tibi fauentes habes in fide retinere. Adiungunt quod commoueat argumentum. Nemo potest simul latere uel in occulto esse & libere uersari in ore & sermonibus liberis hominum, id est celebris esse: ergo si tanta potes quanta de te prædicas, fac ut talis innotescas mundo. Vel, Nemo studet apud seipsum in occulto & apud suos interq; familiares suos in dicendo esse liber: ac tu quidem plus satis es liber in gerendis rebus, & præsertim in dicendo, sed inter nos nullius propemodum ingenij & nominis homines, Hierosolymam abi, ubi sunt homines clari, scribæ, pharisæi & legisperiti, ubi magna hominum multitudo confluit, & ibi merces tuas expone, ibi concionare, ibi designato miracula, & probaberis ab illustribus. Adijcit Ioannes, Nam ne fratres quidem eius credebant in eum: uidelicet ne quis inciuilem procaciam, arrogantem atque impiam quoque orationem plurimum, & imperij & contemptus spirantem cognatorum domini admiraretur. Non enim alieni duntaxat aspernabantur dominum, ait apostolus, sed ne ipsi quidem cognati eius, ita ut decebat de eo iudicabant. Sanctus Augustinus Tractatu in Ioannem 28. Quare in eum non credebant? inquit, Quia humanam gloriam requirebant. Nam & quod eum uidentur monere fratres, gloriæ consulunt, &c.

Dicit ergo eis Iesus, Tempus meum nondum adest: tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse uos: me autem odit, quia ego testimonium fero de illo, quod opera eius mala sint. Vos ascendite ad diem festum hunc: ego nondum ascendo ad festum hoc: quia meum tempus nondum impletum est. Hæc autem cum dixisset illis, mansit in Galilæa.

Ad hanc cognatorum suorum tentationem hæc respondet dominus, Tempus meum nondũ aduenit, id ubi hortabitur, non erit opus uestris monitis. Scio quid, quando, quidq; agendũ sit: quomodo itẽ et quãdo me oporteat innotescere mũdo, nõ ex humano pendet cõsilio, sed ex patris decreto. Quod si uobis eadem mecum negotia forent perficiẽda, nequaquã quodlibet tempus ad agendũ appositũ esset, nõ quouis ire liceret: nũc uero tutò potestis ire quo lubet, quoduis tempus uestris pficiendis negotijs est appositũ, quando mundus uos ut sibi consentientes diligit.

Ego gloriam patris mei & hominum ſalutem quæro, ac tantũ abeſt ut apud mundum captem gloriam, ſicut uos me gloriari cupitis, ut odium potius illius in me concitem, diſſentiens uidelicet ab illius cupiditatibus ac palàm teſtificans, quod mala ſunt opera illius, in quibus tamen ille fictam pietatẽ & falſam felicitatem collocat. Proinde mihi quidem non ſatis tutum eſt quoties quiuis iubeat eundi quouis. Vos quibus omnia tuta & commoda ſunt abite Hieroſolymam celebraturi feſtum: ego aliam opportunitatem expecto: nondum illud tempus aduenit in quo non ſine ſpectabili fructu patris mei negotium exequar: id uero ubi aduenerit, occurram ultrò. Quemadmodum uero uerbis ſe facturum promiſit, ita & factis præſtitit, manens ad iuſtam uſq; opportunitatem in Galilæa.

Officium concionatorum.

His uero pleniſſimum docentibus præbuit exemplum dominus, admonens fideliter quodnam ſit concionatorum euangelij Chriſti officium. Primum omnium caueant ne quid hic gerant ex affectibus uel ſuis uel aliorum. Suboritur aliquoties affectus ambitionis, cupiditas gloriæ, opum & uoluptatum, præſcribunt non raro cognati & affines concionatori euangelico regulam, quam in concionando ſequatur, ne uidelicet aſperitate aut acerbitate ſua quenquam offendat, ne cuiuis ſuum ulcus attingat, ne diſerte errores & ſcelera taxet, id eſt ſuauiter & benigne agat omnia: ſic enim poſſe ad honores & opes peruenire omnium horarum homines. Verum ad has ſuadelas ceu Syrenum cantum aures occludat quiſquis in officio concionandi ſyncere uerſari cupit. Diſcat potius Chriſti domini exemplo nihil prorſus cognatorum, affinium, adeoq; carnis ſuæ propriæ affectus curare. Scopum autem ſibi præfigat, à quo nunquam deflectat oculos, gloriam dei, ſalutem hominum, & uerbum dei infallibile: ergo quam in eo tibi tradidit regulam concionandi, quod ille tibi reliquit exemplum, imitare. Per apoſtolum ſuum Paulum præcepit nobis, Prædica ſermonem, inſta tempeſtiue, intempeſtiue, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina, &c. Deinde caueat quilibet ne quid temere & inconſulto deo agat. Loquitur ille nobiſcum in uerbo ſuo. Conſulimus ergo illum cum uerbum eius conſulimus, cum precamur & ſpiritum illius imploramus. Omnia uero, quod & ſapiens dixit, ſuũ tempus habent: obſeruanda ergo erit concionatori temporis opportunitas. Ideo enim dominus apud Lucam, O, inquit, quanta res eſt fidelem & prudentem eſſe diſpenſatorem, quem conſtituet dominus ſuper famulitium ſuum, ut det illis in tempore demenſum cibum? Neq; uero ubilibet locorum prout mundus poſcit atq; præſcribit diuulgandum eſt euangelium. Abhorruit modo dominus ab Hieroſolymorum urbe. Cauſſa apponitur, Quia Iudæi quærebant illum interficere. Recuſauit Paulus in publicam produci diſputationem, quam intellexerat artibus & inſidijs eſſe inſtitutam: ſicut legis Acto. 23. Sanctus Ambroſius ſuæ fidei & doctrinæ rationem Mediolani in eccleſia & apud ſuos quos docuerat reddere uoluit, non in aula & coram iudicibus Cæſaris: quemadmodum extat epiſt. libro quinto, epiſtol. 29. Et nos hodie Romam proficiſceremur, & academias Papiſticas & Papæ iuratas peteremus, iſtis uidelicet ſub iudicibus & eorum in foro diſputaturi de religione & expoſituri merces noſtras, nimirum margaritas porcis, ac ſanctum proiecturi canibus: quoniam id iubent atque præcipiunt, qui & euangelium & omnes euangelij miniſtros cupiunt extinctos? Præcipuum uero munus doctoris euangelici eſt ferre teſtimonium de mundo quod opera eius mala ſunt. Proinde erit illi accuſanda & omnibus modis perſequenda omnis generis ſuperſtitio & impietas, principum uidelicet, antiſtitum religionis, diuitum & pauperum: nemini prorſus parcendum, prædicanda eſt pœnitentia. Hoc & Ie-

Non quouis eundum concionatori.

remiæ

remiæ præcipitur in cap.1.& 7.Ezechieli in 3.& 33. Rursus uero docenda est religio & pietas,consolandæ & erigendæ confirmandæq; mentes perterrefactæ,consolatione euangelica, per meritum & promissa Christi, suadenda omnibus fides, innocentia & charitas.Atque hic expectorandus est omnis metus qui generosum conturbat spiritum; nullibi colludendum cum aduersarijs pietatis. Fruantur illi suis festis, sacrificijs,legibus,ceremonijs,tu gloriam patris,salutem hominum,negotium pietatis age,hoc promoue: quemadmodũ & Christus necessarijs suis præteritis solus agit quod è re gloriæ patris fore credidit,sicut sequitur.

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festum, nõ manifeste,sed uelut in occulto.

Abit nunc Hierosolymam dominus, quia opportunitas oblata fuerat iusta. Solus autem ascendit,non conductus suorum cognatorum comitatu, quos uelut carnales nolebat ullibi admisceri euangelico negotio. Discant autem omnes ministri uerbi occasionem non præterire, sed illa oblata, animo forti negotium aggredi domini, carnaliumq; affectus à se quàm remotissime propellere.Hierosolymis latet ad tempus,non prodit mox.Nam etiam hic captauit occasionem,ut prodiret tandem in publicum maximo cum fructu, interim & desiderium & expectationem sui magis irritaret,imò & locum concederet tam amicis quàm aduersarijs ea quæ de ipso sentiebant libere pronunciandi.

Iudæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant, Vbi est ille? Et murmur multum erat in turbis de eo. Quidam enim dicebant,Bonus est. Alij autem dicebant,Non,sed seducit turbam. Nemo tamen palàm loquebatur de illo,propter metum Iudæorum.

Propter turbas non deserenda ueritas.

Perstringit his euangelista uulgi de Christo & euangelio iudicia, nimirum ut ministrorum uerbi animos in similibus dissentionibus confirmet ne sibi propter huiusmodi diuersa iudicia excidant,& ueritatis deserant negotium.In absentem, ait,sermones uarij in populo ferebantur, quod non esset eadem omnium de Iesu opinio. Videtur autem nasum habere petulantem illud quod dicunt, ποῦ ἐστὶν ἐκεῖνος; quod Germanice quoq; non citra dentem efferentes, dicimus, Wo ist yetz der? nunc certe oportebat adesse illum, qui tanta de se prædicat: quia uero subducit sese,abunde declarat qualis sit,& quod caussæ suæ diffidat. Plenius autem diuersas de Christo sententias exponens apostolus,Nonnulli,inquit, populares qui sermones de pietate audierant miracula q; eius uiderant, dicebant Iesum esse uirum bonũ, & habere caussam bonam, ideoq; indignum qui absens sic suggillaretur.E diuerso sacerdotes & pharisæi cum suis complicibus negabant illum esse uirũ bonum,negabant habere caussam bonam.Dicunt enim,Seducit turbã,nouo scilicet & insolito docendi genere,quod longe lateq; discrepat ab eo quod à maioribus nostris accepimus. Atq; hoc tanta fiducia & improbitate urgebant,ut nemo bonorũ auderet palàm siue libere(nam Græce est παῤῥησίᾳ ἐλάλει) loqui quod sentiebat de Christo. Clancularijs ergo susurris quædã inter se spargebant amici Christi,nemo tamẽ pdibat & libere ꝓfitens ueritatẽ defendebat Christũ, & caussam eius bonã. Caussa adpenditur,Metuebãt enim Iudæorũ ꝓceres,quibus intelligebãt Iesum uehementer inuisum, nimirũ quod ipsorũ authoritatem suis dictis factisq; uideretur imminuere. Hoc scilicet piorũ ferè est ingeniũ, qui nondũ in fide plene indurue-

runt,ea est plebis pusillanimitas & imbecillitas. Quam si in uulgo deprehenderit cõcionator,ne obstupescat & hæreat trepidus,pergat nihilominus in ueritatis patrocinio fidelem agere Christi ministrum. Imò si damnetur à principibus,si uideat & audiat plebẽ sententijs uariare & uacillare, si cernat exoriri turbas, si seductor hæreticus atq; schismaticus appelletur, ne respiciat, sed usq; progrediatur ueritati sanctum ferens testimonium. Prodit enim nunc quoq; Iesus cum dissidium maxime ferueret & aduersarij ueluti uictores epinicion canere uiderentur. Sequitur enim,

Cum autem iam dimidium festi peractum esset, ascendit Iesus in templum,ac docebat. Et mirabãtur Iudæi,dicentes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?

Festum tabernaculorum quale?

Cum iam dimidium festi esset peractũ,prodit Iesus. Festi enim celebritas prorogabatur ad aliquot dies. Cohærent enim inter se festa quatuor. Prima dies Septembris erat festum Tubarum siue iubili, memoria uictoriæ contra Amælech. Decima die celebrabatur festum expiationum. Fiebat enim eo die pro omnibus oblatio peregrinis,pauperibus,captiuis,atq; ijs pro quibus per annum nõ licebat sæpius offerre. Itaq; uniuersali sacro expiabantur omnes. In eo affligebant animas suas, quod toties uidelicet benignum patrem peccatis & sceleribus offendissent: excitabant præterea fidem suam, qua credebant unica Christi futuri expiatione orbem absoluendum esse à peccatis,&c. Die decimaquinta incipiebat festum tabernaculorum,de quo supra diximus, durabatq; per integros dies septem. Porrò ultima illa die erat collecta. Nam coibat in cõcionem populus magna frequentia. Hinc concionabatur aliquis de rebus sacris, prouocabat ad liberalitatem, colligebaturq; collecta in sacros sumptus tabernaculi siue templi expendenda. De qua re copiosius scripsit Moses Leuit.23. & Num.29. Videtur ergo dominus ascendisse in templum die quarta festi tabernaculorũ,decimaoctaua uidelicet die Septembris uel postridie. Dicit enim, Cum iam dimidium festi peractum esset. In templo docebat, prædicando uidelicet non sacrificando festum celebrans, ipso facto suo manifestissime declarans præcipuam ueræ religionis partem esse doctrinam pietatis. Et uidetur quidem occulte conferre doctrinam euangelij cum sacrificijs Iudaicis,omnicq; cultui externo præferre pietatis doctrinam adeoq; fidem in dominum. Fecerunt idipsum etiam prophetæ, quorum testimonia notiora sunt, quàm referre necesse sit. Ideo peruerse religiosi sunt,qui neglecta uerbi assidua prædicatione, toti occupantur in templis suis inutilibus ferè ceremonijs ac nescio quibus nugis. Docebat autem dominus in templo nõ traditiones pharisaicas,sed doctrinã euangelicam,talem omnino qualem expossuit hucusq; Ioannes apostolus, quam & tanta proposuit certitudine & authoritate, ut quod opponerent Pharisæi non haberent. Paraphrastes enim,Iudæi, inquit, cum doctrinam eius calumniari non possent,tamen authoritatem apud populum studebant adimere, admirantes, cum esset idiota & literarum rudis: nunquam enim institutus fuerat in doctrina pharisaica, cuius professione turgebant illi: unde nactus esset ea, quæ è sacris uoluminibus magna sapientia depromebat, uelut insimulantes eum quod dæmonium haberet, aut alia quauis arte magica scientiam esset consequutus earum literarum,quas ab hominibus non didicisset, Quomodo, inquiunt, hic faber, fabri filius literas scit, cum eas nunquam didicerit? Hæc ille. Literas itaq; usurpant pro ipsis scripturis sanctis,quemadmodum Latini per literas intelligimus non raro eruditionem uariam & multiplicem. Discant ecclesiarum ministri hoc Christi domini exemplo,

Præfertur doctrina pietatis sacrificijs.

Quid doceant ministri ecclesiarum.

non

non hominum traditiones & doctrinam pharisaicam, sed uerbū dei, literas sacras & doctrinam euangelicam docere ac profiteri in ecclesia. Si quis autem illos ideo contemnit quia nec rasi sunt nec uncti neq; gradibus titulisq; papisticis in scholis uniuersalibus insigniti, ne putet sibi deesse quicquam. Sufficit enim illi quod sana imbutus est doctrina, quod scripturas orthodoxe intelligit & exponit, quodq; legitimam à deo uocationem habet in ecclesia. Arbitrabantur Iudæi neminem doctoris officio rite fungi posse, nisi prius institutus in scholis pharisaicis, authoritatem docendi accepisset à pharisæis. Non agnoscebant dominum nostrum plenitudine sancti spiritus, utpote Messiam uerum, esse unctum, et omnem authoritatem ac potestatem accepisse à patre. Ideo uero non est tentandus dominus, non sunt aspernanda literarum studia, quia dominus literas nouit quas ab hominibus non didicit. Dominus enim deus est. Nos homines sumus, qui hominum ministerio discimus, diligentia & industria nostra proficimus, ita tamen, ut totum hoc quod didicimus doctrinæ pię & sanctę, spiritui sancto acceptum referamus. Nam hic studia, industriam & diligentiam nostram prouehit, fœlicitat & ad iustam frugem producit. *Discendæ literæ.*

Respondit eis Iesus & dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, cognoscet de doctrina, utrum ex deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit ipsum, hic uerax est & iniustitia in illo non est.

Iesus ut nobis mansuetudinis & modestia relinqueret exemplum, suspitionem tam impiam leuiter submouet, ostendens unde didicerit literas, & quod doctrina sua nō profecta sit uel ab homine uel à dæmonio, sed ab ipso deo patre, cuius erat sapientia & uerbū filius. Mea, inquit, doctrina (uerbis utor Paraphrastæ) quam admiramini unde mihi contigerit, cum ab homine literas non didicerim, non est mea, sed est patris mei, qui me misit in mundum, ut mundus seductus uarijs hominum doctrinis & impijs cupiditatibus occæcatus, per me cognoscat illius uoluntatem, cognitam sequatur, & sequendo uitam consequatur æternam. Hæc est autem illius uoluntas, ut credentes dictis filij, per quem ille uos docet ac loquitur, salutem æternam adipiscamini. Sed quomodo, ais, doctrina Christi, nō est Christi? Si enim Christi est, quomodo negat esse suā? aut si nō est Christi, quomodo uocat suam? Dicit enim, Mea doctrina &c. Paradoxon est, cuius sententia & intellectus genuinus dependet ex præcedentibus mimesim quandam referens. Aduersarij enim non agnoscebant Iesum esse dei filium, sed criminabantur hominem esse impostorem & seductorem turbæ. Atq; huius quidem respectu uidetur dicere, Mea doctrina non est mea: id est, doctrina mea non est talis, qualem falsò imaginamini, neq; à me ceu à puro siue nihil aliud quàm homine proficiscitur. Nam ex deo processi & ueni. Eatenus ergo non est mea, quatenus merū existimatis esse hominem adeoq; impostorem. Eatenus uero mea est, quatenus à patre missus, uerus deus & homo sum: unde doctrina mea planè diuina est, è cœlo & non ex hominibus aut corruptis profecta affectibus. Hanc didici non ab hominibus in ullis scholis, sed à deo patre in cœlis. Ergo si desideratis deum audire, me audite, sum enim uerbum & cōsilium patris. Habetis quomodo didicerim literas, & qualis sit doctrina mea. Exemplo forte fiet res perspicatior: quanquam nulla possint confingi argumenta siue exempla, quæ diuinam naturam & unionis illud mysterium dei & hominis, *Doctrina Christi profecta à deo.*

& quæ ei cognata sunt, exacte possint referre. Cõcertent duo pro hereditate, quorum alter qui se pro hærede uenditat, & reuera est, dicat, Mea hæreditas non est mea, sed eius quem hæredem constituit pater. Hic non sequitur uerum illum hæredem non esse hæredem ac hæreditatem non deberi ipsi, quia dicit, Mea hæreditas non est mea: ita enim loquitur propter aduersarium, qui nondum agnoscit illum esse hæredem. Quia uero ille à patre hæres constitutus est, reuera cedit ei hæreditas, quę tamen propter aduersarij falsam imaginationẽ negatur esse illius, &c. Exponunt ista nobis qualis esse debeat doctrina ministrorum uerbi dei & ecclesiarum: non humana sed diuina, non petita ex hominibus sed ex uerbo dei. Missi enim & legati sunt supremi dei & filij eius Iesu Christi. At non debet legatus aliud proponere, quàm quod proponendum tradidit qui misit ipsum. Ideo apud prophetam ait dominus, Verba mea ponam in os tuum. Non sunt legati dei, sed hominum, quicunq; hominum inuenta & decreta patrum prædicant.

Quomodo probandæ & cognoscendæ doctrinæ an ex deo.

Iam quod sequitur, Si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, uidetur obiectionis tacitæ opportuna esse responsio. Obijci enim potuerat, Tu quidem dicis tuam doctrinam esse diuinam ac è cœlo profectam, id quomodo inficiantibus nobis probabis? Dominus ergo responsione sua indicat quomodo probandæ ac cognoscendæ sint doctrinæ an ex deo sint. Cæterum bimembre est quod proponit. Alterum petitum ex auditoribus, ex persona uero docentium alterum. Quod ex parte auditorum ducitur huiusmodi est, Si quis depulsa malitia simplici corde uoluerit uoluntati patris obtemperare potius quàm suis prauis affectibus, is facile agnoscet doctrinam meam non esse hominis, aut dæmonis nouum inuentum, sed à deo profectam, nec me quod doceo ex humano sensu loqui, sed ex mente patris, cuius legatus sum. Canon ergo dijudicandi doctrinas hic erit, ut ante omnia renunciemus nostris affectibus, deinde uerbo dei credamus, & nos componamus ad obsequendum deo: id ubi factum fuerit, facile quid uerum quid falsum, quæ uera religio quæ falsa sit iudicabimus. Deus enim per fidem intellectum illuminat: unde Paulus quoq; dixit, Si quis uidetur spiritualis esse, agnoscat quæ scribo uobis, quod domini sint præcepta, cæterum si quis ignorat ignoret, 1. Cor. 14. Qui fide caret & uoluntatem suam, non dei, quærit, nihil sacrarum rerum uere intelligit. Interim adumbratum est & auditoris officium, qua uidelicet mente ad sacras accedat literas, syncera uidelicet & quæ se totam uoluntati dei subijciat, nec aliud spectet quàm ut simpliciter obsequatur deo. Pauciſſimi hodie uere audiunt uerbum dei: omnes enim quæ sua sunt sectantur: & accedit quidem hic animo gladiatorio, ille auaro, alius ambitioso, est qui alios sequitur affectus, atqui id unice spectandum fuerat quod spectare iussit dominus, ut obtemperemus uoluntati diuinæ, ut reddamur meliores, & uiuamus sancte & pie. Porrò quod ex persona docentis ducitur tale est, Qui à semetipso loquitur, id est commenta cordis sui non uerbum dei profert, gloriam quærit propriam, id est suum compendiũ, quæstum, suos honores & suas uoluptates. Hac itaq; nota ceu falsus doctor distinctus cognosci poterit. Rursus qui solius dei quærit gloriam, qui purum dei uerbum prædicat, deum & quæ diuina sunt hominibus commendat, hic uerus est pietatis doctor, & iniustitia in illo non est, id est nulla ex ipso metuenda est seductio aut impostura. Huc uero pertinet locus Ioannis apostoli ex 1. epist. 4. cap. de probatione spirituum. His iam adde quod absoluat sensum, Istis uero canonibus adhibete meum doctrinæ genus, & dispicite diligenter quid spiret, quò pertrahat, quid iubeam atq; præcipiam. Nullum est apud me pecuniæ, gloriæ, & uoluptatis studiũ, imò ista accuso & persequor: totus in hoc sum, ut resipiscentes fidatis deo, diligatis

tis deum, innocentiæ detis operam, & omnem deo tribuatis gloriam. Inde nunc patere arbitror, doctrinam meam non ex hominibus esse neq; corruptam uel dæmoniacam, sed diuinam ac cœlo profectam. Hoc ipsum respondemus hodie malè feriatis quibusdam dicentibus, Crederemus etiã nos, si certò nobis constaret utra partium sentiret rectius de religione Christiana, Euangelica an Papistica. Canonem enim dijudicandi doctrinas ab ipso nobis domino traditum obijcimus, Qui gloriam propriam quęrit, à semetipso loquitur: qui autem solius dei gloriam quærit, ex deo loquitur, uerax est & iniustitia non est in ipso ulla. Dei gloriam quærit, qui quemadmodum solius dei uerbum pure prædicat, ita uni deo per Christum omnes coniungere satagit, uni deo & gratiæ eius omnia bona ascribit, unum Christum unicè docet, omnia uitæ in hoc ostendit, fidem & dilectionem commendat. Propriam gloriam quærit, qui ut suas leges, id est hominum decreta, proponit ecclesiæ, ita non colligit ad deum in Christo, sed dispergit, ducens ad creaturas, commendans merita hominum, cultum & inuocationem deorum, nimium item & ministerium uerbi ac sacramentorum extollens, ut mox pluris & se & sacramenta reuendat. At quid aliud faciunt papistæ? Præstat ergo doctrina sacrosancta euãgelij, ueramq; religionem tradunt euangelici. *Qui dei, qui propriam quærant gloriam.*

Nónne Moses dedit uobis legem? & tamẽ nemo ex uobis factis præstat legem. Quid me quæritis interficere? Respondit turba & dixit, Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Respondit Iesus & dixit eis, Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moses dedit uobis circumcisionem, non quia ex Mose sit, sed quia ex patribus. Et tamẽ in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Mosi, mihi indignamini quod totum hominem sanum fecerim in sabbato? Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.

Rursus tacitæ occurrit obiectioni. Dicere enim poterant aduersarij, Doctrina tua nõ potest referri ad authorem deum, quippe cum sis aduersarius legis, & proinde hostis quoq; dei qui promulgauit legem. Violas enim legem, nec ita diligenter obseruas sicut nos. Ad hanc ergo obiectionem respondens confidentiam ipsorum ante omnia redarguit, deinde uero respondet. Principio enim indicat non satis esse legem habere, legere atq; iactare, nisi factis quoq; exprimamus, Paulo quoque apostolo testante atq; dicente, Non qui audiunt legem iusti sunt apud deum, sed qui legem factis exprimunt iusti habebuntur. Roma. 2. Atqui legem factis nemo uestrum præstat. Probat hoc, Quia quæritis me interficere. Et Paraphrastes hunc locum egregie enarrãs, Sabbati uiolationem obijcitis, inquit, qui in sabbato seruarim hominem, cum uos sabbati religio non cohibeat, quo minus exitium moliamini innocenti, nec innocenti modo uerum etiam bene merenti. An istuc est magnifacere Mosen quem mihi præfertis? An hoc est reuereri deum legislatorem, quem ficta religione colitis? Nónne lex execratur eum qui sanguinem fundit innoxium? Nec permittit occidẽdi ius nisi in maleficos: nec in hos nisi legitime conuictos ac damnatos. Mihi uero, qui missus à deo uoluntatẽ illius uobis iuxta mentem legis prædico, qui non meam sed illius gloriam quæro, qui non mihi regnum aut opes affecto, sed omnibus gratuitã salutem offero, qui lædo neminẽ, benefacio omnibus, quare contra legem nolimini necem? Hęc Eras. Validam hanc argumentationem cõuitio à se reijciunt: qui omniũ impiorũ mos est: ac dicunt, Dæmonium *Christus nil peccauit in legem.*

habes. De Dæmonio dixi Matth. 11. Plura de Dæmonijs affert Cœlius in Lectionibus antiquis. Respondet autem non ad conuitiũ dominus regerens conuitium, sed ad rem. Demonstrat enim illos omnino cædem moliri innoxio, quantumuis id negent: se item contra legis doctrinam nihil peccasse. Inficiamini, inquit, uos uitę meæ insidiari, at ego caussam uobis referam ob quam cædendum arbitramini, ut inde colliquescat me uobis certa cõpertaq; non dubia aut cõficta impingere. Ego die sabbati unum quoddã opus feci, paralyticum illũ grandæuũ & multis huic obnoxiũ morbo annis hominẽ, restituẽs, atq; ea quidem uobis egregia scilicet caussa esse uidetur, ob quam ueluti ad extremam impietatem obstupescentes, dignũ putatis quem occidatis. Quibus mox subiungit demonstrationẽ quod in legem facto illo suo nihil peccarit, Propterea, inquit, Moses dedit uobis circumcisionem &c. Ea uerba si intelligantur simpliciter, quis nõ uideat ridiculum emergere sensum? hũc nimirum, Vnum opus feci, & propterea Moses dedit uobis circumcisionem. Voculæ itaq; Græcæ Διὰ τοῦτο, propter hoc, satis quidem ieiune redditæ, forinsecus aliquid adijciendum flagitant. Itaq; Propter hoc, intellige quia ita miramini & obstupescitis, iam etiam illud adde, proferam uobis Mosis exemplum. Id est, quia miramini & putatis me contra legẽ facto illo meo peccasse, en proferam uobis Mosis factum, quo ostendam me in legem nihil deliquisse. Nónne Moses præcepto commendauit uobis circumcisionem? Legatur lex eius Leuit. 12. cap. Non quod Moses (id quod per parẽthesim aut epanorthosim ferè inseritur) primus inuenerit circumcisionem, quæ reuera ad authorem refertur deum & Abrahamum, à quo patres acceptam Mosi ceu per manus tradiderunt. Solet autem circumcisio octauo à natiuitate die iuxta legis præscriptum masculis conferri. At incidit octaua illa dies non raro in ipsum sabbatum, ut iam puer ipso circumcidatur sabbato. Iã ergo quæro à uobis, An circumcisione dissoluatur sabbatum, an nõ dissoluatur? Si dissoluitur, contrarias inter se leges sibiq; repugnantes tulit. Si nõ dissoluitur sabbatum circumcisione, sibiq; constantes, iustas, æquas & bonas leges tulit Moses, ne ego quidem facto meo quicquam peccaui in religionem sabbati. Si enim illud excusat Mosen, quod circumcisio magna cum utilitate confertur homini: multò magis ego excusari mereor qui totum hominem seruaui. Hactenus itaq; collatione legum ostendit se nihil peccasse contra doctrinam legis. Similis ferè disputatio continetur Matth. 12. cap. Concludit hanc disputationem epiphonemate & ait, Nolite iudicare secũdum aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Videtur id petitum esse ex 1. cap. Deutero. ubi sic legimus, Audite caussam fratrum uestrorũ, & iudicate iustè inter uirum & fratrem eius, & inter peregrinum eius. Non agnoscetis facies in iudicio, ut magnum sic et paruum audiatis &c. Agnoscere faciem uel secundũ aspectũ iudicare, est respicere personã & sequi in iudicãdo prauũ affectũ. Hoc ergo dixit dominus, In censendo facto meo non oportet sequi affectũ iræ & odij, sed æquitatem ac ipsam legis mentem. Iniustitiæ certè maximè uos redarguet si in eodem facto Mosen absolueritis, me autem damnaueritis. Iustum uero erit iudiciũ si mihi non imputetur pro peccato, quod illi fuit innoxium. Duo hinc colliguntur loci nõ obscuri, Mosen & Christum non dissidere: imò legem & doctrinam Christi quod spiritum attinet pulchre congruere. Id quod ex ueteribus Amonius & Eusebius multis demonstrarunt. Iustè item iudicandum esse in caussis quibuslibet.

Gene. 17.

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis, Nónne hic est quem quærunt interficere? Atqui ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Num uere agnouerunt principes hunc esse uere Christum? Sed hunc nouimus unde

unde sit, Christus autem cum uenerit nemo scit unde sit.

Indicant hęc quomodo ueritatis doctrina mundo prolata excipiatur, quantęq; exoriantur turbæ propter euangelium. Post prædicatam enim & assertam uerita tem scinditur incertum studia in contraria uulgus. Et boni quidem ceu uictores exultant. Nam respicientes ad illud quod ante dies aliquot Iesum Iudæi quæsierant & in absentem conuitia iacientes dixerant, Vbi nunc egregius ille disputator & miraculorum patrator? clamant, Nónne hic est quē quęrunt interficere? Atqui ecce palàm loquitur &c. Querebātur, inquiunt, ante dies aliquot pharisæi abesse Iesum, at adest nunc quem non adesse querebantur, sed & palàm in templo & libere illis in os loquitur, nec illi respondent quicquam. An uero cōuicti agnoscunt Iesum esse Messiam? Mali uero ac impij diuersum sentientes non agnoscunt Iesum esse Christum, & pro se rationem afferunt talem; Nequaquam competit huic dignitas Messiæ. Nam plebeis natus est parentibus Iosepho & Maria, sed & patriam eius humilem nouimus Nazaretham. At ubi uenerit Messias, natales, originem et exortum eius nemo sciet. Detorquebant enim scripturas ad erroneam illam suam opinionem defendendam. Dixerat quidem Isaias, Generationem eius quis enarrabit? Et Micheas, Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis: uerum ea de diuina eius maiestate pronunciarunt. Isti uero paralogizantes permiscent inter se naturas naturarumq; origines. Iuxta hominē terrenus est Messias, genere Dauidis, ex Maria uirgine natus, patria Bethlehemites: iuxta deum uero cœlestis est, & originem habet ineffabilem, siquidem ęternus est. Vtrumq; cōprehendens Isaias, Puer, inquit, natus est, & filius datus est nobis &c. Isaiæ 9. Micheas quoq;, Et tu Bethlehem Ephrata, licet paruula sis in millibus Iuda, ex te egredietur mihi qui erit dominator in Izraël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Huiusmodi autē paralogismis Iudaicis multi hodie oculos præstringunt simplicium, negantes Christum creaturam esse, uel humanæ naturæ proprietatem in Christo sic extenuantes ut negent Christū ullo contineri loco, quia uidelicet deus est, & deus ubiq; est.

Exoriuntur turbæ propter euangelium.

Commiscent naturas in Christo.

Clamabat ergo Iesus in templo docens & dicēs: Et me nostis, & unde sim, nostis: & à meipso non ueni: sed est uerax qui misit me, quem uos nō nouistis. Ego uero noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit.

Cum aduersarij gloriam Christi omnibus modis obscurare pergerent, id nè fraudi esset pijs & imbecillibus adhuc in fide, diserte ostendit quis & unde sit, & quod Christus sit: idq; facit uoce iam clariore, ut non solum à uicinis, uerumetiam à toto populo potuerit exaudiri qui uersabatur in templo. Is enim locus maxime congruebat prædicandæ gloriæ dei. Si ideo, inquit, non uideor uobis ille esse Messias, quem ex prophetarum oraculis expectatis, quod sciatis unde uenerim, hoc ipsum uos docere poterat me esse illum qui sic uenerim, & ex eo loco sim ortus unde prophetæ Messiam uenturum prædixerunt. Audistis Ioannis de me testimonium: uidetis miracula: auditis me ueritati perhibentem testimonium, nulli rei studentem nisi gloriæ dei, & uestræ saluti. Itaq; non potestis me nescire, nisi sponte, quod scitis, nescire malitis. Et quomodo dicitis Messiam ita uenturum, ut nemo sciat unde ueniat, cum prophetæ & genus & patriam illius designent. Quia uero magis refert scire unde missus sit Iesus, quàm unde prognatus, diligentissime & breuissime id exponens dicit, A meipso non ueni, sed est uerax qui misit me. Deus ab initio rerum per ora prophetarum et sanctorum patrum promisit mūdo filium: & quia hic natura sua ueritas est, præstitit per me quod mundo promisit. Itaque à

Quis & unde sit Christus.

meipso non ueni, ex deo processi & ueni, quia missus ab illo ueni: non iam homo duntaxat mortalis, quemadmodum & prophetæ leguntur missi à deo, sed deus simul uerus ac paternæ subsistentiæ character. Interim aperit Iudæis fontem erroris, & causas incredulitatis perstringit adijciens, Quem uos non nouistis. Cognoscitur deus fide reuelationeq; cœlesti, Iudæi autem carebant fide, nec dabant locum ulli diuinæ reuelationi, itaq; aberrabant, quod dici solet, toto cœlo, nec recipiebant Christum saluatorem mundi. Post hæc repetit quod in hac disputatione ac fidei nostræ primum caput est, quod dei filius sit, Messias uerus. Nouit patrem filius, quia iuxta hominem credit filius in patrem, sicut & adorat deum: & nouit ipsum unione siue identitate, ut sic dicam, naturæ: quemadmodũ Matth. 11. ostendi. Quia ab ipso sum, de essentia uidelicet paterna, & ille me ut saluatorem totius mundi, sicut patribus pollicitus est, misit.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus: quia nondum uenerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum uenerit, num signa plura edet ijs quæ hic edidit? Audierunt pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt pharisæi ac principes sacerdotum ministros, ut apprehenderent eum.

Confirmatio et cõsolatio in persequutione.

Miræ oboriuntur turbæ, ob quas non oportet tubari fideles. Hæc enim ideo tam diligenter & tam multis depinguntur, ut nos in fide confirmemur. Pharisæi doctrina ueritatis exasperati gestiebant manus inijcere Iesu: qui conatus impijs ita perpetuus erit, sicut & impietas est perpetua & propria ipsis. Toties enim impie ueritatem opprimere conantur, quoties ipsa extulerit caput. Sed audi consolationem efficacissimam, Et nemo misit in illum manus. Caussa adiungitur, Quia nondum uenerat hora eius. Quibus commendatur nobis diuina prouidentia atq; protectio, cui qui se totum committit, in negotio domini pergit securus. De hac consolatione plura require ex 10. Matth. cap. Sed & illud pertinet ad consolationem, quod quemadmodum impij in diem multiplicantur, ita nunquam etiam de futuri sunt pij, simplices, & boni homines. Sequitur enim, De turba autem multi crediderunt in eum. Hi uero ex signis colligunt Iesum esse Messiam. Si possibile esset, inquiunt, Iesum non esse Messiam, illud tamen impossibile Messiam alium plura & maiora posse designare miracula. Sic autem significant ipsa uirtutis Iesu præstantia constare Iesum esse Messiam uerum. Id denuo non ferentes liuidi & impij Iudæi, pro ingenio suo corruptissimo infandaq; audacia, publicos subornãt satellites qui captum adducant. Verum de ministris illis publicis paulò post plura sequentur. Dolebat uehementer sacerdotibus, quod populus neglecta religione pfaffica & quasi spretis pfaffis, Christũ & doctrinam eius pharisaicæ ex diametro repugnantẽ, sequeretur. Neq; alias hodie caussas suæ persequutionis habent principes, episcopi, pfaffi & monachi, quàm quod ueteri doctrina & fide (ita enim uocant humanas traditiones) ordineq; hierarchico præterito, omnes ferè doctrinam amplectuntur euangelicã euangelijq; prædicatores audiunt. Fuit tamen id ab initio ferè mundi usitatissimum, ut crescente fidelium numero & gloria dei, increuerit & hostium uerbi dei dolor & furor.

Dixit ergo eis Iesus, Adhuc pusillũ temporis uobiscum sum, & abeo ad eum qui me misit. Quæretis me, nec inuenietis: & ubi ego sum, eò uos non

non poteſtis uenire. Dixerunt ergo Iudæi inter ſeſe, Quò hic iturus eſt, quod nos non inueniemus eum? Num in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt hic ſermo quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis: & ubi ego ſum, eò uos non poteſtis uenire?

Cum Ieſus non ignoraret quid illi clanculum molirentur, uerborum ænigmatibus quibuſdam illis ſignificat & fruſtraneos fore illorum conatus, & ſe breui ſua ſponte corpus ſuum pro totius orbis redemptione oblaturum ad crucem & in mortem, adeoq; ſub inuolucro quodam exponit ipſis myſterium diſpenſationis, nempe quod breui ſit moriturus, deinde aſcenſurus in cœlum, ac inde hoſtes ſuos iudicaturus. Breue, inquit, tempus reſtat quod uobiſcum uerſor in terris, abiturus ad eum qui me miſit. Miſit autem pater cœleſtis, ergo abit ad patrem cœleſtem, idq; per mortem crucis, per reſurrectionem & aſcenſionem in cœlos. Et hic quidem prædicit Iudæis grauiſſimum de ipſis ſumendum fore ſupplitium. Principio enim, Quæretis me, inquit, nec tamen inuenietis. Paulò enim poſt mortem & aſcenſionem Chriſti in cœlos bello preſſi grauiſſimo, & ſeditionibus atq; cladibus diuexati acerbiſſimis, ſuſpirijs uotisq; perquàm ardentibus Meſſiæ exoptarunt liberatoris aduentum: ſed non ueniebat liberator, non inueniebant ullam conſolationem. Chriſtus enim Ieſus uerus eſt Meſſias & liberator: at is uenerat: illi uero ſpreuerant & pro Meſſia agnoſcere nolebant, unde meritas dependebant pœnas. Et graue quidem hoc eſt ſupplitium, ſed ſequitur iam multò grauius & acerbius, Et ubi ego ſum, eò uos non poteſtis uenire. Dominus in cœlo eſt, in uita illa beatiſſima, in quam nõ ſuſtolluntur contemptores Meſſiæ, qui uia, ueritas, & uita eſt: deprimuntur potius ad inferos. Colligimus ex his, omnibus Chriſti & euangelicæ doctrinæ contemptoribus & temporalia in hoc ſeculo, & perpetua in futuro parata eſſe ſupplitia. Generale enim eſt quod proponit dominus, pertinens ad omnes quicunq; Iudeis impietate & rebellione ſimiles ſunt. Nã & apud Ieremiam in 5. cap. Nunquid, ait dominus, hæc non uiſitabo, & gentem quæ huic ſimilis eſt non ulciſceretur anima mea? Porrò craſſi & animales Iudæi non intelligentes grauiſſimas illas domini minas, neſcio quid dictum arbitrantur. Cõtemnunt certe ſermonem domini, quem putant delirare: quemadmodum & patres ipſorũ prophetas inſanire clamabant quoties annunciabant ipſis domini iudicia. Videntur tamen ſuſpicari Iudæorum gloriam breui ad gentes fore transferendam, iuxta prophetarum oracula: quod ipſum tamẽ ipſos non cõmouit ad fidẽ & pœnitentiam. Non enim crediderunt minis ac uerbis dei. Nam excæcati erant animi ipſorum. In diſperſionem gentium, ſiue Græcorum, cõmuni linguæ ſacræ ſchematiſmo dixit, pro eo quod eſt ad gentes diſperſas longeq; diſſitas à nobis. Et Græci ferè ponuntur pro quibuſlibet gentibus: ſicut in Paulinis indicaui epiſtolis.

Ediſſerit diſpenſationis myſterium.

Supplitium per ſequutorum.

In nouiſſimo autem die magno feſti ſtabat Ieſus & clamabat, dicens, Si quis ſitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autẽ dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum. Nondum enim erat ſpiritus ſanctus: quia Ieſus nondum erat glorificatus.

In maximis turbis periculoſiſſimisq; diſcriminibus prodit Ieſus, ac præſenti cõſtantiq; animo teſtimonium fert ueritati, docẽs ſuo exemplo quid ſeruos Chriſti &

Prodeundum & aſſerenda ueritas.

ecclesiarum ministros deceat. Quod autẽ hic domini sermo insignis sit & præmodum obseruabilis, apparet primum ex annotatione temporis. Nam in nouissimo & magno festi die, qui summa frequentia summaq; religione celebrari consueuit, hunc sermonem ad populum habuit. Erat autem ea dies omnium sanctissima & celeberrima & ultima quidem in 7. diebus festi tabernaculorũ, quod totis diebus septem, sicut superius monui, peragebatur: atq; ideo ab apostolo appellatur magna. At uerisimile est in illam diem maxima sibi dominum reseruasse mysteria regni dei toti cœtui explicanda. Deinde ex habitu & gestu corporis Christi præstantia doctrinæ colligitur. Stabat enim, ceu rem seriam & maximè grauem ac ad omnes homines pertinentem constantissime asserturus. Clamabat item, non iam loquens tantum aperte & significanter, uerumetiam intenta uoce uociferans, ita ut delicet testificans rem esse quam magnopere referret ab omnibus exaudiri. Poterit autem hiq; domini sermo etiam aptari dijudicationi doctrinarum. Ostẽdit enim quæ sit uera doctrina de salute & iustificatione hominis pij, quæ item sit uera doctrina de fide & spiritu dei sancto quem dat fidelibus & quis sit eius effectus. Summa tamen omnium quæ dominus proponit, huiusmodi est, Cum in rebus mortalium nulla sit quies, nulla salus, nulla uita, nec felicitas ulla, deus sortis & calamitatis humanæ misertus filium suum mundo dedit, qui fons est salutis, quietis, beatitudinis & uitæ. Quicunq; ergo salutis, quietis, beatitudinis & uitæ participes fieri cupiunt, Christũ accedant, & in hunc omnẽ collocent fiduciam. Hoc qui fecerint, spiritũ sanctũ Christo largitore accipiẽt, et opera siue fructus spiritus uberrime de se, id est pectoris arcanis, profundent. Cæterũ perspicuitatis & ornatus gratia hæc uestit allegoria, schema orationis ducens à passione corporis omnibus maxime cognita & graui. Sitim em̃ patimur molestius, quàm famẽ: quippe insitus calor, unde accẽditur sitis, uexat amplius mordetq; quã siccitas, qua (uerbis utor Cœlij) inoritur fames, estq; actu potẽtior multò. Pulchre ergo et graphice sic depingitur animi collapsi & cõscientiæ propter peccata desperabundæ afflictio atq; tormentũ. Rursus nõ recreat et afficit ulla res hominẽ siti inarescentẽ, perinde atq; aqua limpida et uiua largiter hausta: quemadmodũ nullis uerbis illud animi gaudiũ quod ex cõsolatione euãgelica percipit fidelis quisquã explicarit satis digne. Nisi uero excitata in nobis fuerit sitis, nunquã ad fontiũ scaturigines properabimus: nisi ergo agnouerimus peccata nostra, senserimusq; iustã dei iram nobis imminentẽ intentare ęterna supplicia, nunq; ad redẽptorem Christum accurremus. Ideoq; dñs, Ego, ait, sum fons salutaris uitæ & omnis fœlicitatis: si quis ergo siti inarescit, id est, si quem peccata sua grãdia & multa premunt, si quis rea angitur torqueturq; conscientia, si quis ringitur rerum inopia, morbis, infortunijs, si quis oneratus laborat & iam sub onere decumbit, si quis animo & corpore eget, me accedat, me bibat, in me omnem suam collocet fiduciam. Nam Bibere significat credere, sicut abunde satis ostensum est in cap. 4. & 6. Intelligis autem ex his unde salus sit, ex solo dei filio Iesũ Christo, qui flumen fons & scaturigo uiua est omnium bonorum, tam corporis quàm animi, præsentium & futurorũ. Et huc pertinent egregia illa ex prophetis petita testimonia, Isaię 55. & Iere. 2. Nam Christus is est, qui solus omnia fideliũ suorum desideria explet: extra quem nõ est bonum ullum aut salus ulla. Intelligis quod fide ꝓcipiamus Christũ et uitã atq; iustitiã eius, q̃d fide in ipsum iustificemur. Nã Christus se ac spiritũ suũ in nos trãsfundit, et uiuit in nobis uirtute sua potenti. Certè allegoriã bibendi aperiens & explicãs ipse dñs, Qui credit, inqt, in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuę. Bibũt ergo de fonte salutoris, qui credũt in saluatorẽ. Bibitur aũt Christus uita, quies, & felicitas fidelium.

Euangelij fontes aperit dominus.

Disceptatur

Disceptatur autẽ ab interpretibus, quò referenda sit particula, Sicut dicit scriptura. Ioannes Chrysosto. ita distinguit ut Sicut dicit scriptura, referatur ad uerbum credit in me. Et id quod sequitur, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, uerba sint Christi & non scripturæ: ut hic sit sensus, Scriptura monet ut mihi credatur. Nam de me testificatur. Ergo qui crediderit in me, iuxta quod scriptura monet, futurum est ut ille concepto spiritu meo, effundat flumina efficacis doctrinæ. Ideo autem hanc distinctionem sequitur Chrysostomus, quod ea uerba quæ sequuntur nusquam legantur in sacris literis. Sunt tamen alij qui certa scripturæ loca adducunt: quæ quoniam parum ad rem faciunt & non admodum sunt apposita, data opera non recenseo. Arbitror enim dominum nõ certa scripturæ uerba, hoc est numerata, sicut aliâs sæpe, appendere uoluisse, sed tale quiddam dixisse, Qui credit in me, sentiet illud intra pectoris sui arcana, quod experturum prædixerunt prophetæ, fore scilicet ut de uentre eius eruptura sint flumina uiua. Id quod ipse Ioannes mox de spiritu sancto, id est de donis sancti spiritus, interpretatur. Et qui credit, non sine spiritu dei sancto, credit, spiritus, tamen Christi auctior siue copiosior subinde conceditur fidelibus: augente subinde gratias munifico deo, ut tandem illi ad omne bonum opus sint apparati. Proinde significauit his effectum fidei Christianæ in mentibus fidelium, adeoq; spiritum Christi & uitam illam, qua in suis uiuit. Vnde per Ventrem nemo eum intelligat in quem ingeruntur cibi, concoquũtur ac mox egeruntur, sed animi uentrem, ipsa inquam uiscera & intima hominis. Nam & August. Tracta. in Ioan. 32. Venter, inquit, interioris hominis conscientia cordis est. Bibito ergo de isto liquore, reuiuiscit purgata conscientia, & hauriens fontem habebit, etiam ipsa fons erit. Quid est fons & quid est fluuius qui manat de uentre interioris hominis? Beneuolentia qua uult consulere proximo. Si enim putet quia quod bibit, soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua uiua de uentre eius: si autem proximo festinat consulere, ideo non siccat quia manat. Tantum ille. Non autem beneuolentia duntaxat intelligenda est, sed omnis generis spiritus sancti dona, quæ multis recẽsentur 1. Cor. 12. & Galat. cap. 5. Nam Flumina, ait, fluent de uentre eius aquæ uiuæ. Quo uerbo copiam significauit & redundantiam omnium donorum bonorumq; operum: ut sit sensus, Quisquis crediderit in me, spiritum meum hauriet, qui in ipsius corde aperiet patrietq; fontem perennẽ & copiosum, sic ut è medio cordis illius emanet, non tenuis aliquis riuus, uerumetiam copiosa flumina prophetiæ, doctrinæ sanę, dilectionis, puritatis, iustitiæ, sanctitatis, misericordiæ, breuiter omnium bonorum operum, quibus irrigetur ecclesia. Sed ubi hæc fidelibus euentura prędicunt scripturæ? In Psal. 1, sic legis de spirituali homine, Erit hic ueluti arbor plãtata secus riuos aquarum, quæ fructum suũ suo tempore reddit, &c. Isaiæ 44. ait dominus: Effundam aquas super siticulosam, et flumina super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super germina tua, & crescent ut inter herbas, & sicut salices ad riuos aquarum. Similes loci extant Ioëlis 2. Ezech. 36. & Zachariæ 14. &c.

E uentre prorumpunt flumina.

Quia uero Ioannes dixerat, Quem accepturi erant credentes in ipsum: rationem quare sic dixerit, adijcit, Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus non dum erat glorificatus: loquens utiq; non de essentia sancti spiritus qui patri et filio coæqualis & coęternus est, sed de missione illa celebri in apostolos & pręsertim in omnes gẽtes, quæ facta est post ascensionem, id est glorificationem Christi, cuius meminerunt Acta apostolo. in 2. cap. & Ioël. in 2. cap. Imò ipse dñs in ca. 16. Ioan. Si non abiero, inquit, paracletus ille non ueniet: quo loco iterum de solenni illa

Spiritus nondum erat.

ſpíritus miſſione loquitur. Alioquí enim erat ín mundo ſpíritus ſanctus, & fuerat ín prophetis & reliquis hominibus ſanctís: quemadmodum tota ſcríptura ſancta teſtatur, ín primís apoſtolus Petrus, 1. Petrí 1. & 2. Pet. 1. Verum hactenus non fuerat ita diffuſus in omnem carnem, ſicut poſt glorificationem effundebatur: unde omnes per uniuerſum terrarum orbem fideles flumina de ſe profundebant aquæ uiuæ. Nolo ín pręſentí pluribus contra Macedonianos concertare. Nam cum ſím plex textus ueritas aſſerta ſtet pro nobís, meritò deſpícimus & prętermus omnes ſcripturarum detorſiones omnium hæreticorum. Breuiter, Spíritus ſanctus deus eſt. Id enim palàm aſſerit ſcríptura: ergo patrí & filío coæqualis eſt. Nam non poteſt niſi unus eſſe deus, iſq; æternus: unde & ſpíritus ſanctus ęternus eſt. Quod hic dícitur nondũ fuiſſe, intellígitur nõ ín ſua ſubſtantia ſed ín credẽtibus, íjs ínquam qui per prædicationẽ ueritatis adhuc crediturí erant. Díxit enim Ioannes, Quem accepturí erant credentes ín ípſum, id eſt qui adhuc erant ex Iudæís & gentibus credituri, nunc autem nondum credebant.

Multí ergo de turba cum audiſſent hunc ſermonem, dicebant, Hic eſt uere propheta: alíj dícebant, Hic eſt Chriſtus. Quídam autem dicebant, Num à Galilæa ueniet Chriſtus? Nónne ſcriptura dicit quod ex ſemine Dauid, & de Bethlęhem caſtello, ubi erat Dauid, ueniet Chriſtus? Diſſenſio ítaq; orta eſt ín turba propter eum.

Quomodo excipiatur ueritas.

Repetítur quomodo ueritas euangelica excípiatur â mundo. Quæ enim díxerat euidenter dílucide & ſignificanter uarie afficiebãt multitudinẽ, ín qua & boní ſimplices ac probi erant auditores, & praui rurſus maligni & ímprobi. Bonorum alíj fatẽtur Ieſum uerum eſſe prophetã, inſígnem & clarũ, qui ípſam ueritatẽ pure doceat: contra íllos quibus uidebatur Ieſum eſſe ſeductorẽ & pſeudoprophetam. Alíj ex bonís magnificentius de íllo ſentientes, palàm fatẽtur íllum eſſe promiſſum Meſſiam ín lege & prophetís: quæ uera & iuſta erat confeſſio. Vídes autẽ hunc locum, Ieſum eſſe Meſſiam, ín hoc capite confertím produci ac non índiligenter tractari. Malí rurſus & íncreduli fermento corrupti phariſaico nõ tantum díuerſum ſentiunt atq; loquuntur, ſed bonũ quoq; ſemen ín cordíbus bonorũ conceptũ refellere conantes, ſic argumentantur, Vniuerſa ſcríptura docet uenturũ Meſſiam, è ſemine naſcendum Dauídis & prodituruũ è Bethlæhem caſtello Dauídis. Hic autem Ieſus è Galilæa oríundus eſt obſcuriſſima gentis Iſraẽliticæ natione: ergo nequit eſſe Meſſias. Et quanquam fidelibus iam non ſuppeteret commodum reſponſum quod aduerſarijs darent, obſignati tamẽ per ſpíritũ ín cordibus ſuís & euidentia doctrinæ Chriſtí perſuaſi conuictíq; miraculorum magnitudine, níhil mouentur ſtropha ſophiſtica, ſed perſtant conſtanter ín confeſſa ueritate contendentes Ieſum eſſe Chriſtum. Inde enim diſſenſío facta eſt ín populo, his uídelícet Meſſiam confitentíbus Ieſum, illis planè negantibus. Atquí natus eſt Chriſtus Ieſus è ſemíne Dauídis & ín caſtello Dauídis Bethlæhem: id quod multís probatur Matth. 1. & 2. cap. Lucæ ítem 1. & 2. cap. eſt ítaq; Ieſus uerus Meſſias. Cæterum quod propter Chriſtum exoritur diſſenſío ín turba, nequaquam ſequitur Chriſtum eſſe diſſenſionís & ſeditionum authorem. Illí potius diſſidiorum authores cenſendí ſunt, qui rebelles deo & ínobedientes ueritatí, mendacia ſua, affectus atq; errores contra apertam ueritatem tueri pergunt, ſuoq; illo ſtudío turbas excítant.

Seditionum authores.

Quídam aũt ex ípſis uolebant apprehendere eum, ſed nemo coniecit

ín

in eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos, & dixerunt eis illi, Quare non adduxistis illum? Responderũt ministri, Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis pharisæi, Num & uos seducti estis? Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, execrabiles sunt.

Quid actum cum emissis satellitibus.

Pergit exponere quò liuor & odium pharisæorum in Christum processerit, eò nimirũ ut destinarint apud se manus inijcere Iesu benefico seruatori: & fecissent id haud dubie, nisi protectio dei firmiter obsepsisset Iesum, ac aliud fuisset diuinæ uisum prouidentiæ. Iam ergo rediens Ioannes ad id quod paulò ante de ministris pontificum narrare cœperat, subijcit quid actum sit cum satellitibus, quos illi emiserant ad capiendum Iesum: eaq; expositione commendat nobis diuinam Christi uirtutem potentiamq;, & aduersariorum Christi ex aduerso impotentem iram irritosq; contra ueritatem conatus. Adsunt ergo milites siue satellites quos suæ uesaniæ ministros miserant Pharisæi ut caperent Iesum. Interea expectarant hiantes & famelici lupi, ingluuiem illam suam & odium immane sperantes se innoxio exaturaturos Christi cruore: uerum Christum non adducunt satellites. Expostulant ergo cum eis pharisæi spe sua delusi, cur non adduxerint quem uinctum adducere iusserant? Illi uero paucis respondent, Nunquam audiuimus hominem loquentem sicut ille loquitur, ferè amplius quiddam de Christo quàm de homine sentientes. Et tamẽ non uiderãt ulla edi miracula, tantum paucula loquentem audierant, conuersisq; mentibus, redeunt ad dominos suos non adducto Iesu, cui insuper insigne ferunt testimonium, confitentes tanta ipsum gratia, euidentia, uirtuteq; diuina prædicare, ut non possint non commoueri quotquot dicentem audiant. Vbi tria obseruanda ueniunt. Primum enargia uiua, & diuina illa docentis & doctrinæ Christi gratia. Neq; enim temere dixit propheta gratiam diffusam esse in labia Christi. Deinde iusta pharisæorum, propter inuincibilem cæcitatem & malitiam ipsorum, damnatio. Satellites enim hominum genus immite & ad omne facinus mercenarium, honestum Iesu ferentes testimonium, immedicabilem pharisæorum cæcitatem redarguunt atque condemnant. Postremo admirandum dei consilium. Conuertit enim ille impiorum conatus atq; consilia ad suam ipsorum confusionem & subuersionem propriam. Hoc enim totis uiribus agebant pharisæi, ut subuerterent doctrinam Iesu, eiusq; authoritatem labefactarent apud omnes, sed conatu in diuersum exeunte, dum modis omnibus extinguere moliuntur, confirmant & illustrant. Interim increscit magis magisq; impietas ac semet ipsam propemodum superare contendit. Nihil itaq; commoti responsione satellitum uere admiranda pharisæi, sed inflati magis ira, odio, superbiaq;, exclamant, Num & uos seducti estis? Christum pro seductore damnant: conuitijs scilicet & nimis omnia sua agentes potius quàm rationibus: quamuis adijciant etiam frigidas aliquot rationes, quibus illorum animos rursum à Christo ad pharisaicas nugas conuertere moliuntur. Christum enim cum doctrina euangelica, sua quasi authoritate grauantes imò extenuantes, Inde saltem, aiunt, deprehendere potueratis, nisi communi sensu prorsus careretis, Iesum esse impostorem & doctrinam eius hæreticam, quod nemo hactenus magnatum, eruditorũ, nobilium, purpuratorum, honoratorumq; hominum se illi adiunxit. Iam & à uilitate discipulorum Christi arguentes, Nemo, inquiunt, sectatur illum, nisi indoctissimus quisque

Excrementa uulgi uidentur adhærere euangelio.

& impuriſſimus idiota: homines uidelicet è fece plebis ignobiliſſimi, indoctiſſimi, ſcripturarumq; imperitiſſimi, id eſt maxime execrabiles & abominandi. Der Barm hertzig/verflůcht/ellend/verloren huff: Des vnwiſſenden/wůſten/groben/nůtſöllenden volcks. Illisne præbebitis uos ſocios, deſertis nobis dominis ueſtris, apud quos eſt omnis iuſtitia, ſanctitas, gloria, felicitas? Agnoſcis, opinor, & noſtrorum ſacerdotum phariſęorum ſcribarumq; theologiam & perſuadendi rationes. Neq; enim aliſs utuntur. Extollunt purpuratorum, epiſcoporum, ſcholarum & cœnobiorum totiusq; hierarchici ordinis membrorum dignitatem, gloriam, eruditionem, fidem & ſanctimoniam: rurſus extenuant Chriſtianorum, id eſt credentium euangelio, doctrinam, fortunas, fidem & religionem. Verum intelligunt omnes boni fucum & hypocriſim pſeudoeccleſiaſticorum illorum: quos ſuo tempore iudicabit dominus.

Dicit Nicodemus ad eos, is qui uenerat ad eum nocte, qui unus erat de numero eorum, Num lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo & cognouerit quid faciat? Reſponderunt & dixerunt ei, Num & tu Galilæus es? Scrutare, & uide quod à Galilæa propheta non ſurrexerit. Et profectus eſt unuſquiſq; in domum ſuam.

Nicodemus tuetur cauſam domini.

Et quanquam pauciſſimi ex principibus adhærerent Chriſto domino, oportebat tamen palàm principum iſtorum ſermonem mendacij redargui. Itaq; exurgit è magnatum & phariſæorum ordine homo minime obſcurus, ſed uir multum gratiis & multę authoritatis Nicodemus, ille qui noctu dominum acceſſerat eiusq; inſtitutione multum profecerat, ac cauſam ſuſcipit ſaluatoris tuendam, Iniquũ eſt, inquit, & contra legis prędcriptum quod contra Chriſtum agitis. Lex enim & ipſa æquitas iubẽt cuiuſuis hominis cauſam diligẽtiſſime cognoſcere diſcutereq;, imò ipſum audire reum, & qualitatem facti eius iuſta expendere lance, priuſquam condemnetur aut cõſ̃ciatur in uincula. Atqui uos Ieſu Chriſti cauſſam hactenus neq; audiſtis neq; expendiſtis diligentius, interim uinctum adduci præcipitis: claret itaq; uos peccare contra legem. Hoc patrocinium Nicodemi multum ciuilitatis libertatisq; habet, ac exemplum præbet imitandum omnibus pijs, in turbis propter Chriſtum exortis. Cauſſam enim ueritatis tueri non deſerere, & Chriſtum profiteri non negare conſtanter pergent, ſi ſuum uolent facere officium. Habent etiam iudices in exemplo Nicodemi adumbratum quid agant, illi præſertim qui inter hoſtes religionis & iniquos aſſeſſores conſtituti eripere è luporum faucibus innocentes nequeunt. Hi enim nihilominus ſument patrocinium æqui, ueri, & iuſti, neq; ullo modo conſentient in damnationem innocentium. Legis præſcriptum qui uidere cupiet, inueniet Deut. 1. 16. 17. & multis aliſs in locis. At uero phariſæi inuidia & impietate prorſus excæcati, pro more ſuo, iterum agunt conuitijs, furioſe clamantes, Etiámne tu quoq; Galilæus es? Galilæos eſſe criminabantur quos Ieſu adhærere uidebant. Nam Chriſtum putabant oriundum è Galilæa, à qua per contemptum maximum appellabant Galilæum. At nullæ, inquiunt, ſcripturæ promittunt nobis Meſſiam è Galilæa: imò Galilæa adeo eſt infelix ut non multos aut nullos nobis dederit eximios prophetas, tantum abeſt ut ex ea expectemus prophetarum principem Meſſiam. Id quod ipſe deprehẽdes ſi ſcruteris & diligenter perquiras ſcripturæ ſententiam. Atqui Chriſtus Ieſus in Galilæa quidẽ erat æducatus, ſed natus in Bethlæhem Iudæ. Ex hac diaboli ſchola didicit apoſtata Iulianus ſuum illud cõuitium, quo & Chriſtum ipſum, & Chriſtianos notabat. Sed ſenſit nebulo non inertem aliquem Galilæum, ſed potentiſſimum regem, cui

Chriſtus Galileus appellatus

meritas

meritas dependit pœnas. Et uincit quidem rex Christus perpetuo, regnans in medio inimicorum eius: unde hic quoq; sequitur, Et profectus est unusquisq; in domum suam, nimirum re infecta. Christus enim sedendo uincit, nec est ullum consilium contra dominum.

CAP. VIII.

Iesus autem perrexit in montem oliuarum, & diluculo iterum uenit in templum, cunctusq; populus uenit ad eum, & sedens docebat eos.

Nuspiã minus loci est ueritati quàm in urbibus opulentis, in quibus permultum ualet authoritas antistitum falsæ religionis. Cogitur ergo dominus ex urbe Hierosolymorum secedere ingruente iam nocte in montem oliuarum urbi ferè imminentem, quod nullum ipsi in urbe esset & cõmodum & tutum diuersorium. In monte & orat & quiescit, nouis laboribus corpus suum præparans. Diluculo autem, id est summo mane rediens ad intermissos per noctem labores, templum repetit: & quia ingens populi multitudo confluxerat ad cultum dei, considet dominus & docet ecclesiã. Quod si aliud fuisset quod impensius placuisset deo, haud dubie ei se rei impendisset dominus: nunc autem docet, & subindicat ecclesiam non habere thesaurum præstantiorem quàm doctrinã pietatis, neq; aliud esse ministerium in ecclesia deo gratius quàm docendi. Consurgit autem diluculo & abit in templum, in quo reperit magnam plebis turbam sacris rebus intentam. Pudeat ergo inertiæ & torporis sui ignauos & otiosos homines, quibus suaue est in multam stertere lucem, raro uel nunquã ingredi in ecclesiam uel cœtum sanctorum. Discant potius Christi exemplo tam doctores quàm discipuli, optimum & aptissimum illud rebus magnis gerendi tempus matutinũ, diuinis & sacris rebus impendere, ac perpetuo laborare. Recte enim ille dixit, Otium puluinar est diaboli.

Christus docet.

Adducũt autem ad eum scribæ & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & cum statuissent eam in medio, dicunt ei, Magister, hæc mulier deprehensa est in ipso adulterio. In lege autem Moses præcepit nobis ut huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum.

Describit Ioannes (leuibus enim argumentis duci uidentur qui negant illam historiam esse Ioannis: de quibus alij plura tradiderunt) insigne bonitatis & misericordiæ dei exemplum: quod proprie & eleganter subiungit doctrinæ domini de gratia illa multipharia inuitantis omnes ad bibẽdum ex fonte gratiarum perenni. Nam hoc ueluti uiuo exemplo declarat quod Iesus sit fons aquæ salutaris, sitientes potans, id est peccatores recipiens in gratiam, reconciliansq; patri iustissimo & æterno deo, & exaturans omni bono. Non distat hoc exemplum uel tantillum ab eo quod in 4. cap. habuimus de Samaritide: nisi quod huius peccatum taxatur obscurius, illius manifeste in apertum protrahitur. Oportuit autem peccatum miseræ huius adulteræ sic apricari, quo omnibus nobis egregiam daret occasionem cogitandi Christum non leuia duntaxat uitia, sed & enormia remittere aut condonare flagitia. Ideo enim alibi quoq; recipit in gratiam scortum illud Galilæum insigne & famosum, cuius meminit Lucas in cap. 7. Alibi publicanis imò publicanorum principibus, id est maximis nocentissimisq; usurarijs & monopolis, in primis Matthæo, Zachæo, socijsq; eorum peccata condonat grandia. Alibi helluonem, lurconem, potatorem, scortatorem, concoctorem, & luxu perditissimum hominem, filium illum prodigum mire euidenti parabola patri clementissimo recon

Christus fons aquæ uiuæ potat peccatores.

Christus non tantum uitia, sed etiam flagitia condonat.

ciliatum esse docet. Quid quod ipse suspensus in crucem latroni ac seditioso homini propitius atq; benignus paradysi pollicetur gaudia? Idē Petro negatori & perfido suam uiuificam resurrectionem singulariter nunciari mandat, imò et gregem ouium, sanguine suo redemptum, illius committit fidei pascendum. Paulum uero lupum illum uespertinum, blasphemum & sanguinariū hominem, spirantem cædes & madentem adhuc cruore Christianorum innoxio, apostolum & præconem salutaris euangelij ac misericordiæ diuinæ exemplum omnibus gentibus atq; sæculis constituit. At hæc omnia superat quod diuina bonitas ipsum quoq; Iudā inuitauit ad pœnitentiā. Proinde nullū peccati genus est tam grande et enorme, tam horrendū & abominabile, quod non possit & uelit cōdonare Christus dns, qui est fons aquæ uiuæ, potans oēs sitientes, & de fonte hoc bibentes, ad uitam æternam.

Atq; hanc quidē clementiā & mansuetudinem dei erga peccatores cōuertentes se ad diuinam misericordiam, inculcat in omnibus suis sermonibus Christus. Quamobrem gaudere & exultare debuerant si sapuissent pharisæi, nunc autē inde ansam uenantur criminandi. Nactam enim mulierculā ἐν αὐτοφώρῳ, in ipso inquam adulterij scelere deprehensam, producunt ad Iesum in templo sedentē atq; docentem, & ream statuunt in medio: ut si Christi sententia fuisset damnata, uilesceret apud plebem illa Christi magnifica & larga gratiæ & misericordiæ prædicatio, uidereturq; crudelis esse dominus, & humanum sitire sanguinem. Rursus, si absoluisset palam adulteram, quod maxime futurum sperabant, haberent quod in ipsum intentarent crimē, uiolatæ uidelicet legis quæ iubet lapidibus obruere adulteram. Hunc autem dolum aduersariorum malum significare uolens Ioannes, diserte appendit, Hoc autem dicebant tentantes eum, &c. Iam ut ex ore domini certi aliquid colligerent iudiciumq; eius liberum prolicerent, magistrum non sine assentatione dolosa appellant, & adulteram coram saluatore ceu iudice accusant, struentes ipsi composito dilemmate laqueum, ut captum & irretitum opprimant. Dicunt ergo, Magister ac iudex æquissime, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. Et Moses quidē talem iussit obruere lapidibus: tu uero quid iubes? Lex contra adulteras lata extat Leuit. 20. eam legē paulò fusius tractaui in Institutione mea Germanica matrimonij disputans contra adulterium.

Iesus aūt inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Cum autē perseuerarent interrogare, erexit se, & dixit eis, Qui uestrū immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc sigillatim alius post alium exibant, initio facto à senioribus: & relictus est solus Iesus, ac mulier in medio stans.

Iesus qui nouerat arcana cordium diuina sua sapientia, sic elusit illorum malitiam ac artem, ut peccatricem eriperet è manibus lapidantium, nec absolueret tamen à supplicio, ne quid uideretur peccare in Mosen leges q; politicas: nec rursus condemnaret, quod in mundum uenerat, non ut peccatores perderet, sed seruaret. Itaq; oratione primum nihil respondit, sed ipso facto quiddā loquebatur. Nam inclinans se deorsum scribebat (κατέγραφεν) adumbrabat aliquid digito in terra. Quærunt hic interpretes quid scripserit in terram dominus: ac uidetur alijs in terram hæc scripsisse uerba, Terra estis, & de terra iudicatis. Alij hæc putant scripta, Qui innoxius est, primus in illam iaciat lapidem. Alij arbitrantur dominum singulorum exarasse peccata. Verum hæc satis dubia sunt. Ego arbitror dominum Chria usum, eaq; actiua, quæ tam ipsi quàm omnibus sapientibus perfrequenti

Scribebat dominus in terra.

fuit

fuit in usu. Adiecit actiuæ & uerbalem sententiam, uidelicet nonnihil adumbrantem quid scribendo in terram significauerit. Inclinauit se Iesus deorsum, significans nimirum ut demisso fastu & supercilio quo sibi quisq; blandiebatur, proximumq; despiciebat, descenderet in sese, cogitaretq; unde sit quisq; prognatus, è terra, & quale habeat ingenium è terra conditus homo, terrenum, lutulentum, impurum, lubricum, itaq; inscribat huiusmodi lapsus atque peccata carni: quam cum isti quoque cum adultera habeant communem, cogitent idem ipsis quoque contingere posse quod illi euenerat, ideoq; paulò æquius clementiusq; agant, præsertim cum ipsi eandem carnem gestantes maioribus obnoxij sint sceleribus. Erat hoc amicum, ciuile, & supra modum prudens & blandum monendi genus, quo maxime uolebat lucrifacere magnates, nihil palàm ipsis exprobrans, sed clanculum modo ac tecte submonens. Cæterum cum domini bonitate ac comitate abuterentur pharisæi, quin potius ceu uictores uicto propemodum illuderent & sententiam eius extorquere anniterentur, erexit se Iesus: erectus explicuit iam uerbali Chria molestis & pinguibus quid faceret, dicens, Qui uestrum immunis est (ἀναμάρτητος, quod non solum significat eum qui non peccauit, sed qui peccare non possit) à peccato, primus in illã lapidẽ iaciat. Quasi dicat, Moneo uos, ô pharisæi ac seniores, ut quisq; in se descẽdat, quasiq; in cor proprium scribens, secum supputet ac cogitet qualis ipse sit priusquam alios cõdemnet. Deprehendet quisq; uestrum se multis & grauibus obnoxium criminibus, adulterã hanc flagitijs excellere multò: ac si ita sumendum sit supplicium de omnibus sceleratis, quemadmodum adulteræ huic imminetis, in primis de uobisipsis oportere sumi supplicium. Quod si omnino existimatis, & certò apud uosipsos nouistis uos non esse tales: si quis uestrum putat se omnino esse (ut sic dicam) impeccabilem, age licet hic de adultera sumat supplicium, & primus in ipsam conijciat lapidem. Solebat autem iuxta legis præceptum Deut. 17. testium manus prima, utpote bene sibi de commerita & digna reorum morte conscia, primos in condemnatum conijcere lapides: quò nimirum dominus Iesus uerbis illis suis allusit.

His autem non tollitur animaduersio & ius gladij contra noxios, redarguitur refrenaturq; duntaxat pharisæorum & seniorum malitia. Certum est enim domini esse iudicium atque uindictam, & hunc rependere præcipereq; ut magistratus noxios puniat. Imò punit per magistratus ipse dominus, quoties pœnas commeritas dant malefici. Iccirco errant putantes non nisi immunes ab omnibus sceleribus in corona iudicum capitalem sententiam in latronem aut sacrilegum pronunciare posse. Nam domini est iudicium, quod in primis spectare oportet, non tuam ipsius dignitatem aut indignitatem. Porrò ad illud domini responsum sibi magnatum quisq; metuens, ne proderetur à Iesu, cui uidebant etiam occulta cordiũ non esse incognita, exibat è templo: & quo quisq; erat honorabilior in plebe, hoc accelerabat magis ne reperiretur inter postremos. Hoc enim significatum puto per illud quod apostolus ait, Initio facto à senioribus. Hi enim præ alijs sibi male conscij, fuga anteuertebant omnes. Remansit solus Iesus ac mulier adultera: non quod uniuersus abierit populus, sed quod insidiatores accusatoresq; omnes fuga sibi consuluerint.

Non tollitur ciuilis animaduersio in sceleratos.

Cum autem erexisset se Iesus, & neminem uideret præter mulierem, dixit ei, Mulier, ubi sunt tui illi accusatores? Nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo, domine. Dixit autem Iesus, Nec ego te condemno. Vade, & posthac ne peccaueris.

Gratiam dominus offert adulteræ.

Repulit egregio stratagemate lupos sæuissimos, nunc (quod in hac historia potissimum est) peccatrici suam offert gratiam, qui est fons aquæ uiuæ, exaturans bibentes omnibus donis, ipsaq; adeò uita & felicitate æterna. Quod autem agit, circumspecte agit ne cubi impingat. Principio enim rogat ubi sint accusatores, cum tamen non ignoraret hos magna cum confusione aufugisse. Significat ergo illos iniquos maleq; sibi conscios caussæ per omnia diffidere. Deinde interrogat, Num quisquam te condemnauit? Sciebat neminem adhuc capitalem in miseram pronunciasse sententiam: adiecit ergo hoc ne quid in leges peccaret politicas, neue uideretur in uniuersum flagitiosorum supplicium sustulisse è medio. Discreta enim sunt iudicis & concionatoris officia. Et dominus gladij ius & authoritatem siue potestatem cædendi ubiq; sinit magistratui intactam atque integram: ipse suum agit officium. Si ergo legitime fuisset à magistratu damnata adultera, nequaquam absoluisset ipsam, absoluisset quidem à peccato, pœnam & exemplum illud publi cum non sustulisset: quemadmodum in gratiam quidem recepit latronem, à pœna autem non liberauit. Hæc si iusta trutina expenderent libidinosi quidam, non abuterentur hac domini benignitate, colligentes euangelica doctrina prohiberi pœnas, quas de adulteris sumunt respublicæ quædam. Quasi uero dominus Iesus patrocinium susceperit adulterorũ ac adulteria euangelica prædicatione tueri & propagare cogitarit. Proh pudor. Quia autem adulteram nemo damnarat legitime, sumit inde occasionem dominus communicandi gratiam & dona sua peccatrici, ac dicit, Nec ego te condemno: qua sententia non tantum declarauit se illam neutiquam postulare ad pœnam, sed condonauit potius reatum, & remisit ei peccata, absoluens ipsam à iusta dei cõdemnatione, qua æternis adiudicantur tormentis quicunq; contra dei legem peccant. Docet ergo hæc historia, peccata nobis condonari, & maledictionem auferri hominibus gratuito, propter Christum uidelicet, non propter nostra merita.

Peccatorum condonatio nõ est peccandi licentia.

Postremo ne quis liberalem illam peccatorum remissionem crederet peccandi esse licentiam, adiecit dominus, Vade & noli amplius peccare. Alibi, inquit, Vade cum pace. Securitatem ergo quandam in Christo & uerbo eius sperandam esse uerba domini significant. Qui uero in gratiam dei recepti sunt, & quibus remissa sunt peccata, cauent sibi, nec putant sibi licere quiduis. Zacharias enim, Vt sine timore, inquit, de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, cũctis diebus uitæ nostræ. Et certe fides quæ agit in sanctis, uigilat, & perpetuas agit excubias. Interim nemo putet à se requiri ne quid porrò peccet amplius, ac ubi peccauerit gratia exciderit dei. Nam Paulus, Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis eadem faciatis. Loquitur autem de toto uitæ cursu Christianorum. Ideo requirit à pœnitentibus dominus studium innocentiæ, iustitiæ & sanctitatis, & studium quidem non frigidum, sed ardentissimum, atq; iccirco dixit, Noli amplius peccare. Huc pertinet illud Ioannis apostoli è 2. cap. prioris epistolæ, Hæc scribo uobis ne peccetis: & si quis peccarit, aduocatum habemus apud patrem iustum Iesum Christum, &c. Conatus & propositum sanctorum firmum sit nolle peccare, quod si per carnis infirmitatem fuerint prolapsi in peccata, ne iaceant, hæreantq; in cœno scelerum, sed resurgant in tempore per pœnitentiam.

Iterum ergo Iesus loquutus est eis, dicens, Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ.

Ablegatis delatoribus & dimissa peccatrice pergit Iesus docere populũ sicuti incœperat priusq; ei adulteram adduxissent: ac quid docuerit ostenditur. Contexitur autem ab apostolo Christi sermo non uerbotim, sed summa tantũ rei, ipsaq; totius orationis propositio duntaxat conspicienda proponitur, unde totum æstimemus sermonem. Colligit denuo compendium doctrinæ euangelicæ, explicans quis sit Christus, quid attulerit mundo, quis ex ipso capiatur fructus, & quomodo hic percipiatur, si uidelicet ipsum sequantur, eiq; credentes inhæreant. Est autem non modo utile, sed necessariũ prorsus, huiusmodi Christi breues sententias, aut summas potius doctrinæ Christi ab apostolis contextas, ueras, certas & absolutissimas memoriæ commendare, & in ipsius pectoris intima quàm altissime recondere, quo ad omnem casum postulatæ recurrant. Quod autem idem doctrinæ genus de iustificatione & salute nostra sibi per omnia & ubiq; simile, alijs tamen atq; alijs uerborum figurarumq; emblematis uestitũ ornatumq; ab eodem authore proponitur, irrefragabiliter cõuincit hanc esse ueram & absolutam de uera salute consequenda doctrinam. Si enim alijs rebus pararetur salus, quàm per fidem Iesu Christi, excidisset haud dubie in tot cõcionibus uel uerbũ, quo nobis iniectus nos exerceret scrupulus: nũc uero in tot sermonibus & certaminibus nihil aliud docet, imò idẽ doctrinæ genus subinde repetit atq; inculcat. Nemo ergo patiatur Christianam sibi ex pectore extorqueri doctrinam. In præsentiarum occasionem dicendi sumit dominus, ut antea sæpe, in primis autẽ in cap. 4. & 6. ex re præsenti. Diluculo enim ueniebat in templum, ac mox exoriebatur sol, iubareq; suo exhilerans omnia omnes mundi partes illustrabat. Hinc ergo materiam sumens dicendi, indicat quis sit, & quid mũdo conferat. Ego, inquit, sum τὸ φῶς illa lux mundi: illa inquam, emphatice, nimirum à prophetis promissa. Dauidi enim constat promissam esse lucem, unde Iechonias Neri, id est lucernarius appellatus est, is ui delicet è cuius semine exoriturus esset sol iustitiæ Christus. Et in Psal. 132. sic legis, Iurauit dominus Dauidi ueritatem, neq; discedet ab ea, de fructu uentris tui ponã super solium tuum. Nam dominus elegit Zion, expetiuit eam sibi sedem. Ibi cornu Dauidi germinare faciam, lucernam paraui uncto meo. Ad eam promissionẽ sæpe respexerunt prophetæ, quemadmodum uidere licet 3. Regum 11. ac 15. cap. 2. item Paralip. 21. cap. Apud Isaiam in 49. cap. dicit pater, Dedi te ut lux sis gentiũ, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Quo postea alludens Simeon ille iustus apud Lucam in cap. 2. appellat Iesum lumen exhibitum illuminandis gentibus. Ita apostolus Ioannes in principio euangelij sui Christum nuncupauit lucem. Illa rursus lux est Christus, quæ ad instar solis huius corporei, omnes illustrat, & multis quidem modis multa cum sole similia habet. S. Augustin. Tract. in Ioan. 34. Non arbitremur dominũ Iesum Christum, inquit, hunc esse solem quem uidemus oriri ab oriente, occidere in occidente, qui certo de loco in locum motione commigrat. Non enim defuerunt hæretici qui ista senserunt. Non est hoc dominus Christus, non est dominus Christus sol factus, sed per ipsum sol factus est. Hæc ille. Dicitur ergo lumen aut sol Christus dominus per tropum atq; parabolam siue metaphoram. Sol astrorum omnium longe est pulcherrimum. Vnus est, sed sufficit tamen illustrandis fouendisq; rebus omnibus, sed & mirificam in rebus creatis uim exercet: sicut multis exponit in 1. Saturnal. Macrob. Ita Christus uere opt. max. est rex regum, dominus dominantium, sufficiens omnibus uiuificandis, illustrandis, conseruandisq;. Desunt hic mihi uerba & sentẽtiæ cõmodæ, quibus maximos illos in Christo thesauros nobis datos exponam. Quis enim paucis uim Christi mirificam explicaret? Præterea lux est Christus, paternæ nimirũ gloriæ splendor, & substan-

Compendium doctrinæ euangelicæ.

Quis sit Christus, & quid conferat mundo.

Christus est lux.

tia atq; natura sua deus. De quo Ioannes apostolus in sua canonica, Deus lux est, ait, & tenebræ non sunt in eo ullæ, &c. Sed quibus lux est dominus? Omnibus. Nam, Ego, inquit, sum lux mundi. En, Mundi, inquit. Neminem ergo excipit, neminem excludit. Adiungit tamen, Qui sequitur me. Sequitur qui fide Christo innexus firmiter inhæret nec auellitur. Proinde lux est Christus omnibus credentibus in ipsum. Fide itaq; percipitur lux illa, & fit lux nostra Christus, lucens in nobis. Alius aliud sequitur in hoc sæculo, uelut honores, diuitias, uoluptates, & nescio quas huius generis nugas: sapientes sequuntur Christum, & utilitatem ex eo capiunt amplissimam. Nam qui sequuntur Christũ, non ambulabunt in tenebris, sed habebunt lumen uitæ. Duo dicit, Primum, Non ambulabunt in tenebris. Ambulare est uersari. Tenebræ sunt peccata atq; errores: itaq; credẽtes & Christo adhærentes fide, non aberrabunt à uero, non uolutabuntur in sceleribus. Quid ergo? Sequitur secundum, Habebunt lumen uitæ, possidebũt ipsum Christum, qui lux est, ueritas & uita, illuminans suos fideles ueritate, exhilarans item animos eorum, tranquillans conscientias, atq; totos illustrans. Habes in breui hac sententia quis sit Christus, quid attulerit mundo, & quomodo Christi fiamus participes.

Quæ utilitas ex Christo.

Paraphrastes paulò diuersius hæc tractans, non pugnat nobiscum. Ille enim omnia refert ad pœnitentiam his uerbis, Qui ueri sunt & simplices, nec aliud uideri student quàm sunt, adeunt lucem & liberantur à tenebris: quemadmodũ mulier adijt Iesum peccatrix. Sed quia non inficiata est quod cõmiserat, decessit iustificata. Contra primores & pharisæi, quoniam iusti uideri uolebant, cum essent scelesti, fugêre lucem, ne proderetur illorũ morbus ac sanaretur. Hortatur igitur Iesus omnes, ut quisq; sit obsitus peccatis, ad se ueniat, modo ueniat sui pœnitens, se sequatur potius quàm pharisæos, qui cæci erant duces cæcorũ. Et ne quis conscientia facinorum non ausit accedere, paulò ante docuit in adultera, quàm neminẽ ab se submoueat, qui cupiat sanari, Ego inquit, sum id toti orbi, non solum Palestinæ, quod sol est toti mũdo. Sublato sole caligant simul omnia. Ille corporibus præ lucet, ego animis puris illucesco. Ille uitam ac uigorem præbet omnibus corporibus, ego idem multò præsentius præsto animabus. Qui solis ductu ambulat, non impingit in tenebris. Qui me sequitur meæq; fidit doctrinæ, non hærebit amplius in tenebris errorum & criminũ, sed purgatus à uitijs & illustratus euangelica doctrina, habebit lucem ueram, quæ uitam præstat animæ. Mortuorum enim est in tenebris condi, uiuorũ est in luce uersari. Cognitio mei, uita est animæ: contra peccatum & ignorantia mei, mors est æterna. Hæc ille.

Dixerunt ergo ei pharisæi, Tu de teipso testificaris, testimoniũ tuum non est uerum. Respondit Iesus, & dixit eis, Et si ego testimonium perhibeam de meipso, uerum est testimonium meum. Quia scio unde ueni, & quò uado. Vos autem nescitis unde uenio, & quò uado. Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam. Porrò & si iudicem ego, iudicium meum uerum est. Quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Quin & in lege uestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium uerum est. Ego sum qui testimonium fero de meipso: & testimoniũ fert de me, qui misit me pater.

Demonstrat dominus testimonium suum de se latum esse uerum.

Illustrissima luce ueritatis perfusi pharisæi, lucem occæcati nec sentiunt nec uident, imò certamen restaurant, nouamq; cõtra Christum altercationẽ instituunt;

qua

qua tamen doctrina & ueritas euangelica illustratur magis quàm obscuretur. Metuebant isti ne ipsis desertis, Iesum sequeretur populus, qua re plurimum & compendijs & authoritati ipsorũ decedere non ignorabant, refellere tamen hactenus nullis rationibus potuere ueracem Christi doctrinam, & facta potentia atq; diuina, conuertuntur ergo nunc iterum ad solitas calumnias, si his forte apud rudem simplicemq; plebeculam excitare possent suspicionẽ contra Iesum arrogantis impiæq; iactantiæ. Tu, inquiunt, ipse tibi testis es, ac magnifice de te prædicas: sed nemini de se testificanti credi dicitur. Arrogantis est, non ueracis, suã iactare gloriã. Proinde testimonium istud quod ipse de te fers non est uerum. En quanta cum securitate & confidentia impietas atq; hypocrisis, pietatis principi ac ueritati mendacium impingat. Ad tam atrox & impium conuitium respondens dominus, multa cum seueritate & euidentia demonstrat testimoniũ suum esse uerum. Qua demonstratione euincit clarissime se esse dei filiũ, deum uerum, & doctrinam euangelicam esse certam. Ergo post hanc demonstrationem breuem, sed euidentẽ, non opus erit ecclesiæ alijs demonstrationibus, quibus confirmetur authoritas doctrinæ euangelicæ. Verum est, inquit, inter homines pondus non habet testimonium quod ipse de se perhibet homo, qui & falli potest & fallere. Ego non solus mihi testis sum, qui Ioannis de me testimonium, qui legis & prophetarũ testimoniũ proferre possum: & tamen si nullum de me esset hominis testimoniũ, qui nullius egeo testimonio, si solus ipse de me testificarer, tamẽ si planè sciretis qui sim non possetis refellere testimonium. Certum enim, indubitatũ & uerum illud est. Ratio subiungitur, Quia scio unde ueni, & quò uado. Qua periphrasi diuinam suam notauit naturã. Venit enim è sinu patris, incarnatus in utero uirginis, passus & mortuus, resurrexit, deinde ascendit in cœlos, hoc est, abijt ad patrem. Proinde, Ideo, ait, uerum est testimoniũ meum, quia dei filius sum.

Interrumpens autem hic demonstrationẽ suam, obiter indicat hostibus erroris caussam, Vos autẽ nescitis, inquit, unde uenio aut quò uado. Nõ intelligitis, non creditis me cœlitus descendisse, & redemptionis salutisq; negotio peracto rediturum in cœlũ. Imò uos iudicatis secundũ carnem, humanam duntaxat in me agnoscentes naturam. Iudicatis secundum carnem, id est ex affectibus prauis iudicatis de dictis & factis meis: nullus in uobis dei spiritus est, ideo erratis. Est autem hæc unica omnibus penè aberrandi & perperam de rebus diuinis iudicandi caussa. *Caussa peruersi iudicij.*

Protinus uero ad institutam rediens demonstrationem, Ego, inquit, non iudico quenquam, pro eo quod est, Ego non iudico quicquam, id est, nihil humano affectu & uestro more profero, secundum carnem nihil testificor. Ergo cum iudico, id est testimonium profero, iudicium siue testimonium meum uerum est. Repetitur iterum ratio superior, Quia dei filius sum. Verum hoc eloquitur copiosius, Quia solus nõ sum, sed ego & qui misit me pater. Vnus quidẽ deus est substantia, sed hic non est solitarius, quemadmodũ ipsum imaginãtur Turcæ. Nam personis distinguitur: non tamen sicut persona Petri à Pauli distat. Persona enim nõ significat substantiã separatã, sed proprietatem subsistentẽ quidẽ, indiuiduam tamen à substantia. Pater ergo est qui mittit: filius est qui mittitur. Mittitur nõ quia non in patre maneat, sed quia iuxta dispensationẽ filius, nõ pater incarnatur. Solus ergo non est filius, quia manet in patre, & pater in filio, ideo uerũ est testimonium eius, quia diuinũ. Id quod iam altera collectione sic confirmat, Quicquid cõcordi duorũ hominũ testimonio cõfirmatur, p certo & uero recipitur. Hoc enim uestrate lege cui tantũ tribuitis cõprobatur, Deut. 17. Cæterũ ego & pater testificamur, duo nimirũ in psonis, nõ hoïes, sed essentia & natura deus uerus & unus. Verissimũ

ítaq; eſt teſtimonium meum, quo teſtificatus ſum me eſſe lucem & ſalutẽ mundi, per fidẽ item in me ſeruari credentes. Obſeruandũ tamen quod dicit, Ego teſtimonium fero de meipſo, ſed mox addit miſſum ſe eſſe à patre. Itaq; teſtimonium fert de ſeipſo negotioq; euangelico, non ſicut homo duntaxat, ſed tanquã deus uerus, filius utiq; dei à patre miſſus in mundum. Patris teſtimoniũ extat Matth. 3. & 17. extat in omnibus dictis & factis Chriſti. Nam in 14. cap. ait dominus, Ego in patre & pater in me, Verba quæ loquor uobis, à meipſo non loquor: pater autem in me manens ipſe facit opera. Credite ergo mihi quod ego in patre ſim, & pater in me. Hæc teneamus firmiter contra omnes hæreticos, authoritatem dictorum & factorum Chriſti, hoc eſt, diſpenſationem & doctrinam euangelicã, labefactare conantes. Verbum domini manet in æternum.

Dicebant ergo ei, Vbi eſt pater tuus? Reſpõdit Ieſus, Neq; me noſtis, neq; patrẽ meum: ſi me nouiſſetis, & patrem meum nouiſſetis. Hæc uerba loquutus eſt Ieſus in gazophylatio, docens in templo. Et nemo apprehendit eum, quia nondum uenerat hora eius.

Pater ſine filio non cognoſcitur.

Audientes nomen patris, Ioſephum haud dubie domini nutritium intelligũt, qui quoniam tenuiſſimæ erat fortunæ, non ſine magna & inſigni contumelia atq; contemptu rogant, Vbi eſt pater ille tuus, de quo tanta prædicas? ποῦ πατήρ nimirum ποικίλως. Sic enim eundo ſeipſam ſuperat iniquitas, & ſubinde nõ deterior modo, ſed petulantior etiã efficitur. Dominus uero ſimpliciter reſpondet fruſtra ijs oſtendi patrem qui filium non recipiant, hoc eſt indicat incredulitatẽ ipſorum in cauſſa eſſe cur nihil euangelici negotij capiant. Nã filius cognoſcitur, non ſenſibus quidem humanis, ſed fide cœleſti. Hac qui deſtituitur non nouit filium, ergo nec patrem, qui non niſi per myſteriũ filij uere cognoſcitur. De qua re dicetur Ioan. cap. 14. Annotatur hic ſignificantiſſime locus in quo hæc docuerit dixeritq; dominus, nimirum ut certior ſit hiſtoriæ fides. Erat autem Gazophylatium locus in templo amplus & frequens, ubi ſeruabantur donata templo. Quod appẽdit, Et nemo apprehendit eum, &c. commendat nobis diuinam prouidentiam atq; protectionem, animans miniſtros uerbi ad conſtans prædicationis ſtudium.

Gazophylatiũ

Dixit ergo iterum eis Ieſus, Ego uado & quæretis me, & in peccato ueſtro moriemini: quò ego uado uos non poteſtis uenire. Dicebant ergo Iudæi, Num interficiet ſemetipſum? quia dicit, Quò ego uado uos non poteſtis uenire.

Supplicium ſumendum de rebellibus.

Denunciat his ſupplicium non modo de Iudæis perfidis, ſed de omnibus euangelicæ doctrinæ rebellibus propter incredulitatem & contentiones ſumendum. Breuitas ſermonis nõnihil obſcuritatis habet: ſed tale eſſe uidetur quod dicit, Pollicitus eſt uobis deus Meſſiam ſaluatorem ac redemptorẽ, eum uobis, me in mundum miſſo, præſtitit exhibuitq; : ergo iam aliud nihil ſupereſt, niſi ut per mortem crucis & reſurrectionẽ ad patrẽ in cœlos aſcendã, ſicut mihi pater diſpoſuit. Simul autẽ atq; cœlitus regnare cœpero, plurima eaq; grauia uos mala prement, quibus tandẽ oppreſſi nihil aliud q̃ Meſſiæ aduentũ exoptabitis. Verũ non mittet aliũ uobis liberatorẽ pater. Me enim miſit, ſed ꝑ Meſſia & liberatore nõ agnoſcitis. Quid ergo fiet? Moriemini in peccato ueſtro. Peccatũ illud mortiferũ incredulitas ſiue perfidia eſt. Propter hanc Iudæi clade, bello, peſte, fame, oĩbusq; malis afflicti, tandem & patria extorres, etiam è terra uiuentiũ ſunt eiecti. Sequitur enim, Quò ego

uado

uado uos non poteſtis uenire. Abit ad patrem filius, rex & caput omnium fideliũ. Caput non eſt ſine ſuis membris: ergo fideles qui ſunt membra Chriſti transferuntur in cœlos ad ſuũ caput: increduli quia non ſunt membra corporis Chriſti, cum Chriſto nunquam colliguntur: ergo quò ille abit, hi uenire aut cõſequi nequeunt: quemadmodum & 7. cap. dictum eſt. Punit autem contemptũ uerbi ſui dominus Ieſus, incredulitatem & rebellionem ad finem uſq; ſæculi, bellis, calamitatibus & æterna condemnatione. Iudæi uero, pro more ſuo quæ non recte intelligebãt irridentes, Num ille, inquiunt, mortem ſibi conſciſcet? cõſcientia nimirum ſcelerum deſperatus ſemetipſum conficere ſtatuit. Neq; enim id aliter interpretari poſſumus, quod ſubinde minatur ſe eò abiturum, quò inſequi nequeamus. Sic autem ludit in rebus diuinis plus quàm impia hominum irreligioſorum audacia.

Et dicebat eis, Vos ab infernis eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mũndo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo uobis quod moriemini in peccatis ueſtris. Si enim non crediderit is quod ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris.

Domini indefeſſum ſeruandi ſtudium.

In primis obſeruandum puto, ardens, mirabile & indefeſſum in Chriſto ſeruandi ſtudium. Nunquam fatigatus & laboris diutini pertæſus increpat auditorum duritiam, ſed eandem rem iterum atq; iterum repetens inculcat, ſi forte laboris improbitate uicti, & operoſa diligentia docti, ſalutis negotium intelligere queant ac uiuere. Hoc domini ſtudium omnibus imitandum eſt doctoribus eccleſiæ, quibus reuera turpe eſt propter auditorum uel craſſitiem uel malitiam etiam ab officio deſiſtere docendi laborandiq;. Dominus enim longanimis & patiens nuſpiam ceſſat, & in præſenti quidem iterum aperit fontem erroris Iudaici, unde uidelicet oriatur ipſis craſſa illa ignorãtia. Cauſſa, inquit, erroris & cæcitatis ueſtræ omnis hinc eſt, quod prorſus caretis ſpiritu cœleſti: ab infernis & de mundo eſtis, id eſt, terreni eſtis & carnales, totiq; mundum ſapitis: ego uero de ſupernis & non de hoc mundo ſum, hoc eſt, doceo ſpiritualia, cœleſtia, & non mundana: niſi ergo ueluti renati alios & nouos uobis animos ſumpſeritis, nunquam quicquam intelligetis philoſophiæ meæ. Deinde quod non intellexerant, maxime autem ipſos ſcire referebat, clarius exponens, Dixi inter alia, inquit, In peccato ueſtro moriemini: hoc non intellexiſtis, exponam ergo ſignificantiſſime quid ſenſerim, Veni in mundum Meſſias filius dei lux & ſalus mundi, ſicut hactenus euidenter ſatis declaraui, hoc ergo niſi credatis certò, propter illam incredulitatem ueſtram peribitis. Peribitis autem ſiue moriemini anima atq; corpore. Colligimus hinc incredulitatem ipſiſſimum eſſe peccatum ad mortem ſiue mortiferum. Radix enim ac uigor eſt omnis impietatis. Sanctus Auguſtinus Tractatu in Ioannem 38. Quid eſt, inquit, Si non crediderit is quod ego ſum? Ego ſum, quid? Nihil addidit, & quia nihil addidit, multum eſt quod commendauit. Expectabatur enim ut diceret quid eſſet, nec tamen dixit. Quid expectabatur ut diceret? Forte, Niſi crediderit is quia ego ſum Chriſtus, niſi crediderit is quia ego ſum dei filius, niſi crediderit is quia ego ſum uerbum patris, niſi crediderit is quia ego ſum, conditor mundi, niſi crediderit is quia ego ſum hominis formator & reformator, creator & recreator, factor & refactor, niſi hoc crediderit is quia ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris. Multum eſt quod ait ipſe, ego ſum: quia ſic dixerat dominus Moſi, Ego ſum qui ſum, &c. Et mox, Prorſus nihil aliud mihi uidetur his uerbis dixiſſe quàm hoc, Niſi crediderit is quia deus ego ſum. Et reliqua.

Increduli tas mortiferum peccatum.

Dicebant ergo ei, Tu quis es? Et dicit eis Iesus, In primis quod & loquor uobis. Multa habeo quæ de uobis loquar & iudicem: sed qui me misit uerax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Non cognouerunt quod de patre eis loquutus esset.

Veritas sui similis perpetuo eadem respondet.

Admiranda conceditur hostibus Christi interrogandi facultas, & mirabilior multò apparet in his omnibus ineffabilis Christi domini patientia & lõganimitas. Quid autem facultatem appello, quæ reuera fuit carnis licentia atq; petulantia? Malitiose enim, perinde ac si nihil hactenus uiderint aut audierint unde scire possent quis esset, dicunt Iesu, Tu quis es? Cui quæstioni non dissimiles sunt illæ nostrorum querimoniæ, Ignoro in quo in tanta sententiarũ diuersitate acquiescam: & cuperem sanè scire ac discere quæ sit uera religio, quæ falsa, si modo idoneum liceret nanciscí doctorem. Quasi uero huiusmodi hypocritis quicquam iustæ eruditionis aut institutionis desit, & non potius idonea ac bona uoluntas. Porrò Iesus cum non ignoraret istos animo insyncero quæstiones nectere, nihilominus tamẽ placide respondet, quanquam & acerbitatem alicubi aspergat, nec aliud respondet quàm quod docuerat hactenus. Constat enim sibi ipsi ueritas, neq; nouas subinde super eadem re consulta, responsiones confingit. Vnde & dominus idem repetens, & repetendo inculcans, atq; inculcando confirmans, In primis, ait, quod & loquor uobis. Id Græce legitur, τλὼ ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Cæterum τλὼ ἀρχὴν non est hic nominatiui casus, ut Christus dixerit se esse principium, neque accusatiui, sed aduerbialiter ponitur, pro eo quod nobis est, omnino. Opponitur enim ἀλλ' ἀρχὴν, quod est nequaquam: ut sit sensus, Quæritis quis sim, omnino quod uobis expono. Id est, dei filius sum, à deo profectus & missus, Messias, salus, uita, & lux credentium. Nam hoc de se hactenus testatus est. Post hanc non est quod quisquam aliam expectet responsionem. Christus lux est, salus, uita, & redemptio, nec est in alio quoquam salus. Proinde si ex animo scire cupis quæ sit uera religio, & uera ad uitam perueniendi uia, crede in Christum, qui uita est.

Certa est doctrina Christi.

Verum hunc sermonem ilico abrumpens, rursus confirmat doctrinam suam, quam asserit certam esse, uerissimamq;, perstringit quoq; impios aduersariorum conatus atq; mores. Tanta, ait, est uestrorum improbitas morum, tantus est in uobis euangelij contemptus, ut multis id uix explicare queam: sic possem uobis exprobrare multa & infanda scelera. Sed quoniam sentio uos deteriores subinde reddi, hoc in præsenti tantum dixero, quod multis plurimũ spero profuturum, Eum omnino ueracem esse qui me misit. Deus enim æterna & infallibilis est ueritas. Misit autem me deus: ueritatem itaq; à deo missus doceo, & certissimum est doctrinæ meæ genus. Quæ enim audiui à deo, apud quem eram priusquam in mũdum uenirem, hæc eadem & non alia loquor in mundo: ut iam contemptus doctrinæ meæ redundet in ignominiam patris mei. Est itaq; euangelium uerbum & reuelatio dei, sapientia dei, per os filij dei mundo annunciata. Quæ sanè magna est doctrinæ Christi siue euangelij commendatio, cui uix parem reperias uspiam, unde cordibus piorum merito aureis inscribitur literis. Iudæi occæcati, & iam quoque surdi, adeoq; communi carentes sensu, nondum intelligunt Christum ista loqui de patre cœlesti. Tanta est non Iudæorum duntaxat, sed omniũ eorum crassities, qui insynceros animos ad prædicationem euangelij afferunt.

Dixit ergo eis Iesus, Cum exaltaueritis filiũ hominis, tunc cognoscetis quod ego sum, & quod ex meipso facio nihil: sed ita ut docuit me pater, hæc

hæc loquor. Et qui me misit mecū est. Nō reliquit me solū pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Hęc illo loquente multi crediderūt in eū.

Mirabiles in tota hac concertatione affectus domini exprimuntur. Quemadmodum enim benigni patres cum liberis altercantes, aliquando spem abiiciunt, & à iurgijs sibi abstinendum putant, mox tamen institutum mutantes noua de liberorum salute captant consilia, ac de nouo hortari atq; obiurgare incipiunt, si ulla ratione seruare pereuntes queant: ita dominus Iesus fidelissimus animarum pastor, nunc quidem animum despondet, consultissimum fore putans si prorsus obticescat, protinus tamen institutum mutat, ac de nouo instituere calamitosos incipit. Nam in præsenti plenius adhuc & copiosius ostēdit, quod hucusq; summa diligentia inculcauit, se uidelicet esse lucem mundi, id est dei filium, salutē, uitam, & redemptorem mundi. Ostendit autem illud ex ijs quæ mortem consequuta sunt, Cum, inquit, exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sum. Cognoscetis inquam quod dei filius & saluator totius mundi sum, idq; ex ijs cognoscetis quæ exaltationem, id est crucem sequentur. Hæc autem sequuta sunt, Velum templi scissum est in duas partes, à summo usque ad imum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionem uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Quibus uisis Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, timuerunt atq; dixerūt, Vere filius dei erat iste. Præterea resurrexit à mortuis tertia die, post quadraginta dies ascendit propria uirtute in cœlum, consedit ad dexteram patris, inde misit uicariam uim spiritus sancti, quo confirmauit & imbuit apostolos, per quorum prædicationem totum commouit orbem, ac omnes ad se gentes conuertit, excisis prius cum urbe & templo Hierosolymitano Iudæis. Idem potentia sua subiugauit orbem, attriuit idola, & omnem superstitionem gentilitiam è toto mundo sustulit. Ex quibus manifestissime colligitur Iesum esse Christum, filium dei, saluatorem mundi: qui ex seipso nihil docet uel facit: id est diuina uirtute omnia facit. Sequitur enim per interpretationem, Sed ita ut docuit me pater hæc loquor. Cuius generis loquutiones iam in superioribus capitibus exposui paulo copiosius.

Ostendit se esse filium dei & lucem mundi.

Ad assertionem diuinitatis Christi illud quoque pertinet, quod subdit, Et qui me misit mecum est. Et iterum, Non reliquit me solum pater. Dixi enim modo, Patrem esse in filio, & filium in patre. Neque enim pater cum filio est, sicut cum prophetis & apostolis fuisse dicitur. Altius quiddam hic intelligendum est, præsertim cum sequatur, Quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Hæc enim diuinitatis nota est certissima. Quis enim hominum in orbe à condito mundo uixit, qui semper fecerit quæ deo placuerūt? Solus dei filius ex uirgine incarnatus hanc prærogatiuam habet, quia solus ille immaculatus, contaminatum genus hominum sanctificare debuit. His hactenus clarissime docuit dominus, & doctrinam suam esse diuinam, certam, & infallibilē, & quod sit missus à deo patre, dei filius, lux & saluator mundi, qui omnes in se credentes illuminet, iustificet, saluet. Atque hæc doctrina domini plana & efficax non caruit fructu suo in ecclesia. Tametsi enim bona pars populi & totus pharisæorum grex refragaretur domino, multi tamen ex omnibus hominum ordinibus crediderunt in Christum. Qui certe finis est omnium eorum quæ hucusque disputata sunt, ut uidelicet etiam nos credamus in Iesum Christum, uerum uiui dei filium, Messiam, uitam & lucem totius mundi.

Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderant ipsi Iudæos, Si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei estis: & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberos reddet uos.

Docet suos perseuerantiam.

Relictis rixatoribus impijs, benigne conuersus ad credentes, ipsos egregie instituit, docens quid porrò opus sit, & quid faciant. Huiusmodi autem est quod dicit, Bene cœpistis utcunq; credere prædicationi meæ, uerum ut non satis est in re qualibet bene cœpisse, nisi cœptum quoq; plene absoluas, ita hic in primis requiritur constans perseuerantia, ut qui semel cœperunt animos applicare ac dedere prædicatæ ueritati, in ipsa perstent, neq; sinant se abduci infidelium uel blasphemis artificiosis ue sermonibus, uel prauo ipsorum exemplo aut felicitate prospera. Significanter autem dicit, Si uos mãseritis in sermone meo. In sermone inquã meo: non in sermone & doctrinis hominum. Proinde non quæuis perseuerantia, nec in quolibet doctrinæ genere, sed perseuerantia fidelium in uerbo dei requiritur, qua uerbo Christi doctrinæue euangelicæ non inhæreamus duntaxat mordicus, sed quodammodo innascamur etiam. De ea re plura dicentur Ioan. 15.

Quæ perseuerantiam comitantur.

Cæterum Christianam hanc perseuerantiam, & ut sic dicam immanentiam in uerbo Christi magna quædam sequentur, adeoq; perseuerantibus maxima pollicetur dominus. Principio enim, Sic uere, inquit, mei estis siue eritis discipuli. Sunt multi quidem discipuli Christi, sed non uere, quorum cor non est rectum atq; syncerum cum Christo. Quouis enim uento doctrinæ circumferuntur, offendiculis disperguntur, cruce, minis, & persequutionibus prorsus à ueritate abstrahuntur. De huiusmodi discipulis dixit apostolus Ioannes, Exierunt ex nobis, sed non fuerunt ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. In euangelio ij sunt qui supra petram excipiunt semẽ: qui cum audierint, cum gaudio excipiunt sermonem: interim cum radices non habent, ad tempus quidem credunt, sed in tempore tentationis recedunt. Est autem ingens gloria, uerum esse discipulum Christi, filij nimirum dei. Gloriantur alij se discipulos esse Socratis, Pythagoræ, Aristotelis: at hi fuerunt homines & errantes ipsi, & in errorem alios inducentes. Christus ueritas & lux mũdi est, qui ipsum sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lumen uitæ. Et hic tamen sordet quibusdã, suaue uidetur quicquid exoticum & corruptum, tenebrosum atq; contortum est. Deinde, Et cognoscetis, inquit, ueritatem. At quomodo crediderunt, ais, si nondum cognouerunt ueritatẽ? Certe fides innititur ueritati, & apprehendit ueritatem: ergo non ignorant ueritatem, qui credunt. Interim uero gradus & augmenta habet scientia Christianorũ, ac increscit progressu temporis cognitio ueritatis: quemadmodum ex multis alijs scripturæ locis colligi potest: incrementum ergo scientiæ atq; cognitionis pollicetur in præsenti dominus perseuerantibus. Veritas autem ipse Christus est: ergo si perstiterimus in uerbo Christi, subinde clarior illucescet nobis Christus. Veritas item opponitur umbris legalibus: itaq; perseuerantibus in doctrina euangelica, dominus subinde luculentius mysteria euangelij aperiet. Rursus ueritas est iuxta idioma Hebræum cuiusuis rei perfectissima essentia, ipsa rei absolutissima perfectio. Id quod Germanice ita efferimus, Du wirst die gantzen warheit vnd den rechten grund hören vnd verston. Ideo perseuerantibus aperit dominus temporis progressu omnia pietatis & regni dei mysteria, absoluens ipsos in omni scientia & cognitione, quæ ad ueram pietatem pertinere uidetur. Postremo, Veritas, inquit, liberos uos reddet. Veritas inquam ipse dei filius Iesus Christus liberator mundi. Vel ipsa fides quæ innititur ueritati æternæ, liberos reddet perseuerantes. Loquitur autem de

Libertas Christiana.

tem de animorum libertate, quæ non mutat statum fortunæ, corpus eximens à iure heri, sed animum liberat à uitijs, à prauis ac mundanis cupiditatibus, à tyrannide diaboli, à metu mortis, à seruitute humanarum constitutionum, & à iugo legis. Et quia liberis conceditur à liberatore, spiritus libertatis & spontaneus, ultrò seruiunt deo liberi in omni sanctitate & iustitia: testante etiam Zacharia, Vt liberati de manu omnium qui oderũt nos, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia omnibus diebus uitæ nostræ. Libertas itaq; Christiana non est libido aut licentia, quemadmodum porci quidam è grege Epicuri putant, sed manumissio liberatioq; à diabolo atq; peccato, & dedicatio deditione facta Christo principi, cui nos totos obstrinximus, sicuti copiosius in epistolis apostolorum exponitur. Porrò ratio siue ordo salutis ac iustificationis nostræ in his eleganter cõsignatur, Ante omnia enim annunciatur ueritas: annunciata recipitur fide: recepta conseruatur: conseruata increscit & augetur: hæc ipsa liberos reddit. *Ordo salutis.*

Responderũt ei, Semẽ Abrahæ sumus, neq; cuiquã seruiuimus unquã, quomodo tu dicis, Liberi reddemini? Respondit eis Iesus, Amen amen dico uobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Si ergo uos filius liberos reddiderit, uere liberi estis.

Iudæi tumentes nobilitate maiorum iuxta carnem, nec intelligentes dominũ loqui de libertate animorum, Nos, inquiunt, è patriarcha nobilissimo Abraham, & ingenua eius uxore Sara progeniti, nobiles sumus & liberi, quam ergo tu libertatem promittis, cum nemini seruierimus unquam? Verum mentiuntur impudentes, & pro ingenio arrogantiæ ea quoque sibi tribuunt, quæ nunquam habuerunt. Vnde S. Augustinus non immerito istis succensens exclamat, O pellis inflata, non est illa magnitudo, sed tumor. Et hoc ipsum secundũ huius temporis libertatem, quomodo uerum dixistis, Nemini seruiuimus unquã? Ioseph ne uenundatus est? Prophetæ sancti in captiuitatem non sunt ducti? Deinde nónne ipse ille est populus, qui in Aegypto lateres faciebat, & regibus duris, non saltem in auro & argẽto, sed in luto seruiebat? Si nemini seruistis unquã, ô ingrati, quid est quod assidue uobis imputat deus, quod uos de domo seruitutis liberauit? An fortè patres uestri seruierunt, uos autem qui loquimini nemini unquam seruistis? Quomodo ergo soluebatis iam tributa Romanis? Hæc ille. Inflantur hodie eodem inani uento atq; tumore qui adhuc supersunt Iudæi, solos se hominũ nomine dignos putantes, reliquos nos ceu goijm & canes contemnentes. Cæterum detrahet his mox ipse dominus leoninum: qui in præsentiarum quoque gloriationem eorum inanem confringens, demonstrat ipsos non liberos esse, sed seruos: qua re simul uelut per contrarium explicat de qua sit hactenus libertate loquutus. Videmini, inquit, uobis maxime esse liberi, sed reuera serui estis. Nam illud longe certissimum est illum eius esse seruum, cui se præbet morigerum. Vos peccato præbetis uos morigeros. Serui ergo estis peccati, ac per consequens diabolum habetis dominum. Nam hic peccato obnoxijs dominatur. Huc pertinet caput apostoli ad Rom. 6. quod uice commentarij esse poterit. Rursus & ex opposito, Liber est qui non seruit peccato. Fideles peccato non seruiunt: hi ergo uere liberi sunt. Iam intelligis de qua libertate superius loquutus sit dominus, de libertate animorũ, qua nos donauit Christus, qui peccata remisit, spiritu q; suo sancto in nobis efficit, ne dominetur nobis peccatum, quod nunquam non sentitur à sanctis. Sicut copio- *Iudæi iactant generis nobilitatem.* *Iudæi non sunt liberi, sed serui: & de Seruitute.*

sius exponitur ab apostolo ad Roma. 7. Nunc iudica, liberi an serui sint quidam pseudoeuangelici, quorum deus uenter est, qui nil aliud quàm gloriæ, auaritiæ, Veneris, atq; Bacchi sunt mancipia.

Pœna seruorũ. Sequitur denunciatio pœnæ seruorum, proposita sub similitudine per collationem, ad hunc modum ferè dispositа, Quemadmodum seruus non manet semper in domo, in qua seruit, sed pro arbitrio domini ejicitur uel mutatur: Ita mancipiũ peccati, tametsi ad tempus pietatem simulet, & uideatur deum habere propitium & amicum, excluditur tamen suo tempore à consortio dei & sanctorum. Domus enim consortium dei & sanctorum adumbrat. Et quemadmodum filius familiâs ceu iustus hæres permanet in domo & omnium est dominus: ita fideles permanẽt in societate dei & sanctorum, utpote hæredes per Christũ facti uitæ æternæ. Concludit iam negotium, Qui ergo cupit uere liber esse & hæres fieri uitæ æternæ, curet ut per me filium dei liberetur, id est mihi credat, in uerbis meis maneat, & liberabit ipsum ueritas. Sic uides pulchre & appositè singula ad scopum referri, & firmiter inter sese cohærere. Paraphrastes postremã hanc sententiam copiosè enarrans, Proinde, inquit, si hanc libertatem desideratis, non est quod eam expectetis à Mose aut patriarchis aut sacerdotibus uestris, quorum administratio fuit ad tempus: neq; quisquam horum fuit prorsus immunis ab omni peccato: neq; quisquã ius habuit abolendi peccata: neq; quisquam ad plenum nouit ueritatem. Verum si quis adhæserit filio, cui tota perpetuaq; domus potestas tradita est, is undecunq; prognatus erit iuxta carnem, ueram libertatem sperare poterit. Non igitur Abraham uos liberos genuit: non Moses, non sacerdotes suis uictimis uos reddunt liberos. Si filius uos ab erroribus ac peccatis liberos reddiderit, uere pleneq; liberi eritis. Hæc ille. Cæterum memorabilis, & dignus qui obseruetur, est hic locus De libertate Christiana & Seruitute.

Scio quod semẽ Abrahæ estis: sed quæritis me interficere: quia sermo meus non habet locum in uobis. Ego quod uidi apud patrem meum, loquor: & uos quod uidistis apud patrem uestrum, facitis.

Iudæi degeneres non sunt filij Abrahæ. Confutat nunc ualidius turgidam inflatamq;, sed inanem prorsus, Iudaicam gloriationem, qua se iactabant Abrahæ esse semen, id est posteritatẽ. Scio, inquit, uos iuxta carnem genus ducere ab Abraham: uerum non sufficit Abrahamo patre iuxta carnem esse prognatum, nisi etiam moribus ingenium patris exprimatis. Atqui nulla parte hic parenti uestro respondetis: estis itaq; degeneres. Quod autem patris ingenium nulla parte referatis, hinc claret quod quæritis me interficere: quod Abraham nunquã feciſſet. Id uero totum inde est quod serui estis peccati, fœda turpissimorum affectuum mancipia: nullus est in uobis libertatis spiritus: quia ueritas quæ liberat, uerbum meum quod ueritas est, nullum in uobis locum habet. Ita uides incredulitatem ipsissimum esse omnis mali, & omnium flagitiorum fontem perennem. Porrò incredulitatem locum ibi habere ubi nullus locus supereſt uerbo Christi. His subjicit collationem qua sua studia cum Iudæorũ institutis comparat, causſam interim subindicans ob quam domino necem intentabant. Ego, inquit, fideliter & libere eam uobis ueritatem expono, quam non ex homine, sed ipso deo patre didici. Hanc cum per animorum uestrorum improbitatem, imò impietatem ferre nequeatis, cogitatis me parricidio intercipere. Quid ergo restat aliud quàm ut libere pronunciẽ, illud ipsum uos moliri ac facere, quod didiciſtis apud patrem uestrum. Quibus non Abrahamũ designat, sed occultius diabolum significat, qui ueritatem cædibus cogitat obruere atq; abolere. Vide-

mus

mus in his duo maxime agi à ſaluatore. Prius, Iudæos non eſſe genuinos, ſed degeneres Abrahæ filios, eò quod moribus patri ſint diſſimiles. Poſterius, Doctrinam ſuam ueram eſſe atq; compertiſſimam, utpote ab ipſo profectam deo patre, è quo ille proceſſit & uenit.

Reſponderunt, & dixerunt ei, Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis Ieſus, Si filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis: nunc autem quæritis me interficere, hominem qui ueritatem uobis loquutus ſum, quam audiui à deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris ueſtri.

Subodorabant pro ingenij ſui ſagacitate dominum ſentire patrem ipſorum eſſe ſcelerum patronum & ſceleratum: nunc ergo uafris quæſtionibus aliquid aduerſus patriarcham Abraham è reſponſione domini elicere conantur, quo populares excitent in caput & exitium Ieſu, ueluti calumniatoris ſanctiſſimi patriarchæ. Hoc ergo uidentur dicere, Palàm teſtatus es noſtra opera eſſe mala. Adieciſti ea nos facere quæ apud patrẽ noſtrum uidimus: cum uero non alium agnoſcamus patrem quàm ipſum Abraham, uideris inculpatũ illum patriarcham noſtrũ taxaſſe, quaſi is talis fuerit, quales iam filios habeat, ſceleratus nimirum ſceleratiſſimos. Cupimus ergo ex te ſcire, an Abraham unquam quicquã uiro bono, iuſto & ſancto indignum deſignarit? Ad eam obiectionem ita reſpondet, ut ea quæ dixerat paulò obſcurius, iam explicet clarius, idemq; dicat quod prius, ſed alijs & ſignificantioribus uerbis. Eſt autem ſenſus talis, Scio & fateor Abrahamũ patriarcham uirum fuiſſe bonum, iuſtum & ſanctum: atqui de eo nunc nihil, de uobis loquor. Iactatis uos eſſe filios Abrahæ. At ego id maxime nego, genuinos uidelicet eſſe, degeneres concedo. Ideo autẽ genuinos eſſe nego, quia ingenui filij ingeniũ per omnia referũt patris. Itaq; ſi eſſetis filij Abrahæ, opera Abrahæ faceretis, id eſt, ingenium referretis boni patris. At uero diuerſiſſimo ab illo prædíti eſtis ingenio. Id quod ex conſilijs ueſtris probo. Studetis enim me interficere: quod Abraham nunquam feciſſet. Præterea conſilium ac conatum ipſorum ſceleratiſſimũ amplificans, Cogitatis, inquit, interficere hominem, id eſt innocentẽ me, qui pro humani generis ſalute incarnatus à patre cœlitus deſcendi, ut eam uobis ueritatem infallibilem prædicarem, quam audiui à patre. His iam infert, Vos facitis opera patris ueſtri, nondum diſerte & manifeſte edicens cuius patris. Hoc enim illis æſtimandum relinquit.

Obſeruanda ſunt in his hæc potiſſimum, Nullam ualere apud deum generis prærogatiuam, nullum patrum noſtrorũ meritum. Requirit enim deus abs quouis animi pietatem, fidem ſynceram, & dilectionẽ ardentem. Ideo apud Ezechielẽ clamat dominus, Si Noë, Daniel & Iob fuerint in medio peccatricis huius nationis, uiuo ego dicit dominus deus, ſi filiũ aut filiam liberauerint: ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animam ſuam. Ezech. 14. Imò dedecori ſunt maiorum uirtutes liberis, ſi ipſi ſint ſcelerati, tantum abeſt ut cum gloria maiorum ſuorum nobilitatem iactent. Obſeruandum item non omnes eſſe Abrahæ filios ac Iſraelitas, qui hoc appellantur nomine, ſed eos potius quibus cum illis communis eſt fidei uitæq; integritas. Hac ratione gentilibus prognati parentibus poſſunt genuini eſſe Iſraelitæ & filij Abrahæ: rurſus non ſunt Iſraelitæ neq; filij Abrahæ, geniti licet ſint è ſemine Abrahæ ſecundum carnem, qui interim pietate patrem non referunt. De qua re copioſiora diſputauit apoſtolus ad Rom. 2. 4. 9. & in epiſtola ad Galat. Ioannes certe Baptiſta dicit deum ex lapidibus poſſe ipſi Abrahæ filios excitare. Matth. 3. Eſt ergo hæc res non ex titulis, ex nomine, aut ullis rebus externis, ſed ex interna

Qui ueri Abrahæ filij.

pietate, ex imitatione & operibus sanctis æstimanda. Postremo discimus quod in pietatis negotio præcipuum est caput, Iesum Christum uerum dei filium incarnatum pro nobis, cœlestem, diuinam & indubitatam mundo attulisse doctrinam, eamq; proposuisse summa fide & diligentia. Quod ut hoc cap. 8. diligenter inculcatur à domino, ita retinendum uidetur mordicus in omnibus concertationibus, ne ab eo dogmate uel latum, quod dici solet, culmum discedamus. Neque enim id frustra tanta nobis inculcatur sedulitate.

Dixerunt itaq; ei, Nos è stupro non sumus nati. Vnum patrem habemus deum. Dixit eis Iesus, Si deus pater uester esset, diligeretis utiq; me. Ego enim ex deo processi & ueni. Neque enim à meipso ueni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non agnoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.

Iudæi gloriantur se esse filios dei.

Pergunt isti obstinate suam asserere nobilitatem, præsertim cum ex contextu uerborum Christi colligant quem patrem ipsis designet, diabolum. Ex aduerso ergo, iam non Abrahæ duntaxat, sed & dei filios se esse gloriantur. Nimirũ quod ipse deus Exodi 4. dixerat, Filius meus primogenitus Israel: ac prophetæ Israelitas perfrequenter appellarunt dei filios. Ergo, Non sumus, inquiunt, è stupro nati, id est legitimi sumus Abrahæ filij, dissimiles gentibus impuris & idololatris, fornicantibus, & fornicatione gentis. Deus enim elegit nos, & quasi separauit ab omnibus gentibus. Nos enim sumus regale illud sacerdotium, gens sancta, peculium illud dei, adeoq; prædilecti filij dei. Ad hæc respondens dominus, duo maxime agit. Principio refellit impiam, audacem & impudentem hanc Iudæorum iactationem. Deinde palàm edicit quem habeant patrem, diabolum. Initio, Vanum, inquit, est quod iactatis uos esse dei filios. Si enim deus uobis pater esset, non posse tis me non diligere. Quicunque enim diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Ego autem genitus sum ex patre. Proinde cum odio me prosequamini, & non diligatis, certum est uos non esse deo patre prognatos. Significanter uero dicit dominus, ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω, id est, Ego enim ex deo processi, & ueni: duobus utens uerbis procedendi & ueniendi. Priori uerbo subindicauit æternam illam & ineffabilem generationem, qua ex patre ante sæcula & ab æterno natus est, talis procedens filius, qualis erat pater, lumen de lumine, deus uerus de deo uero. Posteriori incarnationem denotauit. Descendit enim filius ille dei de cœlo, & uenit in mundum. Ideo addit, Neque enim à meipso ueni, sed ille me misit. Nam in principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum: & uerbum caro factum est. S. Augustinus Tract. in Ioannẽ 42. ad eundem ferè modum hæc explicans, Missio, inquit, Christi est incarnatio. Quod uero de deo processit uerbum, æterna processio est: non habet tempus, per quem factum est tempus. Et mox, Ergo ab illo processit ut deus, ut æqualis, ut filius unicus, ut uerbum patris, & uenit ad nos, quia uerbum caro factum est, &c. Porrò Sanctus Cyrillus plenius & significantius loquens de processione filij ex substantia patris lib. Thesauri 6. cap. 1. Sol, inquit, ita lucet, ut nullo modo imminuatur, nec aliquis poterit localiter lucem à sole diuidere: nec separari calorem ab igne uidemus, sed exit ab igne inseparabiliter: quasi fructus essentiæ suæ, sicut & splendor lucis: nunquam enim erit lux sine splendore, neq; ignis sine calore: semper enim cum istis rebus sunt, quæ ex ipsis generantur. Sic igitur & filium intellige ex patris essentia emanare siue procedere, ita ut æternaliter & in ipso sit & in propria hypostasi esse

Christus ex deo processit & uenit.

esse non dubitetur, nec ullo pacto imminuere patris essentiam credatur, nec ab eo separari intelligatur. Nam & pater in ipso est, & ipse in patre. Hæc contra Arrianos disputauit, contendentes id quod ex aliquo prodit, illius esse substantiæ partẽ unde prodit, quod autem semel prodit atque diuisum est, id totum esse non posse.

Ostendit illos non esse dei filios.

Subiicit istis aliud argumentum dominus, quo euincit illos non esse filios dei, Si inquit, filij dei estis, quid obsecro caussæ est, quod loquelam meam non agnoscitis? Ille per me loquitur uobis. Solent autem filij parentum perinde ut oues pastorum suorum uocem agnoscere. Cæterum cum meam doctrinam, quæ & patris est, non agnoscatis, indubitatum est, uos non esse dei filios. His præterea caussam addit erroris, Quia non potestis audire sermonem meum. Ideo non agnoscitis doctrinam meam ex deo esse, quia non potestis audire sermonem meum. Audiebant quidem sermonem, sed non credebant neque sustinebant eruditionem & discipli nam domini. At fide recipitur sermo Christi, fide agnoscitur quod sermo Christi sit sermo dei: citra fidem & obediẽtiam uerbi, sordet hominibus doctrina Christi. Neq; ulla alia caussa blasphemant etiam hodie multi uerbum euangelij certum & indubitatum, quàm quod erudiri ac credere nolunt, diffidere & rebellare spiritui sancto pergunt. Docet nos hic locus plane non placere patri quenquam, nisi per filium, imò omnes ueros patris cultores agnoscere, adorare, colereq; filium. Si, inquit, deus pater uester esset, diligeretis utiq; me. Certissimũ ergo de se præbent argumentum nescire patrem, nec deum uere colere aut diligere quicunq; negant & odiunt dei filiũ. Viderint ergo Iudæi ac Turcæ, qualis ipsorum sit religio, quæ in quinto quoque capite manifestissimis Christi & apostoli uerbis refutata atq; damnata est. Præterea perspicimus in his quoq; quodnam sit filiorum dei ingeniũ. Filij dei ante omnia patris ingeniũ referunt in omnibus dictis & factis, diligunt deum, amplectuntur eius filium, in quo omnem spem reponunt, uerbum dei audiunt, audito credunt, fugiunt mendacium, magnificiunt ueritatem, benefaciũt omnibus, nocent nemini. Contraria reperiuntur & exerunt sese in filijs diaboli, de quibus modo sequitur.

Ingenium filiorum dei.

Vos ex patre diabolo estis, & desideriis patris uestris uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, et in ueritate non stetit: quia nõ est ueritas in eo. Cum loquitur mendaciũ, ex propriis loquitur: quia mendax est atq; eius rei pater. Ego autem quia ueritatem dico, non creditis mihi.

Iudæi sunt filij diaboli.

Progressu incandescit domini oratio. Iudæi toties iam obiecerunt patrẽ Abraham, tandem & ipsum deum, ipse uero tectius admonebat illos esse degeneres filios, satana potius prognatos. Illi nihilominus rixari, quæstiones nectere atq; crabrones, quod dici solet, incitare non desinebant: prorumpit ergo hic tandem dominus, & edisserit illis mysterium illud absconditum, manifeste exponens cuius sint filij, diaboli uidelicet. Cupitis, inquit, omnino audire palàm patris uestri nomen (Jr frãglend vnd grũblend/ vnd wöllend ye üwers vatters namen wüssen / Den wil ich üch zeigen/ Der Tüfel ists) ac obsequi uultis patris illius uestri desideriis. Videtur aũt ἐπιθυμία cõcupiscentia siue desideriũ poni pro ingenio atq; natura: ut sit sensus, Et ingeniũ paternũ, pbe studetis exprimere. Porrò ingeniũ diaboli nil aliud est q̃ malitiosa cõcupiscentia, inuidia, cædes, mendaciũ. Pulchre ergo, inquit, refertis depraua-tissimum illud ingeniũ, cui obsequi, quod recipere atq; exprimere, uidetur uobis summa esse uoluptas. Itaq; ex morũ similitudine demonstrat Iudæos, non dei, non

Ingenium & opera diaboli. Homicida.

Abrahæ, sed diaboli esse filios. Quod ut euidentius appareret, describit paucis ingenium, naturam atque opera diaboli: ac duo potissimum in eo notat, cædem atque mendacium. Ille, inquit, homicida erat ab initio. Mox enim à condito orbe, in primis illis parentibus nostris Adamo atq; Eua artibus in errorem rebellionemq; contra deum pellectis, occidit totum genus hominum. Idem non multò post Cainum armauit in exitium fratris sui Abel. Incitat & in diem per totum terræ orbem homines pietate destitutos ad cædes ac parricidia. Gaudet enim sanguine, bellis, latrocinijs, incendijs, & hominum interitu: non alia re impulsus, quàm inuidia alienæ felicitatis. Hic iam addendum aliquid, quod collationem ac sensum absoluat. Idem morbus uos stimulat in cædem innocentis hominis. Docui uos ueritatem cœlestem, multa uobis contuli beneficia, sed his nihilo clementiores aut gratiores facti, nil aliud quàm meum sititis sanguinem: itaq; genuini estis filij satanæ, cuius ingenium & indolem spiratis, cuiusq; uoluntati paretis. Hæc de homicidio dixit, sequitur de mendacio diaboli, Et in ueritate non stetit. Bonus quidem conditus erat diabolus à deo, cuius opera omnia bona sunt. Collocarat ipsum in ueritate, à qua nunquam excidere potuisset, nisi in ipsa stetisset aliquando. Requirebatur ab ipso à deo iustissimo ueritas, fides, siue fidelitas, gratitudo, officium & agnitio dei creatoris, qui uires perseuerandi, si uoluisset, cõtulerat. Nam stare potuisset si modo uoluisset: atqui sua culpa & suo uitio in ueritate non stetit, in ea inquam puritate in qua conditus erat, infidelitate enim excidit, id est, fidem non præstitit. Causa, Quia non est ueritas in eo. Non quod sic esset creatus, sed quod post perfidiam, sua culpa, suoq; uitio talis esset effectus. Fuerat sanè lux & spiritus purissimus dei conditione, sua autem spontanea malitia factus est tenebræ & spiritus immundissimus. Ex eo ergo quod cecidit, nulla est in ipso ueritas, nulla inquam fides siue fidelitas, nullus dei timor, nulla integritas, & ut prouerbio dicitur, οὐδὲν ὑγιές. Nam apostata factus, non modo ipse excidit ueritate per infidelitatem, sed ne in homine quidem dei tulit sermonem atque timorem. Equidem parentibus nostris primis uerbum dei uitiauit, & sustulit, tandem de suo alienum de deo sensum indidit, atque in inobedientiam perfidiamq; pellexit: neque ea re contentus, errores insuper uarios, blasphemas de deo opiniones, mendaciorum doctrinam, idololatriam & superstitionem deriuans in gentes, totum orbem impietate repleuit. Sic inquã in ueritate non stetit: sic nulla est in eo ueritas, totus est corruptus & ex mendacijs consutus. Ex hoc iam fonte uenenatissimo deriuat dominus mendacium, dicens, Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: Nemo, inquit, referat mendacium ad authorem deum, qui ueritas est. Mendaciũ proprium & naturale quiddam diaboli est, profectum ex illius corruptione. Subijcitur ratio euidens, Quia mendax est, atque pater illius, uidelicet mendacij. Vel, atque eius rei, mendacij uidelicet, pater. Sua, inquit, natura mendax est diabolus, non in qua conditus est à deo, sed quam sibi sua parauit perfidia: adeoq; pater, id est fons, origo & princeps siue caput est mendacij, erroris, peccati atque omnis mali. Quemadmodum è diuerso deus fons est omnis ueritatis, ac ueritas ipsa. Hactenus de mendacio adeoq; de corruptissimo diaboli ingenio, deq; operibus malis. Sed quorsum hæc tendunt, ais, quis est finis descriptionis, naturæ, ingenijue satanici? Vt euincat dominus ex morum ingenijq; similitudine Iudæos esse filios non dei, non Abrahæ, sed satanæ, ideo subijcit, Ego autem quia ueritatem dico, non creditis mihi. Quasi dicat, Hinc omnino claret, uos non deo patre, qui ueritas est, & ueritate delectatur, sed diabolo prognatos esse parente, quod cum manifestissimam uobis ueritatem prædico, non recipitis. Magis enim adlubescit mendacium

Mendax diabolus.

Fontes boni & mali.

dacium, unde palàm ſatanicum refertis ingenium.

Varia in his traduntur nobis dogmata, eaq; elegantia & utilia. Deſcribitur ante omnia ingenium filiorum diaboli. Hi ingenio dictis & factis patrem referunt, deum non metuunt, ueritatem omnem, fidem, puritatem, uenenato perſequuntur odio, uerbum dei ſpernunt atque calcant, rapinas ſectantur, cædes & parricidia ſpirant, omnibus infeſti ſunt, nemini proſunt, niſi à quo utilitatem & compendium maius luculentiusq; expectant, per hypocriſim omnia ſimulant & diſſimulant. Ad hoc ſpeculum quiſque ſe componat, omnes animi ſui ſinus explorans atque excutiens, dicta inſuper & facta ſua dijudicans, unde diſcat dei ne an diaboli ſit filius. Religio enim uera pietate probatur non titulis: unde non ſufficit appellari nominetenus Chriſtianũ, niſi is quoque reuera ſis. Ac cernunt hic concionatores in exemplo Chriſti, quæ ipſorum ſit libertas. Dominus enim nihil moratur populi iſtius peculiaris ſancti & regalis ſacerdotij dignitatem aut gloriationem, nec quicquam diſſimulat, uera indit rebus & perſonis nomina, ficum, quod prouerbio dicitur, ficum, & ligonem ligonẽ appellat, hoc eſt, diabolicũ referentes ingenium homines, diaboli nuncupat filios. Qua criminatione nulla reperitur alia acerbior & intolerabilior. Qui enim diaboli filium dixit, is nullum non flagitium, ſcelus ac atrox facinus impegit. Diabolus enim omnis ſceleris caput eſt atque princeps. Diſcimus hinc quoque cui imputemus mala, & quem conſtituamus authorem peccati, diabolum & corruptam illam noſtram naturam, quam ille ſollicitat & impellit. Deus bonus eſt & author omnis boni. De qua re alibi dictum copioſius. Cauendum tamen hic ne impingamus in fœdos Manichæorum errores, quos confutauit Sanctus Auguſtinus in operibus ſuis contra Manichæos, in Tractatu item in Ioannem 42. & lib. in Geneſim ad literam 11. In primis autem obſeruabimus certiſſimam notam filiorum diaboli illam eſſe, nolle uerbum audire.

Ingenium filiorum diaboli.

Libertas concionatorum.

Quis ex uobis arguit me de peccato? Porrò ſi ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex deo eſt, uerba dei audit: propterea uos non auditis, quia ex deo non eſtis.

Sub finem huius collationis ac demonſtrationis grauiſſimæ, acriter expoſtulat cum Iudæis, approbans nihilominus quod hactenus probauit, illos non eſſe dei filios, ſuperioribus hæc ueluti epilogum adijciens. Vt autem hypocriſis ſui ubique ſimilis eſt, & ſemper habet quod pro ſe obijciat: ita hic quoque ſeſe tuentes Iudæi, tacite apud ſeſe cogitabant, Non deſunt nobis cauſſæ legitimæ, quæ obſtant quo minus credamus prædicationi tuæ. Ad hanc ergo obiectionem reſpondens, grauiterq; expoſtulans cum eis, Quis, inquit, ueſtrum arguit me de peccato? Arguit (ἐλέγχει) conuincit peccati, id eſt erroris, delicti, & rei non rite legitimeq; adminiſtratæ. Cæterum in doctore uel doctrina, uel uita erroris accuſari poteſt: utrunque complectitur Chriſtus, qui hoſtibus ſuis poteſtatem facit iudicandi, ubi uel in doctrina ſua uel in uita tantillum peccarit, id eſt tantillum aberrauerit. His iam forinſecus adijci oportet, quod abſoluat ſenſum, Quod ſi nec doctrinam, nec uitam meam erroris conuincere poteſtis: breuiter ſi nullum omnino peccatum mihi poteſtis impingere, dare cogemini, uelitis nolitis, me eſſe ueracem, ac in primis doctrinam meam eſſe ueram & certam. His iam graui cum ſpiritu infert. Porrò ſi ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Iterum uero adijciendum his, nimirum quia ex diabolo eſtis. Mox enim

Chriſtus in doctrina & uita inculpabilis.

probationem, & in hac ſummam illationemq; totius diſputationis ſuppingens,

Qui ex deo eſt uerbū dei audit.

Qui ex deo eſt, inquit, quales uos uideri uultis, uerbum dei audit. Vos autem non auditis uerbum dei: ergo ex deo non eſtis. Cohæret hæc collectio nexu firmiſſimo & indiſſolubili. Licet autem illam probationis regulam ad omnes omnium ætatum homines extendere. Quicunq; enim nolunt aut non poſſunt audire uerbum Chriſti, de ſe manifeſte teſtantur quod impij ſunt, ac dei in ſe nihil prorſus habēt. Vide ergo Lector Chriſtiane, quo loco eos habere dignetur dominus, qui dedignantur audire uerbum euangelij, quod dei uerbum eſt. Audiunt autem uerbū dei non illi qui ſenſu hauriunt corporeo. Multi enim ſic audiunt, & tamē non ſeruantur. Illi potius uere audiūt uerbū dei, qui animæ auribus per fidem recipiunt, & uerbo obtemperant. Iterum uero approbat hic euangelij locus, doctrinam Chriſti domini, eſſe ipſum uerbum dei. Authoritatem euangelio maximam conciliat, quod nemo authorem euangelij Chriſtū, erroris aut ullius peccati conuincere potuit. Multæ quidē ab hoſtibus calumniæ ſunt auditæ & intentatæ innoxio, nemo interim uere ac iure quod propoſuerat probare poterat. Huiuſmodi doctorē nulla unquam niſi præſentia hæc Chriſtianorum habuerunt ſæcula: unde merito primas obtinet Ieſus, cum ſit mundi lux puriſſima, & inculpabilis doctrina euangelica. Immitabuntur exemplum principis ſui Chriſti Ieſu eccleſiarum miniſtri, ſi iint irreprehenſibiles & doctrinam eccleſijs non ſuam, ſed Chriſti proponant. Solus dominus Ieſus non modo irreprehenſibilis fuit, ſed ſine peccato etiam. Nullus miniſtrorum ſine peccato eſt, omnes autem iubet irreprehenſibiles eſſe apoſtolus. Et certe diuerſiſſima inter ſe ſunt ſine peccato eſſe, & ſine crimine. Reliqua diligenti Lectori expendenda relinquo.

Reſponderūt ergo Iudęi, & dixerūt ei, Nónne bene dicimus nos quod Samaritanus es tu, & dæmoniū habes? Reſpondit Ieſus, Ego dæmonium non habeo, ſed cohoneſto patrem meum: & uos ignominia affeciſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet. Amen amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem nō uidebit in æternum.

Percutit dominus ut ſanet.

Confutauit dominus ſtulti & arrogantis populi glorioſam iactantiam grauiſſime ipſum uituperans, non quod ipſius delectaretur ignominia, ſed ut remoris omnibus quibus impediebatur ſublatis, ipſum ad ueram ſubueheret gloriā. Hoc ille non intellígens arbitrabatur dominū bilis releuandæ gratia ac odio populi Iudaici, acerba illa in ipſum profudiſſe uerba. Irritatior ergo factus, fidelem, egregiam, perutilēq; domini diſputationē excipit conuitijs, clamans, Nónne recte de te pronunciamus, id quod tu nunc re declarans cōprobas noſtrā de te ſententiam, quod Samaritanus ſis, & habeas dæmonium, cum Iudæus uideri uelis, & deum patrem

Contumeliæ.

iactites? Duo uero ipſi impingunt. Principio Samaritanum criminantur, hoc eſt, apoſtatam & defectorē à lege & iuſtificationibus dei: item hoſtem populi dei, inuidentem eam quam Iudæis conceſſit gloriam deus. De Samaritanis dixi in cap. 4. Deinde dæmoniacum eſſe conuitiantur, nimirū qui habeat ſpiritū quem uocant familiarē, & qui arte magica omnia ſua perficiat opera, ſatanæ confœderatus ſit, cui pareat in omnibus. Similia conuitia proferunt & eiaculantur etiam hodie, quibus dolet genuinam euangelij prædicationē reparari. Euangelij enim præcones appellant apoſtatas, ſeditioſos, ſchiſmaticos, hæreticos, dæmoniacos, &c. Cæterū ad Samaritani conuitium, quanq; uulgo magni probri loco habebatur, tamē quoniam

niam nihil aliud erat quàm impotentis iræ maledictum, nihil omnino respondit: ad dæmoniaci uocabulum intentatum respondit. Agebatur enim hic de gloria dei, uidebaturq; fides & ueritas adeoq; certitudo doctrinæ suæ, prædicationis inquam euangelij labefactari, & apud simplices uerti in dubiũ. Proinde diligenter ostendit se ea, non dæmonis, sed dei uirtute, quæ faciebat, agere. Ea re docens nos præstare lenitatem quoties ipsi conuitijs incessimur, rursus acriter pugnare quoties doctrina ueritatis impetitur. Nihil, inquit, commertij intercedit mihi cum dæmone, nihil ex eius reuelatione doceo, nihil ex eius impotentia siue potentia designo, deum patrem & doctrinæ meæ & factorũ meorum habeo authorem. Id quod inde colligere potestis. Diaboli ingenium ac perpetuũ studiũ est ignominia deum afficere, cultum & omnem dei gloriam subuertere atq; calcare. Ego uero totus in hoc sum, ut deus uerus, pater uidelicet meus colatur, honoretur atq; glorificetur. Itaq; nihil cõtractus, societatis uel syncretismi habeo cum dæmone. Sequitur item quod probrosissima me affeceritis ignominia, & ignominiosa iniuria: quã in præsenti non ulciscar. Mox uero subijcit, Est qui quærat & iudicet, significans deum sumpturum suo tempore de perfidis & contumeliosis supplicium, ni conuersi ad ipsum credant uerbo eius. Est præterea aliud argumẽtum, ait, quo licet deprehendere me nihil habere cõmertij cum dæmone, nimirum quod non affecto gloriam propriam apud homines. Est autẽ satanas suopte ingenio arrogans, gloriosus, superbus, ubiq; propriam quærens gloriam, etiam cum summa summi dei ignominia: proficiscuntur itaq; omnia mea dicta & facta ex patre cœlesti, cum quo eiusdẽ sum essentiæ, non ex diabolo hoste patris mei & meo.

Nihil agit Christus uirtute diaboli.

Tandem uero contentione deposita eò redit dominus unde fuerat digressus, repetens iterum euangelij, id est salutis nostræ summam, quam hucusq; toties in tota illa disputatione inculcarat. Remouit quæ uidebantur obstare quo minus reciperent ueritatem, nunc ergo iterum eandem inculcans hoc uidetur dicere, Satis hucusq; concertatum & altercatum est, redite quæso ad mentem, & agnoscite quod saluandis uobis de cœlo descenderim: agnoscite quod lux sum mundi, & illud habetote pro certissimo, quod æternum uiuet, absolutus à peccatis, ab omni pœna & culpa, quisquis fiduciam suam in me collocauerit. Verum cum singula uerba quibus utitur dominus suum habeant pondus graue, sigillatim ea perstringam. Principio iurisiurandi religionem adhibet, quo magis confirmaretur fides nostra, nec ullus ullæ dubitationi locus relinqueretur. Deinde, Si quis, inquit, omnes utique comprehendens mortales, neminem excludens, cuiuscunque tandem ætatis, sexus aut conditionis sit. Si quis, inquam, sermonem meum, non alienum, non hominum, sed sermonem meum, sermonem euangelij, uerbum dei. Seruauerit, non tantum legerit aut audiuerit. Seruat autem sermonem Christi, qui fide recipit, & in cor suum colligit, hinc etiam dictis & factis exprimit. Hic mortem non uidebit aut gustabit in æternum: id est æternam mortẽ non experietur: uiuet ergo in æternum. Moriuntur quidẽ fideles morte corporea, sed mortis amaritudinem non gustant. Christus enim fidelibus mortẽ sustulit. S. Augustinus Tract. in Ioan. 43. Quid sibi uult, inquit, quod ait dñs, Qui sermonẽ meũ seruauerit, mortẽ nõ uidebit in æternũ, nisi quia uidebat dominus aliam mortem, de qua nos liberare uenerat? Mortem uidelicet secundam, mortem æternam, mortem gehennarũ, mortẽ damnatiõis cum diabolo & angelis eius, ipsa est uera mors. Nam ista migratio est. Quid est ista mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ grauis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennam præcipitetur. Hæc ille. Teneamus ergo fidẽ esse uiam & aditũ ad immortalitatẽ. Discamus itẽ exemplo dñi,

Euangelij & salutis nostræ summa.

si quando incidit nobis concertatio in caussa religionis, semper recurrere ad anco ram & caput salutis, nempe fide in dominum Iesum iustificari credentes, quo ne glecto disputatur non modo sine fructu, sed etiam cum impietate.

Dixerunt ergo illi Iudæi, Nunc cognouimus quod dæmoniū habes. Abrahã mortuus est & prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonẽ meū seruauerit, non gustabit mortẽ in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abrahã, qui mortuus est? Et prophetę mortui sunt. Quẽ teipsum tu facis?

Deprauant domino sermonẽ Iudæi.

Paraphrastes hunc locum docte, eleganter & copiose enarrans, Hoc tam man sueto responso, inquit, cum placari debuerint, hoc tanto præmio cū inuitari debue rint ad credulitatem, tamẽ pro sua crassitudine, quod iuxta spiritū dictum erat de uita animæ, de uita corporum interpretantur, & quod dictū erat ad illos erudien dos, seditiose deprauant ad contumeliam patriarcharū, undiq; studentes aliquid inuidiæ conflare domino Iesu apud multitudinẽ. Respondent autem hunc in mo dum, Ex illo tuo sermone certius etiam cognouimus te dæmoniacū esse & furio sum ac lymphatum, qui hoc promittas seruantibus sermonẽ tuum, quod nec lau datissimis cõtigit patriarchis, quibus loquutus est ipse deus. Abrahæ loquutus est deus, quemadmodum & prophetis. Obtemperarunt illi uerbis dei, & nihilo setius mortui sunt omnes, & tu promittis immortalitatem ijs qui seruauerint ea quæ do ces. Qua fronte tu promittis alijs quod ipse nõ habes? Ipse mortalis, alijs promittis immortalitatem. Num tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est? Quin & prophetæ omnes mortui sunt. Nihil illi tale sunt ausi polliceri cuiquam. Quid tibi arrogas? quem teipsum facis? Anteponis te prophetis & Abrahæ? Quod dei est pollicens, deum te facis.

Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pa ter meus qui glorificat me, quem uos dicitis deum uestrū esse, & tamen nõ cognouistis eum: ego autẽ noui eum. Et si dixero quod non nouerim eū, ero similis uestri mendax. Sed noui eum et sermonẽ eius seruo. Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum, & uidit atq; gauisus est.

Christus quomodo non quærat suam gloriam.

Ad insana Iudæorum conuitia & ineptas obiectiones respondens Iesus, ostendit quem seipsum faciat, quis sit, & quod immortalitatem seu uitam æternam pol liceatur, non ut homo arrogans, qualem aduersarij & uideri uolebant & crimina bantur, sed ut deus uerus, dei inquam naturalis filius, cui cum patre per omnia conueniat. Videor, inquit, uobis polliceri hominibus quod ipse nõ habeã: uideor uobis ex ambitione mihi arrogare diuinam potentiã, & quod maior sim omnibus patriarchis & prophetis. Ego uero mihi nihil falsò per ambitionẽ arrogo. Certe si hominum more gloriam meam uenarer apud homines (hoc enim significari puto illo loquutionis genere, Si ego glorifico meipsum: ut potius ex aduersariorum æsti matione quàm sua sentẽtia loquutus uideatur: præsertim cum paulò superius di xerit, Si testimonium perhibeam de meipso, uerum est testimonium meum: quia scio unde ueni) uana & inanis esset mea gloria, quam uidelicet mihi uendico cum affero me esse lucem mundi, filium dei, cuius sermonibus qui credant nunquam moriantur, sed uiuant in æternum: nunc uero pater meus me glori ficat, testificans me talem esse qualem me esse affero. Testificatur autem id ora culis, signis siue miraculis, & compluribus argumentis. Ideo nihil mihi arro go per ambitionem, & quod prophetis & patriarchis me antepono, uitam polli ceor & immortalitatem, ut dei filius antepono atq; polliceor. Cæterum ut liquido intellige-

Christus uerus dei filius.

intelligerent quem nominaret patrem suum, & ne denuo interrogarent, Quis est pater, aut ubi est pater tuus? subiungit, Eum appello patrem meum quem uos dicitis deum esse uestrum. Dei ergo æterni, uiui, ueri, optimi, maximi, uerus & naturalis sum filius. Quod quidem testimonium de diuinitate filij diligenter obseruandum est, utpote planum & firmum. Mox autem & obiter inuehitur in aduersariorum insciti am atq; hypocrisim, dicens, Et tamen non cognouistis eum. Quasi dicat, Si uere dei essetis filij, nimirum agnosceretis eius legatum: si uere cultores essetis, faueretis illius gloriæ: nec eum afficeretis contumelia, quem ille uestræ salutis causa misit in mundum. Verum ut falsa religione colitis eum: ita falsò uindicatis uobis eius notitiam. Ille spiritualis est, & uos nihil aliud sapitis quàm carnalia. Hic uero iterum repetit, Ego autem noui eum, peculiari uidelicet modo, sicut coæqualis, sapientia & uerbum patris qui è sinu eius processi & ueni, ita ut nihilo minus neutiquam ab illo separatus omnium secretorum sim conscius. Cum uero isti perpetuo ambitionem impingerent, ac ista sibi impie illum arrogare contenderent, addit, Hæc cogor tanta asseueratione proferre. Nam uos me ad confessionem ueritatis adigitis uestris illis multiplicibus quæstionibus, ut omnia ex necessitate p uindicanda dei gloria, nihil hic agam ex ambitione & arrogantia. Si enim negem me nosse patrem, & huic esse æqualem, tam sum futurus futilis & mendax quàm uos estis, qui profitemini deum esse patrem uestrum, cum sitis filij diaboli. Iam ergo ueritatem libere & aperte confitens, ait, Sed noui eum & sermonẽ eius seruo. Quibus uerbis significauit se patris genuinum esse filium, coæqualem, conscium rerum omnium, purum atq; illibatum. Sicuti his quoque uerbis superius enunciauit, Et qui misit me, mecum est. Non reliquit me solũ pater, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Abraham per Christum est seruatus.

Postremo omnium urgentibus usqueadeo & iactantibus patriarcham Abraham Iudæis ueluti per antistrephon obijcit, Abraham pater ille uester exultauit ut uideret diem meum: & uidit atq; gauisus est. Quibus omnino demonstrat Abrahamum eodem illo uerbo à morte in uita conseruatum esse, de quo iam pronuncia rat, Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Sensus itaque uerborum domini talis erit, Videtur uobis Abraham pater uester esse mortuus. Videor ego impia loqui, qui affero seruantes sermonem meum, æternum uicturos, & nunquam morituros. Ego uero ingenue profiteor Abrahamum patrem illum uestrum uiuere, & per fidem quidem illam in me suam uiuere. Proinde quicunq; cupiũt ingenui esse filij patris Abrahæ, credant in me, & omnem suam spem in me collocent, in me exultent & glorientur, quemadmodũ fecit Abraham. Sed excutiamus domini uerba diligentius. Tria uidetur dominus in breui illa comprehendere sententia, Principio Abraham, inquit, pater uester exultauit ut uideret diem meum. In hoc inquam totus Abraham, quantus quantus fuit, incubuit, hoc unice desiderauit, hoc pro summo bono & absolutissimo gaudio habuit, huc sedulo spectauit, lætantiq; animo expetiuit, ut uideret diem meum. Daruf hatt Abraham all sin gmůt geleit / darinn hatt sich Abraham hertzlich erhebt vnd erfrőwt / das er minen tag sähe. Nihil aliud illi in uotis fuit, nihil illi iucundius, dulcius, meliusq; uidebatur, quàm uidere diem meum. His occulte ac tectius opponit, Vobis autem nihil acerbius, amarius, & intolerandum magis esse uidetur quàm uidere diem meum. Proinde non respondetis ingenio patris uestri, atque ideo estis degeneres. Quæ autem illa sit domini dies, uariant scriptores ecclesiastici. Sanctus Chrysostomus Homelia in Ioannem 55. Diem autem meum hoc in loco, inquit, crucem mihi significare uide-

Desiderium Abrahæ Christus.

Dies domini quam uidit Abraham.

tur, quem in arietis oblatione Isaac præfigurauit. A quo nihil uarians uetustissimus ecclesiæ scriptor Irenæus libro contra hæreses quarto, cap. 13. Propheta, inquit, cum esset Abraham, & uideret in spiritu diem aduentus domini, & passionis, per quem ipse quoq; & omnes qui similiter, ut ipse credidit, credunt deo, saluari inciperent, exultauit uehementer. Non incognitus igitur erat Abrahæ dominus, cuius diem concupiuit uidere: sed neq; pater domini. Didicerat enim à uerbo domini, & credidit ei: quapropter imputatum est ei ad iustitiam à domino. Fides quæ est in deum, iustificat hominem. Tantum ille. D. Augustinus Tract. in Ioan. 43. dubitat quò referat. Verba eius cum elegantia & utilia sint nõ grauabor ascribere, Quod ait diem meum, incertum potest esse unde dixerit, utrum diem domini temporalem, quo erat uenturus in carne, an diem domini qui nescit ortum, nescit occasum. Sed ego non dubito patrem Abraham totum scisse. At ubi inueniã? Nunquid sufficere nobis debet testimonium domini nostri Iesu Christi? Demus omnino inueniri non posse, quia fortè difficile est quomodo manifestum sit quod Abraham exultauit ut uideret, &c. Et si nos non inuenimus, nunquid mentiri ueritas potest? Credamus ueritati & de Abrahæ meritis minime dubitemus. Tamen audite unum locum, qui mihi interim occurrit. Pater Abraham quando misit uerbum suum, ut peteret uxorem filio suo Isaac, hoc eum sacramento constrinxit, ut fideliter quod iubebatur impleret, & sciret etiam ipse quid faceret. Magna enim res agebatur quando semini Abrahæ coniugium quærebatur. Sed ut hoc cognosceret seruus quod nouerat Abraham: quia nepotes non carnaliter desiderabat, nec de genere suo aliquid carnale sapiebat, ait seruo suo quem mittebat, Pone manum sub fœmore meo, & iura mihi per deũ cœli. Quid uult deus cœli ad fœmur Abrahæ? Iam intelligitis sacramentum, per fœmur genus. Ergo quid fuit illa iuratio, nisi quia significabat de genere Abrahæ uenturum in carne deum cœli? Stulti reprehendunt Abraham, quia dixit, Mitte manum sub fœmore meo. Qui reprehendunt carnem Christi, reprehendunt factum Abrahæ. Nos autẽ fratres si agno scimus carnem Christi uenerandam, illud fœmur non contemnamus: sed in prophetia dictum accipiamus. Etenim propheta erat Abraham. Cuius propheta? Seminis sui & domini sui. Semen suum significauit dicendo, Mitte manum sub fœmore meo: dominũ suum significauit addendo, Et iura mihi per deum cœli. Hæc Augustinus. Quid uero si per diem domini intelligamus totum mysterium redemptionis, & ipsum euangelij negotiũ, quod ab apostolis & ab ipso domino Iesu lux & lumen, ideoq; ueluti clara dies appellatur? Deinde, Et uidit, ait dominus, Abraham inquam uidit illum desideratum diem. Vidit autem animo, spiritu, fide, non oculis corporeis. Credidit enim dei promissionibus his maxime, Semen mulieris conculcabit caput serpentis, & hic calcabit illius calcaneum. Item, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Vidit præterea multa in immolatione filij sui Isaac, quæ typum prætulit & passionis & resurrectionis Christi; quemadmodum & apostolus testatur ad Hebr. 11. cap. Vidit ergo Abraham diem Christi, id est credidit diuinis promissionibus de Christo, in hoc pollicentibus remissionem peccatorum & uitam æternam. Sequitur iam postremo loco fructus fidei eius, Et gauisus est. Gaudiũ oritur ex securitate cõscientiæ, hæc ex fide, sicut docuit apostolus ad Rom. 5. Sub uocabulo ergo gaudij cõprehendit dñs saturitatem & donationẽ omniũ donorũ: quasi dicat, Iustificatus, sanctificatus, uiuificatus, & spiritu ceu arrhabone obsignatus est, unde totus animo cõquieuit & sese oblectauit in contemplatione promissi Messiæ, in hoc collocans summum bonum & gaudiũ uere omnium maximum. Colligimus hinc fidem Christianam omnium esse uetustissimam religionem

Deus cœli uenturus de fœmore Abrahæ.

Quomodo uiderit Abraham diem domini.

Gaudium Abrahæ.

religionem. De qua nos peculiarem quendam libellũ edidimus, quẽ ex argumento prætitulauimus Antiqua fides. Porrò memorabilis est hic locus de fide & iustificatione Abrahę, quem copiosius prosequitur apostolus in 4. cap. ad Rom. Certè meretur aureis, si fieri possit, literis in pectora nostra inscribi.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nõdum habes & Abraham uidisti? Dixit eis Iesus, Amen amen dico uobis, antequam Abraham nasceretur, ego sum. Tollebant ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit è templo.

Iudæi stupidissimũ genus hominũ, typo quodã cęcitatẽ nondum renatæ carnis referentes, ne nunc quidẽ dilucidã Christi doctrinam de uera salute ac fide intelligunt, imò rursum iuxta sensum carnalẽ calũniantur, nihil aliud suspicãtes Iesum quàm hominẽ esse, nec aliã esse uidendi rationẽ quàm carnalẽ quę fit sensibus corporeis. Nondũ, inquiunt, annos natus es quinquaginta, et Abrahã ante tot secula mortuum uidisti, aut ille tuũ diem uidere potuit? Vide quanta ausis mentiri impudentia. Vsurpãt aũt certũ numerũ pro incerto uel maximo, schemate nobis quoq; maxime uulgari. Quoties enim aliquẽ mẽdatij redarguere uolumus, ex temporis quantitate argumẽtantes dicimus, Vt multũ supputem, nondũ excessisti annum uigesimum, & illud uidisti, quod uidelicet euenit ante annos sexaginta. Inde uero nemo colligit illũ 20. uel 19. annos esse natum. Agnoscunt eñ omnes loquutionis genus. Et Iudæis quidem pari ratione ille numerus annorũ in mentem uenit, qui non tam respiciebant ad ætatem Christi, quàm ad longitudinem temporis quod intercesserat ab Abraham usq; ad Christum. Id quod tam operose annoto, ne quis fortè suspicetur dominũ ad 50. ætatis annum peruenisse. Irenæus certè libro cõtra hæreses 2. cap. 39. & 40. huius maxime loci præsidio arbitratur dominum Iesum 40. annos excessisse. Quiquagesimũ tamen nondũ attigisse, interim ab eo non abfuisse multum. Atqui sic sequeretur dominũ annos prope uiginti prędicasse, ac anno Claudij Cæsaris 8. uel 9. qui incidit in saluatoris 50. passum, ascendisse in cœlos ac inde misisse spiritũ in Apostolos. Verum huic supputationi reclamat uniuersa historiarum, etiã Actuum apostolorũ, quæ Claudij meminerunt, series. Sed & Lucas in historia euangelica commemorat Iesum 15. Tiberij Cæsaris anno exegisse ferè annos ætatis 30. Præterea supputantur ex euãgelio Ioannis tria paschata, quibus cursum euangelij absoluit & in crucem sublatus est. Rectius ergo supputare uidetur omnis antiquitatis diligentissimus scrutator Eusebius, qui in Chronicis asserit dominum Iesum ad passionem ueniisse 18. Tiberij Cæsaris anno, Coss. nimirum Fur. Camil. Aruntio Scriboniano & Cn. Domitio Aenobarba. Non ignoro Cassiodorum alios assignare Coss. & alios quoq; Tertullianum, qui in libro cõtra Iudęos, Tiberij inquit quintodecimo anno passus est Christus, annos habẽs quasi triginta cũ pateretur. Coss. Rubellio Gemino & Rufio Gemino, mense Martio, tẽporibus paschę die 8. Calendarum Aprilium, die prima Azymorũ. Nisi aũt codex mendosus sit, quis non uideat scriptorẽ illũ uetustissimũ cum sancto Irenæo uelut ex diametro pugnare, qui contendit dominũ iam senem esse mortuũ? Quis nõ uideat manifestum in Tertull. errorẽ: cum ex historia constet euangelica dominum post illum 15. Tiberij annũ nõ semel Hierosolymã in solennitatibus paschæ, iuxta legis præscriptũ, ascendisse. Vnde Eusebius colligit, dominũ tres annos integros prædicasse euangeliũ, tandẽ uero cruci esse affixum. Et huic supputationi rectius etiam congruũt Danielis hebdomadæ. Quod Irenæus ait fuisse in Asia qui sententiam, quã ipse asseuerat, dixerint se ex ipso Ioanne apostolo audisse, admonet nos,

Christus non fuit natus annos 50.

ne temerè recipiamus quæ dicuntur ab apostolis extra scripturas oretenus posteris ueluti per manus tradita. Sed his fortè non adeo magni momenti rebus nimis diu inhæreo.

Palàm asserit Christus se deũ esse uerum.

Tandem uero improbis & crassis illorum prouocatus conuitijs, palàm asserit se deum esse uerum adeoq; Abrahæ deum. Iureiurando sententiam suã pro more confirmat, Illud, inquit, uobis pro certissimo cõfirmo, quod priusquam Abraham fieret, ego sum. Nõ dicit fui uel ero, sed sum, alludens nimirũ ad illud Exodi 3. ubi legis, Et ait Moses ad deũ, En si ueniens ad filios Izraël dixero eis, Deus patrũ uestrorum misit me ad uos, ipsiq; interrogarint me, Quod est nomen eius? quid respondebo eis? Et respondit deus Mosi, Sum qui sum. Et ait, Sic dices filijs Izraël, SVM misit me ad uos. Vsurpat ergo hic sibi dominus Iesus patris nome, quod à uita & essentia habet, æternitatem & indemutabilem naturã significat. Proinde sicut deus pater tempus nescit, & semper est quod est: ita filius quoq; iuxta naturam diuinam non nouit tempus neq; sæcula, sed semper idem fuit, et nunc quoq; idem est ab æterno. S. August. Appende uerba, inquit, & agnosce mysterium, Antequam Abraham fieret, Intellige fieret ad humanam naturam, sum uero ad diuinam pertinere substãtiam. Fieret, quia creatura erat Abraham. Non dixit, Antequam Abraham esset, ego sum: sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me nõ fieret, ego sum. Neq; hoc dixit, Antequam Abraham fieret ego factus sum. In principio eñ fecit deus cœlum & terram. Nam in principio erat uerbum. Antequam fieret Abraham ego sum. Agnoscite creatorem: discernite creaturã. Qui loquebatur semen Abrahæ factus erat: & ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat. Hæc ille. Habes irrefragabile diuinæ Christi naturæ argumentum, & quod non tunc primum cœperit, sicuti quibusdam uisum est hæreticis, quando in utero uirginis cõceptus est. Nam, Antequam Abraham fuisset, ego, inquit, sum. Cęterum iuxta humanam naturam cœpit cum cõceptus est, & è semine Abrahæ atq; Dauidis, hoc est ex Maria uirgine natus est. Vnde iam utriusq; naturæ argumenta proferuntur.

Iudæi dominum tanquam blasphemum lapidare uolunt.

Porrò Iudæi qui hactenus causam sæuiendi in dominum uarijs suis quæstionibus indagarunt, iam nunc sibi opportunam occasionem oblatam existimantes, quod uidelicet homo mortalis sibi uideretur æternitatem, soli deo competentẽ, arrogare: quod item lege erat uetitum ac capitale pronunciatum, non amplius sibi cessandum putantes, furiosi lapides arripiunt quibus adobruant ueluti blasphemum ipsum dominum. Qua re typum præferunt omnium impiorum, qui ubi diu oppugnarunt ueracem euangelij sermonẽ, abundeq; satis ministros ueritatis conscinderunt conuitijs, tandem & in exitium exurgunt concionatorum. Interim rectius dominum intellexerunt stupidi & cæci Iudæi, quàm consueuerunt Arriani. Illi enim lapidatione illa sua satis testantur dominũ asseruisse palàm se naturalem esse dei filium coæternum & per omnia consubstantialẽ. Hi uero tergiuersantur, agnoscẽtes quidem Iesum esse dei filium, sed patri minime coæternum. Atqui constat iam hos præsenti loco euangelij manifeste ac ualide esse refutatos. Iesus autem ἐκρύβη occultatus est, siue abscondit se, nimirum promiscuę sese inserens turbæ, sicuti & in 5. cap. fecerat: & exiuit de templo. Hoc facto suo præludens futurum ut euangelica lux ab impijs Iudæis repulsa, demigraret ad gentes.

Confirmauit hic nobis lib. 4. Cõmentariorum doctrinam Christi, uarie & ualide approbans illam esse uerã & indubitatam, cui in omnibus turbis hæresibus & persequutionibus mordicus adhærere oporteat. Summa autem doctrinæ Christi est, quod filius dei uenit in hunc mundũ, lux, uita & saluator mundi, ut omnis qui credit in eum, iustificetur per fidem, nec pereat, sed habeat uitam æternam.

Com-

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER V.

COPIOSISSIME & elegantißime deſcribit deinceps apoſtolus quintum domini miraculum ſiue beneficium cæco cuidam nato præſtitum. Quo dominus Ieſus ceu uiuo facto id confirmat atq; declarat, quod modo propoſuerat toti populo in templo, ſe uidelicet eſſe lucem mundi, qui uenerit illuminaturus & uiuificaturus omnes credentes. Nunc enim cæcum natum illuminans, ipſa re manifeſte ſignificat atq; comprobat, ſe illuminatorem eſſe. Imò ſub finem hiſtoriæ hoc factum ſuum quàm latißime ad omnes extendens homines, ſubdit, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant: qui ueluti ſtatus eſt ad quem totam referamus hiſtoriam. Interea ueluti in ſcena quadam proponitur ſpectanda acris concertatio piorum ac impiorum, propter religionis negotium ac confeßionis euangelicæ ueritatem. Depinguntur mores & ingenia, non modo hoſtium uerbi dei, ſed & ſimplicium Chriſtianorum, quorum officium, libera confeßio & fidei incrementa hic deſcribuntur. Proinde uidebis ceu in uiua quadam pictura impiorum conſilia & conatus quibus ueritatem infectantur, tenebris inuoluunt & opprimere nituntur. Videbis miram uafriciem, iram & inuidiam implacabilem & ſæuitiam planè extremam. Videbis rurſus fidelium ſimplicitatem, ſyncerit.atem, patientiam, conſtantiam, & in omnibus uictricem ueritatem, quæ ſedendo ſemper uincit. Poſt hæc grauiter accuſat cæcos ac perfidos populi Iudaici paſtores: ſimul autem indicat ſe uerum illum eſſe paſtorem qui morte ſua gregem uiuificet, ſua potentia & cura ab omnibus malis redimat ſalubriq; reficiat pabulo. Nihilominus præfert in his exemplum optimi paſtoris omnibus fidelibus paſtoribus, erudiens quid ipſos deceat, & quod ſit eorum officium: præcipue tamen inculcat id, quod nullibi non ſolet urgere, ſe eſſe ſaluatorem mundi, qui ſua morte credentes uiuificet. Cæterum exoritur propter hanc doctrinam noua turba nouaq; diſſentio, alijs quidem conſtanter propoſitam calumniantibus ueritatem, alijs uero eandem nihilo ſegnius tuentibus ac defendentibus. In Encænijs proponunt domino aduerſarij quæſtionem unde nouam caperent calumniandi anſam. Querunt: An ſit Chriſtus benedictus ille dei maximi filius, id eſt Meßias? & ſi ſit, palàm, diſerte et luculenter id profiteatur. Profitetur ergo dominus Ieſus, & non modo profitetur, ſed comprobat etiam quod ſit Chriſtus benedictus ille, benedicti dei filius. Qua profeßione iſti irritati magis quàm inſtructi, lapidibus Ieſum ceu blaſphemum obruere uolunt. Hic uero amice cũ illis expoſtulans oſtendit ſe reuera eſſe dei filium, neq; in maieſtatem patris peccaſſe quicquam. Verum cum apud craſſos inflexibiles & cæcos aduerſarios nullæ ualerent rationes, denuo relictis illis et transmiſſo Iordane, redijt ad eum locum ubi Ioannes primum cœperat baptizare. Reperit ibi oues obſequentes non paucas. Nam multi illic crediderunt in Ieſum.

Et præteriens Ieſus uidit cæcum hominem à natiuitate. Et interrogauerunt eum diſcipuli eius, dicentes, Rabbi, Quis peccauit, hic an parentes eius, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Ieſus, Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, ſed ut manifeſtentur opera dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari. Quamdiu fuero in mundo, lux ſum mundi. CAP. IX.

More ſuo pulchre connectit conſequentia præcedentibus, ne quid hiet in hiſtoria, ſed omnia ſibi ceu anſulis connexa cohæreant, in primis autem diſſerit de occaſione & conſilio huius miraculi. Et præteriens, inquit, dominus furoriq; adueriariorum ad tempus cedens, uidit hominem cæcum à natiuitate, κ) ἐνιδὼν intuitus ſiue cõtemplatus eſt, ueluti miſereſcens hominis, ob morbum illum incurabilem. Adijcitur enim cæcum fuiſſe à natiuitate, partim ut rei conſideraretur magnitudo, miraculi nouitas ac ueritas, partim quo adumbraretur nobis myſterium admonens omnes nos cæcos naſci corruptos originali peccato. Vnde Auguſt. Tract. in Ioan. 44. Genus, inquit, humanum eſt ille cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non ſolum mortis, ſed etiam iniquitatis. Intuitus eſt illum præterea dominus hoc diligentius, *Occaſio et conſilium miraculi.*

quod apud se sentiret, diuina hoc suppeditante natura, hunc illum ipsum esse hominem per quem dei gloria quàm maxime erat nunc illustranda. Cæterũ diligenti illa sua contemplatione cæci, occasionem præbuit dominus discipulis suis interrogandi, Quis in culpa sit quod miser ille cæcus sit natus, ipse ne an parentes, id est peccata ne propria an parentum commeruerint calamitatem illam? Cum enim calamitates apparent, mox eas iudicamus esse pœnas peccatorum. Ita enim & amici Iob disputarunt, ac lege dei uidentur illæ ad peccata ceu proprias referri causas. Discipuli item reuocantes in memoriam quod paralytico dixerat, Vade noli peccare amplius, ne quid tibi deterius contingat, colligebant omnes morbos omnes deniq; calamitates exoriri ex peccatis. Ex opinione uero uulgi & non recte intellecta dei lege arbitrantur deum parentum scelera punire in liberis. Iesus autem errori ipsorum mederi cupiens, & consilium huius historiæ indicans, Neq; hic, inquit, peccauit &c. Qua sententia non omni peccato & noxa liberat parentes cum filio, sed ostendit dominum, ut non semper pro peccatorum merito homines punire, ita ne hunc quidem cæcum nũc propter peccati meritum cæcum esse natum. Neque enim absolute, sed cum conditione, pronunciata est sententia. S. Augustinus, Quid est quod dixit? inquit, Si nullus homo sine peccato, nunquid parentes huius cæci absq; peccato erant? Nunquid ipse uel sine peccato natus erat originali, uel uiuendo nihil addiderat? An quia oculos clausos habebat, concupiscentiæ minime uigilabat? Quanta mala committunt cæci? A quo malo absti nent? Si ergo parentes eius habuerunt peccatum, & iste habuit, quid est quod ait eos non peccasse, nisi ad rem de qua interrogatus est, ut cæcus nasceretur? Habebant enim peccatum parentes eius, sed non ipso peccato factum est ut cæcus nasceretur. Hæc ille. Quæ ergo causa morbi? Vt manifestentur opera dei in illo. Statuit deus in hoc homine suam declarare potentiam, demonstrare filium suum ueram esse mundi lucem & illuminatorem tenebrarum, decreuit item per hunc mirabili modo synagogam exercere. Quod mox copiosius explicabitur. Ex ijs certè colligimus non omnes languores & calamitates semper proficisci atque enasci ex sceleribus ut peccatorum pœnas: sed existere multas ex bona dei uolũtate, ad illustrandam dei gloriam, ad exercendam fidem patientiamq; sanctorum. Cuius generis fuisse uidentur afflictiones calamitatesq; Iobi, prophetarum & apostolorum. Certè omnes afflictiones ex quacunq; tandem causa exoriantur, sanctis saltem immittuntur ad emendationem ipsorum & gloriam nominis diuini: quemadmodum testatur apostolus ad Roma. 8. & Hebræ. 12. Ne ergo temere iudicemus fratres calamitatibus oppressos, quasi mox pessimi ac flagitiosissimi sint qui parum fortunati sunt. Porrò historiæ hypothesis sic exponitur copiosius à domino, Breui supersum ac in terris uersabor tempore, hoc ergo quod reliquum superest tempus, optime collocare, eaq; operari oportet, quibus manifeste illustratur dei gloria. Id iam expolit similitudine siue allusione per collationem, dicens, Non negligunt occasionem temporis, luceq; operantur homines si quid habent operis. Nox enim ad opus inutilis est. Si autem homines properant ut opus, quod ad huius uitæ usum aliquem obeunt, absoluant ante solis occasum, quanto magis annitendum est mihi, ut id maxime & iusto in tempore ante mortem meam perficiam, propter quod misit me pater. Misit autem ut sim lux mundi, proinde nunc maxime tempus est probãdi operibus diuinis & factis luce dignis, quod ipsissima sim totius mũdi lux. Opera itaq; eius qui misit patris appellauit plane diuina opera, quę Christus patris uirtute, id est ex eo quod patri cõsubstantialis est, operatur.

Calamitates ex peccatis.

Cæcus fuit peccator.

Non temere iudicandi fratres ex calamitatibus.

Dominus exercet synagogam per cæcum.

Admiranda uero sunt supremi dei cõsilia & opera in hoc mundo. Nã primores Iudæorum

Iudæorum ſenatores, pontifices & ſacerdotes noluerunt hactenus recipere ipſum dei filium Ieſum Chriſtum, ſcripturis & ualidiſſimis rationibus atq; argumentis, miraculis item atq; prodigijs approbantem quod ſit Meſſias à deo miſſus, nunc ergo mendicum uilem & contemptibilem hominem, hunc uidelicet cæcum inſtruit, inſtructum in ſynagogam presbyterorum ueluti producit, productum & in medio doctorum ſtantem, animat ut ſumma fiducia Chriſtū prædicet pontifices q; exerceat, qui etiam ſuperati ueritatis euidentia cæciq; conſtanti fiducia, turpiſſime confunduntur. Duo in his ueniunt obſeruanda. Alterum, Occaſionem, quod & apoſtolus non ſemel monuit & docuit, nunquam eſſe negligendam. Alterū quod inde per anagogam elicitur, in præſenti uita bene eſſe faciendū: hic eſſe bene operandi & ſalutis tēpus. Vbi ipſa mors ingruerit & anima à corpore fuerit ſeparata, præterijt dies, nox aduenit, qua fruſtra uolūt operari homines nec poſſunt. Ideoq; S. Paulus, Itaq; dum tempus habemus operemur bonum, inquit, tum erga omnes homines tum erga domeſticos fidei maxime. Galat. 6. Eò alludens haud dubie & D. Cyprianus, qui contra Demetrianum diſputans, inter alia, Quando iſthinc, inquit, exceſſum fuerit, nullus iā locus pœnitētiæ eſt, nullus ſatisfactionis effectus. Hic uita aut amittitur aut tenetur. Hic ſaluti æternæ cultu dei & fructu fidei prouidetur. Poſtremo libuit illud quoq; D. Chryſoſtomi ex Homel. 55. propter curioſos annotare. Occurrit dubitatio, inquit, an non aliter potuerit gloria dei manifeſtari. Quid ni? Neq; enim dicit non potuiſſe, ſed ut manifeſtaretur. Ergo iniuriam propter dei gloriam accepit? Quam iniuriam, dic quæſo, ſi eum nō cōtempſit, ſed ex cæcitate beneficia contulit. Vidit enim interioribus oculis. Quid oculi Iudæis contulerunt? Maius ſupplicium, cum uidendo cæci eſſent. Quid cæcitas huic obfuit propter quam uidit? Itaq; ut mala huius uitæ mala non ſunt, ita neq; bona ſed peccatum duntaxat malum. Cæcitas non eſt malum. Qui uero quod non erat ut eſſet effecit, poterat & ſic dimittere &c.

Hoc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & illeuit lutum ſuper oculos cæci, & dixit ei, Vade, laua in piſcina Siloæ: quod ſi interpreteris ſonat miſſus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens.

Verbis coniungit factum, ipſo opere teſtificans ſe eſſe lumen & illuminatorem totius mundi. Nouo autem & admirando modo aperit cæco oculos. Ieſus enim expuit in terram ac ſputo puluerī commixto, fecit lutum, id illeuit oculis cæci. Habere uidetur illud uſum duplicem. Vel enim ſignificauit dominus non aſpernanda eſſe elementa, licet ex ipſis non ſit ſalus & iuſtificatio, quæ ipſius inſtitutione ſeruiunt myſterio: cuius generis ſunt Aqua baptiſmi, Panis & uinum cœnæ dominicæ, & multa alia. Vel uoluit ita ſignificare ſe eſſe creatorem uniuerſorum ac fontem omnis bonitatis & gratiæ. Alioqui enim citra lutum & citra ablutionem è fonte Siloæ, uel uerbo ſuffuq; potuiſſet oculos aperire cæci: nunc uero rebus utitur ad res maximas ſignificandas appoſitiſſimis. Deus enim in principio rerum conditarum humo macerata, hominem ex argilla finxit. Hoc opificiū nunc quaſi repræſentans Ieſus, expuit in terram, macerat lutum, & maceratum illinit oculis, innuens ſe illum eſſe per quem homo è luto ſit conditus. Et eiuſdem erat authoris reſtituere quod perierat, qui condiderat quod non erat. Et maioris eſt uirtutis ſarcire quod corruptum eſt, quàm gignere quod natum non eſt. Iam etiam mittit cæcum luto oblitum ad piſcinam Siloæ, in qua aquis abluat lutum oculis oblitum. In urbe plures fuiſſe piſcinas ante Ioſephum & Tacitum, Nehemias retulit, ob aquarum ſcilicet copiam, quæ uberrima Hieroſolymæ fuit, Strabone teſte,

Dominus illuminat cæcum.

Piſcina Siloæ.

cum totus tamen ciuitati adiacens ager, undis careret. Ideoq; colligebantur in piscinis aquæ è riuulis ac fontibus in urbem deriuatis. De fonte Siloæ scribit S. Hieron. lib. 3. Coment. in Isaiæ 8. cap. hæc, Siloam autem fontem esse ad radices montis Zion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusq; ebulliat, & per terrarũ concaua & antra saxi durissimi cũ magno sonitu ueniat, dubitare non possumus, nos præsertim qui in hac habitamus prouincia. Porrò mysteriũ aperit nobis euangelista fontis, per adiectam uocis etymologiam, Siloæ, inquit, sonat si interpreteris missus. Est enim uox Hebræa siue Syra שילח. Significat autem dominus se illum esse missum Messiam, fontem omnis boni & felicitatis perennem & inexhaustum, è quo qui bibãt, in æternum non sitiant: sicut 4. cap. expositum est. Propter hæc autem mysteria latentia in hoc Christi facto, toties in synagoga & inter uicinos & notos repetitur luti ac Siloæ mentio, quasi diceret, Colligetis ex hoc facto, si sapitis, Iesum illum ipsum esse dei filium, per quem ex humo conditus est homo, missum illum in orbem Messiam abundantissimum & saluberrimum omnis gratiæ & uitæ, bonitatis & lucis fontem. Sequitur, Abijt ergo & lauit, & uenit uidens. Quibus uerbis etsi breuissimis duo nobis maxima traduntur regni dei mysteria, Insignis fidei in cæco obedientia: & maximus Christi adeoq; fidei effectus.

Fidei effectus. Cæcus simpliciter quod imperio & uerbo domini facere iussus erat, perfecit, nihil operis aut præcepti moratus uilitatem. Nec spe sua frustratus est, neq; caruit effectu iussio Christi, simul enim atq; lutum abluit, oculos clarissimos recepit. Proinde si uerbo dei simpliciter credamus, nec sacramenta contemnamus domini, præstabit hic nobis quæcunq; fuit pollicitus. Huc refer iam historiam Naaman Syri imperatoris, è 5. cap. 4. libri Reg. & habebis uiuum illustrissimumq; huius rei exemplum. Paraphrastes hanc fidei obedientiã effectumq; non ineleganter exponens, Huius, inquit, malagmatis nouitas omnium animos attentos atq; suspensos reddidit ad futuri miraculi considerationem, simulq; cæci constantem fiduciam arguit, qui nihil obmurmurat illinienti, sed simpliciter obtemperat facienti quod uellet, nihil addubitans de beneficio, quocunq; modo daretur. Nec statim recepit oculos cæcus, sed ut erat oblitus luto, iubetur ire ad piscinã Siloę, atq; illic aquis proluere lutum oculis oblitum: quo simul & illustrior esset omnibus cæci fiducia, nihil detrectantis quod iuberetur facere, & nouitas spectaculi, nec non longioris itineris mora plurimos euocaret miraculi testes. Cæcus enim non procul à templo sedebat iuxta uiam mendicans: & Siloę fons, unde piscina nascitur, est ad radicem montis Zion. Cum huc igitur, ut erat iussus, iret cæcus, ob mendicitatem uulgo notissimus, quod talis esset natus, dubium non est quin euntem magna uis populi non sine risu comitaretur lutatis oculis ac bis cæcum incedentem ad aquas nullo miraculo nobiles. Vbi uentum est ad aquas, abluit lutum ab oculis, ac domum redijt apertis oculis clare uidens.

Itaq; uicini & qui uiderant eum prius quod mendicus esset, dicebant, Nónne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, Hic est. Alij rursus, Similis est ei. Ille dicebat, Ego sum. Dicebant ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille & dixit, Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & inunxit oculos meos & dixit mihi, Vade ad piscinam Siloæ, & laua. Vt autem abij & laui, uisum recepi. Dixerunt ergo ei, Vbi est ille? Ait, Nescio.

Opus Christi eluceſcit. Quæ hactenus exposuit Ioannes huius dramatis sunt ueluti Prothesis: sequitur iam altera historię pars, qua miraculum hactenus simpliciter & breuiter expo

situm

ſitum diuulgatur & eluceſcit, primum quidem popularibus, deinde uero magnatibus. Videri poterat hæc portio Epitaſis eſſe. Miras enim cõtinet turbas, conſultationes atq; trepidationes. In præſenti & ante omnia, quo ueritas conſtet miraculi, manifeſtiſſime declaratur Cæcum illuminatum à domino, non alium quàm illum ipſum eſſe, qui cęcus fuerat natus & mendicarat hucuſq;. Teſtantur hoc noti atq; uicini: teſtatur & ipſe cæcus, qui ceu ſpeculũ nobis omnibus proponitur, in quo cernamus ingenium & officium illuminatorũ per Chriſtum. Hi quemadmodum ille ueritati ferunt teſtimonium, opera domini uere & ſimpliciter exponunt, & ingenue Chriſtum confitentur. Quod rogatus, Vbi ſit Ieſus? reſpondit, Neſcio, arguit cæcum nondum uidiſſe Ieſum aut nouiſſe ex uultu ſiue facie. Nam ut aliàs ſæpe, ita hic quoq; protinus atq; illum ablegaſſet ad piſcinam, ſubduxit ſeſe, ut ſuo hoc exemplo humilitatem nos atq; modeſtiam doceret. Præterea uoluit dominus cæcum in hac paleſtra certare ſolum. Solet enim ſuorum fidem uires atq; conſtantiam & probare ſic & non ſine modico fructu exercere.

Adducunt ad phariſæos eum qui dudum cæcus fuerat. Erat autem ſabbatum cum lutum faceret Ieſus, & aperiret oculos eius.

Innotuit miraculum Chriſti popularibus, innoteſcet & magnatibus. Cæcus enim nunc adducitur ad ſacerdotes & primores populi, in atrium pontificis, ſeu curiam ſenatoriam, uel in templum, aut ſynagogam. Cauſſa adijcitur cur fuerit adductus, Quia cum maceraſſet ſputo lutum dominus ac oculos cæci aperuerat, erat ſabbatum. Videbatur autem Ieſus opere illo ſuo ſiue beneficio præſtito ipſi cæco, uiolaſſe ſabbatum. Producunt itaque eum qui ex cæco factus fuerat uidens in ſynagogam, ut ex ipſius ore presbyteri teſtimonium uenarentur agendi contra dominum, ueluti contra ſacrilegum. Exemplum eſt ingratitudinis, calumniæ, inuidiæ ac impietatis maximæ. Eſt item exemplum præpoſteræ religionis, quæ iudicat uiolari ſabbatum beneficentia, non attendit propriam impietatem, propter quam deo ingratiſſima ſunt feſta, quæ apud Iſaiam diſerte damnat in primo capite.

Iterum ergo interrogabant eum & phariſæi, quomodo uiſum recepiſſet? Ille autem dixit eis, Lutum mihi impoſuit ſuper oculos, & laui, & uideo.

Licet nunc ex illis qui adduxerant cæcum omne miraculi negotium intelexiſſent phariſæi, rurſus tamen percontantur hominem quomodo ex cæco factus ſit uidens. Id quod non citra dei prouidentiam eueniebat. Ita enim inuitis etiam omnibus Chriſti hoſtibus & clare & copioſe, adde & multa certitudine, uirtus Chriſti prędicabatur. Et ut ueritas ſimplex & aperta, denicq; ſui ubicq; ſimilis eſt, ſic etiã libera eſt. Itaq; cæcus nihil metuẽs, & ſimpliciter & libere, ut res habebat, narrans, Lutum, inquit, temperatũ ſaliua inunxit oculis meis, iuſſusq; laui in piſcina Siloæ, & ecce uideo. Quæ admiranda eſt breuitas, in re uidelicet adeo copioſa.

Dicebant ergo ex phariſæis quidam, Non eſt hic homo à deo, quia ſabbatum non obſeruat. Alij autem dicebant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna ædere? Et diſſentio erat inter eos.

Quoties Chriſtus lux mundi mundo ſua prædicatione illuceſcit & eius prædicatur gloria, toties offundunt ſe tenebræ mundi & oboriuntur turbæ, in quibus probantur illuminati qui iam oculos recipere incœperunt. In præſentia miro dei conſilio ipſi etiam ſenatores & phariſæi inter ſe committuntur. Equi- *Oboritur turba.*

dem tam euidens & manifestum erat signum, quod patrarat dominus, ut uel impijssimi infestissimiq; Christi hostes, inficiari non possent, nihilominus ex peruersa legis intelligentia capiunt calumniandi ansam. Præcipiebatur lege, ne seruile opus quisquam faceret in sabbato: id quod egregij illi doctores legis huc rapiunt, quasi seruile opus fecerit dominus, cum macerauit lutum sputo & cæco oculos aperuit. Inde enim colligunt Iesum uiolasse sabbatum, ideoq; non missum esse à deo, sed planè dei aduersarium, qui se opponat uoluntati diuinæ. Rursus alij magnitudine nouitate & ueritate miraculi conuicti, æquius proferunt iudicium, Si hic, inquiunt, ob uiolatum sabbatum esset nepharius, quomodo potuisset tantum ædere miraculum? Ipsa res loquitur miraculum diuina factum esse potentia. Ita nunquam deerunt qui in dissentionibus partes Christi tuebuntur, quan quam alij alijs hoc faciant uel feruētius uel frigidius. D. Chrysostomus probat hinc non omne schisma protinus malum esse, rursus non omnem concordiam esse bonam. Ex caussis enim iudicium est petendum ueritatis.

Dicunt cæco iterum, Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos? Ille autem dixit, Propheta est.

Astute agũt ad uersarij Christi

Ne latius serperet dissidij ac schismatis malum, interrumpunt astute impij alter cationem, & appellant eum qui fuerat cæcus, Tu quid, inquiunt, sentis de illo, qui in sabbato tibi oculos aperuit? Hac quæstione ueluti responsionem suppeditant & quasi præscribunt, talem, Quia aperuit mihi oculos in sabbato, sabbatū uiolauit, nequit autem transgressor legis esse amicus dei. Hac responsione potuissent eos oppugnare qui de Iesu sentiebant mediocriter, Quid uos Iesu uirtutes prædicatis, cum ille de eo male sentiat qui eius sensit uirtutem? Eadem arte & malitia eodemq; fine uenantur hodie nostri sæculi pharisæi ex doctrina concionatorum euangelij Christi argumenta per quæstiones, quibus ueritatē oppugnent, & fideles à bono animi proposito auertant. Verum diuersum hic euenit, quàm illi expectauerant. Nam ut in tentatione grandescit & augetur cognitio piorum, propheta dicente, Vexatio dat intellectum, ita mendicus noster cordate respondet, domino nimirum linguam eius gubernante, Iesum esse prophetam. Vocarunt autem Hebræi prophetam uirum diuinum, à deo missum, sanctum, ueracem & fidelem. Magnifice ergo sentiebat de domino cæcus, nondum plenam Christi cognitionem fuerat assequutus: attamen pro dono sibi concesso intrepide, maximo in periculo constitutus, diserte ueritatem confitetur: relinquens nobis apertæ confessionis exemplum, ut quoniam nunc cognouimus Iesum esse dei filium, in conspectu regum & inuitis inferorum portis id libere confiteamur.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo quod cæcus fuisset, & uisum recepisset, donec uocauerunt parentes eius qui uisum receperat, & interrogauerunt eos dicentes, Hic est filius uester quem uos dicitis cæcum natum esse? Quomodo ergo nunc uidet? Responderunt eis parentes eius & dixerunt, Scimus quod hic est filius noster, & quod cæcus natus est: quomodo autem nunc uideat, nescimus: aut quis eius aperuerit oculos, nos nescimus. Ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.

Pharisæi

Phariſæi falſi expectatione ſua, & iam etiam conſilij inopes & egregie confuſi ſtinguntur, & ſe torquent, neſcij quò ſe uertant, tandem tamen nouum inueniunt conſilium, quo ueluti de nouo & reparatis uiribus ueritatem aggrediantur. Nouam enim inſtituunt inquiſitionem, ſperantes ea ſe occaſionem inuenturos, qua gloriam Chriſti obſcurent, ſuam exiſtimationem uindicent. Verum malitioſa phariſæorum ars proficiebat ad rei per Chriſtum geſtæ fidem & gloriam. Euenit enim hic Iudæis, quod olim Amano Mardochæi inimico capitali. Nam quo impenſius hunc ille deijcere anhelabat, hoc euehebat altius. Veritas palmæ naturam refert, quæ quo deprimitur grauius, eo aſſurgit fortius. Fit itaq; phariſaica inquiſitione atq; diſcuſſione, ut omnes miraculi circumſtantiæ multò exactius excutiantur, quàm ſi nulla fuiſſet habita inquiſitio. Quod enim hucuſq; uidebatur obſcurum anceps et nondum ſatis probatum, nunc per iſtam inquiſitionem fit illuſtriſſimum compertiſſimum & omni parte indubitatum. Tria uero iſti interrogant, An cæcus ſit filius eorum? An cæcus ſit natus? Et quomodo receperit oculos? Ad duas priores ſimpliciter & magna cum aſſeueratione reſpondent, dicentes, Hoc quod habemus indubitatum, teſtari poſſumus, ſcimus certò hunc eſſe filium noſtrum, id quod apud uos ingenue fatemur. Deinde conſtat nobis certiſſime & nouimus indubitate, quod idem ille cæcus natus ſit. Ad tertiam quæſtionem, quamuis pari fide & perſpicatia reſpondere potuiſſent, reijciunt tamen ſolutionem in filium. Cuius rei cauſſam mox ipſe Ioannes indicabit. Redditi, inquiunt, uiſus neq; modum neq; authorem nouimus. Hoc ipſe certius quàm nos teſtificabitur. Addunt rationem, Neq; enim puer eſt ut neſciat quid acciderit. Habet iuſtam ætatem, utitur ratione ſana, nec deeſt illi quicquam, quod ab idoneo requiritur teſte: ipſe itaque melius & de modo & de authore miraculi teſtificabitur. Hiſce uerbis non parum authoritatis conciliant cæco parentes, quo minus liceat dubitare de cæci teſtimonio. Non tamen id fecerunt data opera, ſed eorum ſenſus & linguam diuina moderante prouidentia. Copioſiora qui cupit, petat à D. Ioann. Chryſoſtomo, qui huius hiſtoriæ circumſtantias diligenter tractat: ego potiſſima tãtum & quæ plurimum momenti habere uidentur proſequor, cætera diligenti lectori expendenda relinquo.

Vocantur parentes cæci.

Inclareſcit miraculum ex inquiſitione.

Hæc dixerunt parentes eius quod timerent Iudæos. Iam enim conſpirauerant Iudæi, ut ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum, è ſynagoga eijceretur. Propterea parentes eius dixerunt, Aetatem habet, ipſum interrogate.

His reddit Ioannes rationem cur parentes non reſponderint ad tertiam phariſæorum quæſtionem: non equidem quod ignorarint authorem & modũ beneficij filio collati, ſed metu potius impediti non audebant ueritatem indubitatam apud phariſæos confiteri. Rurſus autem & timoris cauſſam ſubijciens, Ideo, inquit, timuerunt malueruntq; unum in periculum filium ſuum conijcere, quàm cõmuni periculo inuolui cum filio, quia Iudęi iam conſpirauerant, ut ſi quis auderet Ieſum profiteri Meſſiam, eijceretur protinus è ſynagoga. Hoc metuentes ne ipſis eueniret parentes, inuidiam teſtimonij reijciebant in filium, dicẽtes, Aetatem habet, ex ipſo rei ueritatem ſciſcitemini. Teſtatur hic locus quid efficiat metus. Nam ut multorum malorum cauſſa eſt, ita impedit maxime & intercipit confeſſionem Chriſtianam. Iccirco dominus hunc multis argumentis euulſit è piorum animis apud Matth. in 10. cap. Loquor aũt de metu nõ numinis, ſed eo potius quo numine con

Metus religionem impedit.

tempto pluris facimus homines magisq; metuimus mundũ quàm mũdi dominũ.

Ratio & ritus eijciendi è synagoga.

Porrò è synagoga eijcere, est societate & priuilegijs ecclesiæ priuare, siue palàm pronunciare quod nihil communionis habeas cum deo & sanctis eius. Nam alibi ostendimus idem pollere synagogam & ecclesiam. Cohæret hæc cum deo & inter sese uinculo spiritus, unitate fidei, animorum consensu ac charitate, sed & legum rituum & sacramentorum communione. Priuilegia nec pauca habet nec modica, in quibus tamen illud est præstantissimum quod inquilini & ciues ecclesiæ sunt filij dei, liberi à peccato, morte, diabolo, damnatione. Proinde è synagoga eijcere, aut ecclesiæ societate ac priuilegijs priuare, seu nil consortij cũ ecclesia eos habere, pronũciari oportuerat, quos propria separauit impietas: id est, omnes qui spiritu dei carent, fidem sanam iuxta scripturam non habent, & charitatem uiolant, sui sensus nimium tenaces sunt, hæreticos uidelicet, seductores, schismaticos, flagitiosos et conscelcratos homines. Talis aũt cum non fuerit uel cęcus hic mendicus, uel ullus Christi confessor, non oportuerat eos excommunicari. Abutebantur itaq; publica & recepta disciplina Pharisęi, iam non patres & fideles populi dei antistites, sed lupi rapaces & sæuissimi tyranni. Strinxissent hoc telum in hostes gloriæ dei, in oppugnatores ueritatis & honestatis, iam uero ijs sunt propitij, suam illo tuentur atq; defendunt existimationem, hoc est ambitionem, auaritiam & luxum, hypocrisim errores atq; abusus: ueritatem & gloriam dei oppugnant. Præ-

Papistica excõmunicatio.

tulerunt ea in re typum Papæ & pontificiorum, qui & ipsi excõmunicatione non uindicant dei gloriam & honestatem uitæ, sed abusus suos, errores, impietates, tyrannidem, luxum, rapinas, cædes & alias infandas artes. Hinc enim illi nobis enati sunt articuli, Si quis dubitarit papam esse militantis ecclesiæ caput, dominum uniuersorum, cui subiecti sint reges & populi, hæreticus esto. Si quis aliter senserit aut docuerit de sacramentis, quàm præscripsit sacrosancta Romana ecclesia, anathema sit. Si quis pontifici Romano contradixerit, indignationẽ dei & sanctorum Petri & Pauli apostolorum incurrit. Si quis nouæ sectæ euangelicæ adhæserit & ritus ac dogmata Romanæ ecclesiæ deseruerit, ab ecclesiæ communione abscissus hæreticus & schismaticus reputetur ab omnibus. Et hæc quidem betacea tela, non minus quidam hodie metuunt, quàm olim parentes cæci indignationem & excommunicationem timuerunt pharisæorum. Verum expenderent isti apud se, non posse hominem etiam iustum à corporis Christi communione abscindere, si tu inuiolabile & integrum retineas fidei spiritus & charitatis uinculum. Hoc item rupto nullus est mortalium qui te possit agglutinare corpori dominico. Quod si pontifex Romanus cum omnibus suis episcopis iuret te membrum esse ecclesiæ Christi, tu autem careas uera ex euangelio in filium dei fide, nunquam efficiet suo iuramento te membrum ecclesiæ. Rursus si idem ille omnibus diris & deuotionibus à consortio te abscindat ecclesiastico, tu uero uinculum retineas fidei & charitatis, nequaquam separaberis à corpore Christi. Potest homo hominem externa priuare communione, interna spoliat impietas. Videtur autem hoc supplitij aut disciplinæ genus non semper Israelitice ecclesiæ fuisse in usu, sed tunc maxime inuentum esse, cum sub alienigenis principibus qui parum aut nihil illorum religionem curabant, agere inciperent. Nam hac ratione uidebantur Iudæi in officio facilius retineri posse: quorum libidinem & audaciam, non admodum refrenabat impiorum principum authoritas. Iisdem ex caussis & eadem ratione uidetur & prisca illa excommunicatio usurpata esse in ecclesia, quæ sub prophanis uiuebat Romanis principibus.

Vocaue

Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da gloriam deo. Nos scimus quod hic homo peccator est. Respondit ergo ille & dixit, An peccator sit nescio, unum scio, quod cum cæcus fuerim, nunc uideam.

Incredibili & exemplo carente sedulitate utuntur impij in obscuranda Christi gloria & asserenda gloria propria: ergo reuocatur nunc is qui fuerat cæcus, quem isti à confessione ueritatis alia ratione abducere nituntur, blanditijs uidelicet & prætextu gloriæ dei. Factum enim euidentius erat, partim ipsius cæci & popularium, partim parentum manifestissimo testimonio, quàm ut dissimulari negariue posset. Tamen ut facti laudem à Christo auertant, aiunt, Quod ex cæco factus es uidens, noli ascribere Iesu, cui nihil debes, sed gloriam istius beneficij tribue deo: à quo omne bonum proficiscitur. Rationem adijciunt, qua persuadeant, ut deo, nõ Christo, illam tribuat gloriam, Nos enim certũ habemus quod hic Iesus ἁμαρτωλός ἐστιν, sceleros us ac flagitiosus est (Das er ein grosser böβwycht ist) cui cum deo non potest ullum esse commertium. Tribus ergo non leuibus in speciem argumentis, illuminatum urgent. Principio prætextu gloriæ dei, non intelligentes gloriam deo tribui cum tribuitur Christo. Nam non potest separari pater à filio. Verum hypocritæ suam non dei gloriam quærebant. Deinde authoritate sui nominis urgent illuminatum, non sine emphasi dicẽtes, Nos scimus. Quasi dicant, Non ignoras quanta potestate polleamus: scis qui simus, populi proceres, sacerdotes dei, ueraces, sancti, & iusti: quibus credi sine contradictione oportet, licet nullas proferamus causas quare sic dicamus aut faciamus. Satis enim est dixisse aut præcepisse aliquid sacerdotes dei. Postremo conuitia congerunt in Iesum, ueluti à uilitate personę eius sic argumentantes, Tantus tam prophanus & impius est nebulo hic Iesus, ut non possis illi quicquam laudis, citra insignem dei contumeliam, tribuere. Proinde obsequere recta monentibus, et confitere te dei patris beneficentia restitutum, Iesum autem hunc hominem esse nepharium. Vide amice lector quò progrediatur impia hostium Christi & ueritatis rabies. Non pudet deprauatissimos nebulones & hypocritas, sanctum & beneficum dei filium extremis probris contumelijs atque blasphemijs proscindere. Sed uiuunt etiam hodie qui impij huius collegij mores exactissime & proprijssime exprimunt, eadem utentes arte, erga fideles, qua patriarchę ipsorum hic utuntur. Producitur enim aliquis euangelij uel studiosus uel concionator in coronam & conciliabulum doctorum ab hæreticæ prauitatis inquisitore congregatorum. Fit quæstio discussio & examen de articulis religionis, ut uocant, priscæ. Pietatis studiosus simpliciter credit euangelio, non agnoscit constitutiones humanas, Christum simpliciter, & euangelium eius constanter confitetur. Intelligunt papistæ nihil se ullis proficere minis aut disputationibus. Quid ergo? Conuertuntur ad artes atq; blanditias. Sacrosancta, inquiunt, est ecclesiæ authoritas, quæ errare non potest. Huius determinationi qui non credit, sit tibi, inquit dominus, tanquam ethnicus & publicanus. Da itaq; gloriam deo, recede à tua obstinatia, & recipe in omnibus sanctæ determinationem ecclesiæ. An uero tibi uerisimile uidetur ecclesiam tot errasse annis, uel hodie tot uniuersitates, tot monachorum monasteria, tot sacerdotum collegia, tot mundi regna, à fide exorbitare orthodoxa? Imò uero constat euangelicam illam ac nuperam uestram doctrinam, à quingentis annis & amplius damnatam esse in multis Synodis patrum hæreseos. Qui ergo huic doctrinæ adhærent, hæretici & schismatici sunt, Bohe-

Blanditijs cæcũ abducere uolũt

Inquisitio in studiosos euangelicæ doctrinæ.

mi, Pighardi, Huſſiſtæ, Rockenzani, Albigenſes &c. An non agnoſcis tandem phariſaicam practicam? Certè ut ab impijs egreſſa eſt impietas, ita ubiq; & ſemper impij ſibi ſunt ſimiles.

Audiamus nunc illuminati reſponſionem, Ad hæc ille fortiter ſimul & circumſpecte reſpondens, An homo ſceleroſus ſit, inquit, Ieſus, alij uiderint, de hoc pronunciare nõ eſt meum. Vnum illud uere teſtari poſſum, quod ipſa re comperi me prius fuiſſe cæcum, & nunc uidere. Non mouetur neq; minis neq; blanditijs illuminatus, ſed id conſtanter inculcat & magnifice depredicat quod dolebat aduerſarijs, quodq; ex omnium pectoribus & ſermonibus ſi potuiſſent ſuſtuliſſent, uirtute & beneficentia Chriſti cæcum natum eſſe illuminatum. Ita autem ueritas euangelica per imbecillitatem potentiſſima huius ſæculi ſuperat.

Dixerunt ergo illi iterum, Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis, Dixi uobis iam, nec audiſtis: cur iterum uultis audire? Num & uos uultis diſcipuli eius fieri?

Non oportet à ſimplici confeſſione Chriſti recedere.

Quia non ſemel ſpe ſua ſe fruſtratos ſentiebant phariſæi, tandẽ uix animi compotes quid primum porrò dicerent ignorabant, poſtremo ad ſuperiores reuoluuntur quæſtiones, nimirum fore ſperantes ut ex re aliter narrata aliquid decerperẽt, unde Chriſti obruerent gloriam, ſuam ſtatuerent. Receperat oculos cæcus etiam animi, & iam factus confidentior rectius quoq; iudicare incipiebat, ſentiens interim maligne & inſidioſe omnia geri à phariſæis, unde grauiter reſpondens, Modo, inquit, apertiſſime expoſui quod geſtum eſt, & ſicut geſtum eſt fideliſſime narraui. Id audiſtis, nec dubium quin etiam intellexeritis. Quorſum iam attinet eadem repetere, niſi ideo tam diligenter ſciſcitemini, ut re exacte cognita, illius quoq; uelitis fieri diſcipuli? Id quod non ſine naſo ſalſe omnino dixit, ludens feſtiue in deploratam cæcorum doctorum amentiam. Eſt autem hic cæcus uiuum exemplum eius quod in 8. cap. audiuimus & didicimus, nempe in omnibus turbis non oportere à bono animi propoſito & ſimplici confeſſione Chriſti diſcedere.

Conuitiati ſunt ergo ei & dixerunt, Tu diſcipulus illius eſto: nos autem Moſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus quod Moſi locutus eſt deus: hũc autem neſcimus unde ſit.

Conuitijs agũt impij.

Phariſæi magna mendici fiducia irritati, nihil reſpondent, ſed conuitiantur, ueluti ſummum malum imprecantes illuminato. Nam per imprecationem, non recitationem legendum eſt, quod dixerunt, Tu diſcipulus illius eſto. Illius inquam ſceleratí ac uiliſſimi hominis. Ex abrupto enim ſumma cum indignatione à ſe repellentes quod obijciebatur, tale quiddam dicere uidentur, quale Germanus obiectæ rei indignitate commotus referiret, Y nun biß du ſin junger. Per apoſiopeſin autem intelligit, quod ſubticet, Jn alles vnglücks namen. Neq; eñ eſt quod illũ nobis aſciſcamus magiſtrũ. Habemus Moſen magiſtrum & doctorem noſtrum, quem certiſſime nouimus à deo eſſe miſſum, approbantibus id uarijs & multiplicibus ſignis. At unde hic Ieſus profectus ſit, planè ignoramus: imò cũ ſceleratus ſit, colligimus ipſum nequaquam miſſum eſſe à deo. Hos ſermones phariſæorum parum ſobrios referunt noſtrorum conteſtationes, execrantium nouam, quam uocãt, doctrinam euangelicam, ac proteſtantium ſeſe decretis inhæſuros ſanctæ eccleſiæ, ſponſæ Chriſti, quam certo ſciant inſpiratam à dei ſpiritu, certa & indubitata, diuina & ſalutaria ſtatuiſſe. Cæterum ut Phariſæi Moſi erant diſcipuli, ſic hi eccleſiam Chriſti

ſponſam

ſponſam audiunt. Si phariſæi credidiſſent Moſi, recepiſſent utiq; & Chriſtũ, quẽ ille omnibus libris ſuis unice docuit, & toti mũdo cõmendauit: ſicut ipſe dominus teſtatur Ioan. 5. cap. Et eccleſia Chriſti ſponſa, præter ſponſi uocem, id eſt dei uerbum alia decreta non audit. Eccleſia columna eſt ueritatis, quia in petram Chriſtũ innititur. Si ergo iſti fidem haberent eccleſiæ, Chriſto ſoli inniterentur, & uerbo dei crederent. Hoc quia non faciunt, neq; Chriſto, neq; uerbo eius, neq; eccleſiæ credunt, ſed pſeudoeccleſiæ cuidam, quæ ex ſuo ſenſu, non uerbo Chriſti, leges, decreta, & ritus alienos à puritate euangelica condidit.

Reſpõdit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile quiddã eſt, quod uos neſciatis unde ſit, & tamen aperuit oculos meos. Scimus autem quod peccatores deus non audit, ſed ſi quis dei cultor eſt, & uoluntati eius obtemperat, hunc audit. A ſæculo non eſt auditum quod quis aperuerit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à deo, non potuiſſet facere quicquam.

Creuit inter diſputandum mendici fiducia, deo gratiã in pectore eius augente, unde fortiter contemptis omnibus aduerſarijs, ſpretiſq; omnibus periculis, id quod fideles perpetuo ſolent, publice, quando res ita poſcebat, ſaluatoris ueritatiſq; cauſſam ſibi tuendam ſumit, & confutandas nugas phariſæorum impuriſſimas. In hoc enim mirabile quiddam eſt, ait: quod Germanice fortaſſis felicius & exactius ſic reddere poſſumus, Das wär mir ye ouch ein wunder ſeltzams. Per admirationem enim, & ueluti ab abſurdo ſermonem ſuum auſpicans, Admiror, inquit, cur dicatis uos neſcire unde ſit Ieſus illuminator ille meus: ac interea fatemini ſcire uos Moſen uobis miſſum eſſe à deo, idq; ex eo quod miraculis ſiue ſignis ſuam approbauit miſſionem. Si ſigna miſſionem probant, cur non colligitis Ieſum ab eodem deo eſſe miſſum, à quo Moſes uenit? Aperuit enim Ieſus ille meos oculos, non ſine miraculo. Sed dudum obieciſtis Ieſum hominem eſſe ſceleſtum, Moſen fuiſſe hominem ſanctum & probum. Atqui in eo quoque mentem requiro in uobis, imò & uobis certabo iudicibus. Dicite quæſo, pios an impios & homines flagitioſos audiat deus? Magnus certe conſenſus eſt, deum piorum audire uota: impiorum auerſari. Pij fide nouerunt deum, fide inuocant deum, eadem grati ſunt deo, & uoluntati eius obtemperant. Cæterum audiuit uotum Ieſu deus. Recepi enim uiſum. Itaque flagitioſus & impius nequit eſſe Ieſus. Hinc uero ipſum Chriſti factum amplificans, Neq; exile, inquit, neq; uulgare eſt miraculum quod deſignauit Ieſus. Multa memorantur prodigia quæ deus olim geſſit per maiores noſtros: uerum ſi repetamus ab orbe condito, quis unquam audiuit extitiſſe quenquam qui cæco nato aperiret oculos, & depulſa perpetua nocte, lucem infunderet? His iam illationem, & id quod probare uoluit infert, Niſi hic eſſet à deo, non poſſet facere quicquam, Da hette er nüt mögen ſchaffen: id eſt, conſequens eſt ex ijs quæ attuli omnino Ieſum eſſe miſſum à deo. Obſeruent Lectores in hac cæci ſiue illuminati argumentatione, Peccatores non ſumi pro ijs qui peccatores ſunt, & peccata agnoſcunt, deoq; peccata ſua confitentur: tales enim ſunt omnes ſancti, 1. Ioan. 1. ſed pro impijs & hoſtibus dei, pro facinoroſis & nepharijs nebulonibus, qualem criminabantur phariſæi dominum Ieſum. De huiuſmodi enim deploratis hominibus loquens Solomon Prouerb. 21. Sacrificium, ait, impiorum, eſt abominatio. Et cap. 28. Qui ſubtrahit aurem ſuam ne audiat legem, etiam oratio eius erit execrabilis. D. Ioannes Chryſoſtomus Homel. in Ioannem 57. illuminati huius exemplum pulchre nobis applicans omnibus, Hæc ſcripta ſunt, inquit, ut ipſa

Cæcus ſumit fiducia defendẽdam cauſſam Chriſti.

Peccatores deus non audit.

imitemur. Nam si is qui Christum non uiderat, ante eius hortationẽ tantum confirmatus est, ut in conspectu totius populi homicidæ, furentis, insani, & eius uoce Christum damnare cupientis, nec assensus est, nec acquieuit, sed perquàm fidenter eorum os obstruxit, & expelli maluit quàm silere ueritatẽ: quanto magis nos qui tam diu in fide uiximus, qui per fidem tot miracula intuiti sumus, qui maiora quàm ille accepimus beneficia, qui interioribus oculis arcana mysteria contemplamur: nos igitur in tantum uocati honorem, incredibilem pro Christo fiduciam præ nobis ferre oportet contra eos qui aliquid accusare & loqui aduersus Christianos moliuntur: eorum linguæ cohibendæ sunt, neq; temere eis parcendum, &c.

Responderunt, & dixerunt ei, In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

Impij agunt execratiõibus.

Nulla porrò supererat spes pharisæis, fore ut mendicus uel corruptus uel metu territus, desisteret à prædicando Iesu, præterea suppudebat magistros nostros quod mendicus & idiota obturasset ipsis os: unde ueniunt ad extremum. Extremum impiorum est, ferox omnis institutionis, doctrinæ & admonitionis contemptus, damnatio & execratio ueritatis. Nam Solomon, Impius, ait, cum in profundum uenerit, contemnit. Pietas & ueritas semper habet patentes ad consilia aures, & ut ratione omnia agit nihil furore, ita rationes audit & recipit. Impietas & hypocrisis nullam audit rationem, conuitijs, minis, execrationibus agit omnia. Darumb zühend ouch diſe hie dem armen menſchen ſin ellend hårfür. Feruntur in dicentis personam, cum non habent quo diluant quod mẽdicus dixerat. Adeo, inquiunt, sceleribus & flagitijs nephandis uindictam in te prouocasti diuinam, sceleratissime, ut cæcitate percussus dignas dederis ultori deo pœnas, qui palàm te mulctauit, & tanquam abominabilem notauit, cauendumq; ab omnibus declarauit: ac tu cum talis sis nos doceres? Nos inquam sanctos iustos & reuerentes dei supremi sacerdotes, qui religionis arcem & legis professionem tenemus, doceres? Mira profecto in te est confidentia nebulo, ut qui ante stipem à nobis emendicabas, nũc ausis apud honoratos & magnificos tanta philosophari audacia. Simul autem diris deuouerunt atque excommunicarunt constantem Christi confessorem, hunc declarantes esse hæreticum & impium, indignumq; quem audiant, aut cuius consortio & familiaritate utantur uiri boni. Sic autem arbitrabantur recte sibi consultum pharisæi, & altissime depressam esse Christi gloriam, cuius prædicationẽ cum ex ore cæci extrahere nequirent, saltem auditores illi pręripere conabantur. Quia enim illum excommunicauerant, sperabant neminem porrò aut auditurum sic excommunicatum, aut crediturum dictis testimonijs ue hominis execrabilis. Agnoscis in his omnibus opinor, dicta, facta & mores Papæ & Papizantium. Paria enim sunt utrorumq; ingenia & studia, ut si noris unũ, noueris & alterum, adeoq; noris omnes. Extremum sanè nostrorum uerbum est, Vßhin mit dem kätzer.

Audiuit Iesus quod eiecissent eum foras, cumq; inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium dei? Respondit ille, & dixit, Et quis est domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Ait ille, Credo domine. Et adorauit eum.

Colligit Christus quos eijciunt impij.

Hęc est tertia et ultima pars huius historiæ et dramatis ceu catastrophe. Renunciatum est Iesu, alioqui nihil ignoranti de præcone suæ gloriæ, q̃ fortiter sese gessisse t

ſiſſet apud phariſæos, qui ipſum iccirco è ſynagoga eiecerint: mox ergo eiectum è cacoeccleſia, dominus in eccleſiam colligit ſanctorum. Obuium enim illum familiariſſime benigniſſimeq; recipit. Qua in re duo notabis. Prius, Chriſtum uidere atque audire tribulationes ſanctorum ſuorum, & in tempore ſuccurrere. Id quod aliàs multi teſtantur Pſalmi & Iſaias cap. 37. Poſterius, hic ut ubiq; uerum eſſe illud domini uerbum, Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Vnde & Chryſoſtomus Homel. in Ioannẽ 58. Qui propter ueritatem & Chriſti confeſſionem, inquit, malo & cõtumelia aliqua afficiuntur, hi maxime à deo honorantur. Vt enim qui propter deum pecunias diſpergit, is maxime eas inuenit: & qui odit animã ſuam, is maxime amat: ita contumelia affectus propter deum, plurimum honoratur à deo: quod cæco uſuuenit. Eiectus eſt è templo à Iudæis, & à templi domino inuentus eſt: à peſtifero conſilio liberatus, ſalutiferum eſt fontem conſequutus: contemptus à contemptoribus Chriſti, ab angelorum rege honoratus eſt. Hæc ſunt ueritatis præmia. Hæc ille. Quinimo neceſſarium eſt eos prius damnari & eiici ex infidelium contubernio conſortioq;, qui uolunt aut cupiunt recipi, & in numerum diſcipulorum aſciſci à Chriſto. Niſi enim deſciſcas, & ab Antichriſto & ab impijs, nunquam recipiet te Chriſtus, non agnoſcet te ſanctorum eccleſia. Nam in myſtico carmine legitur, Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui & domus patris tui. Pie ergo Paraphraſtes, Quos, inquit, phariſaicum ſupercilium è ſynagoga eiecit, Chriſtus recipit in ſuam eccleſiam. Ab impiorum enim communione ſecludi, iungi Chriſto eſt: & ab his qui ſuam falſam iuſtitiam ſtabilientes, ueram dei iuſtitiam oppugnant, damnari, probari eſt: & ab his qui ſuæ ſtudentes gloriæ Ieſu gloriam obſcurare nituntur, affici cõtumelia, ſummæ eſt gloriæ: & execrabilibus execrabilem eſſe, eſt deo charum eſſe. Hactenus Eraſmus. Gaudeant ergo in Chriſto atq; lætentur quibus maledixit pontificis Romani ira, propter receptum euangelium. Benedicit enim dominus maledictioni illius.

Interim indicatur rurſus iuſtificationis & ſalutis noſtræ modus pulcherrimus & planiſſimus. Principio agnoſcendum peccatum, deficiendumq; ab aduerſarijs domini. Hoc ut poſſis præſtat tibi diuina gratia. Deinde à Chriſto recipiaris, & eccleſiæ ſanctorum, cuius ille caput eſt, inſeraris oportet. Flagitat ille abs quolibet noſtrum ſynceram fidem, & fidem quidem in filium dei. Cæco enim dicit, Tu credis in filium dei? Caput fidei Chriſtianæ eſt, Ieſus eſt uerus dei filius, lux & ſaluator mũdi: deus uerus & homo uerus. Hoc ex animo credere, & rotundo ore profiteri oportet. Sed nunquid fide caruit hactenus, inquit, qui tanta fiducia gloriam Chriſti in corona phariſæorum defendit? Fidem habuit, ſed ei ſua ſunt augmenta. Nam increſcit increſcente ſimul & ſeſe locupletius uberiusq; diffundente in corda noſtra dei gratia. D. Ioannes Chryſoſtomus etiam aliud hiſce uerbis adnotauit, Quid hoc? Poſt tantam cum Iudæis contrauerſiam, poſt tot uerba & contentiones an credat interrogat: non quod eius ignoraret animum, ſed ut notum alijs faceret, & eius ſe fidem plurimi facere demonſtraret. Contumelia me populus ille affecit, inquit, ſed nihilipendo, magis me afficit tua fides. Pluris enim faciendus eſt unus qui domini facit uoluntatem quàm plures tranſgreſſores. Tu credis, inquit, in filium dei? ac ſi præſens quæ dixerat (in ſynagoga cæcus) audiſſet, rogat, & amplius ſui deſiderium excitat. Neque enim primum ait Crede, ſed interrogauit. Tantum ille. Iam ut piæ menti non datur uitio, ſi plenius edoceri cupiat, ita nõ pudet dominum ſeſe quærentibus in ſyncerítate & ueritate cordis aperire. Cæcus ergo cum Ieſum de facie nondum noſſet, magno tamen affectu ſic quoq; noſſe cu-

Iuſtificationis ordo.

Fides habet ſua augmenta.

piens eum, Et quis est domine, ait, ut credam in eum? Nam hæc uox non erat diffidentis, sed ardentis uidere tanti beneficij authorem, & plenius etiam cupientis discere mysteria regni dei. Iesus, qui superiore capite dixerat, Si permanseritis in sermone meo, uere liberi estis, & cognoscetis ueritatem. Perstiterat autem qui fuerat cæcus in ueritate: plenius ergo nunc domino instituente cognoscit ueritatem. Iesus enim ostendens atque testificans se illum dei filium esse quem uidere cuperet, modestissime simul & manifestissime, Quem uidere & cognoscere cupis, ait, iam uidisti, & qui nunc loquitur tecum, ipse est ille dei filius, in quem oportet credere. Vidisti, inquit, & audisti dei filium. Id quod multo euidentius est quàm quod ad Samaritanam dixit, Ego sum. Duo enim hic sensus nobilissimi, Visus & Auditus, quasi in testimonium uocantur. Ille ergo quem nunc uidit & audiuit is qui fuerat cæcus, & non alius, est filius dei, Messias fidelium, & saluator mundi. Nil poterat uel fingi clarius, certius & significantius. Ogganniant quo adlibet cum Arrianis Iudæi & Turcæ inficiantes Iesum Maria genitum dei esse filium. Veritas quæ mentiri nescit, miracula potentissima, quæ negari non possunt, & uirtus operans in fidelibus sensibiliter, testantur Iesum Mariæ filium, uerum & naturalem esse dei filium.

Iesus est filius dei.

Syncera fidei confessio.

Habes certam & indubitatam fidei doctrinam: iam audi synceram fidei sanctorum confessionem, quam dominus abs quolibet requirit. Ad hæc tam clara & certa nihil contatus, magna alacritate exclamat, Credo domine: quod perinde est ac si dixisset, Credo te esse dei filium, & omnem in te meam figo fiduciam. Nam prius dixerat, Quis est ut credam in eum? Quamuis ergo nunc uocula In, omittatur, facile tamen sarciri & subintelligi potest ex superioribus. Habes nunc etiam exemplum synceræ & orthodoxæ confessionis. Hanc amplius confirmat & illustrat quod sequitur. Simul enim cũ dicto accidit ad genua Iesu, & adorauit eum, re nimirum ipsa declarans, quid de eo sentiret. Tametsi enim in scripturis perfrequenter homines legantur adorasse homines, id est inclinasse se, & debitum impendisse honorem: hic tamẽ euincunt circumstantiæ, quod hunc locum de ea adoratione intelligi oportet, quæ debetur soli deo. Proinde simpliciſſima ueritas docet nos adorare Christum Iesum, quod non faceret, nisi constaret certo hunc esse deum uerum.

De adoratione Christi Iesu.

Porrò nihil hic curiosius disputat quid in Christo adorandum sit, quid non sit adorandum, sed simpliciter Christum Iesum, dei filium adorat: nihilominus tamen manent in Christo iam etiam clarificato naturarum proprietates, non separatæ quidem, sed distinctæ: uniuntur enim unitate personæ. Vnde si interrogent nos curiosuli & subtiles illi nostri spirituum probatores, quibus nihil sublimiter satis iudicatur, quibus nihil est supercilliosius & audacius, Adoratis ne Christum? Adoramus. Deum ne solum an hominẽ solum? Deum simul & hominem. Tametsi enim naturas distinguamus, non tamen separamus, non diuidimus Christum. Vnus est nobis dominus Iesus Christus. Cæterum cum contendatis, inquiunt, Christum iuxta carnem esse creaturam, iuxta deum creatorem, quomodo creatorem & creaturam adoratis? Quemadmodum adorauit cæcus, qui uidebat & sentiebat Iesum iuxta carnem, ueram creaturam & uerum esse hominem, interim quoq; ex uirtute diuina credebat creatorẽ esse eundem uerumq; deum, unde nunc Christum ille adorabat, non certe deificatum, id est nihil amplius habentem creaturæ uel hominis, sed unum atq; eundem, totum utique Christum, deum simul & hominẽ uerum. Ita uero & nos Iesum etiam hodie adoramus. Et hæc certa & indubitata sunt, petita è scripturis sanctis.

Quod

Quod si quis magis afficitur sanctorum patrum disputationibus, & de hac re pronunciatis sententijs, age in eius gratiam ascribo iam Sancti Cyrilli uerba ex 26. cap. lib. de Incarnatione unigeniti. Prodest, inquit, & necessarium est si in uno Christo id accipiamus quod secundum aliud & aliud de uno eodemq; constituatur, & quod in duo diuidi non permittat, licet diuersa inter se, & minime conuenientia acta esse dicantur. Est autem tale quod dico, Natum esse secundū carnem ex muliere dicimus deum uerbū, quamuis omnibus ipse præbeat nasci, & ad natiuitatem quæ nondū nata sunt uocet secundum aliud & aliud. Natus enim est eò quod homo nostri similis intelligatur. Vocat autem ad natiuitatē omnia, eò quod natura sit deus. Scriptum est autem de ipso, Puer proficiebat & confortabatur, & implebatur sapientia & gratia, cum natura sit perfectus ut deus, & ex sua plenitudine spiritalia sanctis impertiat, & ipse sit sapientiæ dator & gratiæ. Quomodo proficit puer, sapientia & gratia impletur? Secundum aliud & aliud. Cum sit enim idem ipse homo simul & deus, propter unitatem quidem propria ducit humana. Est autem perfectus & sapientiæ & gratiæ dator ut deus. Patitur & non patitur, secundum aliud & aliud. Patitur autem humana carne, eò quod homo sit: impassibilis autem diuinè manet ut deus. Adorauit ipse nobiscum, Vos enim, ait, adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Adest etiam adorandus. Flectitur enim ipsi omne genu. Hoc quoque secundū aliud & aliud. Adorat enim, quia naturam assumpsit, quæ debet adorare. Adoratur autem porrò idem, quasi maior adorante natura, eò quod intelligitur deus. Adoratione uero non est diuidendus in hominem seorsum & seorsum in deum. Vnus enim adorandus est. Vnum filium adorauit cæcus à natiuitate sua cum præcipuo mirabiliq; modo sanatus fuisset. Nam cum Iesus inuenisset ipsum in templo, dixit, Tu credis in filium dei? Ille autem dixit, Quis est domine ut credam in eum? Christus uero ei seipsum cum corpore demonstrabat, Et uidisti quidem eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Vides quod singulari numero utatur non permittens deum & hominem seorsum intelligi? Hæc ille. Cyrillo iunior multo D. Ioan. Damascenus libro de orthodoxa fide quarto, cap. tertio, Filium dei, inquit, cum patre & spiritu sancto adoramus, incorporeum quidem ante humanitatis assumptionem, & nunc eundem incarnatum & factum hominem, & cum hoc deum existentem. Caro igitur eius secundum naturam ipsius (si subtilibus cogitationibus dispescas quod uidetur ab eo quod intelligitur, cogitationeq; humanitatem à diuinitate præscindas) inadorabilis est ut creatura. Vnita autem deo uerbo propter ipsum & in ipso adoratur. Eo nanq; modo quo rex & nudus adoratur & indutus: & purpura ut nuda purpura & conculcatur & proijcitur, facta autem regis amictus honoratur & glorificatur: & si quis illam proterere præsumpserit, persæpe morte mulctatur. Et quemadmodum lignum nudum non est intangibile, atqui igni coniunctum & carbo factum, non propter seipsum, sed propter coniunctum ignem intangibile fit: & non ut ligni natura intangibile est, sed ut carbo, id est, quando ignitum est lignum. Sic & caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato deo uerbo, non propter seipsam, sed propter coniunctum ipsi secundum hypostasin deum uerbum. Nec dicimus quod carnem adoramus nudam, sed carnem dei, id est increatum deum. Idem paulò ante in cap. 2. eiusdem libri, Dexteram patris, inquit, intelligimus gloriam & honorificentiam deitatis, in qua dei filius ante sæcula existens ut deus & patri consubstantialis in nouissimis temporibus incarnatus est, & temporaliter sedet conglorificata carne eius. Adoratur

Quid patres docuerint de adoratione Christi.

enim una adoratione cum sua carne ab omni creatura. Hæc ille.

Christus iuxta assumptam naturam creatura in gloria.

Breuiter, scriptura ubique testatur quod uniuersa agnouit semper, & adhuc agnoscit ecclesia, Christum deum uerum & hominem adorari in gloria, carnemq; eius ueram, licet glorificata sit, nunquam esse depositam, sed seruari adhuc in cœlo, neque diuidi hanc à deo, cuius facta est propria. Id quod certum & indubitatum est, utcunque interim contra hæc latrent male sanæ quorundam linguæ: cum quibus nolo in præsenti uerbosius contendere, partim quod non nesciam nunquã ipsis defutura uerba. Nam ut prothei ac lubrici, ita & mire loquaces, ac ueluti ad contentiones nati sunt: partim quod ueterem excitarint errorem, qui ante sæcula aliquot ueritatis telo confossus euiluit, atque à sanctis explosus est ex ecclesia. Hæc scriptis mando, non ut quenquam ad pugnam prouocem, sed ut curabiles antidotum contra uenena habeant, denicq; ut posteri cernant fuisse nostra ætate inter tot opiniones prodigiosas exoticasq;, qui ecclesiasticam, puram, priscam, & simplicem doctrinam commendarint mundo, & rursus à cõtraria abstraxerint pietatis studiosos: nunc ad Ioannem meum explicandum reuertor.

Et dixit ei Iesus, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant.

Vsus & fructus huius historiæ.

Per anagogam exponit sub finem totius historiæ usum & fructum. Nam è particulari producit uniuersale quiddam. Quasi dicat, Ego in te hactenus declarare uolui quare uenerim in hunc mundum, uidelicet ut sim lux mundi, & aperiam, iuxta Isaiæ uaticinium, cæcis oculos. Proinde quod tibi feci, præstare possum omnibus. Neque enim propter tuam solius salutem ueni in mundum, sed ad discutiendam toti mundo cæcitatem illam animorum omnium calamitosissimam. Iudicium putant hic alij usurpari pro discretione & separatione. Vbi enim fit iudiciũ, separatur & discernitur uerum à falso, iustum ab iniusto. Arbitrantur ergo Christum uenisse in iudicium, id est ut ostendat quid rectum, quid prauum, qui fideles, qui infideles, ut inquam lucem separet à tenebris. Alij, In iudicium, inquiunt, ueni in hunc mundum, id est positus sum in lapidem offensionis & petram scandali. Quid si intelligamus, In iudiciũ ueni in hunc mundum, id est, ueni in iudicio dei instructurus mundum, ueni denicq; mundi iudicia informaturus quo de deo rebusq; diuinis sapiant & iudicent rectius? Cæca enim & corrupta sunt mundi iudicia. Nam iniustissimus quisq; putat se omnium esse iustissimum, prophanissimus sanctissimum: cæterum uenit in mundum dominus ut iudicium informet, & ut sic dicam iustificet, nimirum ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. Non uident, id est cæci sunt omnes filij Adæ, quibus illuminandis per spiritum suum cœlitus uenit Christus. Porrò uident qui non intelligunt neq; agnoscunt tenebras atque peccata sua ex corruptione, atque ideo arbitrantur se esse sapientes & iustos. Hos uult Christus cæcos fieri, id est cæcitatem, ignorantiam & peccata agnoscere. Hoc ergo est quod dicit dominus, Quemadmodum nunc tibi, ô cæce, oculos corporis aperui, ita per hoc factum ceu uiuum exemplũ toti mundo declarare uolui, cur incarnatus uenerim in mundum, certè ut omnibus illis mentis oculos aperiam, qui suam cæcitatem & ignorantiam atque peccata agnoscunt: uolo itaque omnes fieri cæcos, id est de suis desperare uiribus, atque de meo lumine petere unde uideant, sapiant & uiuant. Schema loquutionis miram habet elegantiam constans contrarijs atq; lepidis metaphoris. Nam ab oculis corporis

ad mentis

ad mentis siue animi oculos penetrat atq; transit.

Et audierunt quidam ex pharisæis hæc, qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Num & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc uero dicitis, Videmus, iccirco peccatum uestrum manet.

Exemplum eorum qui uidentes cæci sunt.

Mendicus ille factus est exemplum eorum qui cæci reuera sunt, cæcitatem tamen & ignorantiam agnoscunt, & Christi illuminantur gratia. Cæterum pharisæi nunc eorum fiunt exemplũ, qui se sanctos & iustos putant, & ideo ad Iesum Christum non ueniunt, iccirco in cæcitate & tenebris errorum atque peccatorum permanent. Iam enim isti suspicari cœperant dominum superiorem sententiam, In iudicium ueni, &c. pronunciasse in animorum cæcitatem, deq; usu oculorum animi: quia ergo hic sese oculatissimos & sapientissimos esse arbitrabantur, arroganter, Num & nos, inquiunt, cæci sumus? Num ignaris, stupidis, errantibus & peccatoribus, nos populi proceres atq; doctores annumeras? Iesus autem ad inflatam illam quæstionem respondens, dicit, Si uere essetis cæci, hoc est, mentis inscitiam, tenebras, errores atque peccata uestra agnosceretis, non imputaretur uobis cæcitas atque peccatum: nunc uero quia dicitis, Videmus, id est, arrogatis uobis legis peritiam, sapientiam, uires efficiendi boni operis, iustitiam & sanctimoniam, corruptionem uero illam uestram ex Adamo & cupiditatibus ortam, non sentitis aut deploratis, ideo manet, & quasi medullis animi inhæret peccatum uestrum: quod non condonatur nisi confessis & firma fide in Christum credentibus. Nihil enim aliud hisce uerbis per Astysmon figuratis, docere uoluit, quàm quod Ioannes in Canonica sua his uerbis tradidit, Si dixerimus, Peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & ueritas in nobis nõ est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, &c. 1. Ioan. 1.

In iactatores uirium humanarum.

Habes hic ueritatis certum & infallibile iudicium pronunciatum contra prædicatores uirium liberi arbitrij. Hi enim si & ipsi cæci essent, id est seruitutem & infirmitatem atque corruptionem ex peccato suam, agnoscerent, gratia Christi illuminarentur: nunc quia uident, id est uires suæ carnis iactant, & gratiam Christi non unice magnifaciunt, inhæret ipsis cæcitas atque peccatum. Significanter uero dicitur, Manet peccatum uestrum. Est enim & in sanctis peccatũ, sed transfertur, non imputatur, non manet: in impijs duntaxat manet peccatum atq; damnatio: sicuti & Ioan. 3. in fine cap. annotatũ est. Credamus ergo in filium dei, confiteamur huic peccata nostra, ut per ipsum illuminati & à peccatis absoluti, tandem ad lucem illam inaccessibilem transferamur, Amen.

CAP. X.

Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulũ ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas: & cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequentur, sed effugient ab eo, quia nõ nouerunt uocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quæ essent, quæ loqueretur eis.

Christus uerus est pastor animarum.

Cohærent hæc etiamnum cum præcedentibus. Nam in eodem adhuc uersatur

argumento dominus. Docet enim se esse uerum mundi saluatorem, cui qui credat seruetur. Mutatur tamen orationis schema. Nam utitur iam parabola à re pastorali ducta, cuius sanè frequentissimus est usus in scripturis diuinis. Oportuit autem id quod salutis nostræ caput est tot ac tantis inculcari, certe ut posteri plenissimam perfectissimamq; doctrinam habentes, in ea perseuerarent, nec aliud sibi sinerent obtrudere aut persuaderi. Vnde eleganter & pie dixit Paraphrastes, Iesus qui prius multis similitudinibus inuitauerat omnes ad se, nunc panem se uocans cœlestem, unde qui ederet uiueret in æternum: nunc aquam uiuam, unde qui biberet, conciperet in sese fontem aquæ salientis in uitam æternam: nunc lucem mundi, quæ illuminat omnium mentes: nunc filium & legatum dei patris, cui qui crederet, salutem æternam consequeretur: hoc loco idem agit alia parabola, quo magis & altius insideat animis omnium, quod est totius salutis humanæ caput, &c. Hæc ille. Certe si ulla alia ratione pararetur salus & iustificatio hominis, non tacuisset Ioannes, qui hanc tam diligenter & operose prosequutus est, ut sua illa copia uehementer & firmissime euidentissimeq; approbarit, nulla re alia saluari homines quàm per nomen Christi, nulla re iustificari homines nisi per fidem Iesu Christi. Condit autem sermonem suum dominus gratia duplici, quo illabatur in animos auditorum gratius atque suauius, parabola, de qua dixi aliàs, & allusione ad scripturas propheticas. Videtur enim dominus ad uaticinia allusisse prophetarum, ac tale quiddam dixisse. Nouum subinde & à ueritate alienum id esse uidetur uobis, quod profiteor me esse dei filium, lucem & saluatorem mundi: uerum si expendatis scripturas canonicas, & his conferatis dicta & facta mea, omnino deprehendetis me illum ipsum esse quem profiteor, nimirum pastorem illum promissum à prophetis singularem. Inter eos enim illustris Ezechiel deum inducit loquentem, Suscitabo super oues meas pastorem unum, qui pascat eas, Dauid seruum meum, is pascet eas, atque is erit eis pastor. Ego autem dominus ero eis deus, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. Ego dominus loquutus sum. His si omnia mea contuleritis, agnoscetis me esse illum pastorem promissum, Dauidis prosapia genitum. Cæterum dominus mox ab initio nudam duntaxat præmittit parabolam: postea cum uideret illos hærere & mysterium non intelligere, adijcit notas aliquot, quibus quilibet allegoriæ explicet inuolucrum. Interim non est dubium quin hoc sermone pharisæos quoq; perstringens, accuset ipsorum in pastorali officio insciitiam, ignauiam atq; infidelitatem: in eo rursus omnibus fidelibus pastoribus relinquens iustum optimi pastoris exemplum. Proinde oportet in tota hac disputatione in duplicem hunc statum conuertere oculos, ut discamus Christum Iesum & saluatorem esse mundi: & pastorum principem, à quo omnes pastores suam petant in officio institutionem.

Cum superioribus hæc ita cohærent, Videri sanè uultis, inquit, oculati & non cæci esse, quippe cum sitis antistites religionis, lumina plebis, & doctores atq; pastores totius populi Israelitici: uerum quo iure id faciatis, uos uideritis. Ego nunc uerum uobis in prophetis promissum pastorẽ demonstrabo, interim etiam explicabo boni & fidelis pastoris munia: quibus si componatis res uestras, liquidò deprehendere licebit quales sitis, nedũ cæci, sed cæcorũ duces, ignaui et perfidi pastores. Quia uero ante omnia simplicẽ ponit parabolã, nos quo omnia sint perspicatiora planioraq; perstringemus summas duntaxat parabolæ partes siue apices, idq; & rudi, quod dici solet, Minerua & breuiter. Pastor est Christus mundi rex atque

Expositio parabolæ.

saluator

ſaluator: & omnium paſtorum princeps. Ouile, caula, ſiue ſtabulum ouium eſt, cœtus & conſortium ſiue ſocietas ſanctorum. Oſtium denuo Chriſtus dicitur. Ingrediuntur aliunde, qui non legitimam iuſtificandi rationem tradunt per fidem in Chriſtum. Ingrediuntur per oſtium, qui docent per fidem in Chriſtum iuſtificari & ſaluari credentes. Ergo fures & latrones ſunt, qui ut deo debitam ſuffurantur gloriam, ita animas interficiunt uenenata doctrina. Rurſus ueri paſtores, ſicut ipſi per Chriſtum ſaluari ſperant, ita etiam alios eadem ſpe ſuffulciunt: atque hoc modo intrant per oſtium. Rurſus oſtiarius eſt dominus Ieſus. Nam aperit ſua myſteria tam fidelibus paſtoribus quàm obſequentibus ouiculis. Et oues, id eſt pij, fideles & ſancti audiunt uocem & Chriſti & eorum qui uerbum Chriſti afferunt. Chriſtus nominatim oues uocat. Nouit enim dominus qui ſui ſint, ac curat, & in numerato habet oues ſuas: ſed & maximam ouium rationem habet quiſquis ex uocatione Chriſti paſtorem gregis dominici agit. Præterea educit ad paſcua oues paſtor. Chriſtus enim ſuos paſcit pabulo corporis & ſanguinis ſui: ſicut expoſuit Ioan. 6. Chriſtianus paſtor paſcit pabulo uerbi, quod & ipſum Chriſtum manducare per fidem docet. Ante oues uadit Chriſtus, animas attrahens, & prouehens pios. Chriſtianus paſtor præit non doctrina duntaxat ſana, ſed etiam exemplo uitæ bono. Fideles autem ſequuntur fide, obedientia & ſancta imitatione. Habent enim characterem filiorum dei & gregis dominici, impreſſum pectori: unde uocem paſtoris agnoſcunt, à cuius ore pendent. Alienum non ſequuntur, quia non affert uerbum Chriſti: imò aufugiunt potius ab ipſo. Neq; enim aliam doctrinã q̃ Chriſti uel agnoſcunt uel recipiunt ſancti: perinde ut coniunx caſta non niſi mariti ſui paret imperijs. Hæc autem omnia mox ab initio confirmat iureiurando, quo plus fidei apud nos inueniat aſſertio. Cæterum cum phariſæi non intelligerent quid ſibi uellet hæc parabola, dignatus eſt dominus aperire quædam, ex quorum coniectura etiam reliqua referare liceret. Tectius autem ideo propoſuit ab initio, ut magis redderet attentos, & altius inſideret animis auditorum, quod per ſimilitudinem eſſet infixum.

Dixit ergo eis iterum Ieſus, Amen amen dico uobis, Ego ſum oſtium ouiũ. Omnes quotquot ante me uenerunt, fures ſunt & latrones: ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſeruabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non uenit niſi ut furetur & mactet ac perdat: ego ueni ut uitam habeant & abundantius habeant.

Chriſtus eſt oſtium.

His iam exponit quædam ſuperioris parabolæ. Repetit autem iuriſiurandi religionem ne quid omnino dubitemus de doctrina præſenti. Pro certiſſimo, inquit, confirmo uobis, quod ego ſum illud oſtium, de quo loquutus ſum uobis, per quod oues ingredi & egredi oportet ſi uolunt eſſe incolumes. Cur autem appellarit ſe oſtium, ipſe paulò poſt explicabit copioſius. Iam uero quia dixerat, Qui non intrat per oſtium in ſeptum aut ſtabulum ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: ideo nunc per interpretationem ſubijcit, Omnes quotquot ante me uenerunt, fures ſunt & latrones. Id quod non oportet detorquere ad Moſen & prophetas dei reliquos ſanctos & fideles: qui tametſi tempore Ieſum Chriſtum, iuxta incarnationem, præceſſerint, nequaquam tamen ante Chriſtum uenerũt. Nam Ante Chriſtum uenire, eſt præterito Chriſto, uero

Qui ante Chriſtum ueniant.

ostio, aliunde irrumpere in caulam. Præcessit enim, quod modo dixi, qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde. Aequipollent ergo, Aliunde ascendere, & Ante Christum uenire. Ascendit aliunde in septum ouium, quicunque per aliam uiam uel rationem iustificari contendit, inq; ecclesiam recipi, & cœlum ipsum ingredi annititur, quàm per meritum Christi, uel per fidem in Christum. Itaque ueniunt ante Christum, qui hoc sibi sumunt atque tribuunt, quod Christo erat tribuendum: ueluti cum neglecto Christo suis inuentis pollicentur salutem, iustitiã, sanctimoniam. Ita Germanice dicimus, Der ist mir vorgelouffen, cum significamus alterius cuiuspiam artibus & fraude factum, ut is præripuerit quod nobis iure debebatur. Tale ergo est quod dixit dominus, Omnes quotquot aliunde quàm per me unicam cœli ianuam in sanctorum ecclesiam, uel in regnum cœlorum ingredi statuerunt, fures sunt & latrones. Quare autem fures appellarit & latrones paulò post exponet. Addit his, Sed non audierunt eos oues. Hæ enim habentes characterem filiorum dei & gregis dominici, cordibus suis impressum, non lateribus uel inustum uel uelleri attonsum, ipsum Christi spiritum & mentem diuinam, mox intelligunt ab alieno spiritu proficisci, quod traditur. Christum amant, Christum desiderant, Christum quærunt oues. Hunc ergo si quis prædicet, huius uerbum si quis afferat, lætæ excipiunt. Alienorum, sicut superius quoque dictum est, uocem non agnoscunt, sed fugiunt. Alieni sunt qui à Christo uariant, Christi spiritu carent, & à uoce Christi abhorrent, alieni uidelicet à fide uera. Proinde non mirabitur porrò Romanus Pontifex quod uocẽ eius audire nolumus. Non enim prædicat nobis Christum uerum pastorẽ & in hoc omnia, sed seipsum nobis prædicat. Nam ipsus uideri & haberi uult caput uniuersalis ecclesiæ, se iactitat summum esse in terris pastorem, Christi uicarium, qui possit tenere & remittere peccata nostra. Neq; omnia salutis nostræ nobis in Christo ostendit, sed diducit animos nostros, & rebus implicat innumeris ceu salutaribus, cum in omnibus ne mica quidem sit salutis. Christi ergo oues cum simus, & non nisi uocem huius nostri pastoris agnoscamus, abeat quò dignus est Lycaon ille cum suis sutelis & imposturis. Nunc rediens dominus, ac rationem indicans cur se appellarit ostium, Ego sum ostiũ, inquit, per me si quis introierit, seruabitur. Quid uero illud est ad quod introitur? Septum, ouile, caula, siue stabulum ouium. Quæ obsecro oues? Sancti partim in ecclesia, partim in æterna agentes gloria, consortio uidelicet fruentes dei optimi maximi. Ideoq; loquitur dominus de ingressu siue aditu in ecclesiam sanctorum, & in regnum cœlorum. Itaque Ostium siue Via & Ianua est Christus, quia per ipsum aperitur nobis aditus in ecclesiam & communionem sanctorum, inq; participatum uitæ æternæ: si uidelicet ingrediamur per ipsum, hoc est, si credamus in ipsum. Nam fides inserit nos ecclesiæ, & coniungit nos cum deo. Apud Ioannem in 14. significantius appellat se idem dominus Viam. Nam addit, Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ita uero & ostium est, per quod ingredimur in societatem dei & sanctorum eius. Ipse quoq; plenissime hic exponens quid per ipsum nobis detur, siue ad quid nobis aperiatur aditus, tria recenset. Primum, Seruabitur quisquis per me introierit. Seruabitur inquam hic in spe, & postquam hinc fuerit solutum, ipsa rerum speratarum perfruitione fruetur. Secundum, Ingredietur & egredietur, quo schemate ac Hebraismo significauit summam tranquillitatem, quam nulla turbabit potestas aduersaria. Tertium, Et inueniet pascua, id est, nunquam quicquam ipsi deerit. De plenitudine enim Christi accipiunt omnes sancti, de pane dei edunt, & aquam uiuam bibunt, ut in æternum nec esuriant

Oues alienorũ uocem non agnoscunt.

Introire in stabulum ouium.

Quid conferat pastor ouibus per ostium ingredientibus.

riant nec sitiant. Plura require ex Psal. 23. qui totus huc pertinet. Est itaq; in ecclesia ex Christo pastore salus, securitas, & rerum abundantia: extra Christum & ecclesiam non est aliud quàm interitus, trepidans formido, & inopia omniũ rerum bonarum, copia rursus omnium calamitatum & rerum pessimarũ. Proinde quicunq; sapiunt, contendent per dei gratiã ascendere siue ingredi in stabulũ ouium per ostium illud singulare & unicum Christum Iesum.

Qui sint fures & latrones.

Porrò redit iam iterum ad illud explicandum, quod prœuenientes Christum, id est prætereuntes, & per illum non ingredientes in ouile, fures appellauit & latrones, ac utriusq; studium exponit, relinquens id pseudodoctorũ ingenio studijsq; applicandum. Fur, inquit, non in aliud uenit, nisi ut furetur, & è gregis alieni malis sibi turpe lucrum comparet. Latro siue prædo (est enim λῃστὴς) non uenit nisi ut laniet ac perdat, & in gregem, cui prodesse debebat, tyrannidẽ exerceat. Hæc iam applica ijs qui aliunde ascendunt, Christum prætereunt, & per ostium non ingrediuntur. Hi certe suffurantur deo & Christo debitam gloriam. Dum enim uerbũ dei & doctrinam euangelij traderent ecclesiæ, unde hæc disceret omnem plenitudinem esse in Christo, qui sit nobis datus à deo sapientia, iustitia, satisfactio, & copiæcornu quoddam: illi humana pro his commenta patrum, decreta & ecclesiasticas, quas uocant, constitutiones omnibus inculcant, è quibus discant iustificari homines ex operibus & meritis humanis, deo gratos & acceptos fieri per uota monastica, per intercessionem & cultum diuorum, per Missarum celebrationes, per indulgentias, quas largissime diuendunt, splendidumq; ex his omnibus lucrum percipiunt, fraudatis interim & spoliatis pauperibus. Illi ipsi interficiunt animas hominum, dum uidelicet salutem ostendunt ubi nulla salus est, uitã ubi mors est, gratiam ubi ira est. Mactant synceros euangelicæ doctrinæ confessores. Ante omnia uero iustam ouibus libertatem eripiunt, iniquis & onerosis legibus opprimunt, atq; in omnibus sese tyrannos non pastores præbent. Contra huiusmodi pastores agens apud Ezechielem dominus, Væ, inquit, pastoribus Israelis, qui pauerunt seipsos. An non erat pastorum pascere gregem? Vos autem pingues comeditis, & lana uestimini, & quod crassum est mactatis, gregem non pascitis, debile nõ confortatis, ægrotum non sanatis, confractum non obligatis, propulsum non reducitis, & perditam nõ quæritis, quin & cum duritia & sæuitia dominati estis eis. Ezech. 34. Huc pertinet quod Zacharias de malis pastoribus & eorum capite Antichristo prædicat in fine cap. 11. Excutiant autem, inspiciant, atq; examinẽt nunc mores, ingenia, dicta & facta sua quicunq; hodie pastorum titulo & nomine gloriantur, & iudicent ex his, pastores ne an fures & latrones sint. Hactenus enim pseudopastorum propositus est typus.

Christus uenit ut oues uitam habeant, & abundantiorem.

His per antithesim opponit, Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant: quod loquutionis genus perinde sonat, ac si dicas, Veni ut oues uitam habeant, eamq; abundantissimam, id est perfectissimam & æternam. Per uitam uero intellexit omnia bona quæ pastorũ fides & diligentia ouibus præstat, in primis autem uitam æternã, quam solus cõfert pastorũ princeps Iesus Christus. Ergo apud Ezechielem, Ego pascam oues meas, ait dominus, perditam requirã, propulsatam reducam, confractam ligabo, infirmã roborabo. Et mox, Ego seruabo oues meas, ut non pateant ultra direptioni. Et suscitabo super eas pastorẽ unum seruũ meum Dauid, hic pastor erit, & pascet eas. Idem itaque hic in euangelio, ueluti Ezechielis uaticinium explicans, dicit, Ego ueni ut uitam habeant oues, & sic curem illas, sicuti curaturum prædixit Ezechiel. In quo habemus typum & exemplum optimi pastoris, cuius ingenium ac mores exprimant oportet, qui nolunt dici

& esse fures & latrones. Hæret hoc criminis non in falsis duntaxat doctoribus, id est seductoribus, sed in omnibus hominibus qui contempta doctrina euangelica, pergunt deo & Christo debitam gloriam suffurari, & pertinacia atq; incredulitate suas ipsorum animas crudeliter interficere.

Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deserit oues, fugitq; & lupus rapit ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curæ.

Christus est pastor bonus.

Pergit dominus etiam his propositæ parabolę reliqua explicare. Dixerat, Qui intrat per ostium, hic est pastor ouium. Et iam nunc pronunciarat, Veni ut uitam habeant oues, & quàm abundantissime ea fruantur. Illa omnia nunc reddens siue exponens significantius, Ego, inquit, sum pastor ille bonus, qui uidelicet ingredior per ostium, & legitime omnia mea, nihil artibus aut ex affectibus ago: ueritatem & salutem ibi quærendam esse doceo, ubi proculdubio reperitur, apud me uidelicet uerum illum, uiuum, & potentissimum dei filium. Nam ego sum singularis ille bonus pastor, de quo prophetæ prædixerunt, quod animam suam impensurus sit pro uita & incolumitate ouium. Ego enim in mortem me trado, & in mortem quidem crucis, ut oues meæ in me credentes per mortem meam uiuant. Sic autem breuibus, sed apertissimis uerbis ostendit se esse mundi uitam ac saluatorẽ, & quo modo uiuificet mundum. Id quod in hac disputatione potissimum ac præstantissimum est. Rursus ut liquido appareat quod Iesus sit bonus & uerus ille pastor, per antithesim bono pastori opponit Mercenarium, ut ex utriusq; collatione boni pastoris ingenium clarius elucescat, Qui mercenarius est, inquit, & sui compendij gratia gregis curam suscepit, etiamsi bona fide rebus tranquillis gregẽ procurat, tamen si uitæ ingruat periculum, hoc est, Si lupum uiderit irruentem, prodi tis ouibus suæ uitæ fuga consulit, gregem lupo dissipandum & dilaniandum relinquit. Quid in caussa? Nihil aliud, nisi quod mercenarius est, non pastor: sua quærit, non ea quæ gregis sunt. Sibi nihil perire putat, dum grex interit, cui præfectus est à domino. Hunc mauult facere iacturam, quàm proprij capitis periculo decertare cum lupo. Mercenario tali iam ex aduerso oppone Christum. Christus uerus & bonus gregis sui pastor, nihil spectat lucri, quod ex ouibus percipiat: ipse enim gregem de suis bonis & facultatibus amplissimis locupletare cupit. Oues pro suis non alienis reputat, harumq; non minorem gerit curam quàm suipsius. Nam di-

Conferuntur pastor & mercenarius.

Quomodo dilexerit & uiuificarit oues Christus.

ligit eas impensissime. Dilectionem sic declarauit, Vidit gregi periculum & capitis & salutis imminere præsentissimum, periculum inquam mortis & dãnationis æternæ, per peccatum, ex inuidia satanæ, lupi ut uoracis sic sæuissimi: nõ diu consultat, nec fugiens gregem lupo dilaniandum permittit, sed è cœlorum supremo throno delabitur, in utero uirginis carnem adeoq; totum hominem assumit, nascitur, cum satana mox congreditur, ac mortem quidẽ morte sua frangit, peccatum sanguine abluit, & lupo caput conterens, tantum nõ omnes ipsius uires proterit, itaq; oues quas ardentissime amabat seruans, dissipari non permisit, sed collegit potius, has deo patri primum, deinde interse ipsas conglutinans fide simul & charitate. Atq; hoc modo declarauit se dominus Iesus uerum esse sui gregis pastorem bonum. In quo pseudopastores habent cuius pudeat eximie, dum uidelicet cernũt se non pastori Christo, sed auaris & perfidis annumerari mercenarijs. Habent itẽ

fideles

fideles pastores quod animos ipsorum confirmet & amplius instruat.

Princeps quidem luporum diabolus est, sed uarij generis ministros assequutus lupinum ingenium & artes exercet per corruptos homines, in primis autem per hæreticos. Nam ut luporum proprium est dispergere, mactare, & discerpere: sic hæretici impia doctrina simplicium corda disrumpunt, à deo diuellunt, ab ecclesiæ consortio sancto separant, ac in hæresi perseuerantes mactant atq; discerpunt. Huiusmodi lupis suæ etiam uitæ periculo boni pastores sese opponunt, quo grex domini in synceritate fidei & unitate ecclesiæ permaneat incolumis. Nec hic ulla spectant uel emolumenta uel detrimenta: non metuunt ullas uel minas uel artes hominum, pergunt animo constanti oues suas sibi à domino creditas tueri contra omnem uim aduersariam. Omne autem præsidium ipsorum est in principe pastorum Iesu Christo. Huc refer quæ Paulus tradidit in Actis cap. 20. & in 1. ad Thessalonicenses 2. cap. Sanctus Augustinus Tractatu in Ioannem 46. quærit, Si apostoli pastores, non mercenarij, quare fugiebant quando persequutionem patiebantur? Et addit, Vidi in epistola fugientem Paulum, per murum in sporta demissum, ut manus persequentis euaderet: non ergo illi curæ fuit de ouibus, quas lupo uenienti deserebat? Ac respondet, Fugit planè, sed eas pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat, se autem utilitati earum fugiendo seruabat: sicut quodam loco ait, Manere in carne necessarium duxi propter uos. Ab ipso nanque pastore omnes audierant apostoli, Si uos persequuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Et mox, Is uidit lupum uenientem & fugit, qui sua quærit non quæ Iesu Christi: peccantem non audet libere redarguere. Et quæ sequuntur. Hic enim satis est copiosus & elegans.

Lupus dispergens.

An apostoli fugientes mercenarij.

Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Sicut me nouit pater, ita & ego noui patrem: & animam meam pono pro ouibus.

His aliud etiam membrum parabolæ enarrat. Dixerat, Pastor proprias oues uocat nominatim. Hoc nunc copiosius explicans, Ego, inquit, sum uerus & bonus gregis dominici pastor. Noui enim oues meas, & illæ uicissim me nouerunt. Amo illas, amant illæ me rursus. Et certe boni pastoris est nosse gregem sibi creditum. Qualis enim pastor est, qui non nouit, aut nunquam uidit gregem suum? Et nisi grex quoque ipse pastorem agnoscat, non multo cum fructu pascetur. Nec impedit hic quicquam uel ouium multitudo, uel loci distantia. Nam ubicunque sunt pij & fideles nomen Christi inuocantes, horum uota audio, horum corda inspicio, hos intus & extra, quod dici solet, noui totos, nomina eorum teneo, & rationem singulorum habeo exactissimam. Atque hoc est quod dixit, Proprias oues uocat nominatim. Item, Ego cognosco oues meas. Ac salubris quidem est sententia plurimum habens consolationis. Rursus cognoscitur à suis dominus rex & pastor fidelium. Fide enim comprehendunt & intelligunt Christum omnibus esse præsentem, omnium nouisse corda, singulorum exactissimam habere rationem. Ad ipsum ergo in omnibus accurrunt necessitatibus, multoq; cum fructu pascuntur ab ipso. Addit dominus, Sicut me nouit pater, ita & ego noui patrem: quo uidetur diuinam suam significasse naturam, illis haud dubie respondens, quibus sibi nimium tribuisse uidebatur, quod dixisset se oues suas nominatim uocare, easdemq; cognoscere. Quasi dicat, Quod si cui licentius dixisse uideor omnes mihi meas oues esse cognitas, is meminerit mutuum esse patris & filij cõsensum, unam

Christus cognoscit oues suas.

atque eandem omniſcientiam. Vt enim ille me nouit, ſic ipſum quoque noui. Nouit me ut deus, noſco ipſum ergo ut deus. Patri cognita omnia, ergo & mihi nihil non cognitum. Porrò ne quis calumniaretur quod oues dixerat aut appellarat ſuas, adijcit, Et animam meam pono pro ouibus. Eſt enim ſenſus, Non temerè fidelium cœtum meas appellaui oues. Meo enim ſanguine illas laui, mea morte in uitam aſſerui, ac meipſum pro eis impendi, non auro aut argento redimens, ſed diſpendio uitæ illas mihi comparans: unde meritò illas meas eſſe pronuncio. Videant ergo quomodo paſtorum principi rationem reddant, qui tyrannidem ſibi in alienum gregem uendicant. Sunt in his quoque permulta conſolatione euidenti refertiſſima, ut mereantur ſumma diligentia legi ac obſeruari.

Oues ſunt Chriſti oues ꝓpriæ.

At alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: illas quoque oportet me adducere: & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus paſtor.

Eccleſia Chriſti ex omnibus collecta gentibus.

Indicat obiter, quia de ouibus ſuis dicere cœperat, etiam gentes pertinere in conſortium populi dei in ſeptum uidelicet hoc ouium Chriſti. Alias, ait, oues habeo. Quare alias, & quomodo alias? Quæ non ſunt ex hoc ouili. Ex quo obſecro? Ex ouili Chriſti? Non, ſed ex ouili ſynagogæ Iudaicæ. Oues enim Chriſti non tantum agunt in Iudæa & Galilæa, ſed per totum terræ orbem ſunt diſperſæ, hærentes in errorum uepribus, & palantes per latiſſimos opinionum campos. Illas quoque oportet me, inquit, ab erroribus ac diſperſione adducere ad ueritatis cognitionem, & eccleſiæ unitatem, per ſpiritum meum atque doctrinam meam, ut in me uno paſtore & rege ſuo ſuæ ſalutis proram & puppim conſtituant. Et certe audient uocem meam, recipient doctrinam euangelicam, longe alacrius quàm Iudæi. Quia enim ex deo ſunt, ideo uocem dei agnoſcunt. Cæterum promptum illud omnium gentium obſequium declarauit Ieſum uerum eſſe paſtorem, filijs dei per orbem diu quidem diſperſis, nunc uero congregandis, miſſum cœlitus in mundum. Pergit, Vbi autem gentiles euangelicam fidem receperint, aſſociabuntur fideli Iudæorum populo, atque ita fiet ex utriſque unum ouile: ex Iudæis inquam & Gentibus una coibit eccleſia: cuius dominus rex, paſtor, & princeps unicus erit dominus Ieſus, omnia in omnibus. Huc pertinere puto ſecundum caput Pauli ad Epheſios. Porrò qui hinc colligunt, fore aliquando mutuum in toto orbe interꝙ omnes homines conſenſum religionis, ita ut nemo remanſurus ſit infidelis & impius, ignorant ſcripturas, nec animaduertunt quis ſit huius loci ſtatus aut contextus. Prætereundos ergo arbitror, ceu amentes.

Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo.

Bona patris uoluntate moritur filius.

Dixerat modo dominus ſummum eſſe inter patrem & filium conſenſum, ad cuius expoſitionem amplíorem hæc inſuper addit, bona ſe dei patris uoluntate mori: quod item nec inuitus nec coactus, ſed ſponte & ultro impendat pro ouibus uitam: ubi & diuinitatis ſuæ argumenta quædam ſpargit, & modum aperit reſtitutionis & ſalutis noſtræ. Nam hæc omnia pertinent non tam ad expoſitionem aut illuſtrationem quàm ad confirmationem eorum quæ ſuperius per parabolam

bolam proposita sunt. Hinc certe liquet, filium bona patris uoluntate mori, quod ille, Propterea, ait, me pater diligit, quia ego pono animam meam. Eadem est utriusq; uoluntas, idem consilium in redimendo mundo. Rursus inde patet quod sponte & ultrò moriatur filius, quia dixit, Nemo tollit eam à me, &c. Quasi dicat, Quamuis multi iam insidientur uitæ meæ, ac illi ipsi non multos post dies me capient, uincient atq; occident, hæc tamen nequaquam perficerent nisi mea sponte me ipsorum permitterem libidini & morti dederem. Hoc rursus ex eo maxime eluceſcit, quod milites in horto montis oliuarum uincula inijcere conantes ualidissime prostrauit. Cæterum ultronea sua morte declarauit se bonum & fidelem esse pastorẽ. Porrò diuinitas Christi domini in eo relucet, quod diserte dicit, Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. Soli autem deo est mera in uitam & mortem potestas: eadem est ergo patris & filij potestas. Eadem probatione à uiuificatione petita usus est dominus & in quinto & sexto cap. huius historiæ. Simul autem his ipsis modus salutis ac redemptionis nostræ referatur. Nam moritur filius dei patris sui bona uoluntate propter peccata nostra, & resurgit propter uitam nostram, ut scilicet morte sua satisfaciens aboleat peccata, resurrectione autem reducat uitam & immortalitatem. Sic enim & Paulus loquutus est ad Romanos 4. & 2. Timoth. 1. cap. Cæterum totam hanc salutarem disputationem tandem hoc concludit Epiphonemate, Hoc mandatum accepi à patre meo. Quasi dicat, Et hæc est uniuersa legationis meæ in mundum ratio, hic unicus salutis ueræ modus, hæc sancta uoluntas patris, cuius iussu ago quæcunq; ago.

Christus ueram & humanam habuit animã.

Ex hoc sacrosancto euangelij loco confutari possunt non Apollinaristæ duntaxat, sed & permiscentes atque negantes in Christo distinctas naturas naturarumq; proprietates manentes, rursus separantes illas in diuisione personæ, quod feciſſe aiunt historiæ hæreticorum turbam male sanam. Obseruauit hoc diligenter Sanctus Aurelius Augustinus, cuius uerba in gratiam Lectorũ in hoſce nunc meos commentarios refero è Tractatu in Ioannem 47. Quomodo ponit animam suam dominus? ait, Fratres quæramus hoc paulò attentius. Pono, inquit, animam meam. Quis ponit? quam ponit? Christus. Quid est Christus? Verbum & Homo. Nec sic homo ut sola caro, sed quia homo constat ex carne & anima, totus est homo in Christo. Non enim partem deteriorem suscepisset, & partem meliorem deseruisset: & certe anima melior est pars hominis quàm corpus. Quia ergo totus homo in Christo, quid est Christus? Verbum inquam & homo. Quid est Verbum & Homo? Verbum, Anima, Caro. Tenete hoc, quia non defuerunt hæretici Apollinaristæ dicti, qui ausi fuerunt dogmatizare quod Christus non sit nisi uerbum & caro, & animam humanam eum non assumpsisse contendunt. Nam & aliqui eorum fuisse in Christo animam negare non potuerunt. Videte autem absurditatem & insaniam non ferendam, Animam irrationalem illum habere uoluerunt, rationalem negauerunt: dederunt illi animam pecoris, subtraxerunt animam hominis: sed illi abstulerunt Christo rationem, non tenendo rationem. Absit hoc à nobis in fide catholica nutritis atque fundatis. Et post aliquot sententias, Ponere animam, ait, mori est. Sic & apostolus Petrus domino dixit, Animam meam pro te ponam, id est pro te moriar. Carni hoc tribue. Caro ponit animam suam, & caro iterum sumit eam: non tamen sua potestate caro, sed potestate inhabitantis carnem. Caro ergo ponit animam suam expirando. Contemplare hoc in ipso domino pendente in cruce. Sitio dixit. Illi qui aderant tinxerunt spongiam in aceto, alligauerunt arundini, & apposuerunt ori eius: quod cum accepisset, ait, Perfe-

Quomodo Christus posuerit animam.

ctum est. Quid est, Perfectum est? Impleta sunt omnia quæ ante mortem futura de me fuerant prophetata. Quia & potestatem habebat quando uellet ponendi animam suam. Postquam dixit, Perfectum est, quid ait euangelista? Et inclinato capite tradidit spiritum: hoc est ponere animam. Modo hic attendat charitas uestra, Inclinato capite tradidit spiritum. Quis tradidit? Quem tradidit? Spiritum tradidit, caro illum tradidit. Quid est Caro illum tradidit? Caro illum emisit, caro expirauit. Ideo dicitur enim expirare extra spiritum fieri, quomodo est exulare extra solum fieri, exorbitare extra orbitam fieri: sic expirare extra spiritum fieri, quia spiritus anima est: cum ergo exit anima à carne, & remanet sine anima caro, tunc homo ponere animam dicitur. Quando Christus animam posuit? Quando uerbum uoluit. Principatus enim in uerbo erat, ibi potestas erat quando poneret caro animam, & quando sumeret. Si ergo caro animam posuit, quomodo Christus animam posuit? Non enim caro Christus? Ita plane & caro Christus, & anima Christus, & uerbum Christus: nec tamen tria hæc tres Christi, sed unus Christus. Hominem interroga, & de teipso fac gradum ad ea quæ supra te sunt, etsi nondum intelligenda, saltem credenda. Quomodo est enim unus homo anima & corpus, sic unus Christus uerbum & homo. Videte quid dixerim, & intelligite, Anima & corpus duæ res sunt, sed unus homo: uerbum & homo duæ res sunt, sed unus Christus. Ergo de homine quære, Vbi est Paulus apostolus? Modo si quis respondeat, In requie cum Christo, uerum dicit: item si quis respondeat, Romæ in sepulchro, & ipse uerum dicit. Illud mihi de anima, hoc de eius carne respondit: nec tamen ideo dicimus duos apostolos Paulos, unum qui requiescit in Christo, alium qui positus est in sepulchro: quamuis apostolum Paulum dicamus uiuere in Christo, eundemq; apostolum Paulum dicamus mortuum iacere in sepulchro. Nemo ergo titubet quando audit dominum dixisse, Pono animam meam & iterum sumo eam. Ponit eam caro, sed ex potestate uerbi; sumit eam caro, sed ex potestate uerbi. Et reliqua quæ sequuntur.

Dissensio igitur iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant, Hæc uerba non sunt dæmonium habentis. Num dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Dissensio. Quemadmodum ueritas & pietas ubique sibi similis est, ita mendacium & impietas ne latum quidem culmum à seipsa dissidet. Sæpius in 7. & 8. cap. contra manifestam ueritatem insurgentes illi ipsi Iudæi non modicas excitarunt turbas, unde Ioannes in præsenti, Iterum, inquit, facta est inter Iudæos dissensio siue σχίσμα, unde nimirum nostri deriuarunt schismaticum. Calumniantur impij ueritatem, & ueritatis authorem Iesum, conuitijs ipsum solitis impetentes. De quibus superius non semel dictum est. Sunt rursus ueritatis studiosi, qui constanter ueritatem tuentur, ac nobis exemplum relinquunt, ut idem faciamus in dissidijs, quæ oriri constat non è sana doctrina, sed ex peruersis animorum iudicijs. Rectissime autem ex ingeniorum & operum diuersitate colligunt Iesum non esse dæmoniacum. Exoculare enim & excæcare uidentes, dæmonum est: sed oculos aperire cæco nato, uirtutis est diuinæ.

Facta sunt autem Encænia Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat

Iesus

Iesus in templo in porticũ Solomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenue.

Memorabilis & illustris sequitur disputatio de eo instituta, quod Iesus sit Christus, id est Messias, æterni dei benedictus ille in sæcula filius. Facit hoc ad confirmationem superioris sermonis, quo docuit Iesus se esse pastorem & saluatorem, uitamq; omnium per orbem fidelium. At nulla est uera extra deum uita, nullus est præter deum saluator, qui apud Isaiã in 45. cap. clamat, An non ego dominus, & non est alius deus præter me solũ, deus iustus & saluans nullus præter me? Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ: ego sum deus & nullus ultra. Quoniam uero singularis & maximi momenti est hæc disputatio, ne quis de ipsa quicquam addubitaret, diligentissime & tempus indicatur & locus in quo facta sit, in augusto uidelicet templo Hierosolymorum, in frequenti Iudæorum corona, in festo maxime celebri, & porticu Solomonis famigerato. Hæc scilicet omnia commendant disputationis ueritatem & certitudinem. Porrò festum appellarunt Encænia, perinde ac si tu dicas Initialia siue Renoualia, à καινὸν nouum: ἐγκαινόω innouo, initio, dedico. Sacer erat apud Iudæos dies, non per Mosen institutus, sed à posteris in reparati siue renouati templi memoriam. Renouationem alij referunt ad primam illam quando redierunt ex Babylone, cuius mentio fit 1. Ezræ 6. cap. Nec sanè discrepat temporis ratio. Facta enim refertur sexto Darei anno, die 23. mensis Adar, quem Macedones Distrum uocant. Hebræorum interpretes appellant Adar lunationem duodecimam, respondentem ferè nostro Februario, qui incidit in hyemem: at Ioannes, Et hyems, inquit, erat. Alij referunt ad tempora Machabæorum, qui templum à prophanatione gentilium repurgarunt, atque deo rursum diuinisq; rebus dedicarunt die 25. mensis Kisleu, quem Macedones, Iosepho authore, appellant Apellæon, alij lunationem 10. ab æquinoctio uerno, is nostro ferè respondet Decembri. Mentio eius fit 1. Machab. 4. cap. Parum uero retulerit cuius renouationis prioris an posterioris dixeris esse memoriam, siue festum. De Porticu Solomonis lege 3. Reg. 6. cap. Quanquam certum sit porticum, cuius hic fit mentio, non illam fuisse quæ in libro Regũ describitur. Sublata enim fuit per Chaldæos. Verisimile tamen est ad imitationem templi Solomonici, non modo illud, quod sub Dareo est extructum, sed ipsum quoque Herodianum esse formatum. Paraphrastes in his non illepidam inquirit allegoriam. Dicit enim, Non deerat huic festo Iesus, innouator legis, ac noui templi, quod est ecclesia, architectus. Erat autem hyems, uidelicet tempus illorum animo conueniens, qui frigidæ legis studio non arderent euangelica charitate. Iesus igitur iam non in intimis templi uersabatur, sed inambulabat in porticu, quæ templo adhærebat, cui cognomen erat Solomonis: ut locus ipse loqueretur adesse pacificum illum, omnia conciliaturum quæ in cœlis, & quæ in terris, &c. Hic igitur inambulantem cinxerunt Iudæi, partim ne elaberetur, partim ut instantia illa sua, quasi miro discendi ueri ardore succensi, aliquid extorquerent quo ipsum caperent. Proponunt autem quæstionem talem, Quousq; animam nostram suspendis, id est, quousq; suspensos detines animos nostros? Si es tu ille Messias quem expectamus, dic nobis palàm & ingenue? Videtur quæstio resipere nonnihil humanitatis & desiderij, uerum erat, quod dici solet, melle litus gladius. Simulant enim se miro Messiæ teneri desiderio, & à domino plenius institui cupere, sed uenabantur perdendi occasiones. Atque huiusmodi sunt omnes omnium impiorum quæstiones. Illud uero

Iesus est Messias.

Encænia.

Porticus Solomonis.

Cupiunt differre dicat an sit Christus.

singularem habet emphasim, quod currenti alioqui addunt calcaria, ac dicunt, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ, dic nobis libere, palàm & ingenue, Sage vns fry vnd heyter heruß. Quasi uero quicquam hucusq; obscuri aut ambigui hac de re tradiderit.

Respondit eis Iesus, Dixi uobis, nec creditis. Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: quemadmodũ dicebam uobis, Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Differte pronunciat de rebus salutis nostræ dominus.

Modestissime respondet, ac docet nihil hactenus neglectum esse doctrina, omnem uero culpam insciticæ hærere in indiligentibus atque parum obsequentibus: interim approbat se esse Messiam, & causſam indicat Iudæis, quare id non credant. Postulatis, inquit, ut dicam libere, an sim Messias adijcitis, plus satis huc usq; suspensas esse mentes uestras. Ego uero iam olim nec obscure, nec semel dixi quis sim, lux mundi, panis uitæ, aqua uiua, legatus dei patris, filius dei, hoc est expectatus ille Messias. Quid in his quæso desideratis? An poterit hæc res explicari breuius, dilucidius, certius? Ergo quod animos uestros plus satis suspendi conquærimini, uobisipsis, hoc est, uestræ durieiei, incredulitati atque malitiæ imputate, non mihi. Ego enim strenue partes meas exequutus sum, plene & plane omni ueritate exposita: uos autem ueritatem perpetuò auersamini, nec creditis me uobis à deo missum uenisse Messiam. Porrò ne uideretur satis arroganter, imò impie sibi diuinos tribuere honores, mox ex actis argumẽtans, euidentissime & simplicissime ostendit se esse uerum Messiam naturalem dei filium. Nullum, inquit, est certius argumentum, quàm quod sumitur ex factis. Facta mea quæ sint non ignoratis. Remitto peccata, excito mortuos, libero dæmoniacos, leprosos mundo, claudos restituo integritati, cæcos illumino, omnes morbos atque languores sano, idq; facio nomine patris mei, id est in uirtute, diuina utiq; potentia. Testificantur ergo manifeste satis illa mea facta quis sim, certe filius dei, Messias uerus. Reperies idem argumentũ prolatum & 5. cap. Ioan. His tamẽ mox per correctionem planè patheticam subiungit, imò repetit quod modo dixerat, Sed uos non creditis. Insuper & causſam exponit cur non credant, Quia non estis ex ouibus meis: non habetis ingenium simplex & docile, sed hircinũ, id est durum, uarium, petulcum, corruptum & peruersum, quod non sinitis uobisipsis purgari atque restitui. Atque hic repetit descriptionem ingenij ouium Christi, idq; ex superioribus. Oues meæ, inquit, uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Tria enumerat. Primum, Vocem non quamuis, sed meam audiunt: audiunt autem nõ perfunctorie & corporis auribus, sed animis potius attentissimis. Secundum, Sicut illæ uocem agnoscunt pastoris, & pastorem summa cum uoluptate recipiunt, amant, reuerentur, colunt, ita pastor uicissim eas agnoscit, recipit, curat, seruat, iustificat, sanctificat. Tertium, Non otiosæ in cœno delitescunt, nec temere uagantur per campos & syluas, uerum sequuntur pastorem, omnia inquam sua componentes ad præscriptum & exemplum pastoris, à quo solo pendent, in quem oculos perpetuò intendunt, sequentes uidelicet cœlestia & æterna, relinquentes contra terrena atque caduca. Hoc ingenium est, hi mores & instituta sunt ouium Christi. His iam oppone mores pharisæorum ac Iudæorum, ut absoluatur sententia, Vos autem uocem meam non auditis: auditis quidem auribus corporis, sed non agnoscitis auribus animi, ergo non agnoscit uos pro suis pastor ouium, non curat, non iuuat, non prouehit, adaugens uobis dona sua, ideo non sequimini eũ, sed hærentes in prauitate & duritia cordium uestrorum, sequimini potius corru-

Demonstrat Iesus se uerũ esse Messiam.

Ingeniũ ouium Christi.

ptissimos

ptissimos affectus. Hinc uero est quod nõ creditis. Hæc plenius & elegantius tam explicans quàm prosequens Paraphrastes, Vos, inquit, nec factis nec dictis meis creditis: cuius rei non sum ego caussa, sed uester animus insyncerus, minimeq; simplex. Qui simplici sunt animo nullaq; huius mundi malitia uitiato, credunt uerbis meis, ac uelut oues cognoscunt boni pastoris uocem, atque ego uicissim illas licet humiles iuxta mundum pro meis agnosco. Vos autem ideo non agnoscitis uocem meam, quia non estis de numero ouium mearum, quarum simplicitas docilis est, cum uos habeatis animos ambitione turgidos, odio fermentatos, liuore corruptos, auaritia infectos, uarijsq; huius mundi cupiditatibus uitiatos, quibus malis si repurgaretis animos uestros, nimirum audiretis & ipsi uocem meam, nec id gratuito faceretis, &c. Interim obseruandus est denuo pulcherrimus salutis nostræ iustificandi modus & ratio. Dominus ex gratia reuelat ouibus uerbum suum, oues audiunt & agnoscunt fide pastorem, agnoscuntur uicissim à pastore, à quo seruantur, quem & illæ sequuntur in omnibus.

Et ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus.

Filius per omnia æqualis patri.

Plenius, apertius & firmius ostendit se esse Messiam uerum, uerum ueri, uiui & æterni dei filium, patri per omnia æqualem, idq; iterum ex diuina potentia seu factis diuinis. Ego, inquit, do ouibus meis uitam æternam. Huic si attexas, Constat autem solum deum dare uitam æternam, colliges, Christum naturalem esse deum, utpote uitam, uiuentem, & uiuificum. Addit quod amplificet rem propositam, Nec peribunt in æternum. Nam dominus pro æterna sua potentia suos asserit ab interitu, denicq; à malis omnibus. Sequitur enim, Neque rapiet eas quisquam de manu mea. Manus filij alia non est quàm filij potentia, maiestas, cura, auxilium atque defensio. Quod si nemo eripit è potestate filij oues, manifestum est filium omnium esse potentem, tam uisibilium quàm inuisibilium. Diligens est Paraphrastes in enumerandis ijs rebus quibus satan & mundus oues Christo surripere nituntur. Verba eius si quis requirat, hæc sunt. Oues sunt simplices, innoxiæ, imbelles, omnibus huius mundi præsidijs destitutæ. In has mundus omnibus suis machinis ac uiribus insurget: sed nulla futura est tanta satanæ potestas, ut eas rapiat è manibus meis. Mundus habet pharisæorum authoritatem, sacerdotum dignitatem, habet reges armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, uirgas, secures, equuleos, exilia, mortes, & quicquid terrorem etiam constantibus animis immittere solet. Habet ex aduerso uoluptates, opes, honores, dignitates, & quicquid animos quamlibet incorruptos solet corrumpere. His omnibus machinis utitur mundus, ut extorqueat oues de manibus meis, sed me protegente, nemo poterit eas mihi subducere. Hæc ille. His adde insuper satanam cum suis tentationibus & artibus, peccata, conscientiarum tormenta, horrorem mortis, sensum desperationis adeoq; ipsos inferos: non rapient hæc oues è manibus fidi pastoris, proinde Christus omnium istorum dominus est, deus utique uerus. Habet hic domini sermo consolationis plurimum. Si enim fueris ouis Christi, si uocem eius audieris, & pastorem agnoueris uera fide Christum, agnoscet is te uicissim, recipiet te in suam tutelam, ut iam non possit nocere tibi ulla fortuna aduersa, non ipsa mundi totius potentia, non mors, peccatum, infernus aut princeps tenebrarum diabolus. Confide ergo, ô fidelis anima, in omnibus tuis tentationibus & afflictionibus. Fidelis, potens & uerax est qui di

Nemo eripit pios è manibus pastoris.

xit, Ego uitam æternam do ouibus meis, & in æternum non peribunt, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Cœlum & terra transibit, uerbum Christi non transibit, sed permanet in æternum.

Rursus ista quæ proposuit ualidius probans atque confirmans à notioribus certioribusq; ad ignotiora & magis dubia progrediens, & prope utens circuitu, Nemo, inquit, potest oues è mei patris eripere manibus. Probat hoc, Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est. Id quod per enallagen uel heterosim graduum tantum pollet, ac si dixisset, Pater meus maximus est omnium, omnium inquam potens & dominus. Inde iam colligit, Quod si nemo potest oues eripere è manibus patris, utpote omnipotentis, pari ratione nemo è manibus quoq; meis extorquebit. Probat hoc iterum, Ego & pater unum sumus. Vnum utique potestate, uirtute, subsistentia siue essentia diuinitatis. Hæretici unum hoc exposuerunt de charitate familiaritateq; mutua siue amicitia inter patrem & filium, & non de identitate substantiæ atque æqualitate potestatis: contra quos multis egit Sanctus Augustinus aduersus Maximinum Arrianorum episcopum, præsertim libro tertio, & in libro de Trinitate maxime septimo. Quod si ipsa domini uerba & cõtextum uerborum excutias, reperies dominum nihil nunc loqui de charitate & consensu mutuo patris, qualiter homines unum sumus cum patre & filio, sicuti dicitur Ioannis 17. sed de potestate diuina & æterna, in omnia & super omnia quæ sunt in uniuersitate rerum: quam in præsenti utriq; tribuit eandem ac æqualem. Nam filius de seipso loquens, Neque rapiet eas, inquit, quisquam de manu mea, mox autem de patre loquens, Nemo, ait, potest rapere de manu patris mei: eadem ergo est manus, eadem potestas utriq;, præsertim cum addat, Ego & pater unum sumus, ἓν ἐσμεν. Ponitur τὸ ἓν ἑνός absolute, cui proprie respondet unum, neutrũ uerbum, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad communionem rerum omniũ & præcipue ad unitatem siue identitatem naturæ, substantiæ, atq; potentiæ. Vnum autem dixit significanter, non unus: nec sum dixit, sed sumus. Illo percutiens Arriũ, hoc Sabelliũ. Recte ergo hoc loco usi sunt doctores ecclesiastici ac orthodoxi contra uarias hæreses. Vnum enim notat æqualitatẽ deitatis in patre & filio: Sumus personarum distantiam, quæ & illo notatur quod distincte profert, Ego & pater. Quod autem dicit dominus sibi oues datas à patre, propter assumptam dicit naturam. Alioqui enim iuxta naturam diuinam omnia quæ patris sunt etiam filij sunt. In hoc acquiescunt sancti, his credunt, ab his usqueadeo manifestis ne pilum quidem latum recedunt: prophani his licet apertissimis & purissimis non credũt, sed humana ratione seducti, prodigiosas quæstiones mouent, & euangelicam simplicitatem sua curiositate atque subtilitate obscurant. Deus aperiat ipsis oculos.

Pater & filius unum sunt.

Sustulerunt ergo rursum lapides ludæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Iesus, Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod eorum operum me lapidatis? Responderunt ei ludæi, dicentes, Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam: & quia tu homo cum sis, facis teipsum deum.

Lapidare uolunt ludæi Iesum ceu blasphemum.

Dictis hisce domini usqueadeo claris diuinitatem uindicantibus Christo, irritati ludæi, sustulerunt rursus lapides, quemadmodum & in fine octaui cap. factitarunt, ut iuxta legis præscriptum Leuit. 24. lapidibus obruerent Iesum. Contra hunc enim articulum fidei, quo confitemur Iesum esse dei filium patri coæqualem ac consubstantialem, maxime insanit atque furit satanas, cupiens illum è hominum

minum pectoribus quouis modo euellere. Quo alacrius omnibus uigilandum est pijs, & asserenda tenendaq; mordicus ueritatis confessio. Iesus occulte ipsis ingratitudinem opprobrans, peramice ac placide cum ipsis expostulat, ac dicit, Miror ego uehementer, ô uos amici & fratres mei, quid ego unquam peccarim, aut qua re offenderim uos. Malefici solent ad pœnam postulari & obrui lapidibus. Ego uero quid commerui, qui nemini nocui, sed omnibus uobis innumera præstiti beneficia, eaq; ex patre meo, id est ex potentia mea diuina, qua eiusdem cum patre potestatis sum. Docui errantes, consolatus sum afflictos, adhortatus sum cessantes, paui famelicos, mancos restitui, leprosos mundaui, ægrotos sanaui, dæmoniacos liberaui, paralyticos & contractos erexi, febres depuli, omne malorum ac morborum genus profligaui, mortuos in uitam reuocaui, è captiuitate item ereptos libertate donaui, & nihil non feci quod rex & liberator uerus facere debui, & gratis quidem omnia feci. In his porrò omnibus quod nam est illud quod uos dignum arbitramini lapidatione? Ad hæc respondent Iudæi, Non ob benefacta insurgimus in te, sed propter blasphemiam censemus te merito lapidibus, iuxta legis præscriptum, obrui posse ac deberi. Eam autem significamus blasphemiam, qua te æqualem deo facis, cum tamen homo sis nostri similis. Adduxit hunc locũ Sanctus Cyrillus libro Thesauri sui duodecimo, cap. 15. & adijcit ei hæc, Cum saluator noster diceret, Ego & pater unum sumus, non intelligentes Iudæi à quo id diceretur, & in carnem solummodo respicientes, eum impietatis crimine accusabant, & lapidare conabantur. Id enim solum recte intellexerunt quod opinarentur deum seipsum facere illum qui dicebat, Ego & pater unum sumus. Meliores igitur Iudæi Arrianis uidentur, quippe qui, quoniam Christus dixit, Ego & pater unum sumus, hoc admisso uiderunt necesse esse Christum deum uerum & æqualem patri concedere. Quomodo enim unum potest esse cum deo uero (loquitur iuxta diuinam naturam) si creatura est filius? Secundum ergo naturam deus uerus est, & unum cum patre. Hæc ille. Et certe diligenter obseruandum uidetur quod aiunt, Quia tu homo cum sis facis teipsum deum. Vere enim hoc dicunt, etiamsi non intelligerent quod dicebant. Christus enim uerus est homo, idem quoq; deus uerus.

Iudæi Arrianis meliores.

Respondit eis Iesus, Nónne scriptum est in lege uestra, Ego dixi dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit, & misit in mundum, uos dicitis me blasphemare, quia dixerim, Filius dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: sin uero facio, & si mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quod pater in me est, & ego in eo.

Mire temperat suam responsionem dominus, ne furorem aduersariorum irritaret amplius: ita uero depellit à se crimen blasphemiæ, ut id euidenter demonstret quod illi impugnabant maxime, se esse uerum Messiam uerum dei filium, patri æqualem, non appellatione quidem, sed natura. Est autem contextus orationis paulò obscurior impeditiorq;, qui sic uidetur illustrari & complanari posse, Si scriptura illos dixit deos ad quos sermo dei factus est, & quod scriptum est solui uel falsitatis argui non potest, quomodo uos me, quem pater sanctificauit & misit in mundum, dicitis blasphemare, eo quod dixi me esse dei filium? Porrò probationem duxit à missione sua & patris testimonio, & adaptauit suo in-

Christus est naturalis dei filius.

ſtituto per comparationem à minori ad maius, hoc ferè modo, Arbitramini me blaſphemaſſe deum, eò quod dixerim, Ego & pater unum ſumus, id eſt, dei filius ſum adeoq; deus ſum, nimirum deo patri conſubſtantialis & coæqualis per omnia. Cæterum ſi obſeruetis quomodo loquatur ſcriptura ſancta, deinde conferatis & expendatis diligenter quod ego ſum loquutus, deprehendetis nihil me in diuinam peccaſſe maieſtatem. Ante omnia in confeſſo & receptiſſimum eſt apud omnes pietatis ſtudioſos, ſcripturam ſanctam non poſſe ſolui, id eſt, indubitatam & certam eſſe ſcripturæ authoritatem, ut quæ nec fallat nec mentiatur, nec erret, nec blaſphemet deum. Nunquam enim quod in ſe eſt ſoluitur diuina ueritas, quæ in ſcripturis ſanctis prodita eſt. Reſpectu quidem noſtri ſoluitur ſcriptura, cum de eius fide & ueritate dubitatur, cum ipſam calumniamur ipſiq; contradicimus. Reuera tamen ſcripturæ authoritas irrefragabilis eſt & authentica. Videamus modo quid dicat ſcriptura. In Pſalm. 82. ſic legimus, Deus conſtitit in ſenatu deorum, in medio deorum iudicauit, Quouſque tandem iudicabitis inique? Vindicate pauperem & pupillum. Nil norunt, nil intelligunt, concuſſa ſunt fundamenta terræ. Dixeram quidem, Vos dij eſtis, & uos omnes filij excelſi: ueruntamen omnes ſicut homines moriemini, &c. En ſcriptura uocat homines in ſenatu ſiue magiſtratu conſtitutos, deos, nec uidetur blaſphemare deum. Quid uero cauſſæ eſt obſecro, quod ſcriptura homines mortales appellat deos? Quia ſermo ſiue uerbum dei ad ipſos factum eſt, id eſt quia commiſſionem habent à deo. Nam certum eſt magiſtratum inſtitutum eſſe à deo, ac per ipſum exequi deum in terris iudicium & iuſtitiam. Proinde hoc nomine dij appellati ſunt iudices, quia ab ipſo deo inſtituti, dei officiales ſunt, per quos operatur deus, bonos quoſque defendens, in peſſimos animaduertens. Iam ex comparatione ſic colligit dominus Ieſus, Si nec debet nec poteſt ſolui ſcriptura, quæ tamen iudices homines, appellat deos, cur obſecro ego deum blaſphemare uideor, qui dico me eſſe dei filium, me inquam quem pater ſanctificauit & miſit in mundum: ac ijs rebus manifeſte declarauit me eſſe uerum & naturalem ſuum filium? Iudices dij dicuntur, quia ordinatione dei conſtituti, & certis ceremonijs inaugurati ſiue initiati, ac ſuo quodam more conſecrati ſunt, ut exequantur & faciant opera dei. Multo iuſtius ego profiteor me eſſe non appellatione, ſed reuera hoc eſt natura dei filium, patri æqualem. Pater enim me miſit: ego ex deo proceſſi & ueni, ſicut è ſole radius, fulgor è lumine, calor ex igne, riuus è fonte, lumen ex lumine, deus uerus è deo uero. Inauguraſſe uit præterea, & ſanctificauit me deus pater. Sanctificatio illa fuit declaratio diuinæ naturæ. De qua differui copioſius in Matth. cap. tertio, & Ioan. cap. primo. Videtur enim dominus alludere ad præclarũ iſtud patris teſtimonium, quo præſente Ioãne, teſtabatur hunc Ieſum eſſe prædilectum dei filium, apparente interim & ſpiritu ſancto in ſpecie columbæ. Sed & Paulus ad Romanos 1. ex ſpiritu ſanctificationis colligit Ieſum eſſe dei filium. Ad hæc omnia inſuper accedunt opera, quæ iſta quæ hactenus dicta ſunt ſuffulciunt. Ea opera quæ ſint, liquet ex ſuperioribus, præſertim 5. 6. 8. & 10. hoc cap. Vocat autem ea, patris opera, id eſt diuina opera. Non enim ideo patris appellantur opera, quod ea filius non faciat, ſed quod ex ea potentia & uirtute, quam communem & æqualem cum patre habet, ea faciat. Si, inquit, non facio talia opera, qualia nemo hominum patrare poteſt, ſed ſolus deus, nolite credere mihi. Quod per conceſſionem dixit. Nam addit mox membrum oppoſitum., Sin autem diuina opera facio, interim inuidia ac nominis mei odium uos impedit, quo minus mihi credatis, âge ſi non propter me, ſaltem propter opera mea mihi credite & uiuite. Quid autem

Scripturæ authoritas.

Operibus probat ſe deum eſſe dei filius.

tem uult credi? Iam tandem illatione quadam colligit summam totius disputationis, & ait, Vt cognoscatis & credatis, quod pater in me est, & ego in eo. Id quod perinde est, ac si dixisset, ut credatis quod hactenus docui, quod uos impugnatis, nempe quod ego & pater unũ sumus, uel quod filius dei, uerus scilicet deus sum, patri per omnia æqualis & consubstantialis. Nam hæc omnia æquipollere, licet e toto huius disputationis contextu colligere. Nemo autem cogitet filium in patre uel patrem in filio ita esse, quemadmodum crasse fingebant prisci illi ac stupidi hæretici, quos appellarunt, à Græcis petito uocabulo, Metangismonitas. De quibus in Hæresibus suis Sanctus Augustinus, Metangismonitæ, ait, dicuntur, qui Metangismon asserunt, dicentes, Sic esse in patre filium, quomodo uas in uase, quasi duo corpora carnaliter opinantes: ita ut filius intret in patrem tanquam uas minus in uas maius. Vnde & tale nomen hic error accepit ut μεταγγισμὸς Græce diceretur, quasi tu dicas transuasatio. Addit Philastrius in suo Hæresẽῶν catalogo, Ignorant quid asserant, cum saluator non dixerit filium in patrem intrare, sed æqualitatis causſam in diuinitate & potentia docuerit, non introitum aut continentiam, ut imperiti æstimant. Et sanè uoluit dominus uerbis humanis ineffabile illud mysterium unitatis patris & filij sic effari, non significare immanentiam aut localem coniunctionem. Deus enim est extra tempus, locum & omnem alterationem. Huius generis repetet quædam & in 14. cap. ipse dominus. Hactenus uero manifeste euicit dominus se esse uerum Messiam & naturalem dei filium; quod totius huius disputationis caput ac summa est. Asperguntur his tamen loci non aspernendi, nempe, Scripturam sacram esse authenticam, irrefragabilis authoritatis, certam & indubitatam, de qua non oporteat ambigi, aut quæstiones de eius certitudine moueri. Certissimam enim esse constat. Sacrilegium ergo fuerit de ipsa dubitare, ipsam corrumpere aut calumniari. Indicatur magistratum esse ordinationem dei, & hunc honorandum esse atque religiose obseruandum propter deum qui ipsum suo nomine dignatus est exornare, &c.

Pater in filio, & filius in patre.

Quærebant eum iterum apprehendere, & exiuit de manu eorum. Et abijt iterum trans Iordanem in eum locum, ubi fuerat Ioannes baptizans primum, manſitq; illic.

Nulla ualebat apud insanos ratio. Reperit autem semper ingratos Hierosolymorum ciues Iesus, unde ipsos non semel reliquit, quemadmodum nunc quoque facit. Elapsus enim fertur ex manibus hostium, eo nimirum modo quo superius non semel fuerat elapsus. Turpe autem illud est, quod cum rationibus non possent ipsius argumẽta dissoluere, ad uiolentiam, uincula & lapides conuertuntur, quibus ipsum intercipere cupiunt. Transmisso uero Iordane rediit ad eum locum ubi Ioannes primum cœperat prædicare, uel in Bethabara, uel certe in Aenon iuxta Salim, atque ibi hæsit ad tempus, nimirum ut sua præsentia memoriam testimonij Ioannis Christo præstiti refricaret & plurimos pertraheret ad Iesum mundi saluatorem, id est ad seipsum.

Fugit ab impijs Iesus.

Et multi uenerunt ad eum, ac dicebant, Ioannes quidem signum ædidit nullum. Omnia autem quæcunq; dixit Ioannes de hoc, uera erant. Et crediderunt multi illic in eum.

Oues reperit Christus.

Nec defuerunt suo pastori oues fideles. Multi enim crediderunt in Christum: partim doctrina Ioannis huc impulsi, partim signis Christi conuicti, maxime uero spiritu attracti. Noluit deus ulla per Ioannem signa fieri, nimirum ne nimium ipsi tribueret plebs. Docere ac testari modo uoluit. Signis autem atque miraculis uoluit ipsum suum filium inclarescere. Sic ergo iam colligunt oues Christi, Ipsa rei ueritate & experientia docti, plene nunc intelligimus Ioannem nõ fuisse Christum, sed Christi præcursorem, Iesum autem esse Christum, cui ille testimonium dedit, hunc uidelicet esse dei filium, stupendarum rerum patratorem & saluatorem mundi: nunc enim quantus sit Iesus, & quod uera de ipso testificatus sit Ioannes, liquido cernimus. Atq; ita recipientes Christum credunt in ipsum.

Demonstrauit hic liber mirifico Iesu Christi opere, Iesum esse lucem orbis, qui uenerit illustrandis omnibus hominibus & discutiendis peccatorum tenebris. Ostendit quàm exosa sit hæc lux filijs tenebrarum, quomodo sese opponant exurgenti luci: rursus quanta simplicitate fide & constantia filij lucis, lucem hanc profiteantur, exosculẽtur atq; tueantur: quorum conatus ut fideliter iuuet dominus, ita aduersariorum strenue cõturbet. Expositit item idem hic liber Christum illum in prophetis esse promissum pastorem, qui ex Iudæis & Gentibus sibi ecclesiam, oues uidelicet fideles atque obsequentes, adiunxerit, quibus conferat uitam æternam: quippe cum uerus sit & uiuus, ueri & uiui dei patris, filius, patri per omnia coæqualis, eiusdem uidelicet substantiæ atque potestatis. Cui gloria semper.

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER VI.

HACTENVS *magna & diuina audiuimus, sequentur porrò maiora propemodũ ac diuiniora, ante omnia resuscitatio per Christum Lazari iam quatriduo in sepulchro positi et fœtẽtis. Appetebat ultima Christi domini dies, quo se pro salute hominum deo patri in odorem bonæ fragrantiæ offerret. At quo propius ad mortẽ peruenitur, hoc illustrius depromit se uis & fructus mortis dominicæ. Certè sexto hoc ultimo signo siue miraculo suo demonstrat dominus manifestissime se uitam esse totius mundi, qui quanquam in cruce moriatur, credentium tamen animas in morte seruare, & mortuos excitare possit. Hoc autem cum carni ac rationi humanæ difficile sit creditu, tractatur historia hæc & copiosè & exactè, adde et euidenter, ut ipse coram omnia inspicere putes. Informatur interim in Martha & Maria fides nostra, qualis esse debeat. Vniuersa autem historia confirmantur animi sanctorum contra metum mortis, mitigatur adeoq; tollitur scandalum crucis, & indicatur caussa odij & inuidiæ sacerdotum siue senatorum populi Izraëlitici, qua excæcati de occidendo Christo consultant. Consultatio ea paucis sed euidentibus perstringitur. Huc iam pertinet conuiuiũ in Bethania celebratum, cuius descriptione caussa ostenditur qua impulsus Iudas sacerdotibus Iesum uendere atq; prodere statuit. Per cætera prosequitur Ioannes reliqua quibus gloria & uirtus Christi subinde clarius atq; clarius emicuit atq; illuxit populo Izraëlitico: in primis quod urbem regia ingressus pompa, declarauit se illum esse regem & liberatorem populi dei, quem prophetæ futurum prædixerunt. Dolebat id Pharisæis, qui magnitudine potentia & euidentia rerum Christi adobruti de rebus suis desperare coguntur. Adhæc accedit illud quoq; quod Græci siue gentiles Hierosolymam Iesu uidendi salutandiq; gratia ex remotissimis oris ueniunt. Qua ex re occasionem accipit dominus dicendi de morte sua, de fructu eiusdem, & consequente mortem mox insigni & longe maxima gloria. Orat item ut pater illustret gloriam suam. Fit oraculum cœlitus ad preces domini respondens. Dominus inde rursus clarissime docet quis ex morte ipsius ad fideles rediturus sit fructus. Cum autem ex his quæstionem moueret turba, de æternitate Messiæ, hic ad fidẽ adhortatur. Iudæi nihilominus in incredulitate pergunt, id quod Ioãnes Isaiam prædixisse demonstrat. Cæterum ad confirmandos infirmos in fide, uehementissimum habet sermonem dominus, quo etiam suæ doctrinæ, hactenus publice propositæ, epilogum contexit.*

Aegrotabat autem quidam nomine Lazarus Bethanienſis à caſtello Mariæ & Marthæ huius ſororis. Maria autem erat ea quæ unxit dominum unguento & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus ægrotabat. CAP. XI.

Diligentiſſime tractantur huius hiſtoriæ ſiue miraculi circumſtantiæ, & ante omnia quidem indicatur quis fuerit hic reſuſcitatus, nimirum ut ueritas hiſtoriæ probe conſtaret. Nomen reſuſcitato erat Lazarus, quod alijs uidetur idẽ eſſe cum eo quod appellant Eleazarus: patria Bethania. Sorores Maria & Martha. Et quia plures fuiſſe Marias fides euangelica habet, certiſſima nota hanc ab alijs omnibus diſtinguit, Hæc, inquit, Maria illa erat quæ unxit dominũ unguento &c. id quod per anticipationẽ dicitur. Mox enim in 12. cap. unget. Ita ergo hic dicitur unxiſſe dominum, ſicuti Iudas prodidiſſe Chriſtum Matth. cap. 10. De ſororibus illis legis etiam Lucæ 11. cap. Par certè fuit religioſiſſimarum mulierum. Harum frater, ait hiſtoricus, ægrotabat, quod huius hiſtoriæ initium eſt. *Lazarus quis.*

Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas, ægrotat. Audiens autem Ieſus, dixit, Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Diligebat autem Ieſus Martham & ſororem eius & Lazarũ. Vt ergo audiuit quod ægrotaret, tum quidem temporis manſit in eodem loco duobus diebus.

In morbo recurrũt ad Christũ.

Libet totam hanc historiam perspicuitatis gratia in tres interstinguere partes. Prima enarrat quid actum sit à domino priusquã profectus à Iordane Bethaniam peruenerit. Principio mittitur honesta à fidis sororibus ad Christum legatio, quæ exponeret singularem decumbere Iesu amicum. Nil præterea addebatur aliud, nil præscribebatur domino, satis enim putabant nunciasse amanti benefico ac sapienti quid rerum ageretur & in quo uersarentur discrimine. Sorores fratri charitatis officium præstantes, relinquunt nobis exemplum pietatis & humanitatis, quam exhibeamus ægrotis nostris. Præterea docent nos in omnibus nostris necessitatibus proxima accurrere ad Christum, qui omnes nos diligit impensissime, cui non est quod præscribamus quicquam, nouit ille quando subueniat & quibus sit opus. Iesus respondet hunc morbum accidisse Lazaro ut per eius occasionem illustretur gloria dei. Idem ergo repetitur quod & in cap. 9. dictum est de cæco nato.

Scopus huius historiæ est gloria Christi.

Simul autem indicatur quis sit status, quis finis huius miraculi, gloria Christi, qui quoniam breui moriturus erat, ne quem ignominia crucis offenderet, prius declarari oportuit eundem esse uerum & glorioſum dei filium, uitæ & mortis dominũ, imò qui moriendo omnes credentes uiuificat. Infirmitas hæc, inquit, nõ est ad mortem: non quod neget Lazarum moriturum, uere enim moriebatur, sed ad resuscitationem potius respexit. Proinde morbus hic Lazari ad mortem quidem erat, sed quoniam mox resuscitabatur, & non manebat in morte, sicut cæteri homines, iccirco dicitur à domino, Infirmitas hæc non est ad mortem. Excitabitur enim mea opera et uirtute, qua re glorificabor. Ex eo enim opere omnes colligent me esse uerum uiui dei filium, uitam et uiuificatorem credentium. Sequitur enim sub finem miraculi, Et multi ex Iudæis, qui uiderant quæ fecerat Iesus, crediderunt in eum.

Eadẽ patris & filij gloria.

Et certe liquido demõstratur in hoc dicto Christi, Iesum esse filium dei, & eandem esse patris & filij gloriam. Diserte enim dicit, Infirmitas hæc est pro gloria dei: & mox addit, Vt glorificetur filius dei per eam. Si est pro gloria dei, & filius dei per eam glorificatur, filius ergo dei deus est, & eadem est patris & filij gloria. Proinde in 5. cap. dixit, Omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Sequitur, Diligebat autem Iesus Martham &c. Dilexit Iesus, inquit, totam istam domum atq; familiam, nimirum pietatis studiosissimam. Monuit id historicus ne nobis indignum uideretur si quando boni ueræq; pietatis cultores huius mundi calamitatibus affliguntur, deo ueluti dissimulante: uel quia sic expedit eis qui patiuntur, uel quia sic conducit ad illustrandam dei gloriam. Non quod deus (ut egregie dicit Paraphrastes) humanis malis procuret suam gloriam, sed quod mala quæ nobis iuxta conditionis humanæ legem casũue obueniunt, uel in nostram salutem uel in suam gloriam hominum caussa uertere soleat. Videmus præterea mores Christi ubiq; in sancto eius euangelio suaues esse, ac ipsum perhumanum nullibi se Stoicum exhibere monachum. Quare nihil dubitamus Anabaptisticum illum seuerum ac hypocriticum spiritum tam alienum esse à spiritu Christi, quàm monachorum simulata sanctitas aliena est à Christiana synceritate & integritate. Christus dei filius syncere coluit amicitiã et pure amauit optimos quosque. Porrò nõ statim profectus est posteaquam nunciassent decumbere amicum, sed eodem in loco biduum adhuc commoratus est, in quo Ioannes olim baptizarat. Faciebat hoc ad miraculi euidentiam. Moriebatur enim interim Lazarus et sepeliebatur, quem mox maiore cum gloria excitabat. Docuit præterea patientiam & perseuerantiam in bono opere & in omnibus afflictionibus, ne uidelicet desperemus si non protinus tulerit inuocatus auxilium dominus. Certò nunquam deerit suis inuocantibus in ueritate. Addit Paraphrastes, Non negligebat amici pe-

Humanitas Christi.

riculum

riculum, sed expectabat copiosius argumentum ædendi miraculi, quo simul ipse mox moriturus discipulorum adhuc imbecillium animos ad spem resurrectionis erigeret.

Deinde post hoc dicit discipulis, Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli, Rabbi, modo quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Respondit Iesus, Nónne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi uidet. Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.

Carnis imbecillitas.

In discipulis Christi adumbratur carnis nostræ stupiditas infirmitasq; hæsitantis subinde & metuentis ac ita ab ijs abstrahentis nos quæ faciunt ad illustrandam dei gloriam. Non ignorabat dominus metum suorum, attamen ut eliceret, quod ipsi contegebant, nudaretq; morbum, et detectum curaret, hoc est omnibus nobis eximeret metum, & fortitudinem in rebus bonis insereret pectoribus nostris, ait, Eamus rursus in Iudæam. Discipuli ergo quoniam uehementer metuebant mortem & abhorrebant à periculis, dehortantur Iesum à repetenda Iudæa ac dicunt, Domine, num excidit tibi quod ante paucos dies illic Iudæi te lapidaturi fuerant, nisi te subduxisses? Quod si rursus eò proficiscéris, certè aperto temet obijcies periculo. Huic discipulorum pauori medicans dominus, Principio quod me, inquit, attinet, cuius uitæ metuitis, nihil adhuc est periculi, cum nondum adsit dies mortis meæ. Dies habet suas horas, nec is nostro arbitrio breuior fit aut longior: & ego tempus habeo præscriptum quo debeam redimendi orbis negotium peragere. Id Iudæorum malitia non potest anticipari, proinde nihil est quod mihi timeatis. Videtur autem prouerbiali figura dictum esse, diem habere horas duodecim. De Horis disputauit Eras. in Annotat. à quo si quis uidere cupiat, requirat. Consolatur id nos maxime, quod hinc intelligimus neminem homini ante tempus nocere posse. Atqui non est tentandus ideo dominus. Deinde quod uos attinet, ait, non est quod quicquam uobis metuatis, quibus bona est causa & qui mihi adhæretis qui sum lux mundi. Atq; hoc eleganti exprimit & ornat allegoria siue parabola. Quisquis inquit ambulauerit in die, non inpingit, siquidem præstat hoc illi sol conspectus ut uideat uitetq; pericula. Et quisquis habet causam iustam & bonam, quisquis mihi confidit & in me respicit, non impingit, non formidat. Nam ego qui lux sum mundi, illi præluceo, iustitia ipsum seruat necubi impingat & cadat. Rursus, quisquis sublato sole ambulat in nocte, impingit, eo quod luce careat. Quisquis me præterito & neglecto res suas iniuste agit, in me non credit, meum spiritum & imperiũ non sequitur, impingit, cadit, interit. Solus enim ego qui sum lux mundi, seruo & ab interitu uindico mortales. Proinde uera animi fortitudo oritur ex fide in Christum, metus discutitur & è pectoribus nostris eximitur studio pietatis.

Quomodo metus excutiatur.

Hæc ait, & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, at illi putauerunt quod de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste, Lazarus mortuus est: & gaudeo propter uos, ut credatis quod non fuerim ibi. Sed eamus ad eum.

Hæc ait, hæc attulit ad tollendum metum & erigendum animos consternatos

confirmandumq́ trepidantes: deinde uero dicit eis ea quæ sequuntur, quibus uidelicet exponit causſam profectionis ſuæ, præparans diſcipulorum mentes ad cõtemplationem maximi miraculi. Lazarus, inquit, amicus ille noſter & omnium bonorum, dormit, ſed uado ut excitem ipſum à ſomno. Dormiendi uocabulo pro moriendi uſurpauit dominus, non quod negaret Lazarum uere eſſe mortuum, ſed mortem ueram ex conſequenti uocauit ſomnum. Quemadmodum enim qui dormit, mox excitatus uigilat: ita Lazarus quidem uitã uere depoſuit, ſed iubente domino eãdem protinus recepit. Receptiſſimum eſt ſcripturæ ſomnum appeliare mortem, non tam ob id quod ſomnus mortis imago eſt, quàm quod reſurrectionis ſpes ita nobis adumbratur & ueluti ſpectanda proponitur. Plura hac de re alibi diſputauimus. Cæterum aperit ſe in Chriſto non uulgare diuinitatis argumentum, cum nihil ignorat. Priuſquam enim quiſquam Lazari mortẽ nunciaſſet, ipſe mortuum eſſe indicat diſcipulis. His uero nõ intelligentibus iſta de morte Lazari eſſe dicta, nam de ſomno uulgari dominum loqui arbitrabantur, inde quoq́ occaſionem decerpunt dehortandi ne Hieroſolymam proficiſcatur dominus. Adhuc enim pro ingenio infirmæ carnis trepidabant uel ad nomen Hieroſolymorum, Domine, inquiunt, ſi dormit, non eſt quod Hieroſolymam proficiſcaris. Putatur enim uulgo in ægrotis ſomnus redituræ ſanitatis eſſe argumentum. Ad hæc Ioannes pro more hiſtorico adjicit quod ſenſum aperiat, Dixerat autem Ieſus, inquit, de morte eius &c. Ieſus quem nihil latebat rerum occultarum, iam ſeſe pleniſſime planiſſimeq́ explicans, Lazarus, inquit, mortuus eſt. Hinc præparans diſcipulorum animos ad fidem miraculi, Gaudeo, inquit, ueſtro omnium nomine, quod tanto à Bethania abfuerim itinere: ſic enim non modo uos intelligetis, ſed totus mundus cernet, miraculum omni dolo & impoſtura carere, confirmabiturq́ fides ueſtra in me non uulgariter. Proinde ſenſus uerborum Chriſti non is eſt, qui primum intuenti uidetur, quaſi dominus credere illos uoluerit quod non fuerit in Bethania. Nam, Vt credatis, abſolute ponitur, nempe, ut credatis & firmius quidem credatis in me uitam & uiuificatorem ueſtrum. Quare? Quia non fuerim ibi, id eſt, quod ille uere mortuus eſt, unde uere reſuſcito ipſum à mortuis, caretq́ omni dolo malo miraculum. Hunc ſenſum plenius reddens Paraphraſtes, Gaudeo, inquit, quod illic non adfuerim, dicit dominus, dum amicus ægrotat & moritur, idq́ ueſtra cauſſa, ut ueſtra fiducia, quam adhuc imbecillem uideo, confirmetur euidentiore miraculo. Etenim ſi me præſente conualuiſſet ægrotus, poterat caſus uideri. Si recens defunctum interpellantibus ſororibus excitaſſem, Phariſęi, qui nihil non calumniantur, cauſſari poterant, ſtuporem fuiſſe non mortem. Nam id accidit aliquoties in morbis nonnullis, ut corpora multis horis conſopita, reuiuiſcant: nunc cum mors ſit certa, copioſius erit argumentum credulitatis. S. Auguſt. Tractat. in Ioan. 49. alium ſenſum ſecutus dicit, Gaudeo propter uos ut credatis, quia non ibi eram: ut iam inciperent admirari, quia dominus potuit dicere mortuum, quod nec uiderat nec audierat. Prior tamen ſenſus uidetur paulò eſſe ſimplicior. Porrò gaudet ob fidem noſtram dominus, quemadmodum idem triſtatur & luget ſortem & cæcitatem pereuntium. Fuit enim homo uerus & generis humani amantiſſimus. Tandem omnes hortatur ut itineris comites ſecum proficiſcantur. Dicit enim, Eamus ad eum, Lazarum uidelicet, Bethaniam.

Mors ſomnus.

Miraculum omne impoſtura caret.

Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad diſcipulos, Eamus & nos ut moriamur cum eo.

Dixit

Dixit hoc Thomas uel ex animi impatientia, quemadmodum & obmurmuratores Izraëlitæ clamabant se ductos esse in desertum ut perirent & mactarentur. Quasi dicat, Quandoquidem semel perire statuit Iesus, iungamus nos illi, ut unà pereamus cum ipso, quo semel liberemur metu graui & ingẽtibus istis calamitatibus. Certo enim certius ita proficiscimur excitaturi mortuum, ut in hac ipsa excitatione nobis sit occumbendum & moriundum. Vel certe ex magnanimitate sic loquitur, & relinquit nobis constantiæ & alacritatis exemplum, quo uidelicet etiam ipsi sponte commoriamur domino, ipsa quoq; re præstantes quod pollicemur uerbis. Petrus magnifice & splendide pollicebatur uerbis, re nihil præstabat.

Venit itaq; Iesus & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam ferè stadijs quindecim: multiq; ex Iudæis uenerant ad Martham ac Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

Hactenus primam huius historię partem tractauimus, sequitur nunc secunda, qua eleganter describitur quid proxime Lazari excitationem præcesserit, colloquium memorabile domini & Marthæ, domini rursus & Mariæ, in quo maximus est fructus. Ad miraculi euidẽtiam illud pertinet, quod ueniens Bethaniam dominus reperit Lazarum quatriduo iam sepultum. Cui accedit et loci distantia. Aberat, inquit, Bethania ab Hierosolymis stadijs plus minus quindecim. De stadio annotaui quædam ex Plinio in cap. huius historiæ 6. Inde uero occasio erat, quę fecit, ut miraculum plures haberet testes ac spectatores. Siquidem ob loci uiciniam complures eò confluxerant ex Hierosolymis, nimirum officij gratia ut consolarentur sorores de fratris decessu. Nam familia hæc & opulenta erat & existimationis apud omnes maximæ. Interim uide diuinum consilium admirandum, quod hunc sibi delegit locum in quo maximum per Christum designaretur miraculum, ut uolentibus nolentibus pharisæis, ipsum factum uere diuinum clamaret atq; testaretur Iesum esse dei filium. Commendat autem nobis exemplum Iudæorum ex urbe Bethaniam uenientium atq; lugentes consolantium, officia charitatis & humanitatem. Nam et Paulus ad Romanos, Gaudete, inquit, cum gaudentibus: flete cum flentibus. Rom. 12.

Martha ergo ut audiuit quod Iesus uenisset, occurrit illi, Maria uero domi desidebat. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quod quęcunq; poposceris à deo, daturus tibi sit deus.

Occurrit Martha Iesu.

Singula huius historiæ admiranda temperantur dei prouidentia, quo miraculum pluribus innotescat ac plurimum fidei apud omnes inueniat. Martha prosedulitate sibi ingenita obambulans & haud dubie res domesticas curans, audit à quopiam aduentare Iesum ac iam nunc in suburbanis adesse, occurrit itaq; aduenienti, & colloquio dat initium, quo uidelicet usum, fructum atq; finem huius historiæ explicat dominus. Porrò Maria domi desidet, non temere neq; citra rationem iustam ac utilem. Mox enim & ipsa Christo occursura ingentem populi uim secum eductura erat ad spectaculum ceu testes miraculi, quæ fortè non nisi propter Mariam festinantem exiuisset, sicuti mox copiosius docebo. Martha non sedulitatis modo, sed & ueræ pietatis typum gerens Christo iam occurrit, quæ hucusq; omnia humanitatis & charitatis officia in fratrem cõtulerat, ut iam gemina illa radiet dilectione, dei uidelicet & proximi. Vide autem quanta cum religione &

Quomodo exceperit Iesum Martha.

reuerentia dominum Iesum excipiat. Protinus atque audit aduentare illum, nihil tardat, non alia præfert ipsi negotia, sed exilit protinus & uenienti occurrit. Vbi accessisset propius, nihil agit ex animi impotentia, non obmurmurat, non execratur, non obiurgat quod ad primum nuncium uenire distulisset, non eiulat muliebriter, & præ doloris impatientia decidit & uolutat se in puluere, non crines euellit & laniat genas, sed mira cum modestia & tolerantia sortem suam deplorat apud Iesum magistrum fidelissimum. In eo tamen fidei suæ imbecillitatem prodit quod dicit, Domine nisi hinc abfuisses frater meus non esset mortuus. Nam facile morbum dicto depulisses. Equidem Christus corpore suo absens non minus potens est in omnibus quàm præsens. Id quod declarauit in puero Centurionis apud Matth. in 8. & in reguli filio apud Ioan. in 4. cap. Idem in diem imò in horas & momenta declarat quid possit nunc in cœlis, corpore quidē terris absens, sed nihilominus diuina sua uirtute præsens, & omnes sibi credentes conseruans. Interim non omnem spem prorsus abijcit Martha, Scio enim, inquit, quod quæcunq; à deo poposcoris, nihil tibi sit negaturus. Nondum intelligebat plenè diuinitatem Christi Martha, & quod ipse per suam uirtutem atque potentiam præstare potest poscentibus quod ab ipso petitur. De Christo ergo iudicat sicut de eximio dei amico cuius precibus hic nihil neget. Nos uero credere oportet Christum de suo nobis omnia præstare. Nam filius est in cuius manu sunt omnia. Quod per nomen Christi omnia à patre postulamus, & ille iuxta assumptam naturam orat pro nobis, dispensationis est illius admirandæ salutis nostræ. Porrò imitandum nobis proponitur exemplum illud salubre fidelis Marthæ. Occurrendum enim & singulis nobis, in diem ad nos uenienti Christo: occurrendum autem fide pura, pœnitentia syncera & precibus ardentibus. Fides bene sperare iubet, excitat cor in deum, deo affigit ceu benigno patri, potenti domino & supremo bono, clementi & longanimi, qui mortem peccatoris nolit, sed conuersionem potius & incolumitatem. Pœnitentia uitæ innouationem habet, cōfessionem peccati atq; dolorem iustum. Preces petunt et supplicant, idq; per nomē Iesu Christi; per cuius meritum audit nos pater.

Christus corpore absens nihilominus est præsens.

Dicit illi Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quod resurget in resurrectione, in nouissimo die.

Dominus nihil respondet Marthæ ad sermonem de precibus ad deum fundendis, sed propria sua uirtute promittit uitam & resurrectionem Lazaro sepulto. Quasi dicat, Existimas me ut hominem pium deiq; amicum facile impetraturum à deo quicquid uoluero, etiam sepulto fratri tuo uitam: ego uero polliceor iam tibi quod frater tuus resurget, idq; facio ex ea potestate & uirtute quam cum patre communem siue eandem habeo. Cæterum quod non palàm edicit, Ego resuscitabo, sed Resurget, modestiæ tribuendum est & humilitati quam ubiq; docet dominus. Porrò Martha non ausa nunc & in præsenti tantam sperare salutem, necdum intelligens perfecte uirtutem & gloriam Iesu Christi filij dei, Scio, inquit, quod reuicturus & resurrecturus sit frater meus Lazarus, sed in die nouissimo, quando omnis caro resurget. Vnde colligere possumus semper inter Iudæos creditam esse carnis resurrectionem, quæ tam manifesta habet in lege & prophetis testimonia, maxime in Psalm. 16. Iob. 19. Isaiæ 26. Ezech. 37. Danielis 12. & in multis alijs locis. Impuri ergo spiritus & mendacis diaboli organa fuerunt Valentinus, Appelles, Colorbasus, Martion, Marcus, & reliqui ipsorum socij, qui negarunt

Semper credita carnis resurrectio.

runt resurrectionem carnis nostræ.

Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.

Christus Iesus est uita & resurrectio credentium.

Clarius nunc se exponens dicit se nõ tantum posse precibus impetrare uitam, sed ipsum sese uitam esse met omnium uiuẽtium, deum utiq; uiuum, qui & è mortuis excitare, & in uita conseruare possit. Id quod manifeste facto uerbis iuncto approbat, resuscitans uidelicet Lazarum, ac his uerbis suis & facto illo suo proprio demonstrans atq; declarans quod sit filius dei uiui uita & salus credentium. Quæ certe breuis summa & sanctissimum est totius euangelij compendium, dignum multis modis quod omnibus inscribatur columnis, parietibus, in primis autem hominum animis & cordibus. E breui quoq; hac sentẽtia liquide colligitur totus fructus usus & finis totius huius historiæ de resuscitato Lazaro. Principio proponit summam rei, deinde hanc diducit & exponit per partes. Sũma rei totius est, Christus Iesus est resurrectio & uita, sua uidelicet natura: quemadmodum 1.3.5.6.8. & 10. cap. patuit. Diducit id in resurrectionem ac uitam corporis & animæ. De resurrectione enim uitaq; corporum loquens, Qui credit in me, inquit, etiamsi mortuus fuerit uiuet. Moriendum semel nobis omnibus, sed ex mortuis suscitat Christus ad uitam beatam. Tametsi ergo sepeliatur & computrescat corpus hominis, non tamen deperit, sed resuscitatur Christi uirtute in extrema die ut uiuat. Quod si hæres adhuc & rei nouitatem miraris aut modum quæris, en exhibeo tibi resuscitationem Lazari ueram, corporis utiq; corrupti & fœtentis, quod tamen in momento oculi ad uocem Christi restituitur, & integrum, sanum atq; incolume prodit. De resuscitatione uitaq; animæ illud posterius membrum intelligendum puto, quod sic pronunciatum est à domino, Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Viuimus omnes uita animali: quicunq; autem sic uiuunt & credunt etiam, in æternum non morientur, morte scilicet animæ. Alioqui iuxta uerbum apostoli omnibus constitutum est semel mori morte corporis. Credentes autem in æternum non moriuntur. A morte enim transeunt ad uitam: sicuti expositum est in cap. 5. Bis autem repetijt uerbum credendi dominus, nec sine magna caussa. Vnica enim fides medium est per quod uita nobis participatur. Per fidem Christus fit noster, per fidem uiuit Christus in nobis: id quod sæpe iam repetitum est. Proinde fides nobis hac domini sententia maxime cõmendatur et à quouis nostrum, qui uiuere cupimus, singulariter requiritur. Viuunt quidem & resurgunt etiam increduli & impij omnes: uerum uita ipsorum mors est, & dum resurgunt, in iudicium et condemnationem resurgunt: sicut 5. cap. expositum est. Soli autem fideles uiuunt uita felici per Christum & resurgunt ad gaudia sempiterna. Atque hoc ingens & ineffabile illud bonum thesaurumq; illum inæstimabilem parauit nobis Christus Iesus moriens pro nobis atq; resurgens. Cui laus, gloria & gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen. Quoniam uero Paraphrastes memorabilem hanc domini sententiam mira luce & elegantia expositit, subijcio nunc ipsius uerba, Iesus quo mulieris de se fiduciam & opinionem paulatim ad maiora prouehat, secq; declaret eum esse qui non solum à deo possit precibus impetrare uitam mortuo: quod & ab alijs sanctis uiris factum legebatur, sed ipsum esse fontem simul & authorem omnibus uitæ & datæ & reddendæ, nec ullam mortem metuendam ijs, qui fiduciam & spem in ipso collocassent, propterea quod etiamsi

Resurrectio corporis.

Vita animæ.

mors accideret, nihil posset lædere fonti omnis uitæ inhærentem, Marthæ respondit hunc in modum, Credis Martha quod precibus meis impetrare possim à patre meo uitam mortuo fratri tuo. Credis quod frater tuus reuicturus sit cum cæteris in nouissimo die. Verum hoc quoque debes credere, qui resurgent in nouissimo die, per me reuicturos: nec quenquam omnino uiuere, nisi dono meo: neque quenquam reuiuiscere nisi per me: non solum iuxta mortẽ corporis, quæ non magnopere formidanda est, sed iuxta mortem animæ, quæ maxime metuenda est. Et anima quæ uiuit, per me uiuit, & quæ reuiuiscit, per me reuiuiscit. Ego enim sum ipse resurrectionis & uitæ fons. Qui mihi per fidem adhæserit, etiamsi corpore fuerit mortuus tamen uiuet. Nec hoc de fratre tantum tuo dictum accipe, sed quisquis omnino mortalium fiduciam habuerit in me, non morietur in æternum, etiamsi corpus ad tempus exanime conquiescat. Tantum ille.

Credis hoc? Ait illi, Etiam domine, Ego credo quod tu sis Christus ille filius dei, qui in mundum uenturus erat.

Fides resurrectionis.

Quanquam fidem iam nũc semel & iterum repetens inculcasset, repetit tamen et inculcat iam tertio eandem, ut intelligamus fidem in confessione resurrectionis diserte abs quolibet homine requiri: uitam item & resurrectionem per fidem nobis obuenire, & fidem præcipue in hac doceri salubri historia. Nam diserte dicit saluator, Credis ne Martha hoc quod dico? Martha iam melius in fide instituta relinquit nobis absolutissimum exemplũ synceræ confessionis fidei. Profitens enim fidem suam ingenue, Etiam domine, ait, id est maxime & firmissime credo uerbis tuis, quod sis uita & resurrectio, qui animas fidelium serues & corpora resuscites mortuorum. Huic addit iam fundamentum resurrectionis & caput totius fidei Christianæ, Ego credo, inquit, te esse Messiam illum filium dei uiui, qui promissus à prophetis, ac multis iam sæculis expectatus ueneris in mundum: id est, credo te esse uerum deum & hominem saluatorem & uiuificatorem totius mundi. Hæc est catholica orthodoxæ fidei confessio, in qua perseuerant in finem usq; omnes sancti, expectantes resuscitationem huius carnis & uitam futuri sæculi. De hac confessione plura dixi Matth. 16. repetitur eadem & Ioan. 6. & aliàs sæpe. Atq; hic usus, hic finis est memorabilis huius miraculi, quod proxime mortem & ignominiam Christi præcedere oportuit, ut hinc confirmaremus fidem nostram contra scandalum crucis.

Et cum hæc dixisset, abijt & uocauit Mariam sororem suam clanculum, dicens, Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, surgit cito, & uenit ad eum. Nondum autem uenerat Iesus in castellum: sed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo & consolabantur eam, cum uidissent Mariam quod cito surrexisset & exisset, secuti sunt eam, dicentes, Vadit ad monumentum ut ploret ibi. Maria ergo cum uenisset eò ubi erat Iesus, uidens eum, accidit ad pedes eius & dicit ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

Hucusq; exposuit colloquiũ domini & Marthæ, iam uenit ad colloquiũ domini & Marię, quod quamuis breuissimũ sit, nec quicquã habeat quod non prius dictũ sit, habet tamen annexas circũstantias nec contemnendas nec inutiles et mysterio carentes:

carentes. Martha enim euocans Mariam ad colloquium Iesu, ingenium refert pie tatis & synceræ fidei, cui non satis est si bene ipsa habeat, nisi & alios inuitet ad commune bonum percipiendum. Quod Martha clanculũ euocat Mariam, suum habet mysterium de quo mox plura. Maria quæ & ipsa synceræ pietatis & fidei in deum promptissimæ ardentissimæq; typum gerit, ubi audisset aduenisse magistrũ illum exoptatissimũ Iesum, & quod ipsam accersiuisset per sororem, in medio luctu exilit læta. Neq; enim nectit moras longas fides, ubi audiuit uocationem & uoluntatem dei, sed festinat, & lẽte quidem, ut est in prouerbio, festinat, nec ad alium quàm ad Christum. Ad eum ubi ueniisset Maria, accidit ad pedes eius adorans eũ, & lugubri uoce repetit quæ soror dixerat prius, Domine si fuisses hic, potuisses uel uerbo pellere morbum fratris, qui nunc concessit ad dominum. Nec plura dixit: cum his satis esset professa quid spei collocaret in dominum. Iam ne quis miraretur Mariam exiuisse oppiduli portas ad dominum, cum prius monuerit histo ricus uenisse Iesum Bethaniam, explicat eam quæstionem & adijcit historica lege, Nondum uenerat Iesus in castellum, sed erat in eo loco ubi occurrerat Martha. Illic enim Mariam quam accersi iusserat operiebatur, locum deligens edendo miraculo idoneum, quod illinc haud procul abesset monumentum: sicuti tunc mos erat iuxta uias publicas defunctorum monumenta ponere. At dum exit Maria ad dominum, clanculum euocata per sororem, mirabili dei ordinatione & prouidentia trahit secum ingentem populi cateruam ad futuri miraculi spectaculum testimoniumq;. Quod eleganter exponens Paraphrastes, Occurrebat Maria, ait, priusquam dominus ingrederetur domum. Sic enim expediebat ad miraculi prodendi dispensationem. Expediebat enim multos adesse pharisæos, qui quanquam officij gratia uisissent Mariam ob priuatam amicitiam, tamen oderant Iesum. Hi uidelicet nõ comitati fuissent Mariam, si cognouissent illam obuiam ire Iesu. Itaq; Iudæi qui Mariæ aderant in ædibus, consolantes eam, cum uidissent quod tanta cum celeritate surrexisset & exiret domum, comitati sunt illam euntem, suspicantes quod erumpente ui doloris iret ad monumentum, atq; ibi lachrymis satiaret animi mœrorem. *Ingenium ueræ pietatis.*

Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infremuit spiritu & turbauit seipsum, & dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, ueni & uide. Lachrymatus est Iesus.

Nihil in præsenti respondet dominus ad querelam Mariæ. Satis enim cum Martha erat de re collocutus, cui splendide fuerat pollicitus, fore uidelicet ut resuscitetur Lazarus, proinde aderat iam tempus & occasio non differendi quidem ampliora de resurrectione, sed præstãdi eà quæ promiserat. Præterea cum uideret Mariam totam esse in luctu, & Iudęos unà quoq; flere & lugere, non potuit prę ingenti commiseratione grauiq; commotione animi plura loqui, ut fit in mœrore graui. Euangelista enim ut plorantem, inquit, uidit Mariam & comitantem turbam, infremuit spiritu & conturbauit seipsum. Et mox, Lachrymatus est Iesus. Eius fremitus turbationisq; causſam alij esse putant, quod indignatus fuerit maligno spiritui, cuius inuidia mors intrauit in mundum: item hominũ peccatis, per quæ tam multæ perirent animæ, incredulitati quoq; Iudæorum inuincibili. Ego simpliciſſime locũ hunc euangelij intelligens nõ aliam puto esse causſam fremitus conturbationis & lachrymarũ domini quàm expressam illã à Ioanne, quod uidelicet singulariter amarit Lazarum totãq; familiam, quam cum graui luctu uideret *Iesus cõturbatus fremuit & fleuit.*

oppreſſam ac condolere ei Iudæos omnes & flere largiſſime, commota fuerint & domini uiſcera. Diſerte eñ dicit, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, infremuit ſpiritu. Vſurpauit autem ſpiritū pro mente ſeu animo aut affectione animæ adeoq; ipſo corde. Intendit autem affectum adiecta præpoſitio, ualde infremuit ſpiritu. Eſt autem fremitus proprie uehemens & ſonora ac tumultuans aquæ commotio. Vnde Valla lib. de Ling. Lat. 4. cap. 39. Strepitus, inquit, ſit ex corporum tactu ſiue colliſione rerum et multarum uocum in unum confuſione, ſi modo non ſit immodicus, tunc enim dicitur fremitus, ut ex alto mari ſonus fluctuum, & in populo murmur uocatur etiam fremitus: quin & indignantis & excandeſcentis & quaſi humanam uocem præ affectu imutantis uox oratioq; fremitus dicitur. Proinde cum Ioannes dicit Ieſum ſpiritu infremuiſſe, ſignificat ipſum totis uiſceribus ita eſſe cõmotum atq; cõcuſſum, ut uocem ullam ad tempus ædere nequiuerit. Solet enim hæc commotio in uehementer affectis præcedere lachrymas. Ita enim & de Ioſepho legis Gene. 43. Feſtinauitq; Ioſeph (incaluerant enim uiſcera eius erga fratrem ſuum) & quæſiuit ut fleret, & ingreſſus penetrale fleuit ibi. Germanice dicimus, Er ergrimmet in jm ſelbs/vnd das hertz gieng jm vff vnd ward jm vaſt groß. Sequitur eñ per interpretationem καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν, & conturbauit ſeipſum, entſatzt ſich ſelbs vnd ward in jm ſelbs gar erſchlagen vnd bekümert, ſic inquam infremuit ſpiritu: inde ſequutæ ſunt lachrymæ, animi ceu uulnerati & uehementer affecti ſanguis. Quanquam Chryſoſto. Homel. in Ioan. 62. uideatur intellexiſſe dominum uehementem illam animi commotionem, fremitum inquam compeſcuiſſe, lachrymatur, ait, & perturbatur. Norat enim lachrymas fundere & affectum arguere &c. Cæterum ſua illa affectione uera & non fucata docuit nos humanitatem & commiſerationem. Neq; enim turpe eſt graui & bono uiro lachrymas fundere & caſus amicorum infelices deplorare. Fecerunt hoc optimi, ſanctiſſimi, iuſtiſſimi, & fortiſſimi quiq; amici dei Abraham, Izraël, Ioſeph, Dauid & reliqui. Adhibuerunt tamen modum. Vnde ipſe quoq; apoſtolus Paulus non quemuis luctum aut dolorem de mortuis conceptum damnat, ſed diſerte gentilem, hoc eſt omni ſpe & modo carentem. Neq; enim ex hominibus lapides aut truncos facit religio Chriſtiana. Petierunt hinc firmiſſima certe ueræ humanæ naturæ in Chriſto domino argumenta ſcriptores eccleſiaſtici; quorum non poſtremus Gregorius Nyſenus, cõtra Eunomium, apud Gelaſium in lib. aduer. Eutychen & Neſtoriũ, Neq; uiuificat, inquit, Lazarum humana natura, neq; deflet ſepultum impaſſibilis ſubſtantia: ſed proprie quidem ſunt hominis lachrymæ, uita uero ueræ uitæ eſt. S. quoq; Athanaſius de fide ſua ad Theophilum lib. 9. Quod lachrymas, inquit, ſuper Lazarum fundit, phantaſmatis ſuſpicionem tollit. Lachrymæ enim ueri corporis ſunt humores. Significantius autem his Baſilius de gratiarum actione, Sicut ergo ſuſcepit famem dominus, ait, & fatigatus eſt muſculis & neruis ex itinere protenſis, nõ diuinitate labore donata, ſed ſuſcipiente corpore naturam ſequentis paſſionis: ſic & lachrymas fundit, naturalem caſum carni aduenire permittens: quod euenit quãdo concauitates cerebri ex fumigatione triſtitiæ completæ fuerint, & ueluti per quoſdam riuos id eſt foramina oculorum humectationis onus egreditur. Maxime autem id cõſolatur nos, quod audimus Chriſtum uerum hominem noſtriq; ſimilem, miſerari caſus noſtros & flere nobiſcum, adeoq; tangi ſenſu infirmitatũ noſtrarũ. Heb. 2. 5. cap. Sed hæc hactenus. D. Auguſt. in Ioannem hæc tropologice tractans, Fleuit Chriſtus, fleat ſe homo. Quare eñ fleuit dominus, niſi quia flere hominẽ docuit? Quare fremuit et turbauit ſeipſum, niſi quia fides hominis ſibi merito diſplicentis, fremere quodammodo debet, in accuſatione malorum operum, ut uiolentiq; pœnitendi

Vera Chriſti humanitas.

tendi cedat consuetudo peccandi. Hæc ille. Postquam uero horrore spíritus & animi conturbatione uerum se hominem & humanum plane exhibuisset, rursus recollegit animum ne superaret affectus, ac dixit, Vbi posuistis eum? nõ quod ignoraret, sed quod id ad euidentiam faceret miraculi. Respondent cognati & amici, Veni, & uide. Sepulchrum enim non longe à uia distabat publica. Inter hæc pro humano ingenio lachrymabatur Iesus.

Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cęci, facere ut & hic non moreretur?

Diuersa fuerunt uulgi super lachrymis domini iudicia: alijs quidem nõ inique iudicantibus & inde colligentibus eximiam amoris erga Lazarũ Christi uim esse: alijs uero calumniantibus atq; dicentibus? Mirum sanè Iesum usqueadeo grauiter lugere amici mortem, cum prohibere potuisset, si uoluisset, quo minus è uiuis fuisset sublatus. Si enim potuit oculos cęci aperire, potuisset utiq; et uim morbi ac mortis ab illo depellere. Cæterum huiusmodi uarietatem iudiciorum de operibus dei licet uel hodie cernere in ecclesia. Dum enim prædicatur incarnatio & mors filij dei, inuenias non paucos qui inde colligant ineffabilem dei gratiam & misericordiam. Inuenias rursus alios qui impie interrogent, Quorsum opus fuerit incarnatione & morte filij dei, cũ uel unico uerbo potuisset, si uoluisset, deus, saluare mundum? Atqui deus omnia sua sancte, iuste, sapienter & prudenter instituit, in cuius maiestatem peccant grauissime quicunq; sanctissima dei opera sic calumniantur imò blasphemant. *Diuersitas iudiciorum.*

Iesus ergo rursum fremens in semetipso, uenit ad monumentũ. Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei. Ait Iesus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat, Domine, iam olet: quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus, Nónne dixi tibi quod si credideris uisura esses gloriam dei? Sustulerunt ergo lapidem à loco, ubi is qui mortuus fuerat erat positus.

Hæc tertia & ultima est huius historiæ portio, qua diligenter mirificũ illud domini opus depingitur, Lazarum è morte in uitam diuina uirtute reuocantis. Recruduit dolor & mœror saluatoris, ubi adductus ad sepulchrum iam coram spectaret bustum amici dilectissimi, unde iterum infremuit: ac ita declarauit ipsissimum & naturale humanæ naturæ ingenium, simul & studium suum indefessum erga totum genus hominum, quod amore complectitur ardentissimo, cuius gratia tantopere afficitur. Iam & paucis sepulchrum Lazari describens, Erat, inquit, sepulchrum Lazari, in quo uidelicet positus requiescebat, spelunca siue cauerna, nimirũ cauti aut saxo uiuo insciſa, cuius os siue ingressus aut porta, saxo impositio siue obuoluto, erat occlusum, & saxo haud dubie prægrandi, quod non nisi ingentibus commoueri uectibus poterat. Indicauit hoc historicus quod faciat ad miraculi fidem confirmandam extollendamq; & ad suspitionem præstigij excludendam, de nicq; ad omnes omnium calumnias elidendas. Ideo uero & lapidem ab ostio monumenti amouere iubet, non discipulos suos, sed haud dubie cognatos Lazari. Potuisset quidem angelorum ministerio remouere lapidem, sicuti factum legimus in ipsius domini resurrectione, sed intra modum consistunt domini miracula, sicut in secundo capite annotatum est. Seruit præterea amplificationi præclari miraculi & illud quod Martha, sui ueluti oblita, domino obijcit, subla- *Catastrophe.*

to lapide cadaueris fortorem plane dirum omnes à sepulchro longe depulsurum.

Potẽtia resuſcitantis Christi.

Hic enim, inquit, quartus est dies quod sepultus est. Sic autem testificatur sua sponte & non iussa Lazarum uere esse mortuum, sanguinem in uenis & toto corpore in pus esse resolutum, exta item corrupta, adeoq; & uitalia maxime membra quasi computruisse. Fœtor enim è putredine & corruptione exoritur. Talem autem uerbo excitat Iesus. Vide ergo quanta sit Christi uirtus, qui in uitam reuocat mortuos & putrefacta corruptissimaq; hominis, incolumitati & integritati restituit. Porrò Marthæ nonnihil obliuiosæ & in fide uacillanti, Iesus obiurgatiuncula in memoriã reuocat uerbum promissionis, & confirmat fidem eius contra omnia carnis & rationis humanæ absurda. Tu quidem, inquit, obijcis purulenti cadaueris dirum fœtorẽ, unde nimirum apud teipsam colligis frustra ei amoueri lapidem & uiam strui, qui nunquam sit proditurus, quippe cum iam computrescere incœperit: ac ideo dirum nunc spiret fœtorem: atqui non oportet fidelem oculos in hæc terrena figere & rationes audire carnis semper deo rebellantis: uerbum dei, & promissiones eius repetere, hæc ob oculos ponere, & totos ei incumbere atq; inniti necessarium est. Memineris ergo Martha uerborum meorum, An excidit quod tibi modo dixi, Si credideris, futurum ut per fratris tui mortem illustretur gloria dei? An excidit quod tibi promisi, Resurget frater tuus? Quod adieci, Ego sum resurrectio & uita? &c. Nihil ergo impediet dei potẽtiam fœtor, nihil purulentia & cadaueris putredo. Crede modo & experieris deum esse & ueracem

Contra philosophos.

& potentem. Hęc scilicet teneamus contra philosophos ridentes fidem nostram de resurrectione carnis nostræ. Videtur enim sapientibus huius sæculi imò stolidis & impuris hominibus impossibile corpora iam resoluta in cinerem puluerem aut fauillam, integra denuo resurgere. Habent illi multa absurda quibus insaniã suam confirmant, fidem nostram impugnãt. Sed oportet firmiter inhærere uerbo et promissionibus uiuentis & omnipotentis dei, qui ut ex nihilo omnia uisibilia & inuisibilia condidit, ipsum deniq; hominem primum è limo terræ creans excitauit, ita eadem illa sua uirtute promisit se illa ipsa corpora nostra resuscitaturum è morte è puluere & corruptione in uitam & plenam siue integram corporis humani glorificatam substantiam. Id quod non unus aliquis uel propheta uel apostolus testatur, sed omnes uno ore proclamant, & ex inspirante deo proclamant. Confirmat nos & hęc Lazari euidentissima & firmissima historia. Equidem dominus nihil impeditus ullo fœtore, lapidem ab ostio monumenti amoueant, iubet: atq; hi quidem obsequentes domini iussis sustulerunt lapidem: mox ergo misera mortui Lazari atq; sepulti facies apparebat omnibus, ut iam nemo ignorare posset absq; dolo & impostura rem geri uere & candide.

Iesus autem attollens sursum oculos, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam quod semper me audis: sed propter turbam quæ circumstat, dixi, ut credant quod tu me miseris. Atq; hæc cum dixisset uoce magna clamauit, Lazare ueni foras.

Virtute dei excitatur Lazarus.

Suspensis autem omnium animis atq; oculis, dominus Iesus suspiciens in cœlum, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audis me &c. Quibus uerbis declaratur Lazarum Christi uirtute, id est diuina potẽtia, excitari, quam Iesus cum patre habet communem. Atq; huc pertinent singula huius loci uerba. Ideo enim suspicit in cœlum, ut ipso corporis gestu testaretur circumstantibus hæc se diuina facere uirtute: interim etiam doceret omnes omnia beneficia atq; bona ad deũ referre

autho

authorem. Et quanquam ad cœlum ſuſpiceret, nihil tamen à patre poſtulat. Neq; enim dicit, Excita tu Lazarum: aut, Da mihi uirtutem, qua ipſe Lazarum excitare queam in tuo nomine, ſicut prophetæ & apoſtoli leguntur feciſſe: ſed gratias agit, ſibiq; ipſi apud patrem ueluti gratulatur. Quamobrem? Quoniã audiſti me, ait. De ſummo utiq; ſibi cõſenſu gratulans: interim uſus eſt uerbis è noſtra loquendi conſuetudine petitis. Neq; enim ſic à patre auditur filius ſicut audimur nos, ſed peculiari quodam modo. Pater enim audit filium, id eſt eiuſdẽ eſt cum ipſo uoluntatis atq; poteſtatis. Non alia uult filius quàm pater, nec ullo indiget alieno & externo auxilio. Vnde explicandi gratia mox adijcit, Ego autem ſciebam quod ſemper me audis. Non nunc primum datur mihi eiuſdem tecum uoluntatis eſſe & poteſtatis: ſemper & ab æterno omnia apud te potui, atq; eiuſdem tecum ſubſtantiæ fui. Cur ergo ſuſpicit in cœlum? Cur orat patrẽ? Cur nunc gratias agit patri, ſi nihil ab eo accepit aut habet? Reſpondet ipſe dominus, Propter turbã quæ circumſtat dixi, ut credant quod tu me miſeris. Non omnes, inquit, intelligunt illam inter nos unionem ac cõmunionem, quod ut eiuſdem uoluntatis & poteſtatis ita eiuſdẽ quoq; ſubſtantiæ ſumus. Sunt enim qui putent me iſta mea & dicere & perficere opera diaboli. Proinde ut omnes credant me è te eſſe profectum, à te miſſum, id eſt uerum eſſe tuum filium tibi æqualem, lumen ex lumine, deum uerum ex deo uero, uitam permanentem è uita ſolida & permanente, ideo huiuſmodi utor loquutionibus, & deſigno iſta miracula. Oĩa itaq; Chriſti dicta & uerba huc pertinent, ut credamus Ieſum eſſe dei filium ſaluatorẽ noſtrum. Atq; in hoc ſenſu ſic reddendo ſequutus ſum ipſam ſimplicitatem & planum contextũ ſacroſancti euangelij. Facit mecum & S. Ioan. Chryſoſt. cuius uerba non pigebit adſcribere ex Homel. in Ioan. 63. Qua, inquit, gratia humilia loquitur dominus, qui arcanæ illius & inenarrabilis eſt ſubſtantiæ? Magnum decet multa de ſe humiliter prædicare, non autem humilem & abiectum magnifice. Indulget auditorum imbecillitati, eosq; humilitatem, & ſe carnem noſtram accepiſſe erudit, neue deo contrarium, & non uenisſe à deo, & legem ſoluere arbitraretur, utq; odium populi auerteret, et ne etiam putaretur ingenitus: præterea tam clemens eſt ut propter noſtram ſalutem etiam digna ſe uerba contemnat. Nam & quod homo filius factus ſit, & ſerui formã acceperit, quod humilia & loqueretur, & de ſe dici permiſerit, indignum deo. Indignum ſanè ſi quis eius conſideret maieſtatem: dignum rurſus ſi immenſa eius benignitas & clementia conſideretur. Eſt & alia tam humilium uerborũ cauſſa, quia patrem norant & uenerabãtur, filium autẽ ignorabant, ideo ad ipſum frequenter fugit tanquam confeſſum, utpote cum ipſe nondum eam haberet authoritatẽ, non ex ſe quidem, ſed auditorum ſtultitia & imbecillitate: ideo uero & orat, ac dicit, Pater gratias ago tibi, &c. Quod ſi quos uult uiuificat, & ſicut pater uiuificat, quare quæſo orat? Interrogemus hic hæreticum, num preces ei quid contulerint ad Lazarum ſuſcitandũ? Quomodo ergo alia ſine precibus fecit miracula? Tibi, inquit, dico dæmoniũ, egredere ab iſto. Et, Volo, mũdus eſto. Et, Surge, tolle grabbatum tuum & uade. Et, Remittuntur tibi peccata tua. Et mari, Tace & obmutesce. Quid autem præſtaret apoſtolis ſi preces ei ad miracula opitularentur? Imò illi neq; precibus omnia faciebant, ſed multa Ieſu nomine inuocato. Quod ſi eius nomen tantum poterat, quomodo ipſe precũ auxilio indigebat? quo ſi indigebat, nõ utiq; nomen eius eam habuiſſet poteſtatẽ. Sed uideamus quid oret, Pater, inquit, ago tibi gratias quod audiſti me. Et quiſnam ita unquam precatus eſt priuſquam aliquid peteret? Ita ergo oſtendit ſe non egere precibus. Omnia enim facis quæ uolo. Sed quare ſic orauit? Non me, ſed illum audi dicentem, Propter circũſtantem

populum,ut credant quia tu me miseris.Nō dixit, ut credant me minorē,& quod diuino indigeam auxilio, sine quo nihil facere possum, sed quod tu me misisti. Sic enim ponit ueram orationis causſam,ne me deo contrarium arbitrentur, ne dicāt me non esse à deo,ut secundum uoluntatē tuam hoc me feciſſe ostendam. Ego,inquit,sciebā quia semper me audis:hoc est,ut fiat uoluntas mea non egeo precibus ad persuadendū,una enim uoluntas est. Ad quid ergo preces? Propter infirmiores.Hæc omnia Chrysostomi sunt,quæ non tantū huic loco seruiunt explicando, sed alijs quoq; euangelij locis compluribus. Post gratulationem autem illam nihil iam sibi cunctandum arbitrans,magnaq; & intenta uoce clamans, non quod uocis intēsio quicquā hic ualeret,sed ut ex æquo exaudiretur intelligeretur q; ab omnibus Lazarum nō alieni dei inuocatione, sed propria Christi uirtute excitari, nominatim euocat mortuum,ac mortuo ceu uiuenti præcipiens dicit, Lazare prodi foras.Potuisset uel nutu Lazarū excitare,uerum ita conueniebat rem geri.Et uerba Christi significantius, & paulò copiosius reddens Iuuencus presbyter lib. de euangelica historia,canit,

Hæc ubi dicta dedit,tumuli mox limine in ipso
Restitit aduerso complens caua saxa canore,
Lazare sopitis redeuntem suscipe membris
En animam,tuq; ipse foras te prome sepulchro.

Ac quoniam hic in præsenti præcipiebat ac uocabat, de quo apostolus dixit, Ipse uitæ restituit mortuos, ac uocat ea quæ non sunt tanquam sint,&c. Rom. 4. ideo mox sequitur in euangelio,

Et prodijt qui fuerat mortuus, manus & pedes habens reuinctos fascijs sepulchralibus,& facies illius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus,Soluite, & sinite eum abire.

Virtus Christi domini.

Hæc scilicet est manifesta declaratio diuinitatis Christi domini, hæc est uirtus eius,nō inanis et inefficax,sed prorsus uiuifica.Nā qui uerbis & pollicitationibus alibi ac paulò ante hæc egit,dicens, Amen dico uobis, quod uenit hora, & nunc est,quando mortui audient uocem filij dei,& qui audierint uiuent. Sicut enim pater habet uitam in semetipso,sic dedit & filio uitam habere in semetipso,&c. Item, Ego sum resurrectio & uita,qui credit in me,etiāsi mortuus fuerit,uiuet,&c. idem nunc factis & ipsa re præstat. Quàm primum enim Lazarus mortuus & sepultus audisset uocem filij dei,prodijt, & sano quidem & integro corpore prodijt.In momento enim oculi,ad præceptū inquam domini,quæ prius ita erant morte, & per totum quatriduum corrupta & putrefacta, ut fœtore nares offenderēt astantium, ea ipsa iam integritati restituta,uiuunt,mirabile dictu,ualent,totusq; Lazarus sanus & incolumis è sepulchro prodit.Quod autem prodit reuinctis manibus & pedibus, omnes quos uidi interpretes, nouo quodā miraculo factū putant. Auguſt. enim,Quomodo processit,ait, ligatis pedibus miraris, & nō miraris quia surrexit quatriduanus? In utroq; potentia domini erat, non uires mortui. Processit & adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit. Congruit cum hoc & Chrysoſt.Nihil autē peccauerim, opinor, si & alium Lectoribus sensum aperiam, non quo superiorem reijciam,quem facile recipio,sed ut illum Lectoribus expendendum proponam.Quid ergo si dicamus euangelistam præmisisse summam rei, ac in genere dixisse,Prodijt,id est iuxta præceptum Christi resurrexit? Deinde significantius adiecerit quis prodierit,& quomodo.Is nimirum qui ante quatriduū fuerat mortuus,qui habuerat manus & pedes reuinctos,is inquā Lazarus & nullus pro

lus ꝑ ipſo alius. Illo enim ipſo corpore reſurrexit quo ſepultus eſt. Sed quomodo? Vbi in uitam ipſum reuocaſſet dominus, ac Lazarus iam uiueret, iuſſit uincula ſepulchralia tollerent: ſublata ſunt: ita ambulauit. Voluit enim dominus ut motus corporis, & alacer inceſſus, oſtenderet Lazarum etiam ualere, non tantū uiuere. Cæterum ex more gentis funerumq; conſuetudine fuit, cadauera mortuorū uinculis uincire ſepulchralibus, ut honeſtius uidelicet cubarēt corpora. Hæc habuimus in memorabilem Lazari reſuſcitati hiſtoriā, quæ uniuerſale & uiuum quodam nobis noſtræ quoq; reſurrectionis exemplum ſuppeditat. Quemadmodum Lazari anima migrarat ad cœtum ſanctorum, corpus cōdebatur ſepulchro, è quo reddita tandem anima iterum reuocatur in conſortium ſuper terra uiuentium: ita ſub mortem noſtram transferuntur animæ noſtræ in cœlos, corpora mandantur terræ & computreſcunt, nihilominus ſub finem ſæculi reſuſcitabuntur è terra, reddentur ipſis animæ, ut totus demum homo corpore & anima uiuat apud dominū. Ad hunc ferè modum extendit & Tertullianus Lazari exemplum ad omnes. Libro enim de Reſurr. carnis, In Lazaro, ait, præcipuo reſurrectionis exemplo caro iacuit in infirmitate, caro penè computruit in dedecorationem: caro interim putruit in corruptionem, & tamen Lazarus caro reſurrexit, cum anima quidem ſed incorrupta, quam nemo uinculis lineis ſtrinxerat, nemo in ſepulchro collocarat, nemo iam fœtere ſenſerat, nemo quatriduo uiderat ſeminatam. Totum habitum, totū exitum Lazari, omniū quoq; caro hodie experitur, anima uero nullius, &c.

Lazarus generale exemplum reſurrectionis.

Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam, & uiderant quæ feciſſet Ieſus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipſis abierunt ad phariſæos, & dixerunt eis quæ feciſſet Ieſus.

Quemadmodum in ſuperioribus capitibus nō ſemel patuit quomodo ad opera dei & prædicationē euangelij afficiatur mundus, ita hoc ipſum in præſenti iterum innoteſcit. Alij enim obediunt uocationi dei, recipiunt ſanctam dei inſtitutionem, & recte iudicant de operibus dei: quales hic ſunt qui conſpecto tam inſigni prodigio crediderunt Ieſum eſſe Meſſiam. Atq; hi reliquerunt nobis exemplum, quid faciamus & nos, ubi audiuimus Ieſum ex mortuis diuina ſua potentia reuocaſſe Lazarum, nimirum ut & ipſi credamus & cōfiteamur Ieſum eſſe Chriſtum, uitam & ſalutem noſtrā, quippe qui & animas noſtras in morte ſeruat corporea, corpora noſtra excitabit ſub finem ſæculi. Alij uero non credunt, non obſequuntur dictis & factis domini, ſed calumniantur illa potius, imò & prodūt, & uiribus omnibus ſuis conantur apertam ueritatem obſcurare & obruere. Tales erant qui in urbem procurrunt, & phariſæis quid circa Lazarum euenerit annunciant, nō ut credant & deum laudent, ſed ut ueritatem inſectentur. Huiuſmodi male gratos homines hodie non paucos inuenias, quibus ſuum non tardat iudicium.

Congregauerunt ergo pontifices & phariſæi conſilium, ac dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa ſigna ædit? Si permiſerimus eum ſic, omnes credent ei: uenientq; Romani, & tollent tum locum noſtrum, tum gentem.

Poſtquam in facinore Chriſti tam inſigniter prodigioſo ſatis innotuit uiua & diuina Chriſti uirtus, unde id quod præcipuum fidei noſtræ caput eſt clariſſime intelligamus, Ieſum uerum eſſe filium dei, uitam & reſurrectionem credentium, atq; ideo minus iam poſſit nos paſſio domini offendere, propius accedit Ioannes ad ipſam domini mortem deſcribendā: ac in præſenti cauſſam indicat necis, quod

uidelicet primores populi hostes Christi attinet. Horum enim cõsilia describit, ex quo colligamus magistratum Israelis ad parricidium sui Messiæ prauis impulsum affectibus, inuidia uidelicet, crudelitate, liuore, insania, ambitione, & auaritia, compendio suo priuato incolumitatem salutemúe publicam prætexuisse. Vt autem impij in omnibus rebus suis nihil certi habent, in omnibus stupent & hærent confusi, ita consilia ipsorũ mire anxia, & supra modũ perplexa sunt. Id quod mira euidentia in præsenti pinxit euangelista. Consilio enim collecto, Quid suadetis faciendum? inquiunt, An cessabimus perpetuò? Aut qua parte negotium periculis plenum aggrediemur? Cernitis quid fiat. Hic homo facit multa admiranda, & ædendis miraculis quotidie seipsum superat. Si patimur eum pergere qua cœpit, futurum est, ut quemadmodum nũc multi è populo magnifice de eo sentiunt, ita mox illum omnes habituri sint pro Messia. Quod si factum fuerit, & huius rei rumor ad Romanos peruenerit, Iudaicam gentem, deserto Cæsare, desciuisse ad nouum regem suum, qui non ignorant à nobis iam olim expectari regem quendam liberatorem, sæuient armis in nos. Atq; hic significanter & multo cum affectu & uehementia graui, Ita tolletur, inquunt, à nobis imperiũ & gloria, prophanabitur ab impuris gentibus sacrosanctum templum, & plebs ipsa nostræ commissa curæ fœda strage mactabitur. Sic enim sonant Græca, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν, καὶ τὸν τόπον, καὶ τὸ ἔθνος, depopulabuntur aut deprædabuntur nos ac nostra, hunc quoq; locum, nimirum templum, & ipsam gentem. Vides hypocritas rei priuatæ publicum totius gentis commodum, imò & templi religionem suis prætexere rapinis & sacrilegijs, impotenti iræ atq; liuidæ inuidiæ. Vides prauum, id est ex affectibus ortum consilium consultori esse pessimum. Persuasum quidem habent huius sæculi homines interituros sese, & potentissimorũ, regũ & principũ armis excindendos, si uerã recipiant religionem, superstitioni ualedicant, rursus omnia fore in tuto, si posthabita pietate sese ad figuram huius sæculi componant, & Christum pauperem ac mundi studia accusantem proscribant & persequantur. Verum uidemus res diuina potentia diuinoq; consilio secus administrari & cadere quàm filij huius sæculi putarant. Iudæi enim uolentes Romanorũ arma & direptiones à se prohibere Christi morte, ea ipsa in se Romanorũ & omniũ gentium iram prouocant. Vnica enim & ueriſſima excidij Iudaici causa fuit indignissimum illud de Messia sumptum supplicium & euangelij proscriptio: id quod Daniel testatur in cap. 9. et ipse dominus Iesus Lucæ 19. Nec alia hodie potior causa est præsentis sæculi calamitatum quàm neglectus uerbi dei, proscriptio euangelij & persequutio fidelium. Plura de pontificibus Iudaicis & hoc cruento contra dominum consilio sacerdotum require in 26. cap. Matth.

Impiorum consilium.

Vnus autem ex ipsis, Caiaphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quicquam, nec perpenditis quod expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat.

Caiaphas insigne & funestum post se relinquit crudelitatis & impudentiæ exemplum, qui acrius lentum & blandum ferè consilium incessit, non pluris unius hominis innoxij sanguinem faciens, quàm Iugurtha aliquis, Nero, Caius aut Iulius. Sentit autem non diu consultandum, sed Iesum protinus tollendum è medio. Satius enim esse ut unus pereat homo seditiosus, quàm illo saluo ingens oboriatur belli turba, quæ uniuersam gentem malo implicet & opprimat. Spirat autem insignem crudelitatem, quod non sine stomacho toti consilio ceu stupiditatem, & metum muliebrem improperans, clamat, Vos nescitis quicquam. Et probandũ sanè fuisset

Caiaphas crudelitatis exemplum.

fuisset consilium pro salute & incolumitate reipublicæ datũ, si syncero fuisset profectum pectore, si non priuatam potius quæsiuisset utilitatem quàm publicam, si deniq; Christus dominus supplicium meruisset maleficorũ. Neq; enim maleficis parci uoluit dominus. Verum hic diuersa reperias omnia. Huius sanguinarij nebulonis uices in terris gerere creduntur, non dei, non Christi, non apostolorum, Petri & Pauli, qui propter ambitionẽ, luxum, auaritiam atq; superbiam flamma & ferro persequuntur euangelium. Nam sicut hic pontifex cruentus acri increpatione totum senatum incitat ad persequutionẽ: ita pontifices & sacerdotes nostro sæculo multi, brachium, ut uocant, sæculare inuocant, reges & principes, urbes & magistratus ad persequendum & extinguendũ euangelium armant. Pollicentur autem tranquillitatem publicam, & uictorias contra Turcam, qui alioqui totã sit subuersurus Europã, nisi uidelicet è medio tollantur omnes euangelici, Papæ & sedis Romanæ rebelles. Quod si, ut cœperunt, perrexerint, sentient reuera suis capitibus satis potenter imminere Turcam, qui non innoxio abluitur aut uincitur sanguine, sed iusta pœnitentia & reformatione.

Vicarij Caiaphæ.

Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, uaticinatus est quod Iesus moriturus esset pro gente, & non tantũ pro gente, sed ut filios dei qui erant dispersi congregaret in unum.

Adijcit hæc Ioannes explicandi gratia. Noluit Caiaphas cõsilio hoc suo Christum iuuare, aut religionem Christianam prouehere, sed affligere potius atq; impedire. Atqui deus qui etiam praua hominum cõsilia atq; facta in sui nominis gloriam & suorum incolumitatem conuertere nouit, Iosepho ad fratres suos dicente, Cogitastis aduersus me malum, at deus cogitauit idipsum in bonum: idem hic quoq; cruento Caiaphæ consilio uice utitur oraculi. Nam Ioannes, Spiritus, inquit, prophetiæ, per os impij pium uaticinium prodidit, non pontificis quidem, quo ceu organo usus est, merito, quippe qui sceleratus erat, & ex seipso nihil q̃ corruptionem loquebatur, sed propter ipsius ministerium, quo sanctis suis deus prodesse uoluit. Vnde nimirum ignarus mysterij, maximum nobis nostræ religionis protulit arcanum, quis uidelicet è morte domini exoriatur fructus. Moritur Iesus pro gente, nimirum Iudaica, moritur autẽ ut ipsa uiuat. Nec pro Iudæis duntaxat, sed pro omnibus per totum terrarum orbem dispersis fidelibus atq; electis immolatus est, certè ut omnes ex Iudæis & gentilibus dei filios, id est uerbum dei audientes recipientesq;, congreget in unum, non locum aliquem certum & circumscriptum, sed unum consortium salutis, spiritus & arctissimæ societatis, qua primum quidem cum ipso deo communionem habent, deinde ipsi inter sese fideles omnes & cum omnibus sanctis. De hac unitate loquens in 10. cap. Alias oues habeo, dixit, quæ nõ sunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus pastor. De eadem loquens etiam apostolus Paulus, Vnum, inquit, corpus, & unus spiritus, quemadmodũ & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus & pater omnium, &c. Ephes. 4. Paucula sunt uerba quibus utitur Ioannes, uerum multa in se comprehendunt utilia dogmata. Principio enim uidemus quis sit fructus mortis Christi, Congregatio scilicet dispersorum. Hactenus dispersus fuit dei grex ob pastorum falsorum multitudinem: omnes quidem salutem pollicentur, & alius aliò uocat, sed nemo quicquam habet certi & solidi. Dispersit ergo non Iudæos duntaxat, sed omnes per orbem terræ electos, idololatria, superstitio, error atq; peccatum. Cæterum uenit filius dei è cœlo, incarnatus & crucifixus

Fructus mortis domini cognoscitur ex oraculo Caiaphæ.

eſt, mortuus & ſepultus, reſurrexit tamen idem à mortuis, aſcendit in cœlum, & inde miſit ſanctum ſpiritum in apoſtolos, qui totum terræ orbem peragrantes tradiderunt omnibus gentibus, Ieſum Chriſtum uerum eſſe paſtorem, qui ſe impenderit pro ouibus, redemerit à peccato & damnatione, recõciliarit deo, uocetq; per fidem & charitatem in unius corporis ſocietatem. Cui prædicationi quicunq; crediderunt, in communionem omnium bonorum & dei & eccleſiæ recepti ſunt. Sic inquam diſperſi per mortem Chriſti in unũ congregati ſunt. Deinde habemus in his manifeſtũ teſtimoniũ uocationis gentiũ, id eſt quod nõ in Iudæa duntaxat ſint filij dei, ſed per totum terræ orbẽ diſperſi. Ideo in 1. cap. idem euangeliſta dixit, In ſua uenit Meſſias, & ſui eum non receperunt: quotquot autẽ receperunt eum, dedit eis poteſtatem, ut liceret filios dei fieri. Videmus item quanta ſit fidelium dignitas, qua nos ornauit Chriſtus, quanta dei charitas, qui uoluit nos appellari filios dei. Pro hac illi perpetuò grati eſſe debemus. Poſtremo diſcimus ex hoc loco, benignum dominum inſtitutis & miniſterijs ad utilitatem hominũ ordinatis optime uti, idq; ex gratia & amore quo homines cõplectitur, tametſi interim mali ſint qui bono funguntur miniſterio. Vnde pijſſime oppugnauit S. Auguſt. Donatiſtas derogantes ſanctis dei ſacramentis, quod ea eccleſiæ per malos adminiſtrantur miniſtros. De qua re aliàs.

Ab illo ergo die cõſultabant inuicẽ, ut interficerent eũ. Ieſus ergo iam non ꝓpalàm ambulabat inter Iudæos, ſed abijt in regionẽ iuxta deſertũ, in ciuitatem quæ dicitur Ephraim, & ibi uerſabatur cum diſcipulis ſuis.

Inuenta uidebatur cauſſa ſatis legitima, ob quam Ieſus ceu publica totius gentis lues ac peſtis occideretur, iam ergo in ſingulas horas occaſionem quærunt, ut quod prudenter cõſultaſſe uidebantur fortiter etiam exequerẽtur. Quibus impiorum ingeniũ, audacia, atq; perſeuerantia in re crudeliter ſemel cœpta, notatur. Ieſus autem qui nihil ignorabat, quandiu ab ea conſultatione in Iudæa uerſabatur à publico abſtinebat. Imò ſubduxit ſeſe à uicinia urbis prophetarũ ſanguine madentis, & conceſſit in urbem Ephraim. Ephraim illa iuxta deſertum eſt, non procul à torrente Cherith, apud quã pecora Abſolomis tondebantur, in 20. miliario Aeliæ in 5. Bethelis. Fuga ſua docuit dominus, ne quis temere ſeſe in periculum præcipitet, præterea ſignificabat lucem euangelij & uitam à Iudæis transferendã eſſe ad gentiles.

Ephraim.

Inſtabat autẽ paſcha Iudæorum, & aſcenderũt multi Hieroſolymam ẽ regione ante paſcha, ut purificarent ſe. Quærebãt ergo Ieſum & colloquebantur inter ſe in templo ſtantes, Quid uidetur uobis, quod non uenerit ad diem feſtum? Dederant autem pontifices & phariſæi præceptum, ut ſi quis cognouiſſet ubi eſſet, indicaret, ut comprehenderent eum.

Poſt cauſſam & fructum mortis domini indicat Ioannes tempus etiam paſſionis domini, paſcha: de quo dixi apud Matth. in cap. 26. Nõ licebat illud niſi in urbe ſancta, iuxta legis præſcriptionẽ Deut. 16. celebrare. Veniebat ergo in urbẽ ex Galilæa, Paleſtina, uniuerſa Iudæa, alijſq; Iſraeliticæ gẽtis finibus ingens populi multitudo ad celebrandum paſcha. Prius tamen ſanctificabant ſeſe precibus, luſtrationibus & hoſtijs. Nam eum ad modum ſe præparaſſe quo religioſius manducarẽt paſcha, colligitur ex 30. cap. 2. lib. Paralip. Cæterum quemadmodũ paſcha Iudæorum typus erat futuræ condonationis peccatorum per ſanguinem Chriſti: ita omnia Leuitica ſacrificia figuræ fuerunt. Neq; enim per ſe ſanctificabant aut purifi-

Feſtum paſchæ.

cabant

cabant quenquam, sed significabant hostiam Messiæ futuram, expiaturam omnia totius mundi peccata. Illa aderat iam, uerum adeò non agnoscebatur pro uera illa oblatione criminum, ut ipsi primores populi cuperent manus in sanguine ueri agni lauare. Mirifice enim sanguini eius inhiantes, metuentesq; ne forte ad festi ue niat celebritatem ipsiq; sua frustrentur spe, & suo illo crudeli excidant consilio, anxie inter sese huiusmodi uoluunt sermones, Quid obsecro causſæ subesse puta tis quod Iesus ille præter morem à tanta abest solennitate? An forte sensit insidias ipsius uitæ structas esse? Et quoniam hoc ipsum sibi persuaserant, nouum captant consilium. Mandant enim cum authoritate, ut si quis nosset ubi lateret Iesus, indi caret ipsis, quo posset capi & in manus tradi pontificis & seniorum. Vbi certe ob seruanda est indefessa impiorum sedulitas, quæ haud dubie nostram oscitantiam in rebus optimis condemnat. Et ô uana, misera & stolida hominum consilia. Sta tuunt impij Christũ sibi metuere, & abstrusum latere in tenebris, è quibus ipsum mandatis & insidijs nituntur protrahere, protractum capere atq; opprimere. Et adest sua sponte nec proditus nec protractus è latebris, neq; iam clanculum & ob scurus subrepit in urbem, sed sublimis in mula, medius in pompa regia, ac inter acclamantium uoces, magnifice inuehitur, templum ingreditur, ex eo uendentes & ementes secundum proturbat, in pontifices, sacerdotes & scribas Væ horren dum intonat: id quod hi auribus propris audire, & oculis coràm uidere cogeban tur, nec tamen erat qui uel digitum contra ipsum auderet attollere. Tanta scilicet est Christi uirtus, tam elumbis est uirtus & potentia hominũ, tam inania sunt con silia contra Christum & euangelium instituta.

Augustinus ostendit ubi sit Christus.

Pie uero ex huius loci occasione Sanctus Augustinus cum Iudæis agens, Tra ctatu in Ioannem 50. Nos indicemus modo Iudæis, inquit, ubi sit Christus. Vtinã uelint audire & apprehendere. Quicunq; sunt ex semine illorũ qui dederunt man datum ut indicaretur eis ubi esset Christus, ueniant ad ecclesiam, audiant ubi sit Christus, & apprehendant eum. A nobis audiant, & ex euangelio audiant. Oc cisus est à parentibus eorum, sepultus est, resurrexit, à discipulis agnitus, ante ocu los eorum ascendit in cœlum, ibi sedet ad dexteram patris: qui iudicatus est, uen turus est iudex. Audiant, & teneant. Respondent, Quem tenebo? Absentẽ? Quo modo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenui sti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde. Quoniam Christus absens etiam præsens est. Nisi præsens esset à nobis ipsis teneri non posset: sed quoniam uerum est quod ait, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi, & abijt, & hic est: & redijt & nos non deseruit. Corpus enim suum intulit cœlo, maiestatem non abstulit mundo.

CAP. XII.

Iesus ergo ante sex dies paschæ uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quẽ suscitauit à mortuis. Fecerũt aũt ei cœnam ibi, & Martha mi nistrabat. Lazarus uero unus erat de numero discumbentium cum eo.

Cœna Bethanensis.

Describit porrò Ioannes Bethaniense illud conuiuium, quod in eo aperiatur alia passionis domini causſa, quod uidelicet hostes Christi attinet, Iudæ auaritia & impietas. Hic enim fœda uictus cupiditate, sitientibus domini sanguinẽ sacerdoti bus hauriendiq; occasionẽ quærẽtibus, & obtulit & uili pretio uendidit, quo dam num & iacturã sarciret quã sibi effuso in corpus domini unguento feciſſe uideba tur. Interea uaria traditur eruditio in ijs quæ diligẽter per circũstantias explicata proponuntur. In primis autem repetitur temporis notatio, ut uetus in memoriam reuocetur typus, ac significetur adesse nunc agnum uerum, propter cuius sangui

nem toti mortalium generi parsurus sit deus. Itaq; septimo ante paschæ festũ die rediit Bethaniam Christus: ubi & conuiuatur. Aiunt autem celebre & receptum fuisse Iudæis eo die agnum paschalem cœna splendidiore ceu prælibare. Deinde mentione Lazari mortui quidẽ sed resuscitati memoria, prodigiosum illud Christi facinus renouat, quo uidelicet cõfirmet fidem resurrectionis & immortalitatis contra metum & terrores mortis, & contra scandalum crucis. Cæterum apparabatur cõuiuium in ædibus Simonis leprosi, impensis fortè Marthæ, aut certe Martha ministrante, & conuiuium quidem splendidum, quod non morose aspernabatur aut accusabat dominus, qui alibi quoq; cœnat lautius, neq; unguentum quod alias etiam seruiebat mysterio, auersatur. Vsus enim donorum dei & rerum externarum moderatus & religiosus omni culpa uacat: sicuti annotatũ est & in 9. Matth. cap. Significanter autem adiicit, Lazarus uero unus erat de numero discumbentium cum eo. Nam S. Augustinus, Ne putarẽt, inquit, homines phantasma esse factũ, quia mortuus resurrexit, unus erat ex recumbentibus, uiuebat, loquebatur, epulabatur, ueritas ostendebatur, infidelitas Iudæorum cõfundebatur. Porrò cum Ioannes tam diligẽter omnia Lazari recensuerit describseritq;, cui quæso uerisimile uideatur saltem probabilem contexere narrationem, quos non pudet ex Lazaro dei amico facere Vlyssem aut Aeneam quendam, qui intra hoc quatriduum Plutonis regiam peragrans uiderit infanda tormentorum genera, colubros mire prodigiosos instar abietum, & crates nescio quot iugerum latitudinem & longitudinem occupantes? Fabulæ sunt ad imitationem poëtarum conflictæ. Quod enim diuina sapientia nos ignorare uoluit, id nõ potest ullo cum fructu inquiri, imò si inquiratur nostram maxime detegit stultitiam.

Vsus rerũ externarum.

Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistícæ pretiosæ, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis. Domus autem impleta est ex odore unguenti.

Inter alia mysteria, quæ hac nobis traduntur cœna, hoc non postremum est, quod & mortem & resurrectionem, deniq; utriusq; fructũ nobis adumbrat. Nam quod Maria corpus Christi ungit, significat moriturũ dominum. Solebant enim mortuorum corpora inungi: sed quod priusquã mortuus esset uiuũ corpus inungit, resurrectionem ostendit. Inde uero gratissimus odor per uniuersam spargitur ecclesiã, quem odoratus pater cœlestis toti mortaliũ generi placatus est. Ephes. 5. Atq; ad hunc modum expositi ipse dominus unctionẽ illam suam paulò post, dicens, Sine illam, in diem sepulturæ meæ seruauit illud. Seruauit autem dixit, quia diem mortis præuenit ungendo. Ex his non inuenustam contexens allegoriã beatus Augustinus. Tract. in Ioan. 50. Quæcunq;, inquit, anima fidelis uis esse, cũ Maria unge pedes domini pretioso unguento. Vnguentum illud iustitia fuit, ideo libra fuit. Erat autẽ unguentũ nardi pistícæ pretiosæ. Quod ait pistícæ, sacramẽto optime quadrat. Pistis Græce fides dicitur. Quærebas operari iustitiam? Iustus ex fide uiuit. Vnge pedes Iesu bene uiuendo, dominica sectare uestígia. Capillis terge, si habes superflua, da pauperibus, & domini pedes tersisti. Capilli enim superflua corporis uidentur. Habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua sunt, sed domini pedibus necessaria. Domus autem impleta est odore, mundus impletus est fama bona. Nam odor bonus fama bona est. Qui male uiuunt & Christiani uocantur, iniuriam Christo faciunt: de quibus dictum est quod per eos nomen domini blasphemetur. Et quæ sequuntur. Reliqua pete ex Matth. 26. cap.

Gen. 9.

Dicit ergo unus ex discipulis eius Iudas Simonis Iscariotes, qui erat eũ pro-

proditurus, Quare hoc unguentũ non uenijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc non quod pauperes ipsi curæ essent, sed quia fur erat, ac marsupium habebat, eaq; quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Iesus, Sine illam, in diem sepulturæ meæ seruauit illud. Pauperes enim semper habetis uobiscum, me uero non semper habebitis.

Etiam horum expositionem pete ex 26. cap. Matthæi. D. Chrysost. Homel. in Ioan. 65. Quod si quis inquirat, inquit, Cur Iudæ cum fur esset loculi pauperum commissi sint? cur auarum fecerit dispensatorẽ? Illud sanè dicemus, deum arcanã intelligere rationem. Quod si quid & à nobis est coniectandũ, ut omnem tolleret proditionis materiam. Neq; enim poterat dicere pecuniarũ id cupiditate fecisse. Sufficientes enim erant loculi qui eius poterant satisfacere cupiditati: sed uicit eum malitia, &c. Plura dicemus in 13. cap. *Cur loculis præfectus Iudas.*

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quod illic esset, & uenerunt nõ propter Iesum tantum, sed ut Lazarum quoq; uiderent, quem suscitauerat à mortuis. Consultabant autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

Pergit Ioannes exponere ea quæ proxime domini mortem præcesserunt, quibus subinde magis ac magis gloria & uirtus eius maxime inclaruit populo Israelitico. Inter ea primum locum obtinet, quod populus nequicquam edictis sacerdotum publice propositis inhibentibusq; ne quis se Christo iungeret, sed neci destinatũ potius proderet, adeò non obtemperat ut iam studiosius etiam sequatur Christum atq; inquirat. Ingens enim turba, inquit Ioãnes, populi Iudaici, ubi audisset Iesum esse in Bethania, eò ad ipsum cõfluebat cõfertimq; accurrebat: partim quidem ut ipsum uiderent & audirent Iesum qui Lazarũ excitarat: partim ut ipsum quoq; coràm intuerentur Lazarum, quem mirabantur exuscitatum esse ex mortuis. Tribuunt autem hoc postremum omnes interpretes studio nouitatis & curiositati plebis. Et certè uideas uel hodie, imò à multis iam annis non paucos multo plus admiratione captos suspexisse homines, quibus cũ uel per quos ceu organa operatur deus, quàm ipsum operantem deum. Hinc enim est quod diuorum ossa atq; cineres translata leguntur à principibus, ac in thecis aureis publice ꝓposita in templis & adorata: diuis itẽ ipsis instituta templa, sacerdotia et festa, statuas item & aras, ijsdem denicq; cõsecrata uota, susceptas denicq; ad ipsorũ reliquias uel imagines & sacella peregrinationes. Quemadmodum uero stultus & impius esset qui propter beneficium caloris, pulchritudinem q; luminis, utilitatem & præstantiã solis, solem adoraret, coleret & inuocaret, non autem ipsum deum potius conditorẽ solis & operantem in sole adoraret, & unice reuereretur: ita insani prorsus censendi sunt, qui præterito Christo aut non unice inuocato conuertuntur ad creaturas, hoc est, ad homines per quos uires suas exerit Christus. Quin potius discant propter uirtutem Christi, quam in sanctis admirantur, ipsum Iesum Christum uiua fide recipere, & illum solum colere, cui crediderunt, & quem coluerunt ipsimet sancti. Protinus enim de ijs sequitur qui procurrerant uisuri Lazarum, quod defecerint à Iudæis, & crediderint in Iesum, magnitudine uidelicet miraculi commoti. Crediderunt autem in Iesum non in Lazarum. Rarum uero & nouum est incredibilis crudelitatis & beluinæ truculentiæ exemplum, quod sequitur *Populus contra magistratus edictum sequitur Christum.* *Nouitatis studium.* *Beluina truculentia in hostibus Christi.*

pontifices ac phariſæos conſultaſſe,& de Lazaro nece intercipiendo non tantum de Ieſu occidendo. Vrebat enim illorum animos uehementer quod populus ab ipſis deficeret ad Chriſtum. Id quod impia ambitio iniquiſſime fert, ubicp deo debitam inuidens gloriam. Ioan. Chryſoſtomus elegantiſſime huius loci circūſtantias tractans,Eſto,inquit,Ieſus ſoluerit ſabbatum,quapropter cupiatis illum occidere,Lazarus autem quid commeruit? Nunquid beneficiū accipere crimini dandum eſt? Multa quidem ſigna fecerat Ieſus,ſed nullum ita eos efferauit, non paralyticus,non cæcus natus, curati. Hoc enim natura mirabilius erat, & poſt multa alia factum & certè admirabile erat, mortuum quatriduanum ambulantem & loquentem uidere & audire. Præterea cum cæcum illuminaſſet uidebatur uiolaſſe ſabbatum, hic cum nihil tale queri aut intendere poſſent,irritantur cōtra ſanatū. Accedit ad hoc quod cæcus erat ignobilis,hic uero clarus:quod ex eo cōſtat quod multi ex urbe ad ſorores eius uenerant conſolandas, & quod multis ſpectantibus id miraculi factum eſſet cum maxima omnium admiratione. Ideo omnes omiſſo etiam feſto,ad Chriſtum concurrebant Bethaniam. Hoc eos angebat:tentabant ergo Lazarum interimere. Ad hanc tam imanem feritatē & cæcitatem Iudæorum impiam exclamans S. Auguſtinus,O ſtulta cogitatio & cæca ſæuitia,inquit, Dominus Chriſtus qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſit occiſum? Quando Lazaro inferebatis necem,nunquid domino auferebatis poteſtatē? Si aliud uidetur uobis mortuus,aliud occiſus,ecce dominus utrūcp fecit:& Lazarum mortuum & ſeipſum ſuſcitauit occiſum.

Poſtero die turba multa quæ uenerat ad diem feſtum, cum audiſſent quod Ieſus ueniret Hieroſolymam,acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei,& clamabant,Hos anna:benedictus qui uenit in nomine domini rex Iſrael. Nactus autem Ieſus aſellum ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt, Noli timere filia Zion, ecce rex tuus uenit ſedens ſuper pullum aſinæ.

Increſcit ſubinde magis atcp magis Chriſti domini gloria,præ inuidia contabeſcentibus interim hoſtibus Chriſti Iudæis. Expoſitionem huius hiſtoriæ pete è 21. cap. Matth. Et cū ubicp admiranda ſint dei conſilia & opera, agit tamen hic in primis mirabili quodam modo. Dum enim plericp Iudæorū talem expectarent regē qualis fuerat Solomon, Cyrus & Alexander,eorum expectationē ille irriſam eſſe uoluit, cum abſcp ſtrepitu regio urbem inuehitur, humilis inſidens aſello, docens uticp regnum ſuum doctrina ſancta & uera, pietate & manſuetudine, non armis & ſuperbia aut luxu regio & conſtitui & conſeruari.

Chriſtus rex populi dei.

Hæc autem non cognouerunt diſcipuli eius primum,ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tunc recordati ſunt, quod hæc eſſent ſcripta de eo, & quod hæc feciſſent ei.

Diſcipuli per interualla didicerunt.

Ne ipſi quidem diſcipuli domini intelligebant cur Chriſtus dominus aſello inuectus urbem ingrederetur regiam. Nam & ipſi ante plenitudinem uel primitias ſpiritus ſancti acceptas neſcio quid uulgare & temporariū ſomniabant de regno Chriſti. Vbi uero dominus aſcendiſſet in cœlū ac ſpiritum miſiſſet ſanctū,nō modo intelligebant quale futurum Chriſti regnum, ſed ſimul uidebant dominū omnia ſua ad præſcriptum legis ſeu iuxta figuras & uaticinia prophetarum geſſiſſe, præcipue uero Hieroſolymorū urbem ſic ingreſſum quemadmodū ingreſſurum

prædi-

prædixerat Zacharias. [Habet ergo cognitio rerum Christi & fides sua augmenta & gradus suos, quibus temporis progressu usq; ad summum & plenitudinem ascendit. Docemur item pios scripturas respicere, & ad has omnia sua exigere. Impij scripturas aspernantur, & omnia pro libidine sua animiq; sui sentētia gerunt.

Testificabatur igitur turba quæ erat cum eo, quando Lazarum uocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis, propterea & obuiam uenit ei turba, quod audierant eum ædidisse hoc signum.

Caussam ostendit quare studio usqueadeo ardenti obuiã Christo effusa sit turba. Hoc, inquit, tam insigne populi studium excitarant multi (uerbis utor Paraphrastæ) qui pridem adfuerant iuxta Bethaniam, cum dominus Iesus excitaret Lazarum è monumento, & quod oculis suis conspexerant, cæteris narrant. Et hinc tam frequens hominum multitudo prodierat obuiam Iesu, quod ex his qui uiderant cognouissent hoc insigne miraculum ab illo proditum, quale non erat auditum ab orbe condito. Id quia palàm diuinam quandã uirtutem præ se ferebat, honos quoq; exhibitus qualis nulli prophetarum exhibitus. Finis ergo omnium miraculorum Christi est, ut recipiamus Christum credamusq; in ipsum. Nec tacenda sunt opera domini, sed omni cum laude omnibus prædicanda creaturis, atque commendanda.

Pharisæi ergo dixerũt inter se, Videtis quod nihil proficitis? Ecce mundus post eum abijt.

Quo magis increscit gloria Christi domini, hoc magis gliscit liuor, ira & furor in hostibus Christi: uincuntur tamen, & adobruuntur rerum Christi gestarũ mole, & prædicatione euidentissima, adeò ut amentes omniq; carentes consilio desperare ferè cogantur. Maximo enim cum furore clamitant, Videtis quod nihil proficitis? Quod Germanice efferimus, Sähend jr yetzund das wir nüt schaffend? Imò quo obsistimus magis, hoc magis inclarescit illius gloria populiq; studium accenditur. Nimis diu parsimus homini nocentissimo, nimium fuimus clementes, nimis diu dissimulauimus, euenitq; quod semper futurum prædiximus, fore scilicet ut non liceat incendium hoc extinguere, tametsi maxime uelimus omnes, initijs ergo occurrendum: hoc autem multis uestrum displicuit, iam itaq; quid illa lenitas uobis pepererit, uidetis. Antea pauculos aliquot habuit discipulos, ecce nũc totus mundus deficit à nobis ad illum, ut egerrime possimus uirentem & increscentem adeò sectam excindere. Similia nostro sæculo conquerentes proferunt, quibus dolet nõ ab initio protinus prædicati euangelij, omnes euangelij studiosos ferro & igni esse excisos. Nunc enim, inquiunt, maledicta & damnata illa hæresis tam alte egit radices, ut non queat nisi multo & magno sacerdotũ & ordinis hierarchici dispendio euelli. Verum insaniãt miseri quoad libet, Christus dominus regnat & regnabit in medio inimicorum eius. Istis non dolet religionis contemptus, dolet autem quod se præteritis, qui hactenus fuerunt in pretio, & lucrũ ex superstition: splendidum perceperunt, totus populus ad Christum & fidem euangelicam conuertitur, superstitioq; prorsus cõtemnitur, unde et lucro plurimũ decedebat. Diuersam sententiam sequitur Chrysostomus, qui Homelia in Ioan. 65. Videntur mihi hæc esse uerba recte sentientium, non audentium tam palàm loqui, ex euentu tamen illos conuincentes, quamuis frustra conarentur, &c.

Confusio impiorum.

Querelæ hostium uerbi dei.

Erant autem quidam Græci ex his qui ascenderant ut adorarent in fe-

sto: hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes, Domine, uolumus Iesum uidere. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dicunt Iesu.

Veniunt & gentes ad dominum.

Accedit hoc quoq; ad cumulum gloriæ Christi, quod gentiles aliquot uidendi Iesu desiderio tenebãtur. Sed & descriptio siue notatio eorum facit ad gloriam Christi amplificandam. Erant, inquit Ioannes, Græci, nimirum Gentiles siue Barbari. Apostoli enim Græcos appellabant omnes illos, qui non erant ex genere Iudaico, Arabes scilicet, Schytas, Aegyptios, Indos, Persas, Romanos, Græcos ipsos, Germanos, Carmanos, &c. Quanquam autem Græci essent, erant tamen religiosi & prudentes uiri. Venerant à longinquo, ceu Saba ex Aethiopia in Iudæam ad Solomonem, uenerant inquã adorandi gratia in templo Hierosolymitano, cuius tanta erat fama apud gentes exteras, ut Hierosolymam proficiscerentur religiosiores non sine splendidis donis siue muneribus ab omnibus ferè mundi partibus. Ita commemorant & Eunuchum Aethiopem ascendisse adoratum Acta apostolica. Prudentia uero ipsorum in eo quoq; relucet, quod non sine pudore & reuerentia Philippũ salutant, non protinus illotis manibus & pedibus perfrictaq; fronte irrumpunt ad dominum, cui timorem & honorem deferunt, sicut & Centurio ille in euangelio apud Matthæum in 8. Iudæi contra contumelijs optime meritum afficiunt, conuitijs adobruunt, irrident, contemnunt & tantum non conculcant. Iam tum igitur imago quædam futuri præbebatur (sicut ait Paraphrastes) quod ad ecclesiam, cuius typum illud templum Hierosolymitanum gerebat, gentes antea idololatræ concurrerent, & Iesum à pharisæis reiectum debita religione complecterentur. Hos inquam cum ingens haberet desideriũ uidendi Iesum de quo tanta audierant, adeunt Philippum illum è Bethsaida oriundum, ac modeste hunc compellantes, Domine, inquiunt, effice quæsumus, ut dominũ, cui tu notissimus es, nos ignotissimi, uidere liceat. Videndi autem uerbo utuntur pro conuersandi & colloquendi siue conferendi. Sic enim & Cæsar post deuictos Persas Romanis nuncians profectionem feliciter absolutam, congressum, cõflictum & uictoriam, Veni, ait, uidi, uici. Exemplo autem istorum gentilium discimus prudentem pietatem non esse impudicam, audacem & procacem, sed maxime ciuilem, ornatam & modestam. Omnibus ergo debitum impendit honorem, citra hypocrisim & adulationẽ. Philippus homines peregrinos & religionis studiosos non despicit, sed causam ipsorum diligenter agendam suscipit. Communicat tamẽ consilium cum Andrea, utpote seniore: nõ quod difficilem sensisset usquam ad colloquia dominum, sed quod Chananeam non ita pridem durius cõpellasset dixissetq; se ouibus perditis Israelitis uenisse saluandis, quodq; præceptũ dedisset apostolis, In uiam Gentium ne abieritis. Ambo itaq; adeuntes Iesum apostoli, exponunt illi adesse quosdam ethnicos, qui ipsum uidere cupiant, si dignaretur eos admittere.

Iesus autem respondit eis, dicens, Venit hora ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si uero mortuũ fuerit, multum fructum affert.

Glorificatio Christi.

Ex occasione illa sibi oblata à discipulis suis amplissime & pleno ore deprædicat adesse iam tempus glorificationis suæ, uidelicet quod mortuus & resuscitatus in cœlos sit transferendus, & rex futurus totius mundi: omnes enim gentes creditoras in ipsum, atq; omnes per ipsum saluandos fines terræ. Insignis ergo est hic

locus,

locus, exponens nobis pleniſſime uim, fructum, & excellentiam mortis Chriſti, idq; per allegoriam ſumptam à re ruſtica, & maxime uulgari, quo eſſet perſpicatior omnibus. Ad fidem uerbis comparandam facit adiectum iuſiurandum. Paraphraſtes hæc cum ſuperioribus cõnectens, & eleganter exponens, Hac, inquit, occaſione cœpit diſcipulis ſuis aperire Ieſus mortem ſuam, & quantum illa fructus ſit allatura, non ſolum Iudaicæ genti, ſed uniuerſo mundo: quod quemadmodum unius Lazari ſuſcitati miraculum, non ſolum Iudæorum plurimos, uerum etiam ethnicos ad amorem ſui attraxerat, ita mors ipſius & reſurrectio omnes totius orbis nationes eſſet attractura. Diſcipulis ergo exponentibus pium ethnicorum affectum, reſpondit Ieſus, Audiſtis Iudæos acclamantes, Benedictus qui uenit in nomine domini. Videtis gentes ſimili cupiditate accurrere, quoniam nunc inſtat tempus, ut cum phariſæi credent filium hominis prorſus extinctum eſſe, tamen maxime glorificetur apud uniuerſas orbis nationes. Nouum gloriæ genus eſt, & noua ratione parandum eſt. Viuus paucos attraxi, mortui latius diffundetur fama, plures attractura quàm attraxerit corporis præſentia. Vos abhorretis à mentione mortis: tamen illud pro certiſſimo habete, niſi granum frumenti proiiciatur in terram, atque ibi ſepultum putreſcat, mortuumq; fuerit, nihil ex ſeſe fructus prodit, ſed unicum & ſolum manet incolume. Quod ſi mortuum fuerit ac ſepultum in terra, emergit rurſum cum copioſo fœnore, pro uno grano centum reddens, iamq; læta ſeges late campos occupat, & ubere prouentu regionem ditat. Tantum ille. His adde, Ad eundem modum niſi corpus meum cædatur atque ſepeliatur, nihil ex ſeſe fructus mundo communicabit. Cæſum autem & ſepultum tertia die reſurget, multoq; cum fœnore reſurget, expiato enim peccato, exarmato diabolo, & cõculcata morte, uitam reducet, ubi uero ſubleuatus fuero in cœlos ſpiritum ſanctum effundam, & totum ad me conuertã orbem. Hic ex morte & reſurrectione mea enaſcetur fructus, denique fides omnium gentium erit gloria mea. Congruit ergo hic locus cum eo qui eſt apud Ioannem in capite ſexto, Caro non prodeſt quicquam. Eadem uero immolata pro nobis, reſuſcitata & ſublata in cœlos, ubi nunc ſedet ad dexteram patris, plus prodeſt quàm omnium hominum linguæ explicent. Vnde non temere ſuperuacanea & inutilis creditur illa diſputatio, quæ ante annos trecentos inſtituta eſt & hodie quoque ſeritur per eccleſias, De tranſubſtantiatione panis & uini euchariſtiæ in uerum & naturale corpus & realem ſanguinem domini, deq; ſubſtantiali corporea & carnali præſentia in Cœna domini. Eſt quidem in cœna ſua dominus, quæ ſanè nequaquam eſſet domini Cœna, niſi dominum haberet præſentem, ſed modo ſacramentis proprio, qui ut ueritatem communionis Chriſti cum omnibus ſanctis ingenue agnoſcit, ita ueritatem corporis eius non aufert, aut ueluti euacuans, diuinitati æquat, atque diffundit per omnia. Chriſtus enim corporaliter ad dextram patris reſidens, & ad iudicium uſque manens, nihilominus uere ſe ſuis communicat fidelibus, in quibus ipſe uiuit, & ipſi in eo. De quo abunde aliàs dixi, præſertim in 26. cap. Matth. & in ſecundo libro de Origine erroris.

Corpus Chriſti immolatum & regnans in cœlis prodeſt.

Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in uitam æternam cuſtodiet eam.

Chriſtus Ieſus, qui fidelium caput eſt, non niſi per crucem & paſſionem intrauit in gloriam ſuam, quemadmodum & granum frumenti nec auctius nec pulchrius excreſcit niſi prius fuerit mortuum computruerit q; in terra. Vnde mem-

Fideles per mortem tranſeunt ad uitam.

bra Christi, id est fideles, intelligunt quod non alia uia, quàm per afflictionem & propriæ carnis mortificationem peruenient ad gloriam. Id quod luculenter & breuiter dominus Iesus in præsentia exponit, adaptans nobis doctrinam de mortificatione & contemptu tum mortis tum sæculi huius, ne quis forte putet se Christiana religione omnibus eximi periculis. Tale ergo est quod dicit, Videtur rerum suarum iacturam facere qui frumentum elatum è granario, sulcis condit, glebis adobruit, & terræ iniuriæq; cœli credit, uerum nisi quis eo modo frumentum ueluti dissipet atq; perdat non est quod ex eo fructum aut auctionem ullam expectet. Qui enim seruat, seruando perdit: qui uero defodit in terram ac eius ueluti iacturam facit, is demum seruauit egregie & prudenter. Nam paulò post magno cum lucro recipit quod perdidisse uidebatur. Ad eundem modum nemo gloriosæ resurrectionis fit particeps, nemo assequetur felicitatem ueram & uitam beatam, nisi uitam hanc temporariam contemnat, carnem cum concupiscentijs crucifigat, & uoluptates huius sæculi conculcet. Quisquis enim uitam suam odit seu negligit, is non amittit, quam prodigit, sed uere seruat. Mox enim pro mortali breuiq; ac misera uita recipiet in resurrectione perennem ac felicissimam uitam. Neque enim anima dum discedit à corpore, perit, neque corpus dum sepelitur deperditur, sed seminatur in die iudicij immortale & glorioſum prorsus reuicturū. Plura require ex Matth. 16. cap. & 1. Cor. 15. cap.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, cohonestabit eum pater.

Hortatur ad mortificationē.

His adhortatur iam ad mortificationem carnis nostræ, & ad contemptum uitæ perituræ, quod ea res apud omnes homines propter imbecillitatem carnis permultum habeat difficultatis. Ideo uero & argumentis utitur efficacissimis, ductis à uero dei cultu & præmijs maximis. His enim maxime commouentur & incitantur mentes hominum. Inter quos multi studiose interrogant, quo cultus genere deum colant Christoq; seruiant, per cuius gratiam in fide se iustificatos esse intelligunt. At illi hic ab ipso audiunt Christo, Verus cultus quo me ueri mei cultores legitime colunt, quo mihi ministrant & seruiunt, in eo consistit si me sequantur. Igitur qui mihi seruire uelit, me sequatur. Sequitur autem Christum qui se totum dictis & factis ad doctrinam & exemplum Christi componit, uitam hanc temporariam despicit, mundi uoluptates calcat, & uestigijs inhærens Christi per patientiam in cruce & mortificatione contendit ad gloriam. Nam Matth. 16. dicit dominus, Si quis uult me sequi, abneget semetipsum & sequatur me. Et D. Petrus, Christus, inquit, afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insectaremur uestigia ipsius. Cæterum ut omnes animis alacrioribus sequeremur, amplissima proponit præmia. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Est in gloria Christus totus anima & corpore: in gloria ergo & æterna felicitate erit minister Christi. Rursus, Cohonestabit eum pater meus. Honestauit me caput fidelium, cohonestabit & membra illa mea, ut ipsis nihil metuendum sit ab ignominijs & contumelijs huius sæculi. Huc pertinet illud Pauli 2. Timoth. 2. Certus sermo. Si commortui fuerimus, etiam conuiuemus: si sufferimus, et conregnabimus. Sunt huius generis alia multa apud eundem apostolum ad Romanos 6. cap. D. Augustinus Tractatu in Ioannem 51. Quo honore, inquit, nisi ut sit cum filio eius? Quod enim superius ait, Vbi ego sum, illic & minister meus erit, hoc intelligitur exposuisse, cum dicit, Honorificabit eum pater meus. Nam quem maiorem honorem accipere poterit

re poterit adoptatus, quàm ut sit ubi est unicus: non æqualis factus diuinitati, sed consocius æternitati.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicã? Pater seruato me ex hora hac. Sed propterea ueni in horam hanc. Pater illustra nomen tuum.

Christus uerus homo horret mortem.

Quia dixerat dominus horam mortis suæ imminere, ideo nunc palàm doloribus distringi & maxime angi cor suum testatur. Id quod instruit nos & consolatur. Instruit nos, quia manifestissime uidemus uerum illum dei filium iuxta naturam humanam nobis per omnia, peccato excepto, esse consubstantialem, anima rationali & carne passibili siue mortali constantem. Affligitur enim, dolet & querulatur: quemadmodum & Matth. 26. cap. manifeste testans, Tristis, ait, est anima mea usque ad mortem. Nec uulgarem quidem sentit dolorem, sed per omnia grauissimum, qui huc perpellit ut exclamet, Et quid dicam, quibusue uerbis animi mœrorem explicem? Deus certe iuxta æternam & incommutabilem naturam suam nec dolet nec turbatur: homo metuit, ringitur, atque spiritu coartatur. Proinde iuxta hominem conturbatur & dolet, & mortem metuit dominus. Consolatur hoc pios non uulgariter, quandoquidem enim uident dominum Iesum tentatũ per omnia, dolores & metum mortis & tentationes per omnia sustinuisse grauissimas, inde colligunt se misericordem apud patrem habere intercessorem atque pontificem, qui possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sicut & Paulus dixit ad Hebr. 2. & 4. cap. Tandem uero in summo grauissimoq; periculo ad patrem ceu sacram ancoram conuersus orat, & ardenti precatur cum affectu. Precatur autem, Pater seruato me ex hora hac, libera & eripe me ex discrimine uidelicet mortis iam nunc imminentis. Congruit oratio hæc cum ea quam in monte oliueti obtulit, Pater si possibile est transeat à me calix iste. Mox tamen per correctionem hic adiicit, Sed propterea ueni in hanc horã, id est, propterea ueni in teras ut huic me subijciam discrimini: quemadmodum & in monte orauit, Verum non mea sed tua fiat uoluntas. Plura require ex Matth. 26. cap. In præsentia differte omnia in potestatem dei collocans, & dei tantũ gloriam promotam cupiens, Pater, inquit, illustra nomen tuum. Vtcunq; res meæ cedant, æqui bonique consulo, modo salua sit, illustrissimeq; elucescat tua, ô pater, gloria in mundo. Vnice enim in omnibus uotis atque precibus spectanda est dei gloria, quam prouehere, asserere atque tueri oportet, rerum nostrarum omnium, fortunarum inquam atq; uitæ uel maximo periculo ac detrimento. Sanctus Augustinus hunc locum Ioannis enarrans Tractatu in Ioannem 52. Dominus, inquit, docuit te quid cogites in periculis, quid dicas, quem inuoces, in quo speres, cuius uoluntatem certam atq; diuinam tuæ uoluntati humanæ atque infirmæ præponas. Et Paraphrastes totum huius loci contextum pulchre concinnans, quandoquidem ob affectuum diuersitatem nonnihil uidetur diuulsus & perturbatior, dicit, Mihi ob instantem mortis diem, ait dominus, sentio turbatam animam. Video grauissimam tempestatem imminere. Quid ergo dicam, aut quò me uertam? An obtemperabo corporis imbecillitati mortem horrentis? an ad mundi præsidia confugiam? an amore uitæ meæ mundi uitam negligam? Nequaquam. Ad patris uoluntatem me accommodabo. Dicet illi naturæ infirmitas mortis horrore conturbata, Pater si fieri potest saluum me fac ex hoc instanti periculo mortis. Sed mox addet humanæ salutis auida charitas, Imò si sic expedit, ueniat optata mors, quando uolens & sciens iuxta spiritus uoluntatem, quæ nusquam à tua dissentit, memet obtuli in mortem. Tu præsta ut mea mors meaq; resurrectio clarum reddat nomen tuum apud om-

nes orbis nationes, ut te cognito, te glorificantes æternam salutem consequantur.

Venit ergo uox è cœlo (dicens,) Et illustraui & rursus illustrabo. Turba ergo quæ astabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant, Angelus ei loquutus est.

Pater clarificat filij nomen.

Quemadmodum in monte oliueti missus est domino angelus qui confortaret infirmantem affectu & mœrore carnis nostræ, ita hic quoque oraculũ, patris uidelicet uox, ut percipi posset auribus humanis, formata, cœlitus delata, confirmat Christum. Nusquam enim deest dominus inuocantibus ipsum in ueritate. Respondit autem ad id quod postulauerat, Pater illustra nomen tuum. Cæterũ patris gloria etiam filij gloria est, & in filio glorificatur pater. Respondit itaq; pater, Clarum reddidi nomen meum hucusq;, & posthac amplius illud illustrabo. Hoc copiosius exponens Sanctus Augustinus, Clarificaui, inquit, cũ de uirgine natus est, cum uirtutes operatus est, cum cœlo indice per stellam à Magis adoratus est, cum à sanctis spiritu dei plenis agnitus est, cum descendente spiritu in specie columbæ declaratus, cum uoce de cœlo sonante monstratus est, cum in monte est transfiguratus, cum multa miracula fecit, cum multos sanauit atque mundauit, cum de paucissimis panibus ingentem multitudinem pauit, cum uentis & fluctibus imperauit, cum mortuos (& nuper etiam Lazarum) suscitauit. Et iterum clarificabo, cum resurget à mortis, cum mors ei ultra non dominabitur, cum exaltabitur super cœlos deus, & super omnem terram gloria eius, cum uidelicet spiritum sanctum effundet super omnem carnem, & per apostolorum prædicationem totum ad se conuertet orbem. Poterat oraculum etiam sic intelligi, Hactenus quidem es naturalis ille consubstantialis & æqualis meus filius ab æterno, at cum in fine temporũ humanam quoq; carnem indueris, declarabo ne sic quidem quicquam te amisisse diuinæ maiestatis. Morieris sanè ut homo, sed peccato, morte & inferno calcato, re-

Oraculum è cœlo.

surges ut deus, adoraberisq; mecum per totum terræ orbem. Porrò oraculum illud non obscure è terris, ceu olim dæmonum, est redditum, sed sonu maxime claro, è nubibus delatum, adeò ut multi interpretarentur tonitruũ esse factum. Quoniam uero constabat uocem esse articulatam, quæ numerata, certa, significantia, & humana attulerat uerba, erant rursus qui putarent ab angelo dei uerba illa esse pronunciata. Ita autem uariant in oraculis dei adeoq; in ipsis promissionibus hominum iudicia. Et faciunt non raro ad declarandã dei gloriam, dum uidelicet uanas & prauas excludunt suspiciones: quemadmodũ præsenti uarietate uidemus calumnijs responderi illorum, quibus illa uox uideri poterat uel è terris arte magica excita, uel ab hominibus Christo fauentibus artificiose prolata: nunc enim clare & citra omnem ambiguitatem uidemus uocem è nubibus ac cœlitus esse delatam.

Respondit Iesus, & dixit, Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos. Nunc iudicium est mundi huius: nunc princeps mũdi huius eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.

Exponitur oraculum.

Exponit ipse dominus uocem illam exauditam ab omnibus, neq; tonitruum, neq; uocem angeli esse, sed oraculum dei patris, & quo illud pertineat. Constat autem ex toto orationis contextu uocem illam cœlitus super Christum esse delatã ut confirmaretur: quoniam autem non ea duntaxat causa allata fuit, ideo dominus, Non, inquit, propter me, uidelicet solum, sed propter uos magis uenit illa patris

uox:

uox: nimirum ut intelligatis uos quoque exaudiendos, quoties in tribulationibus auxilium inuocaueritis dei: imò ut sciatis me cœlitus descendisse in terras, & cum patre omnia habere communia, unde ad plenum uos saluare possum. Certe ex huius oraculi occasione toti populo nedum suis discipulis clarissime ostendit, quem ex morte sua fructũ expectent. Quasi dicat, Delata est cœlitus uox illa propter uos maxime, ut omnes agnoscatis nunc illud adesse tempus iam olim pollicitum, quo superato satana, liberatisq; è potestate diaboli peccati & mortis fidelibus restaurandũ sit regnum dei, idq; per mortem & resurrectionem filij dei. Egregie autem exponitur paucis hisce uerbis omne totius euangelij Christi mysteriũ, unde diligentius singula explicanda uidentur, præsertim cum singula propemodum uerba suam habeant emphasim. Nunc, inquit, iudicium est mundi huius. Nunc in præsenti inquam, & iam nũc imminente hora mortis iudicium est mundi. Neque enim est quod quisquam aliud tempus redemptionis humanæ expectet: nunc enim est iudicium mũdi. Mũdus ipsum est peccatum, mors, omniumq; malorum colluuies, quæ ex satana & concupiscentia est in mundo. Sic enim mundum usurpat & depingit tam in euangelio suo quàm in epistola sua Ioannes. Iudicium per metalepsim ponitur uulgari more & iuridico pro supplicio quodam, ac uelut abdicatione. Iudicat enim magistratus cum sceleratos cædit & coërcet, & rapinam è manibus extorquet uiolenti, uimq; passo reddere iubet. Sic etiam Germanis in usu est uocabulum, Gericht vnd recht: item mit dem schwärdt oder strick richten. Nunc ergo iudicium est mundi huius, nunc abolebitur mors, nunc omnis impuritas mundi expurgabitur, nunc feretur contra mundũ ultima sententia, destruetur q; iniquitas & regnum satanicum. Adhuc enim significantius adijcitur, Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Princeps mundi huius est antiquus ille serpens, tenebrarum rector, satanas, regnans in incredulis per totum orbem. Hic eijcietur foras, id est, exuetur regno suo, spoliabitur sua potestate, pelleturq; in exilium. Fit enim allusio ad rem militarem. Nam Iesus est fortissimus ille gygas qui reperit fortem armatum custodientem atrium seu castrum, diabolum uidelicet, cui mox adimit arma, distribuitq; spolia. Iesus est semen illud mulieris quod conculcat caput serpentis, sicuti prima illa homini facta promissione in paradyso prædictum est. Eijcit ergo Iesus satanam regnantem in mundo & in cordibus hominum per errorem, hypocrisim, impuritatem, auaritiam & iniustitiam: ipse regnat in ecclesia & pectoribus sanctorum per ueritatem, fidem, sanctimoniam, iustitiam, atq; charitatem. Iam & modũ indicat quomodo superaturus sit mundum, & expulsurus aut proturbaturus satanam regnaturusq; in suis, Et ego, ait, si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. De exaltandi uerbo dixi in 3. cap. Per mortem ergo resurrectionem & ascensionem in cœlos trahit electos suos ad se dominus. Trahit autem è peccatis, damnatione, inferis, diabolicq; potestate, ad se, id est, ad uitam sempiternam, ad libertatem, & ad dignitatem atq; gloriam filiorum dei. Hic uidelicet insignis ille fructus est passionis & mortis Christi. Et ne quid hic dubij supereesset ipse historicus de suo, pro lege tamen historiæ, adijcit, Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus, nimirum in crucem affigendus atq; exaltandus. Præterea significantissime dicit, Omnes ad me traham, ne quis forte è metuat se è communi excluſum salute condemnandum. Monuit autem D. Eras. in Annotat. omnia Græcorum exemplaria πάντας omnes habere, non πάντα omnia, ac ita interpretari D. Chrysost. & Theophylact. non modo Iudæos, uerum etiam Græcos ac barbaros esse trahendos. Nõ tamen dissimulat Sancti Augustini lectionem. Hic enim in Ioan. Non autem dixit omnes, inquit, sed omnia. Non

Iudicatur mundus per Christum.

Princeps mundi foras eijcitur.

Per crucem uincit principem mundi huius Christus.

enim omnium est fides. Non itaq; hoc ad uniuersitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est spiritum, animam & corpus, & illud quod intelligimus, & illud quod uiuimus, & illud quod uisibiles & coniectabiles sumus. Aut certe omnia hominũ genera, siue in linguis omnibus, siue in ætatibus, siue in gradibus honorum omnibus, siue in artium licitarum uel utilium professionibus omnibus, & quicquid aliud dici potest secundum innumerabiles differentias. Dubiũ autem est an priuatim aliquid cum Græcis colloquutus sit dominus, an duntaxat præsenti dissertationi ipsos adhibuerit: quod certe uerisimilius est. Quod uero nihil apud ipsos iactat & spirat magni, sed simplicem ueritatis doctrinam de fructu mortis suæ, & mortificatione carnis nostræ profert, exemplum nobis reliquit modestiæ studiiq; ueritatis & simplicitatis.

Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege, quod Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus, Adhuc breue tempus lumen uobiscum est. Ambulate donec lucem habetis, ne uos tenebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Dubium est quo animo, & à quibus proposita sit hæc quæstio saluatori, bono ne à bonis & discendi cupidis, an prauo à malis & calũniatoribus. Vt enim in omni gente suas oues habet dominus, ita nunquam defuturi sunt calumniatores ueritati. Si boni & ueritatis studiosi hanc quæstionem proposuerunt, tale quiddam dixisse uidentur, Miramur domine quomodo hæc duo inter se constare possint, mortalem esse & immortalem. Etenim dictis & factis tuis edocti didicimus hactenus te esse Messiam. Constat autem ex scripturis Messiam fore immortalem, & regnum eius perpetuum, quomodo itaq; dicis te exaltandum in crucem & occidendum? Si mali proposuerunt, huiusmodi quiddam proposuerunt, Lex dei siue scriptura sancta (sub legis enim uocabulo etiam prophetas consueto loquendi genere intelligunt) manifeste perhibet Messiam ipsum fore immortalem, & regnum eius sempiternum. Cum autem tu dicas te exaltandum in crucem & perimendũ, manifestum est te non esse Messiam, nisi Messias probrosa morte polluendus sit. Ad hæc paucis potuisset distinctione naturarum in medium prolata respondere, nempe unum atq; eundem Messiam & mortalem esse & immortalem. Nam iuxta naturam diuinam est immortalis, mortalis uero secundum naturam humanam. Maluit tamen uno uerbo adumbrare responsionem, & copiosius operosiusq; ipsos adhortari ad fidem. Appellat se lucem: & lux per antonomasiam pro ipso Christo ponitur. In uoce Lux est quæstionis solutio adumbrata uerius quàm explicita. Nequit lux ulla, quantumuis densa & atra nube contecta, contaminari: nequeũt solis radij, quantũuis crassa noctis caligine in sua substantia obducti sint, polluí: obscurari quidem & hebetari uidetur lux successione noctis & nubium obiectu, nihil tamen patitur in sua essentia. Ita Messias immortalis simul & mortalis est, patiens in carne, & obscurus in pura illa sua nube, adeoq; tenebricosus in nocte, mortalis uidelicet in sancta carne, qui immortalis & uiuus lux & splendor paternæ gloriæ est in sua diuinitate.

Quomodo Messias mortalis et immortalis.

Non polluitur morte filius dei.

Adhortatio ad fidem.

Adhortatio autem ad fidem admodum est grauis & ardens. Principio ab occasione temporis attrahens auditores, Proposita est uobis, inquit, cœlitus lux, hoc est,

est, ueni cœlitus ad uos dei filius, attuli doctrinam euangelij lucidissimam atque purissimam. Cæterum ea lux, ego ipse, breui tempore uobiscum sum mansurus: proinde ambulate in luce dum lucem habetis. Ambulat in luce qui Christum domini recipit, euangelio credit, uitam suam ad lucem componit, in omnibus Christum & doctrinam eius imitans. Iam & damnū quod accepturi sint increduli indicans, Ne uos, inquit, tenebræ occupent: ne errores, peccata & damnatio uos opprimant. Cui mox sententiam è uulgo explicandi gratia addit, Et qui ambulat in tenebris, nescit quo uadat. Qui sequitur cæcos animi sui affectus, in tenebris ambulat, nec scit quò uadat, dumq; credit se pie recteq; facere impingit in mortē errores atq; calamitates. Iam repetit iterum quod in caussa præcipuum est, Vos itaq; quandiu lucem habetis uobiscum credite luci, recipite per fidem dei filium, credite euangelicæ doctrinæ. Addit præmiū amplissimum, Vt sitis filij lucis. Filij lucis sunt filij dei, qui operantur opera lucis. Quò nimirum illud Pauli pertinet, Eratis quondā tenebræ, nunc autem lux in domino: ut filij lucis ambulate (nam fructus spiritus situs est in omni bonitate & iustitia & ueritate) probantes quid sit acceptū domino, & ne commertium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, Ephes. 5.

Hæc loquutus est Iesus, ac digressus abscondit se ab eis. Cum autem tam multa signa feciſſet coram eis, non credebant in eum: ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaias quando uidit gloriam eius, & loquutus est de eo.

Post tam manifesta signa, & solida apertaq; dogmata, uehementes item adhortationes domini Iesu, cum adhuc obstinate pergerent in sua incredulitate Iudæi, abijt & abscondit se ab eis, sui ipsis negans præsentiam, idq; certas ob caussas atq; ad tempus, quemadmodum hucusq; non semel fecerat: de qua re suis locis dictum est. Affigit his Ioannes de suo, more historico, breue de excæcatione Iudæorum iudicium, non quidem ex suo profectū ingenio, sed ex instinctu sancti spiritus pronunciatum. Miretur enim aliquis quî factum sit, ut gens illa post tot & tanta signa non crediderit Christo. Respondet huic Ioannes, ac dicit, Tales omnino futuros prædixit Isaias, quales nunc sunt Iudæi, homines apud quos nulla ualet ratio. Nō autem ideo fuerunt tales, quia prædixit propheta: sed ideo prædixit quia tales futuri erant. Citat duo Isaiæ testimonia. Alterum ac prius sumptum est ex 53. cap. Isaiæ, ubi uidens diuinus uates extremam filij dei humilitatem & deiectionem, incarnationem, supplicium, mortē, crucem, & crucis scandalum, per admirationē exclamans, Quis obsecro, inquit, credet nobis domine prædicantibus dei filium induisse carnē? quis credet illū esse æternā dei potentiā, qui oībus subiacet, etiam uilissimorum impijssimorūq; hominū iniurijs? Pauciſſimi certè recipient, ac pro ueritate indubitata agnoscent istam humilitatē extremā, supremā esse dei uirtutē: quin potius dei sapientia plerisq; stultitia, et expeditissima ad salutē uia, ijsdem erit scandalum ac laqueus. Hoc uaticiniū nunc, ait Ioannes, in gente Israelitica cōpletur, dum hæc potentissimum & clementissimū dei filium, dictis & factis suam maiestatem probantē exerentemq;, non agnoscit, nulla alia re magis impedita quàm

De excæcatione Iudæorum.

humilitate Christi. Alterum testimonium ex sexto Isaiæ cap. petitum est, cui hanc præfigit præfatiunculam, superiora dilucidius explicantem, Propterea non potuerunt credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorũ, &c. Cæterum præcedit in uaticinio, Auribus audietis, & non intelligetis, &c. Ideo itaq; non potuerunt credere, quia planam audientes domini doctrinam, & irrefutabilia uidentes signa, agnoscere, uidentibusq; oculis uidere noluerunt: ideo inquam excæcauit oculos ipsorum dominus iusto iudicio, ut iam in tenebris palparent, impingerent atque corruerent. Plura de hoc Isaiæ testimonio annotaui in Matth. 13. cap. Plura de ipso disputat Chrysostomus Homelia in Ioannem 67. & Sanctus Augustinus Tractatu in Ioannem 53. quæ quoniam prolixiora erant, nolui tantis Lectorem onerare. In fine adjcit Ioannes, Hæc dixit Isaias quando uidit gloriam eius, & loquutus est de illo: id quod ad utraq; refero testimonia, ut hæc uerba, Excæcauit oculos eorum, &c. dixerit quando uidit gloriam dei, de qua per initium 6. cap. satis copiose disseritur. Illa uero, Et loquutus est de eo, dixerit de ijs quæ mutuauit ex 53. cap. Isaiæ. Hoc enim caput integrum conscripsit de Christo Iesu. Scio quomodo se ringant & torqueant Iudæi, exponentes illud caput de propheta ipso, alij de alijs. Apud Christianum plus debet ualere unius & solius Ioannis authoritas & expositio, quàm omnium Iudæorum glossemata. Dicit autem Ioannes Isaiam in 53. cap. loquutum esse de Messia, hoc est, de Iesu Christo. Sunt tamen qui etiam postrema illa uerba, Et loquutus est de eo, referant ad 6. cap. quasi uisio illa dei, non alia fuerit quàm uisio Christi, qui sit deus super omnia benedictus in sæcula, Amen. Ac huic expositioni plane nihil refragor. Ad utrũq; enim non inepte referri & accommodari potest. Habes paucis expositam causam, cur gens Israelitica non crediderint Christo: quia offensi sunt humilitate Christi, & plus dilexerunt tenebras quàm lucem, ideo permisit illos iustissimus deus in tenebris palpare errorum. Dominus seruet nos à malo, Amen.

Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter pharisæos non confitebantur, ne è synagoga ejcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam dei.

Fides sine confessione.

Per antithesim opponit non omne tamen Israelis semen esse excæcatũ, quosdam enim ex principibus credidisse: uerũ mox eosdem notans, addit, quod nondum plene crediderint. Nam fides ipsorum muta erat & sine confessione. Adjciuntur huius imperfectionis, aut peccati uerius, causæ, Metus & Ambitio. Metuebant ne locum in synagoga honoratiorem amitterent, & pro hæreticis excommunicarentur. Plus ergo dilexerunt, ait Ioannes, gloriam hominum quàm gloriam dei. Id non leue peccatum est, sed multò grauissimũ, præsertim si non emendetur pœnitentia, ex qua postmodũ libera enascatur Christi & euangelicæ eius doctrinæ confessio: quam principes illos tandẽ fecisse plericq; opinantur interpretes: quæ nisi sequuta fuisset, non uideo quid ipsis profuisset muta fides & nimium adeoq; probrosum gloriæ huius sæculi studiũ. Nam in 5. cap. dixit dominus, Quomodo uos potestis credere, qui gloriam accipitis ab inuicem, & gloriam quæ à solo deo est non quæritis? Proinde docet hic locus manifestissime non placere fidem mutam deo, eam inquam quæ propter gloriæ opum fortunarumq; studium caret libera ueri confessione. Idem uidere licet in Matthæi cap. 10. & Marci 8. Interim non damnandi sunt protinus infirmi, rursus non probanda est ipsorum fides, sed annitendum potius ut tandem caducis huius sæculi rebus posthabitis,

Christum

Christum & doctrinam eius libere etiam cum detrimento & iactura rerum temporariarum confiteantur, id est ut ueram habeant fidem, pluris uidelicet habentes deum & Christum eius quàm gloriam huius sæculi uanam & perituras opes. Laborant hodie hoc eodem morbo quo principes illi uiri laborarunt, non pauci mortales. Intelligunt enim doctrinam ueritatis, & quis sit legitimus sacramentorum usus. Intelligunt pontificiam doctrinam ex diametro pugnare cum euangelica, & sacramenta domini non administrari iuxta institutionem Christi, cœnam in primis, ex qua fecerũt Missam abominabilem. Nihil nunc dico de alijs quibusdam cum ueritate & uera religione pugnantibus capitibus, quæ isti omnia uidẽt & intelligũt, sed nihilominus propter metum, & studium rerum temporariarum, illis ipsis communicant, in utrũq; latus claudicant, & ueritatem libere non confitentur. Hi certe peccant grauiter omnes: nec debent in errore suo confirmari, ut credant satis esse (quod tamen multis uidetur) si corde uerum retineant & animo bene de euangelio sentiant, abominationes interim istas & ritus contra uerbum dei institutos pie & suo quodam sensu interpretentur, hoc est, adsint & communicent Missis, non ut Missis, sed tanquam cœnæ domini. Quasi uero unquam uoluerint sancti dei martyres sacris communicare gentilium prophanis, non sensu quidem & intellectu gentili, sed Christiano, tanquam mysterijs Christianis. Quin aperta & plena uoce ac confessione profitebantur se nolle illorum esse consortes sacrorum, aut uideri saltem quicquam habere cum ipsis cõmune. Odit enim deus hypocriticam illam simulationem; ueritatem & syncritatem amat, qui per Heliam prophetam suum dixit, Quousq; claudicatis in utrũq; latus? si dominus est deus, sequimini illum: si Baal est deus, sequimini illum. Proinde docendi sunt potius infirmi illi syncere, ne in simulatione sua periclitentur, sed imbecillitatẽ suam agnoscant, deo infirmitatem, errorem atque peccata cõfiteantur, deum orent, gratiam suam conferat, ut tandem posito metu & calcatis rebus caducis atq; terrenis, pluris faciant æternum bonum, & libere Christum confiteantur.

Iesus autem clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me: & qui uidet me, uidet eũ qui misit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

Vltimus domini ad plebem habitus sermo.

Post hunc sermonem non legitur ullus alius à domino habitus ad plebem publice, unde arbitramur hunc esse ultimum publice ad totam ecclesiam pronunciatum, & proxime quidem quàm se absconderet. Mire in eo ardent omnia, unde & ab initio clamasse uerius quàm dixisse legitur. Contexuit epilogum siue compendium totius doctrinæ suæ. Et initio dicit quis sit, uerus utiq; deus & homo, in unitate personæ, naturis inter se impermixtis. Credimus enim in Iesum non ut in hominem, licet uerus & naturalis sit homo, sed ut in deum uerum, quem misit pater, cum quo est eiusdem substantiæ, naturæ & gloriæ: ut qui in filium credit, credat & in patrem, id est in deum uerum. Ita qui uidet filium, uidet patrem. Non quod pater uisibilis sit & corporeus, sicut filius iuxta carnem uisibilis est & corporeus: sed quod eo loquutionis genere æqualitatem omnino parem efferre uoluerit. Quoties enim similitudinẽ rerum uel personarũ inter se nulla re distantiũ significare uolumus, dicimus, Qui unũ uidit aliũ quoq; uidit. Hic enim illi per omnia similis est. Ex his constat eandem esse patris & filij deitatem, & filium uerum esse deum. Nec aliter hunc locum expositit & Sanctus Augustinus Tractatu in Ioannem 54. sic dicens, Quod ait, Qui credit in me non credit in me,

&c. quomodo intellecturi sumus, nisi quia homo apparebat hominibus, cum lateret deus? Et ne putarent hoc eum esse tantummodo quod uidebant, talem ac tantum se uolens credi qualis & quantus est pater, Qui credit in me, inquit, non credit in me, sed in eum qui misit me: id est, non credit in hoc quod uidet, sed in patrem. Sed qui credit in patrem, necesse est eum credat esse patrem: qui autem credit eum patrem, necesse est ut credat eum habere filium: ac per hoc qui credit in patrem, necesse est ut credat in filium. Et reliqua. Nam pluribus tractat hoc negotium. Expositurus illis quis sit Iesus uerus utiq; deus & homo, sequentibus explicabit quare uenerit in mundum, missus à patre, & incarnatus de spiritu sancto ex Maria uirgine. Ego, inquit, lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Tenebræ sunt peccatum, mors & condemnatio, quibus omnes homines sunt obnoxij. Solus Christus lux est, deus uidelicet & splendor paternæ gloriæ, ueritas, iustitia, uita, salus. Hæc ut communicaret hominibus, descendit è cœlo, & incarnatus est. Communicat autem iustitiam & uitam credentibus. Fide enim recipimus dona dei, & per fidem totus Christus fit noster. Vnde secundo repetijt fidem, postulans à suis ut credant in ipsum. Plura de his in cap. 1. 3. 5. 7. 8. 9. Proinde in tenebris, in errore, in peccatis, in morte & in condemnatione non manet, quisquis in Christum credit.

Et si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim ueni ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Qui reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem loquutus sum ille iudicabit eum in extremo die.

Iudicabuntur contemptores euangelij.

Repetit causam aduentus sui in mundum. Veni, inquit, nunc in terras, non ut iudicetur, sed ut saluetur mundus. Secundo demum aduentu iudex aderit o mortalibus: sicut copiosius exposui Ioan. cap. 3. Interea non manebit inulta incredulitas, punietur enim contemptus uerbi dei. Nunc enim & pœnam siue supplicium inferit quod sumpturus est deus de euangelij contemptoribus. Pertinet enim hic quoque locus ad præcipua doctrinæ euangelicæ capita. Licet nunc ueniens, ait, cupiam omnes homines saluos fieri, non tamen impune ferent, & absque iudicio decedent, qui respuunt dei filium. Sermo enim euangelij semel auditus, & omnia illa mea opera ac beneficia uisa uel intellecta iudicabũt siue coarguent quemuis, ubi hinc discedendum uel moriendum est, quod merito & sua culpa perit. Audiuit & intellexit euangelij prædicationem, quæ inuitauit præmijs, deterruit supplicijs, allexit beneficijs, excitauit miraculis, neminem à salute repulit, omnibus aditum ad uitam aperuit: sed ille hucusq; constanter contempsit omnia, nunc ergo in extrema die, id est in mortis articulo, recurrunt illa omnia, accusat ipsum rea conscientia, testificans æquissimo dei iudicio eum condemnari, qui omnia dicta & facta, omnia beneficia adeoq; ipsam longanimitatem dei contempsit, & salutem oblatam respuit. Sic inquam sermo euangelij iudicat quemuis in extremo die. Teneamus hæc memori corde & animo, & caueamus ne loquentem nobis in euangelio domini contemnamus.

Quia ego ex meipso non sum loquutus: sed qui misit me pater, ipse mihi mandatũ dedit quid dicam & quid loquar. Et scio quod mandatũ eius uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

Grauissime

Grauiſſime his aſſerit uniuerſam ſuam doctrinam euangelicam, non humanam, ſed planè diuinam eſſe ac certam, indubitatam & authenticam. Ideo, inquit, tanta doctrinæ & uerbo meo tribuo, quia ex deo patre, non ex ulla corrupta & mendaci carne profecta eſt. Ille mihi mandatum dedit (iuxta hominẽ loquor) quid doceam, & quomodo doceam. Ad eum ergo modum & hoc ipſum quod iuſſit ſiue mandauit doceo. Imò multa cum certitudine addit amplius, Et ſcio quod mandatum eius uita æterna eſt. In doctrina euangelij comprehenditur uera beatitudo, & traditur uera felicitas. Et hic finis eſt doctrinæ euangelicæ ut æternum uiuamus. Nec eſt quod quiſquam hic uel tantillum addubitet. Veritas enim quæ mentiri neſcit, dixit, Scio quod mandatum eius uita æterna eſt. Iterum uero repetit ſe nihil ex humana ratione aut cõmentatione, omnia autem ſua ex diuina ſapientia & potentia & docuiſſe & egiſſe, dicens, Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor. His commendauit toti mundo authoritatem doctrinæ euangelicæ, quam qui diſputationibus ſuis in dubium ponunt aut labefactare uolunt, in ipſam haud dubie dei maieſtatem peccant. Pulchre uero his concluſit publicas ſuas ad populum conciones. In his enim eſt uis totius doctrinæ Chriſti, quæ hodie per eccleſias ſeritur.

Euangelij doctrina diuina eſt.

Sic inquam denuo & ueluti de nouo demonſtrauit Ioannes per reſuſcitationẽ Lazari, per uaria hoſtium conſilia, per unctionem in conuiuio Bethanienſi, per accurſum populi, per ingreſſum illum in urbem regiam planè regium, per gentilium acceſſum, perq; uaria teſtimonia, per ſermones multiplices & euidentes, quod Ieſus eſt dei filius ſaluator & uita omnium in ſe credentium.

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER VII.

SANCTVS Ioannes ea hucusq; tradidit quæ priuatim & publice dominus ante paßionem ſuam dixit & fecit inter ſuos familiares & coram tota plebe tam diſputando quàm concionando, pleniſſimam euangelij doctrinã & aſſerens & tradens eccleſiæ: per conſequentia uero deſcribit ſecreta & myſtica quædã tam dicta quàm facta domini quæ in ultima & arcana illa Cœna ſua coram diſcipulis perorauit atq; peregit. Ardent hic & diuino quodam fulgore rutilant omnia. Proponuntur enim hic & explicantur omnia fidei noſtræ ac regni dei myſteria, lautißimumq; animæ & ſpiritus epulum liberaliſſime ab ipſo dei filio eccleſiæ inſtruitur & profertur, ut auditor fidelis paulò attentius hæc conſiderans, non humanam ſe uocem exaudire, ſed planè diuinam, nec in terrena aliqua cœna uerſari, ſed in ipſum cœlum admiſſus menſæ dei cõuiua eſſe uideatur. Præteritis tamẽ ijs quæ de hac cœna ultima alij tres euangeliſtæ & diligenter et copioſe proſequuti ſunt, Ioannes reliqua quæ nondum erant literis tradita pleniſſime exequitur, ne quid deeſſet eccleſiæ Chriſti, ſed haberet pleniſſimam rerum ſaluatoris ſui hiſtoriam. Initio ergo præfatus nonnihil, mox inducit dominũ diſcipulis ſuis lauantem pedes, atq; eo facto uerbis ſimul additis commendantem & humilitatẽ & charitatis officia, explicantem item effectum ſiue fructum paßionis ſuæ. Poſt ea ponitur non indiligens & inutilis de proditione Iudæ diſſertatio. Is ubi elapſus è ſanctorum ſacroſancto conuiuio ſicarios iam colligeret qui Ieſum caperent, ſenſit hic ultimam nunc adeſſe horam, uidit item diſcipulos ſuos graui oppreſſos mœrore uarie tentari atq; angi, egregiam ergo orationẽ meditatur & inſtituit qua ſuos conſoletur, & de omnibus rebus ſuis eos admoneat atq; plene inſtituat. Hoc enim ſolent facere morituri, conſolari uidelicet ſuos, de uarijs rebus præcipere, grauiterq; monere. Ad eundem enim modum dominus prolixam & utiliſſimam orationem ad 17. cap. uſq; deſcriptã ad ſuos habet, quam perſpicuitatis gratia in duas diuiſimus partes. Prior abſoluitur poſtremis 13. capitis & integro 14. capite. Poſterior comprehenditur 15. & 16. cap. Cæterum oratio domini ſiue concio uaria eſt, nec ad unum & certum aliquem refertur ſcopum, niſi conſolationem & inſtitutionem ſpectes. Omnia enim huc tendunt ne turbentur diſcipuli Chriſti, & ut norint myſteria Chriſti, & ſciant quid faciant. In primis autem diſſerit de morte ſua, quæ quoniam mundo uiſa eſt probroſa eſſe & infamis, ipſe docet & patrem & filium morte glorificari. Deinde quia ab ipſis diſceſſurus erat, ne ignorarent quomodo ſe gererent, & quibus inter ſe uiuendi legibus uterentur, non obruit ipſos numeroſis præſcriptionibus, ſed unicam commendat charitatem. Interrumpitur hic tamen modice domini oratio per audacem D. Petri polli citationem, quam compeſcens dominus in inſtituto pergit, ac profitetur palàm ſe deum eſſe uerum, quo fidem ſuorum, in qua eſt maximum conſolationis firmamentum fulciat. Addit ſe ideo abire ac mori ut uiam nobis in cœlos aperiat. Mox plenius demonſtrat Philippo ac reliquis, quod patri per omnia coæqualis & conſubſtantialis ſit: imò patrem non poſſe cognoſci niſi per filium. Iam etiam adhortatur ad fidelem mandatorum ſuorũ obſeruationẽ: promittit alium paracletum. Congerit præterea multas rationes, quibus & conſoletur mœrentes animos, & incitet ad uehemens pietatis ſtudium. Hinc uero paulò copioſius diſſerit de paracleto ſiue ſpiritu ſancto, ac apertißime dicit ſe breui tradendum in manus hominum peccatorum: ſed ita interim ſeruandum fore mundum.

CAP. XIII.

Ante feſtum autem paſchæ, ſciens Ieſus quod ueniſſet hora ipſius, ut tranſiret ex hoc mundo ad patrem, cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, uſque ad finem dilexit eos.

Præfatiunculã præmittit rei ſequuturæ reuera maximæ, paſſioni uidelicet domini, & ijs quæ proxime mortẽ præceſſerũt. Hęc aũt ſunt quæ in hac præfatione attingit, Principio indicat tẽpus paſſionis, illud nimirũ quod prædixerũt lex & prophetæ, paſcha, adeoq; pridie paſchæ. De tẽpore hoc & paſchate require ex ſuperioribus quæ dicta ſunt. Deinde colligit ſcopũ & ſummã ad quã referet quæ dicet, quo modo uidelicet trãſierit ex hoc mũdo ad patrẽ dñs. Sciebat, inquit, iã nunc inſtare horã ipſius. Sciebat autem pro diuino ingenio, iuxta quod planè nihil ignorabat.

Tranſit ex mundo Chriſtus.

Sed

Sed & Cyrillus lib. in Ioan. 9. cap. 2. Diligenter, inquit, ostendunt euangelistę non semel passionis tempus à domino fuisse præcognitum, ne quis hæreticorum insurgat dicens, infirmitate sua traditum & Iudæorum laqueis irretitum, crucis patibulum non sponte sustinuisse. Horam autem posuit pro fatali hora, pro ipso passionis tempore. Per interpretationem enim subiungit, Vt transiret ex hoc mundo ad patrem. Transiuit autem corpore per mortem à terris ad cœlos: uirtute & potentia sua diuina, nunquam transiuit ex hoc mundo. Semper enim & ubiq; adest suis cultoribus Iesus uerus deus & homo: ubiq; quidem secundum id quod deus est, in cœlo autem & non in mundo, sed è mundo translatus ad patrem, secundum id quod homo est. Quanquam enim ubiq; sit pater, in cœlo tamen peculiariter se exhibet suis uisendum: unde Ad patrem transiuit perinde ualet ac si dicat, mortuus est, resurrexit & ascendit in cœlum. Iam & caussam transitus mortis & passionis adijcit, (quod uidelicet ipsum dominũ nõ hostes attinet) dilectionem. De qua & 3. cap. disputatum est. Cum, ait, dilexisset suos qui erant in mundo, usq; ad finem dilexit eos. Quod hunc habet sensum, Quemadmodum semper dilexit suos, ita in fine, ubi maxime elucescit uirtus & probitas, omniũ ardẽtissime & ualidissime dilexit suos: id quod maxime in cœna illa sua demonstrauit. Vel certe posuit εἰς τέλος in finem pro absoluta & perfectissima dilectione: ut sit sensus, Dilexit Iesus suos quos in mundo habet dilectione absolutissima, quippe cum pro ipsis mori non sit dedignatus. Nobiscum facit & S. Cyrillus, qui monet hunc locum satis esse obscurum & intricatum, nec apparere mox quo referatur. Eum ipse sic exponit, Hoc mihi dicere uidetur, Ante salutarem passionẽ cum sciret Iesus proxime iam tempus esse ut ad cœlos transiret, perfectam erga suos qui erant in hoc mundo dilectionem ostendit. Dilexit enim suos in hoc mundo. Non enim angelos nec naturam angelorum apprehendit, sed cum in dei patris forma esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualẽ deo, imò uero propter nos qui in hoc mundo sumus, exinaniuit seipsum & charitate sua erga nos formã nostram accepit, cum sit omnium dominus. Dilexit igitur suos qui sunt in hoc mundo, & dilexit in finem: quia non ignorans quot quanta q; passurus esset, libenter propter nos cuncta suscepit. Cum igitur, inquit, temeritatem Iudæorũ & crucis patibulum effugere potuisset, adeo dilexit suos ut non recusauerit pro uita omnium mori. Quod autem perfectissima hæc dilectio sit, ipsum saluatorem mihi testem citabo. Hoc est, inquit, mandatum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Maiorem charitatẽ nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis &c.

Caussa passionis.

Et cœna facta, cum diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ, ut proderet eum: sciens Iesus quod omnia dedisset sibi pater in manus, & quod à deo exisset, & ad deum iret, surgit à cœna, & ponit uestimenta, & cum accepisset linteum præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

Præfatus rei maximæ quantum sat erat, accingitur iam ad describenda tum dicta tum facta domini in cœna, quæ aliæ euangelistæ præterierunt: omittit interim ipse quæ alij nobis tradiderunt, nempe Esum siue celebrationem agni paschalis, & institutionem mysteriorum dei, in quibus dato corporis et sanguinis sui symbolo sacro, perpetuam sui in ecclesia memoriam consecrare ac beneficia sua nobis præstita uoluit testari. Notans tamẽ illa Ioannes dicit, Et cœna facta, id est ubi iam

Omittit Ioannes quædã quæ alij ponunt.

cœnatum esset, agnus uidelicet consueto ritu esus, sed & sacramẽtum corporis & sanguinis domini, à discipulis perceptum, accingitur dominus ut suorum pedes lauet. Sanctus Augustinus monet tum cœnam nondum plene perfectam fuisse, id est mensam nondum fuisse sublatam aut remotam, cum sequatur mox dominum buccellam panis exhibuisse Iudæ. Cõstat tamẽ Cœnam mysticam iam fuisse peractam, cui & Iudam adhibuit conuiuam, in omnibus suam declarans longanimitatem & illum adhortans ad pœnitentiam. Cæterum cur Ioan. non descripserit Cœnæ mysticæ & celebrationem & institutionem, in promptu caussæ sunt. Vidit illam copiose, syncere & plene descriptam esse à tribus alijs: unde non putauit sibi quicquam absolutis esse adijciendum, neq; potuisset dare plura, nisi libuisset aliquid addere de suo: quemadmodum & Paulus non potuit aliud ecclesiæ tradere quàm quod ipse acceperat à domino. Nihil autem aliud tum quoq; tradidit quàm quod reliqui tres acceptum à domino descripserunt tradideruntq; in euangelio. Id si probe & fideliter obseruassent, qui postea Cœnam nimijs onerarunt & obscurarunt ceremonijs ac ritibus, plus esset puritatis & minus offendiculorum in ecclesia. Præterea cognitissima erat iã omnibus Cœna mystica, idq; ex usu frequenti in ecclesia. Neq; tum erant tot ac tam spinosæ circa hoc sacrũ disputationes, quot & quantas nostro sæculo in scholis suis excitant parum simplices in religione, & multum superstitiosi ac inuoluti sophistæ.

Quare nihil de Eucharistia Ioannes.

Priusquam uero ablutionem pedum describat, duo præmittit: alterum de eo quod diabolus iam immiserit in cor Iudę, ut prodat Iesum: alterum quod scierit Iesus omnia sibi data in manum, et quod exierit &c. Quorsum uero hæc, inquis, pertinent? Ad amplificandum & ad euidentiam facti omnino maximi, nempe quod Iesus cum esset omnium dominus, eiusdem cum patre substantię, dominus cœli et terrę, mortis & inferorum, angelorum, hominum atq; dæmonum, sumpta nihilominus seruuli forma, uilissimum suis præstitit officium: cum deniq; non ignoraret consilia sathanæ, & quod Iudas fœdis uictus affectibus totum sese diabolo tradidisset accommodum organum, huic tamen diabolico homini fœdissimos pedes abluit. Certè Chrysostomus & hunc imitatus Theophylact. constanter asserit dominum Iudæ primum omnium lauisse pedes, si forte admiranda illa benignitate bonitateq; ingenij & humilitate maxima reuocare posset à concepto scelere. Augustinus putat, nescio qua ratione persuasus, à Petro factum esse initium. Certe contextus historiæ uidetur significare alijs quibusdam ablutos esse pedes priusquam peruenireturad Petrum. Sed hæc minutula sunt, magis illa uidentur obseruanda, quod palàm dicitur diabolũ immisisse in cor Iudæ ut proderet Iesum: unde discimus quis author sit mali, & quisnam operetur per homines latrocinia, furta, proditiones & scelera alia, quæ nonnulli parum religiose regerunt in authorem deum, quo ipsis liceat propriam excusare malitiam. Scriptura manifeste dicit, diabolum esse homicidam ac mendacem et mendaciorum authorem. De quo dictum est in cap. 8. Diabolus quidem nihil efficeret in animis nostris, nisi suggerenti attemperaremus nos. Vt autem accommodemus nos illius consilijs, efficit malitia & corruptio ingenij nostri, cupiditas praua, quæ est in carne nostra. Obseruat ille occasiones omnes callide, applicat se nobis, suggerit sua nobis consilia, incendit & suscitat incendium nostra cupiditate alioqui plus satis flagrans. Nisi autem illius ignita tela extinxerimus aqua gratiæ & salutaris doctrinæ, erumpit & omnia uastat incendium: illiusq; cogitationes & suggestiones nostris additæ affectibus, commixtæ atque receptæ, nostræ iam fiunt, ut diabolus regnet in nobis & nos uiuamus in eo. Auarus erat Iudas ex corrupta natura ingenij q; proprij malitia:

Christus proditori pedes lauit

Author proditionis diabolus

litia: hanc mox occasionem arripuit diabolus, obseruauit callide quomodo auaritia eius bene uteretur ad propagationem omnium scelerū. Itaq; cum Maria effunderet preciosum in corpus Iesu unguentum, excitat iam Iudæ cupiditatē Sathan, nec repugnat Iudas, sed obmurmurans egregio facto sanctæ mulieris, de damno accepto eoq; sarciendo apud sese agitat consilia. Suggerit hic Sathan ex eo splendidum fore lucrum, si Iudas dominum, quem omnibus modis pharisæorum inuidia extinctum cupiebat, & iam iam mandarant, ut si quis nosset, ubi esset Iesus, indicaret, quo protinus commeritum ab ipso sumeretur supplicium, prodat pharisæis. Nō repugnat sceleratissimæ & diabolo dignæ suggestioni Iudas, recipit enim consilium, & recipiendo suum facit adeoq; & ipsi diabolo sese subijcit, ut is in ipso regnet. Sic inquam immisit diabolus proditionem Iesu in cor Iudæ, & sic est proditionis & mali author diabolus. Sequuntur & alia quæ maxime sunt obseruanda pijs, illud in primis quod dicitur pater omnia dedisse filio in manus, id est, filium æqualem cum patre omnium habere potestatem. Item quod à deo exierit, & ad deum eat Christus. Exiuit à deo, quia filius dei est, genitus à patre ab æterno, descē dit autem idem in uterum uirginis, ut interim à patre non separatus sit, & uerus ex illa homo factus est: ac iuxta hanc naturam iuit ad deum, dum uidelicet iuxta carnem terras relinqueret & ascenderet in cœlum. De his plura require ex superioribus. Nam 3. cap. dicit Ioannes Baptista, Pater dilígit filium, & omnia dedit ei in manum. Dominus uero Ioan. 8. Ego, inquit, ex deo processi & ueni. *Filius exiuit à patre, & redit ad patrem.*

Huic uelut descriptioni personæ Christi pulchre & cōmode subijcit iam ipsum factum, ablutionem uidelicet pedum. Quasi dicat, Dominus ille uniuersorum, patri æqualis per omnia, omniscius, scrutator cordium, quem latet nihil, character & splendor paternæ gloriæ, qui sua uirtute postea cœlos conscendit ut à toto mundo adoretur in cœlesti maiestate & gloria, is inquam surgit à cœna ueluti seruulus, deponit uestes, quo expeditior sit ad ministerium: uestes autem intellexit Ioan. summas duntaxat: id quod moneo, ne quis nudum lauisse dominum discipulis pedes autumet. Hinc uero linteum siue peplum accipit, eo se præcingit, ut per omnia ipso etiam habitu & ornatu seruili appareret & sese humiliaret: ipsus denique aquam in peluim mittit, ad pedes mox procumbens suorum, eos lauare pergit, lauatos linteo, quo præcinctus erat, denuo extergit, ne quid prorsus omitteret quod adplenissimam seruitutem, humiliationem & deiectionem pertinere uidebatur. Receptum autem & uulgare fuit Hebræis, hospitibus & amicis lauare pedes, sicut multis in locis testatur scriptura, interea uero ministerium fuit omnium uilissimum. Vnde mox Petrus exclamat, Domine tu mihi lauas pedes? & Abigail ad seruos Dauidis, postulantes ipsam regi uxorem, Ecce, inquit, sit ancilla eius famula, & lauet pedes seruorum domini mei. Sed et Germani, quoties maximam personarum inæqualitatem & nulla parte conferendam inter sese significare uolumus, dicimus, Er möcht jm nitt die füß wäschen. Cæterum illa nobis per hypotyposin suffigurata quasi ob oculos ponuntur, quo altius omnium pectoribus infigeretur humilitas, quam suo hoc exemplo euidenti commendat Iesus. Factum enim Christi tria nobis maxime commendat, humilitatem, fructum mortis Christi maximum, & officia charitatis. De quibus mox plura dicam. *Ablutio pedū.*

Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea. Dicit ei Petrus, Nō lauabis meos pedes in æternum.

Cum hoc habitu dominus omnium, quæ in cœlo & quæ in terra, omniū præ- *Petrus reclamat domino.*

scius, & omnia sibi tradita habẽs à patre, seruili habitu præcinctus, nudus, peluim gestans, uenisset ad Simonem Petrum eiq; procumberet loturus pedes, exhorruit Petrus ad inauditum illud humilitatis exemplum, hinc suam agnoscens imbecillitatem, hinc domini dignitatem considerans, quam ex miraculis, & ex admirabili doctrina utcunq; perspexerat. Stupens ergo & refugiens lauari magna cum admiratione reiectioneq; & affectu clamat, Domine quid istuc rei, quod moliris? Túne meos mihi pedes lauares? dominus seruo, magister discipulo, iustissimus peccatori ac iniustissimo? & pedes quidem uilissimam & sordidissimã corporis partem? Dominus uero pulchre inscitiam Petri reprehendens ac reprimens, Sine me Petre, inquit, quod facio facere. Video te non intelligere mysterium, ideo enim reluctaris. Nunc ergo præbe te obsequentem & morigerum, & mox ex mea interpretatione intelliges mysterium. At Petrus non expendens domini dicta, præfracte in instituto suo pergens, exclamat, Nunquam patiar ut tu tantus mihi tali laues pedes. Habet autem emphasim quod dicit, In æternum non lauabis. Nam & Germani hac locutionis forma utuntur quando modis omnibus refragantur, In die ewigkeit sol das nitt syn. Gerit hoc loco S. Petrus typum hominum superstitiosorum, qui rationibus humanis non præcepto et uerbo dei ducuntur. His quoties humilitas domini proponitur afficiuntur et offenduntur grauiter. Humilitas inaudita est, quod dei filius incarnatus & homo factus, esuriit, sitiit, dormiuit, lachrymas fudit, perturbatus indoluit, timuit, tandem & captus, consputus, flagellis cæsus & cum facinerosis crucifixus, mortuus & sepultus est. Illa cum audit ratio humana miratᷣ & obstupescit, imò illa dei filio prorsus indigna credit. Hinc est quod alius negat Iesum uerum illum hominem, nostri per omnia similem, uerum esse deum: alius uero deum esse concedens addit, patri tamen nõ per omnia æqualem: alius negat esse hominem: alius fatetur quidem hominem, sed negat illum esse hominem nostræ substantiæ, carnem de carne nostra, os ex ossibus nostris: hic itaq; affingit illi carnem nobilem & propemodum cœlestem: quasi caro Christi, ceu Minerua aliqua è Iouis nata sit cerebro: sunt alij qui offendũtur ad supplicium crucis, indignũ putantes immortali, ut moriatur. De qua re diximus & in 16. cap. Matth. ubi idem hic Petrus dominum à cruce & morte reuocat. Et quanquam deus per scripturas propheticas & apostolicas cõstanter illam Christi urgeat testetur & exponat humilitatem, iubens ne quid de ipsa dubitemus, sed recipientes ueritatem, credamus filium dei pro nobis esse incarnatũ, mortuũ & sepultum. Hoc si credentes simpliciter recipiamus adijcit breui futurum ut rectius & plenius mysteria regni dei intelligamus, nimirum non potuisse nec debuisse salutis mysterium aliter peragi, pergunt tamen delicatula illa cerebella & superstitiosi illi sophi in æternũ illa nec in dei filium incidere posse nec cogitanda esse de dei filio, pergunt in suis subtilitatibus & clamant nos docere & prædicare Carneum Christum, & deum creaturisticum: imò criminantur nos ueluti blasphemos & gloriæ Christi conspurcatores. Verum nihil moramur illorum calumnias, nihil mouent nos ampullosa magnifica & inflata de gloria Christi uerba. Nam & nos agnoscimus illius gloriam & prædicamus amplissime, sed interim agnoscimus corporis ueritatem, non obliuiscimur humilitatis illius, quæ ipsum extulit in summã sublimitatem, imò gloriamur quod caro nostra exaltata est & manet in gloria. Reprehenduntur item in Petro quicunq; propter excellentiam donorũ dei Sacramẽta contemnũt Christi, idq; propter humilitatem ueluti constantia elementis, aqua, pane & uino. Reprehendũtur qui ex affectibus suis cupiũt cultũ obtrudere deo magnificũ. Quasi deus delectetur auro, gẽmis, argento et rebus perituris, quia nos illa magni pendimus.

Obstupescit humana ratio ad humilitatem Christi.

Christus creaturisticus.

Inue

Inuenias enim superstitiosulum, dicentem, Absit in æternum, ne unquam intermittam colere deum rebus pretiosissimis. His enim dignus uidetur, qui omnium creaturarum dominus est. Indignum rursus uidetur si ille non colatur rebus in orbe præstantissimis. Hi enim omnes religionis negotium ex affectibus carnis & ratione humana, non ex ingenio spiritus iuxta uerbū dei cum Petro æstimant, & errant. Deus spiritus est & rebus delectatur spiritualibus, sicut dictum est Ioan. 4.

Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habes partem mecum. Dicit ei Simon Petrus, Domine, nō tantū pedes meos, sed & manus & caput.

Dominus Iesus uehementem Petri recusationem coercens, indicat & aperit mysterium huius ablutionis, fructum uidelicet passionis suæ & aduentus in mundum. Reclamas, inquit, instituto meo, Petre, nec ullo pacto admittis ut te lauem: atqui aliud est quod ago & quod ceremonia hac significo, ad quid uidelicet conducat aduentus meus in hunc mundum & passio mea quam nūc subiturus sum, ad expiandum uidelicet abluendum atq; purgandum peccatorum totius mundi sordes. Neq; enim aliter consuli potuit incolumitati & saluti fidelium. Nunc ergo tibi pro indubitata ueritate dico, quod mei nequaquam consors aut cohæres meus sis futurus, nisi te sic lauero. Rectè enim indicat beatus Cyrillus à rebus corporeis traductum sermonem ad spiritum. Indubitatum itaq; est & ore ueritatis ualidissime confirmatum, neminem hæreditaturum regnum dei, hoc est neminem in Christi contubernium admittendum, nisi prius ablutus sit à domino Christo. Abluit ille nos & purgat à peccatis nostris gratia sua & sanguine suo: quemadmodum copiosius de hac emundatione Ioānes locutus est in epistola sua cap. 1. & 2. Partem cum Christo habere, est Christi esse participem, consortem aut cohæredem. At nemo nisi purus recipitur in consortium Christi. Nos natura nostra omnes sumus impuri: gratia & sanguine Christi lustrati admittimur in tabernacula dei & montem sanctum eius. Psal. 15. Proinde ideo uenit in mundum dominus, ideo passus & crucifixus effudit sanguinem, ut nos à peccatis purgaret: qui mortis eius fructus & huius historiæ usus est nō postremus. Petrus qui hactenus recalcitrauit magistro, re nūc rectius paulò pensitata fit fidei & promptæ obedientiæ exemplum. Totum enim sese subdit magistro et domino. Id quod uehementissimo orationis genere exprimere cupiens, Domine, inquit, non pedes duntaxat abluendos cōcedo, sed me totū, quantus quantus sum offero, & me tibi dedico. Instruit nos hic locus quomodo deponendi sint errores. Bona sanè intentione repulit ministerium domini Iesu, Petrus, uerum cum intelligit aliud placere deo, quamuis cōstantissime et maxima cum obtestatione à se remouisset dominum, manibus tamen & pedibus eundem, meliora doctus, recipit. Non enim quæuis constantia laudanda est. Degenerat hęc non raro in pertinaciam, quę semper uituperata est ab omnibus bonis grauissime. Proinde quamprimum uerbi dei luce & beneficio error homini innotuit, deponatur & recipiatur institutio ueritatis. Nec impediat quenquam audax & temeraria uoti ullius uel obligationis obstrictio, qua nos errori priusquam ueritatē intelleximus, obligauimus. Præstat em̄ temerarijs peccare uerbis duntaxat, quàm imprudentibus uerbis prudenter & scienter impia iungere facta. Huc enim pertinet quod beatus Cyrillus lib. in Ioan. 9. cap. 6. Tu, inquit, nonnihil fructus ex hoc Petri exemplo collige, qui etsi dixerit, Nō lauabis pedes meos in æternū, cedit tamen cōfestim maiori, nec ptinaciter cōtendit, sed cito se pœnituisse ostendit. Caueamus igitur quantū fieri potest, ne temerario casu uerba efferamus: sed si quid (homines em̄ sumus) excidерit, etiāsi probe dictū uideretur, cū tamē aliud melius appareat,

Mysteriū ablutionis pedum.

Petrus exemplum fidei.

Vota temeraria non obligant.

non cõtendamus, sed quamprimum quod melius est amplectamur. Præstat enim uerbis solummodo peccare, quàm magnarum etiam rerum detrimentum habere. Et cætera.

Dicit ei Iesus, Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Et uos mundi estis, sed nõ omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui proderet ipsum: propterea dixit, non estis mundi omnes.

Plenius exponit quod dicere cœperat de ablutione, & adiungit his purgatorũ officium. Qui lotus est, inquit, totus mundus est, nec opus habet nisi ut pedes lauet. Quod sanè elegans est paradoxon ac asystaton. Si enim lotus mundus est totus, quid opus est ipsum lauare pedes? Si uero opus habet ut lauet pedes, quomodo mundus est totus? Tale illud quoq; est in Prouerb. Solomonis cap. 24. Septies cadit iustus & resurgit. Nam si iustus est, quomodo cadit? si uero cadit, quomodo iustus est? Verũ ita habet res. Loti sunt, qui semel per fidẽ recepti in gratiã, redemptionis Christi participes facti sunt. Hi em̃ ex integro plene ac toti sunt mũdi. Paulus enim dicit nullã ijs esse damnationẽ qui Christo sunt insiti. Et Ioãnes, Sanguis, inquit, filij dei emundat nos ab omni iniquitate. Fideles itaq; mundi sunt toti, idq; non propria dignitate, non merito suo, sed beneficio et gratia redemptoris Christi: qui suã nobis iustitiam cõmunicat, cui cum nihil desit & per omnia perfectissima sit, ideo lotus Christi gratia mundus est totus. Nam Paulus, Vnica, inquit, pro peccatis oblata uictima perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Sed qui obsecro pedes illi sunt, quos mundi lauant? In mundis siue iustificatis per Christũ, remanent carnis reliquiæ siue affectus: hi pedibus significantur. Vt enim corpus pedibus fertur, ita animus ducitur affectibus. Hos mundi, id est iustificati & ueri cultores Christi, in diem lauant atq; purificant, non alia aqua quàm gratia et spiritu Christi. Cumq; reliquiæ illæ ad eum modũ continue extinguntur, non cedunt sanctificatis ad condemnationẽ. Id quod apostolus ad Rom. 7. & 8. copiosius persequitur. Atq; hoc est iustificatorũ officiũ, nõ stertere & abuti ad libidinem carnis Christi gratia, sed crucifigere carnẽ cum concupiscentijs, et ductum spiritus bonũ diligẽter sequi. Vnde & S. Augustl. Tract. in Ioã. 56. Ipsi, inquit, humani affectus, sine quibus in hac mortalitate nõ uiuitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, et sic afficimur, ut si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, nosipsos decipimus & ueritas in nobis nõ est. Quotidie igitur pedes lauat nobis qui interpellat pro nobis: & quotidie nos opus habere ut pedes lauemus, id est uias spiritaliũ gressuum dirigamus, in ipsa oratione dominica confitemur cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittibus debitoribus nostris. Si enim confiteamur, sicut scriptũ est, peccata nostra, profecto ille qui lauit pedes discipulorũ suorũ fidelis & iustus est qui dimittat nobis peccata nostra & mundet nos ab omni peccato, id est usq; ad pedes quibus conuersamur in terra &c. In summa, omnes fideles in Christo, id est in fide per Christi gratiã & redemptionẽ mũdi sunt: in seipsis autem propter carnales concupiscentias & affectus, in homine manentes & sese exerẽtes ad sepulchrũ usq;, sordibus aspersi (Paulo quoq; attestante, Idem ego mente quidẽ seruio legi dei, carne uero legi peccati) quotidiana ablutione opus habent, quæ & ipsa nõ è nostris proficiscitur uiribus sed ex eodem fonte gratiarum ex quo hausimus ut prorsus simus puri. His adijcit q̃d proposita clarius illustret, Et uos mundi estis. Discipuli em̃ dñi mundi erãt, nõ propter uisibilẽ pedũ ablutionẽ, sed propter Christi gratiam qua illos hic cõplectebatur & purgabat, & illi uicissim hunc fide recipiebant. Sequitur em̃ in uerbis Christi, sed nõ oẽs. Id quod propter Iudã prodi-

Mundi opus habent lauare pedes.

torem

torem adiectũ esse testatur euangelista. At lauarat huic pedes etiã dominus: quoniam uero fide carebat, ideo nihil profuit exterior pedũ ablutio. Typũ gessit Iudas hypocritarũ qui & ipsi foris se ingerunt cõmunioni sanctorũ, participantes uerbo & sacramentis, quasi ipsis cordi sit gloria dei & salus animę: sed quoniã fidem non habent, quia animi malitiã retinent, peccata sua nec agnoscũt nec sibi per gratiam condonata credunt, pereunt in peccatis, nec prodest ipsis consortiũ illud externũ sanctorũ. Paraphrastes, Tãta, inquit, erat Iesu mansuetudo, ut cognitũ proditorem nec proderet cæteris, nec à lotione pedum secluderet, nec à sacro conuiuio, nec à corporis & sanguinis sui communione repelleret: tantum tangit ipsius qui sibi notus erat, conscientiam, ut uel sic resipisceret, posteaquam intelligeret se non latere dominum, quem destinarat prodere.

Postquã ergo lauisset pedes eorũ, receptisq; uestibus suis accubuisset, iterũ dixit eis, Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magistrũ & dominum: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus & magister, uos quoq; debetis inuicẽ alij aliorũ lauare pedes. Exemplũ em̃ præbui uobis, ut quemadmodũ ego uobis feci, ita & uos faciatis.

Exponit amplius ablutionem pedum dominus.

His alius & præcipuus quidem huius historiæ fructus & usus, ipso exponente mysterium Christo, indicatur. Promiserat dominus Petro expositionẽ lotionis pedum, cum diceret, Non intelligis nũc quod ego facio, intelliges aũt postea, iã ergo præstat quod fuerat pollicitus. Recipit ergo uestes suas dominus quas prius deposuerat superiores, accumbit rursus & magna cũ grauitate applicat exemplũ suum discipulis imò omnibus suis fidelibus per cõparationem, & ornat interrogatione subiectioneq;, et ait, Intelligitis ne quid sibi uelit, quod omnibus uobis pedes laui? En edisseram uobis mysterium, Vos appellatis me magistrum & dominũ, idq; merito et recte facitis. Sũ enim uere quod me esse dicitis. At hinc iam quid agatis ducite & discite. Si enim ego uestros pedes laui, qui uere magister sum & dominus: uos qui inter uos fratres estis & conserui, multo magis non grauabimini alij aliorum lauare pedes, id est mutuis officijs inuicem inseruire. His iungit sententiam uel rationem, Ideo enim tanto maior exemplum hoc uobis exhibui ne uos inter pares pigeat imitari, quod ego discipulis ac seruis exhibui, pudeatq; fastus & supercilij homines, cum ipse qui angelorum & hominum dominus sum, memet usq; ad lauandos pedes uestros abiecerim. Quid ergo? Fuerit ne satis regem aliquem aut principem, positis regijs ornamentis & induto seruili habitu, lauare pedes pauperum? An ne huiusmodi ceremoniam iussit in ecclesia sua celebrari solenniter? Minime gentium. Non enim commendat nobis dominus ceremoniam præcipue, sed per hanc longe maiora. Solet scriptura canonica maxima mysteria regni dei commendare hominibus per Chrias, de quibus quædã annotaui in 18. cap. Matth. Hærent enim altius quæ non uerbis duntaxat, sed etiam actione aliqua siue spectaculo oculis contemplanda subijciuntur. Verbis enim auditus, schemate oculi percellũtur & instituũtur. Proinde ne unquã excideret sanctis, quod hoc loco docuit dñs, illa usus est ceremonia: unde iã nõ amplius repetẽda erit imitatione actionis ceremonia, sed illud potius exercendũ quod p ceremoniã cõmendauit. Produxit aliquãdo in mediũ discipulorũ puellũ ac huius occasione & demõstratione docuit suos simplicitatẽ. Quis aũt ideo, quia hoc semel fecit dñs, quotannis solẽniter productum puellũ statuit in ecclesia & uerba olim à Christo pronunciata recitat? Quin potius prętcrito schemate cõplectuntur pij omnes cordatiq; quod eo pijs tra

De Ceremonia lotionis pedum

ditum est paradigmate. Ita in præsenti non est quod quisquam in publico cœtu instauret & repetat semel usurpatam à Christo ceremoniam, solenniterq; duodecim fratribus pedes lauet. Aliud & longe maius atq; præstantius spectãt sancti, id haud dubie quod lotione pedum significauit. Quid uero illud? Dixi modo. Cõmendauit ecclesiæ suę dominus humilitatem, misericordiam & omnia charitatis officia, quæ iubet fratres præstare fratribus. Quid autẽ profuerit his neglectis, celebrare examinem ceremoniam? Rursus si studeamus ea præstare quę per ceremoniam significauit & postulauit dominus, quis usus, quis locus, aut quæ utilitas erit ceremoniæ? Voluit dominus ut ex infimo colligeremus omnia quæ inde ad summũ usq; pertingũt. Infimum inter officia Christiana & charitatis est ablutio pedum: in hac itaq; comprehenduntur omnia alia. A supremo ad infimum tendens colligo cum dico, Si uitam debemus fratribus, certe debemus & facultates & nihil nõ quod nostrum est in terris, quando uita nihil est præstantius. Iccirco sub typo lotionis pedũ exigit à nobis omnia charitatis officia, et iubet ea præstare omnibus per orbem fratribus. Eximit item è cordibus omnem arrogantiam, ambitionem atq; superbiam, quæ impediunt quo minus seruiamus in omnibus uel abiectissimis fratribus. Exclamat S. Chrysostomo, homel. in Ioan. 70. & ait, Vbi nunc sunt qui conseruos despiciunt? Vbi qui honores expetunt? Proditoris pedes dominus lauit, sacrilegi, furis, & ipso proditionis tempore: cum nulla esset speranda emendatio, mensam cõmunem posuit, et tu elatis supercilijs intumescis? Quemnam fastum hoc nõ deprimeret, quam temeritatem & elationem non auferret? Qui sedet super cherubim proditoris pedes lauit: tu homo qui es terra & puluis, eleuas te & intumescis. Omnibus id supplicijs haud dubie dignum est. Proinde non est quod reges & pontifices in hac sibi ceremonia histrionice imitanda et exprimenda placeant. Alia sunt quæ ab ipsis postulat dominus, calcẽt ante omnia dissimulatam illam suam superbiam, ueram animi sumant humilitatem. Deponant pontifices tricornem illam tiaram, non usurpẽt sibi dominium imò tyrannidem in clerũ & ecclesiam Christi, ponant fastum & luxum Persicum, imitentur et exprimant saluatoris modestiam & frugalitatẽ, inseruiant omnibus fratribus, doceant, adhortentur, consolẽtur, increpent, obiurgent sceleratos, purgent seipsos & ecclesiam ab erroribus & flagitijs, & ita demũ uere lauabunt pedes sanctorum. Reges quoq; fide recipiant regem regum, audiant uerbũ Christi, iudicent in æquitate & iustitia, tueantur pupillos, uiduas & orphanos, conterant tyrannos, usurarios, latrones, & blasphemos, defendant pudicitiam uirginalem & coniugalem, persequantur adulteros, scortatores et quibus omnia elementa aduersa sunt Sodomitas, benefaciant omnibus, opprimãt neminẽ, ac ita uere lauabunt populi sui pedes, & facient quod placet altissimo. Neq; uero ad principes & magnates duntaxat hæc pertinẽt, requirit enim dominus ab infima quoq; uulgi fece, ut alij alijs pedes lauent, hoc est pietati studeant, carnem mortificent, magistratui pareant, alij alijs noxas & offensas condonent, mutuo ad bona extimulent, moneant, doceant, corripiant, non detrahant, non inuideant, nemínem contemnant uel offendant, noceant nulli prosint autẽ pro uirili omnibus. Sic inquam & uulgares inuicem lauabunt pedes & præstabunt quod exigit eleganti & diuino schemate dominus. Quod si quis his adhibeat & cum his conferat ingenia mores & studia pontificum, regum, magnatum & uulgarium hominũ, apparebit quàm sint conscelerata in orbe Christiano omnia.

Quomodo alij alijs lauemus pedes.

Quæ tradãtur historia lotionis pedum.

Cernis autem in hac breui & mire utili ac diuina historia tradi commendaríq; potissima fidei & religionis nostræ capita, nempe quod per gratiam & meritum Christi purgamur à peccatis & consortes efficimur regni cœlorum: quod reliquię

remanent

remanent in iuſtificatis & purgatis per fidem, quas in diem mortificare non ceſſant ſancti, agnoſcentes ſeipſos puros & pleniſſime purgatos eſſe iuxta gratiam, ſed peccatores & impuros iuxta carnem & concupiſcentias in carne ad mortem uſq; ſpiritui dei repugnantes. Vides item quæ ſint prima ſanctorum officia, charitas, miſericordia, humilitas, quę tanto feruẽtius cõmendat, urget atq; inculcat dominus, quanto peſtilentius corripitur uera religio & pietas ambitione faſtu & ſuperbia. Et quanquã negari non poſſit hęc uerba domini, Exemplũ dedi uobis &c. peculiariter referri ad rem præſentem, nemo tamẽ ierit inficias, opinor, eadem extendi poſſe ad alia domini ſimilia opera, ut ſit generalis ſententia. Cõſtat enim omnem Chriſti actionem noſtram eſſe inſtitutionem. Ea quibus diuinitatẽ ſuam orbi teſtatus eſt & declarauit non cadunt ſub hanc regulam. Pietate & religione magiſtra ſine negotio intelliget quilibet quàm late pateat ſententia utilis & ſancta.

Amen amẽ dico uobis, nõ eſt ſeruus maior domino ſuo, neq; legatus eſt maior eo qui legauit ipſum. Si hæc nouiſtis, beati eſtis, ſi feceritis ea.

Vrget humilitatẽ Chriſtus.

Non ſatis uiſum eſt domino iſta propoſuiſſe & docuiſſe ſimpliciter, niſi etiam ardenter & diligẽter ad ea perficienda adhortetur. Iterum ergo ſuum urget exemplum, et ita urget ut nemo poſſit porrò ſuæ ſuperbię ambitioni ac neglectui fratrũ ullam quantumuis præcellentem dignitatem prętexere. Ego, inquit, laui uobis pedes, qui ſum dominus uniuerſorum, qui delegi uos quo in totũ ablegem terrarum orbem apoſtolos. At indubitatum eſt apud omnes homines, utpote uulgari quoq; prouerbio celebratum, ſeruũ non præſtare domino, neq; legatum ablegante. Proinde ipſa honeſtas, ipſum decorum, ipſe denicq; ſenſus cõmunis ſuadet uobis omnibus, ut me imitantes alij alijs lauetis pedes, id eſt, non turgeatis faſtu, non aſpiretis ad imperia, non opprimatis tyrannide commiſſum uobis gregẽ: niſi malitis à meo uobis tradito degenerare exemplo. Impugnat hæc ſententia ualidiſſime primatũ faſtum & pompam Romani præſulis, epiſcoporum item & prælatorũ eccleſiæ. Si enim ſerui eſſent Chriſti, ſi ipſos legaſſet Chriſtus, Chriſto doctrina reſponderent & moribus: iam uero diuerſa omnia in ipſorũ moribus apparent. Porrò adiungit præmiũ nõ leue & exiguũ, ſed maximũ, felicitatẽ & beatitudinem, Beati eſtis, inquit, ſi ea feceritis quæ didiciſtis hactenus. Quę didicerunt obſecro? Chriſti gratia & ſanguine purgari credentes: reliquias carnis mortificandas eſſe: humilitate & officijs humanitatis inſeruiendũ omnibus hominibus. Proinde ſi quis credit ſe iuſtificari purgariq; Chriſti gratia & ſanguine: ſi quis carnis reliquias mortificat, & in uera humilitate & charitate omnibus inſeruiendo prodeſt, facit certè quod didicit, et iccirco beatus eſt et felix cũ in hoc, tum futuro ſæculo. Obſerua aũt quod dominus dicit, beatos fore ſi quę nouerũt faciant. Significauit em̃ nõ ſufficere ad beatitudinem conſequendam intellectum & ſcientiam, niſi etiam accedat aſſenſus & operatio. In qua re explicanda copioſus eſt S. Iacobus in ſua epiſtola, ſed & ſaluator apud Matth. in fine cap. 7.

Non de omnibus uobis loquor: ego ſcio quos elegerim. Sed ut adimpleatur ſcriptura, Qui edit mecũ panẽ, ſuſtulit aduerſũ me calcaneũ ſuũ. Nũc dico uobis priuſquã fiat, ut cum factũ fuerit credatis quod ego ſim.

Iudas typus malegratorum.

Occaſione ex ijs uerbis, Et uos mundi eſtis, ſed non omnes, accepta, deſcendit iam dñs ad redarguendã Iudæ proditoris ſui ingratitudinẽ & impietatẽ inſanam: quo pij minus ex hoc Iudę offendãtur negotio. Interponitur itẽ Iudæ perſona ceu typus aliquis generalis omnium impiorum, quorum animi cupiditatibus prauis deditiores ſunt, quàm uel Chriſti beneficentiam agnoſcant, uel benefico domino

grati sint. Videbũt hi omnes in archetypo suo, id est Iuda, quantũ peccent et quid expectent, si ita perrexerint oblatam Christi beneficentiam contemnere, & amarę eius passioni esse ingrati. Huiusmodi homines nihil cõmune habent cum amplissimis illis dei de uera beatitudine promissionibus, neq; sunt de numero electorũ dei. Dominus enim diserte dicit, Non de omnibus uobis loquor. Locutus autem fuerat de eorum beatitudine, qui quod recte intelligunt alacriter faciunt. At Iudas intelligebat uoluntatem domini, sed non faciebat: ergo ex beatitudine illa sanctorum excludit semetipsum sceleratus. Nec electus erat à domino, quia carebat electionis signo. Signum electionis in adultis fides est. Fide autem caruit Iudas, qui uerbo Christi, propria impulsus malitia, non fatali quadam necessitate & morositate dei adactus, non credidit. Reuelauit enim deus illi per filium ueritatẽ, uerum ille plus dilexit tenebras & precium iniquitatis quàm lucem & studium pietatis, ideo traditus est in reprobum sensum, quem iccirco dominus Iesus in pręsenti non agnoscit pro suo electo filio. Addit, Sed ut impleatur scriptura, Qui edit mecũ panem, sustulit aduersum me calcaneum suum. Quasi dicat, Sed discipuli imò prodi-

Vt impleatur scriptura.

toris illius mei perfidiam ignorare non possunt, qui legerunt scripturam, quæ ut fallit neminem et semper uera refert, ita hic maxime ueritatem protulit, cum dixit, in eadem cum filio dei mensa futurum, qui ipsum sit proditurus, & quantũ in ipso erat, pedibus proculcaturus. Locus extat in Psal. 41. in quo Dauid, qui typum Christo prętulit, conqueritur de perfidia aulicorum suorum, ac inter alia, Quin & is, inquit, quo cum mihi conuenire putabam, homo inquam pacis meæ, qui mihi admodum familiaris erat, cui fidebam, & qui comedebat panem meũ, sustulit contra me calcaneum: uel magnificauit contra me calcaneũ, id est uehementi pedum ui, me proculcare & luto infigere diligenter & anxie cogitauit: uel sublato pede uelut calce me impulit. Notatur autem eo loquutionis genere truculenta proditoris crudelitas, qui non tantum insidiabatur domino, sed & totum pedibus conculcare satagebat. Congruunt enim illa Dauidi ut typo, deinde & peculiariter quidẽ Christo Dauidis filio. Iudas interim exemplum fit indigne manducãtium de mensa domini. Ad hanc enim accubuit sine fide, qua sola digni efficimur. Verũ quid, inquis, caussæ est, quod dominus tam diligenter proditorem et proditionem suam aperit discipulis? Respondet ipse dominus, Iam nunc uobis prædico futurum priusquam fiat, ut cum uideritis factum, quod scriptura prędixit, credatis me esse illũ de quo uaticinata est. Plura require è 26. cap. Matthæi. Beatus Cyrillus multis super hoc Ioã. loco disputãs lib. 9. cap. 10. Nemo putet, ait, iccirco quæ à prophetis dicta sunt euenire ut adimpleatur scriptura. Nã si sic esset, laudari potius, tanquã scripturæ ministri, quàm uituperari nequam homines possent. Viderentur enim nihil omnino deliquisse, si quæ fecissent coacti fecissent. Nam si adimplere scripturam necesse esset, illi per quos adimpleretur nullo crimine profecto tenerẽtur. Prętera in authorem scripturæ culpa redundaret, siquidẽ ut adimpleretur scriptura, ui quadam mala cõmiserint. Sed quis adeo expers est mentis & rationis ut scripturam sancti spiritus peccandi caussam attulisse homini unquã credere possit? Non ergo ut adimpleatur scriptura, nec ista de caussa facta sunt à quibusdã quæ scriptura prędixit, sed contra, quoniã ita nonnulli sponte facturi erant, iccirco præsciens spiritus sanctus futura prędixit. Cũ igitur facta sunt quę prędixit, pignus fidei prędicationẽ habentes, eũ iã cognoscimus, de quo ista prædicta fuerũt. Hæc Cyrillus.

Amen amen dico uobis, qui recipit quẽcunq; misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit.

Dixit

Dixit inter alia dominus, Non est legatus maior eo qui legauit ipsum, inde occasionem sumpsit & hæc adiecit, quibus & Iudam perstringit & suos consolatur. Si enim in contumeliam redundat mittentis, quod irrogatur misso, multò magis sceleratissima Iudæ perfidia in filium dei admissa, tendit in contumeliam quoque dei patris qui misit illum. Egregia uero cõsolatio est sanctorum, insignis item commendatio ministrorum ecclesiæ, quod princeps & caput ecclesiæ Christus testatur se & audiri & recipi, dum sancti & ministri ipsius audiuntur & recipiuntur, imò ipsum adeo patrem in cœlis recipi. Id quod solito suo iureiurando confirmat ne quis uel tantillum dubitaret. His consolentur se fideles ministri uerbi dei, scientes nihil sibi defuturum unquam, sed dominum semper commoturum animos piorum, quo benefici sint & recipiant ipsos, tametsi nunquam interim defuturi sint, qui & ministros uerbi & uerbum persequãtur. At ex his certissimum est hos non homines duntaxat persequi missos, sed & mittentem, qui olim ad Saulum dixit, Saule Saule quid me persequeris? Plura require ex 10. cap. Matth. ubi eadem hæc saluatoris uerba habentur.

Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & testificatus est, dixitq;, Amen amen dico uobis, quod unus ex uobis proditurus est me.

Iudæ proditoris negotium, proditionem, ingratitudinem & impietatem copiosius prosequitur, ut inde multa redeat ad ecclesiam utilitas. Conturbatur spiritu Iesus, id est prorsus & ex animo turbatur. Partim quia cum iustissimus sit commouetur & irritatur hominum ingratitudine & malitia: & quamuis toleret malos in ecclesia, indignissime tamen fert hypocritarum audaciam & impudentiam. Indignissime ergo ferent ecclesiarum ministri si uideant optimos misceri pessimis: quod si omnino eiici non possunt, sentiant tamen corrupti illi se ingratos esse omnibus pijs. Partim quia uerus homo erat ac cernebat iam horam mortis imminere, uidebat coram, per quem tradendus erat in manus hominum peccatorum. De hoc S. Augustinus prudenter salubriterq; loquens, Tracta. in Ioan. 60. Quia ipse, ait, traditor iam erat exiturus, ut Iudæos, quibus dominum traderet, adduceret, turbauit eum imminens passio & periculum proximum, & traditoris impendens manus, cuius fuerat præcognitus animus. Tale quippe hoc est quod Iesus turbatur spiritu, quale etiam illud quod ait, Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater salua me ex hora hac, sed propterea ueni in horam hanc. Sicut ergo tunc anima eius turbata est hora propinquante passionis: ita etiam nunc exituro Iuda atq; uenturo, & propinquante tanto scelere traditoris, turbatus est spiritu. Et post aliquot uerba, Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, inuictus, nõ ei timeamus quasi deficiat: non perit, sed nos quærit, nos inquam, nos omnino sic quærit: nos ipsos in illius perturbatione uideamus, ut quando turbamur non desperatione pereamus. Quando turbatur qui non turbaretur nisi uolens, eum consolatur qui turbatur & nolens. Pereant argumenta philosophorum qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit deus sapientiam huius mundi. Et reliqua quæ eleganter & euidenter disputat cõtra Stoicos. Testificatur dominus, id est libere & aperte loquitur. Hactenus enim tectius hoc negotium inter suos notauit. Sed quoniam nihil mouebatur Iudas modesta & occulta admonitione, apertius iam incipit agere. Relinquens interim exemplum antistitibus religionis, quid in suo faciant officio. Vnus, ait, ex uobis, delectis meis discipulis, nõ è prætorio Pilati aliquis, aut ex aula Herodis, aut curia pontificis, me proditurus est. Scelestissimum ergo est, si in consortio sanctorum reperiantur hypocritę, sacri

Conturbatur spiritu Iesus.

Turbatio cadit in sapiẽtem & sanctum.

legi & proditores. Nam turpe alioqui est si inueniantur in rebuspublicis extra ec clesiam inter prophanos. Eadē domini uerba repetūtur & apud Matth. in cap. 26.

Aspiciebant ergo se inuicem discipuli, hęsitantes de quo diceret. Erat autem unus ex discipulis Iesu recumbens in sinu ipsius, nimirum is quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, ut scisciteretur quis esset de quo loqueretur. Itaq; cum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei, Domine, quis est? Respondit Iesus, Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post offulam ingressus est in eum Sathanas.

Excitauit hic sermo domini ardens & solito eius iureiurando confirmatus discipulorum animos, ideo uicissim se contuebantur, uel quod ita stuperent, quemadmodum solent qui ad rem nouam et insperatam attoniti ferè consternantur, uel quod sic obseruarent, si quod indicium proditoris ex uultu possent colligere. Simplices enim & minime suspicaces ἀπορούμενοι & anxij & perplexi hærebant. Non enim diffidere poterant grauissimo sermoni Iesu, rursus ægre credebant tanti sceleris reum in choro esse selectissimorum discipulorum. Toti ergo perturbātur animis, suauissimumq; conuiuiū propter Iudæ scelus redditur amarissimum. Tam uidelicet inauspicata auis est auarus hypocrita, ut eius præsentia & artibus nephandis omnes boni semper & ubiq; grauissime conturbentur in ecclesia. Interea uero solus ille in sancta discipulorum turba audax præfractus & sui sceleris nephandi dissimulator est. Pulchre enim Paraphrastes, Solus, inquit, Iudas sibi conscius nec exhorruit nec pudefactus est, nec ueritus est sacris epulis interesse, & potuit interim ferre oculos domini sui, cui nouerat non ignotum esse quid secum agitaret in animo. Tanta erat auaritię pestis, & adeo libuit abuti iam nota domini lenitate. A discipulis uero amantibus dominum, Petro uidelicet & Ioanne, fit de proditore diligens perquisitio. Petrus enim, qui ubiq; in euangelica historia inducitur ardens & officiosus domini amator, etiam hoc loco amore incensus cupide gliscit proditorem nouisse: cumq; iam non semel à domino acerbiora retulisset responsa, non ausus de proditore ipsus percontari dominum, nutu significans postulauit à Ioanne ut ipse scisciteretur. Videbatur hic ad perquirendū Petro ualde idoneus, cum quod dilectissimus esset domino discipulus, tum quod iam nunc in sinu & ad pectus domini inclinatus recumberet, unde commodam scisciteandi occasionem habere uidebatur. Discipulus ergo ille domino gratissimus, cum in sinu domini recubaret, secreto dixit, Domine, quis obsecro ille est qui tantum audebit facinus? Iesus respondens & ipse clanculum, Is est, inquit, cui offulam intinctam porrexero. Simul autem intingit panem & porrigit mox Iudæ Simonis Iscariotæ, significans hunc fore proditorem domini sui. Præstabat autem tanta doceri diligentia apostolos proditionem saluatori probe fuisse præcognitam. Inde enim manifeste colligimus mortem domini fuisse spontaneam non coactam aut artibus & insidijs hostium paratam. Voluit præterea Iudam non ignorare dominus se præscire quæcunq; ille uolueret in pectore consilia: si forte hac occasione in sese descendens, cogitaret de resipiscentia, neue illum proderet quem cernebat cordium & omnium secretorum esse conscium ac scrutatorem. Quin & offulam porrigens admonet infelicem religionis mensæ & ne amicitiam arctissime initam et confirmatam rumpat. Mensam enim ac panē amicitiæ consecrata esse ignorat nemo. At ne sic quidem resipuit infelix. Ergo cū nullę apud impudētem induratū & desperatissimum

impudentia Iudæ.

Præscuit dominus proditorē ac cū detegit.

hominem

hominem rationes, minæ, accusationes & signa ualerent, sed ille perpetuò perge-
ret, semelq; statueret perrumpere, bene sibi illis stultitia, impietate & insania usus
est satanas. Sequitur enim, Et post offulam ingressus est in eum satanas: non quod *Post offulã ingressus in judã satanas.*
nunc primum sit ingressus. Nam in principio huius capitis legimus diabolum in
cor Iudæ immisisse, ut proderet Iesum, regnare ergo in Iuda cœperat satan, non-
dum merum obtinuerat imperium, nunc autem cum nullæ quicquam rationes ef
ficerent, plenum sibi usurpat & totum occupat: id quod Germanice dicimus, Do
βsaß jn der tüfel gar: ita ut iam esset incurabilis, nullam in se reliquam haberet probi-
tatis & pietatis micam, sed totus quantus quantus erat diaboli esset mancipium,
nihil aliud porrò cogitans, dicens, faciens, quàm quod uellet diabolus. Facit cum
hac nostra expositione & D. Augustin. qui Tract. in Ioan. 62. Intrauit, inquit, sata-
nas post hunc panem in domini traditorẽ, ut sibi traditum iam plenius possideret,
in quem prius intrauerat ut deciperet. Neq; enim non in illo erat quando perrexit
ad Iudæos, & de pretio tradendi dominum pactus est, cum hoc apertissime Lucas
euangelista testetur, & dicat, Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominaba-
tur Iscariotes, unum de duodecim, & abijt & loquutus est cum principibus sacer-
dotum: ecce ibi ostenditur quod prius intrauerit in Iudam satanas. Prius ergo in-
trauerat immittendo in cor eius cogitationem qua traderet Christum: talis enim
iam uenerat ad cœnandum: nunc autem post panem intrauit in eum, non ad hoc
ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret. Hæc Augustin. Nemo autem puta-
bit panem à Christo exhibitũ Iudæ causſam fuisse ingressus in ipsum satanæ. Per- *Panis non immisit satanam.*
fidia enim & inflexibilis Iudæ impietas, in culpa est, ac diabolo merũ contradidit
imperium. Christus salubri panis oblatione infelicem monere uoluit ne uiolaret
& religionem mensæ & iura amicitiæ: ille uero re bona male utens sua malitia sibi
conscium exitium. Admonuit Augustin. eo in Tractatu quem modo citauimus, er-
rare illos, qui per buccellam aut offulam hanc intelligunt sacramẽtum corporis et
sanguinis domini. Verba eius si quis requirat, hæc sunt, Non autem, ut quidã pu-
tant negligẽter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit. Intelligendũ est enim
quod iam omnibus eis distribuerat dominus sacramentum corporis & sanguinis
sui, ubi et ipse Iudas erat, sicut S. Lucas euidentissime narrat: ac deinde ad hoc uen.
tum est, ubi secundum narrationem Ioannis apertissime dominus per bucellã tin-
ctam atq; porrectam suum prodidit proditorem. Fortassis per panis tinctionem il
lius significauit fictionem. Non enim omnia quæ tinguntur abluuntur, sed ut in-
ficiantur nonnulla tinguntur. Hactenus ille.

Ex hoc loco Ioannis uariæ peti possunt doctrinæ. Pastorũ gregis dominici esse *Loci præclari.*
fideliter & ardenter urgere sceleratos, si fortè reuocari queant à scelere. Rursus di
ligenter inquiri oportere à uere deum timentibus & amantibus ubi audierint esse
quosdã, qui tendant in euersionem religionis, legum, pacis, & iustitiæ. Opponun-
tur perfidiæ & impietati Iudæ feruens amor & fides, & exquisitũ in omni pietate
studium Petri & Ioannes. Ergo sicut nunquã defuturi sunt ecclesiæ Iudæ, ita sem-
per in eadem erunt ueritatis & pietatis amantes Petri & Ioannes. De Ioanne dici-
tur quod recubuerit in sinu, item super pectus Iesu, & quod fuerit Iesu dilectus di
scipulus. Dilexit sanè & alios discipulos, sed hunc præcipue. Amoris præcipuum *Ioannes dilectus domino discipulus.*
signum illud erat, quod pectori affixus domini, in eius sinu recumbebat. Significa
bat enim Iesus externo in corporis habitu, quàm hic sibi esset unice charus, quem
pectori diuino sic familiariter, ceu pater aliquis prædilectum filiolum, adhibet atq;
astringit. Argumenta hæc sunt naturæ humanæ, sicut illud quoq;, quod legitur di
lexisse Lazarum & Mariam atq; Martham. Cõmendant autem in primis philan-

thropiam domini Iesu & fulciunt spem nostrã. Amplissime uero prædicarunt hoc beneficium domini admittentis Ioannẽ in sinum & ad pectoris secreta omnes scriptores cũ ueteris tum mediæ, adde & ultimæ ætatis ecclesiastici. Certè apud Ioan. in 21. non sine emphasi repetitur, Videns Petrus discipulũ, quem diligebat Iesus, & qui recubuit in cœna super pectus eius, &c. Colligũt inde alij mysteria quædã. D. Chrysost. Homel. 71. An parũ hic, inquit, eum didicisse arbitraris cũ tanta frueretur magistri benignitate? Et iterum, Cur recubuit supra pectus? Mœrorẽ ita lenijt. Mœsti enim fuerunt discipuli, unde consolatur eos dominus, & permittit ut Ioannes supra pectus recumbat. S. August. genus & schema orationis annotauit, ac dixit, Consuetudo est nostris scriptoribus, ut quoties de seipsis scribant, ita orationis contextum ordinent quasi de alijs loquantur. Id ostendit exemplis Matthæi & Mosis. Et mox, Quocirca, inquit, quod etiam hic euangelista non dicit, Erã recumbens in sinu Iesu, sed ait, Erat unus recumbens ex discipulis, nostrorũ authorum consuetudinẽ agnoscamus potius quàm miremur. Quid enim deperit ueritati, quando & res ipsa dicitur, & modo quodã dicendi iactantia uitatur? Postremo indicat nobis Iudæ calamitas, quid impœnitentes & induratos maneat, quibus ne quicquam & sine fructu inculcatur resipiscentia. Certè sicut gradus quosdam & augmenta habet gratia dei in hominibus & fides, ita gradibus quoq; ad imũ peruenitur desperationis & insaniæ. Hoc enim nunc in Iuda, & olim in Saule apparuit.

Dicit igitur ei Iesus, Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo intelligebat discumbentium ad quid dixisset ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille offulam, exiuit continuo. Erat autem nox.

Eijcitur ex sanctorum cœtu Iudas.

Quandoquidẽ sathan totus totum iam possederat, & in suam potestatẽ redegerat uolentẽ Iudam, nec ulla esset salutis spes reliqua, quippe qui destinata, pertinaci & inflexibili uoluntate firmiter dominũ tradere decreuisset, dominus indurato succensens, nec dignum amplius putans, qui ageret in sanctorũ ecclesia, scelératissimum latronẽ & parricidam eijcit, interim tamẽ sortẽ infelicis, ceu bonus pater immorigeri, rebellis & iam iam pereuntis filij calamitatẽ deplorans, magno cũ affectu ad Iudã dicit, Quod facis, fac citius. Iubet aũt Iudam facere, quod facit, & ocyus quidẽ, non quod præcipiat malum, & prodere tradereúe mandet: sed imitatur patres (quod modo dixi) desperabundos de incolumitate liberorum, iubentes quidẽ, sed magno cum dolore illos facere quod alioqui facturos sciunt, minime autem facerẽt, si illis obsequerentur. Fortassis posuit euangelista ὃ quod, ᾧ ὅτε quando, ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον, quandoquidẽ facis, facito ocyus. Germani dicimus, Dieweyle doch sin můß/vnd es ye thůn wilt/so far fluge darnon. Video te semel instituisse & induxisse in animum rem fœdissimam, nec eam tibi posse eximi: quando ergo scelerate agere & omnino perire uis, age pereas tua culpa licebit, & pereas etiã citò, ut magno hoc liberer dolore. Ad hæc indignissimũ planè uidetur, ut diutius te in tam sancta tolerẽ ecclesia, hominẽ usqueadeo perfrictæ frontis ac diabolo per omnia consecratũ, ocyus ergo hinc te propripe. Satis enim hactenus tuam pertuli & dissimulaui improbitatẽ. Beatus Cyrill. lib. in Ioan. 9. cap. 17. uerba hæc retulit ad diabolũ qui iam uires suas in Iuda exerebat. Verba eius hæc sunt, Ignoranti diabolo patibulum crucis suarũ uirium fore detrimentũ, dicebat, Quod facis fac citius: ut minantis potius q̃ hortantis uox sit. Nam quemadmodum si uir fortis aduersus

quem

quem fremens quíſpiam feratur, ípſe uero uiribus ſuis fretus caſurum íllum non dubítet, magna uoce minitans, dícat, Quod facis fac citius, ut meæ dextræ uires experiaris, non ꝓperantis mori uerba eſſe díceremus, ſed præſcientis potius, quía cadet aduerſarius. Sic dominus noſter Ieſus Chriſtus uelocius currere díabolum ad ea quæ præparauit iubet, ut cítius uíctus atq; uínctus à tyranníde ſua orbẽ dí-mittat. Et reliqua.

Porrò accumbentiũ nemo quorſum hoc dicti pertíneret intellígebat, ſolus Iudas peſſimæ rei ſibi conſcíus, ſentit ſibi feſtinandũ eſſe, ac præpropere ſibi conſulendũ fuga, quando uſqueadeo manifeſte ipſíus conſceleratiſſimã proditionẽ traduceret in tam feruenti optímorum hominum conuíuio. Sancta eſt ſimplícitas, & mínime ſuſpicax: omnes ſuo pede metítur, uix credit uíuere homines tam grauí-bus obnoxíos ſceleríbus. Abutítur hac ſimplicitate hypocriſis probe inſtructa arti bus, ímpudẽtia & incredíbili pertinacía, docta ſimulare & diſſímulare omnía, om nemq; occaſionẽ ad res ſuas feliciter conficiendas arrípere & applícare. Quidam ergo ſíc interpretabantur uerba domíni, quaſi iuſſerit Iudam uel emere aliquíd ea rum rerum quíbus ad celebrandũ díem feſtum opus erat, uel erogare aliquíd egenis. Hæc autẽ interpretatío inde erat quod Iudæ nouerãt creditos eſſe loculos. Cæterum Iudas accepta buccella, ac cernens iam conceptũ & animo iam patratũ ſcelus díutius latere non poſſe, præſertím cum apertius iam ageret dominus, & grauíus ipſí immíneret, diſſímulato domíni dicto, protínus è cœtu ſanctorũ exceſſit, erupit, euaſit. Addit Ioãnes, Erat autẽ nox, id eſt imminebat iam nox, Es was ſchon an der nacht. Temporís uero notatío proditoris in re ſceleſtiſſíma ardentíſſimũ ſtudíum índicat, qui ne ípſa quídẽ intempeſtæ noctis incõmoditate & horrore potuit coërceri aut ímpediri ſaltẽ. Verum tenebris delectatur príncepes tenebrarũ, & qui mala agunt, odíunt lucem. Cõmodiſſimum ergo tempus ſuo inſtituto delegit Iudas, noctẽ & tenebras, per quas iam furentí ſímilis, nihil amplius hominis habens, per præceps fertur ad exitiũ & laqueum. Sic autem aguntur omnes reprobí apud quos nullæ admonitiones ualuerunt quicquã. Et huc tandem recídit contemptus uerbi dei, ac uita pœnitere neſcia. Dominus ſeruet nos à malo, Amen. Apparet aũt Iudã ab ínitio fuiſſe & fide & prudentía inter díſcípulos præclarũ, ex eo quod dominus ei cõmiſit loculos, id eſt quæſtorẽ ærarium & œconomum eſſe uoluit. Neq; enim opes cõmittuntur aut creduntur niſi fideliſſimís & multo rerum uſu, multaq; rerũ experientia doctís ac prudentibus. Teſtantur hoc Acta apoſtolorũ in ca. 6. & apoſtolus 2. Cor. 9. Neq; cogitare poteſt quiſquã ſanctorũ, dominũ, qui non uult mortẽ peccatoris, dediſſe loculos ut ſuffuretur & pereat, ſed ut fideliter diſpenſet & laudẽ ac gloriã conſequatur. Ille tamẽ non continuit prauos affectus, & occaſione ad bonũ oblata male utens, ſuo uítio è publíco ærario ſuppílare cœpit. Euenit enim præclaro huic ingenio quod et Sauli, ut detortus à bono ad malũ, malitia excellat, quemadmodum dum adhuc bonus & ſímplex erat excelluerat. Chryſoſt. ſententiã de hac re annotaui cap. 12. S. Auguſt. Tract. in Ioan. 62. Habebat, inquit, & dominus loculos, & à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorũ neceſſítatibus & alíjs indigentibus tribuens. Tunc primum eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta: ubí etiã intelligeremus quod præcepit nõ cogitandũ eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptũ, ut nihil pecuniæ ſeruetur à ſanctis, ſed ne deo pro iſta ſeruíatur, & ꝓpter ínopiæ timorẽ iuſtitia deſeratur. Nã & apoſtolus in poſterum præuidens, aít, Sí quis fidelis habet uíduas, ſufficienter tríbuat eis, ut nõ grauetur eccleſía, &c. Informat itaq; hic locus euangelíj, iudícium eccleſíæ, de facultatibus & opibus terrenís, Poteſt eccleſía poſſídere aurũ & argentũ, agros, ædes & pecu-

Iudæ prudentia & integritas.

Opes eccleſiaſticæ & uſus earum.

lium. Nam ipse dominus loculos habuit. Habuit & ecclesia apostolica opes non paucas, quemadmodum testatur liber Actuum apostolorum. Nec peccant fideles qui proprietatis titulo opes huius sæculi possident. Peccant autem monachi mendicantes, qui mendicitatem simulantes nihil proprij habere uideri uolũt, interim maximas diuitias congerunt, & regna propemodum occupant. Peccant Anabaptistæ qui simplicium hominum conscientias diuexant, & illos è communione sanctorum excludunt, nisi opes illas suas fratribus scilicet Anabaptistis erronibus faciant communes. Proprietatem rerum non permiserũt prophetice duntaxat, sed & apostolicæ literæ. Testimonia qui audire cupit, legat 2. Cor. 8. Ephes. 4. 1. Thess. 4. 1. Timoth. 5. & 6. cap. Vtitur ecclesia opibus legitime, si ijs paret, conseruet & foueat res ecclesiæ necessarias. Maxime uero necessaria est doctrina. Deinde si pauperũ subueniat necessitati. Vtitur opibus suis quilibet fidelis recte cum sibi & domui suæ prouidet necessaria, cum amicis, ciuibus & peregrinis officia præstat humanitatis, ac benigne & liberaliter erogat pauperibus. Sic enim & suas opes dispensauit & usurpauit dominus. Quæris unde habuerit facultates, aut quis ipsi dederit pecuniam? In 12. cap. huius historiæ legis, Iudas marsupium habebat, eaq; quæ mittebãtur portabat. Et Lucas in 8. cap. recensет primarias & opulentas aliquot fœminas, quæ domino & discipulis de suis subministrauerint facultatibus. Habuit ergo opes suas dominus ex liberalitate beneficẽtiaq; eorum quos docuit. Nec ideo se ac suos deiecit in mendicorũ numerum, sed ea quæ ex liberalitate & munificentia fidelium accepit, ita dispensauit, uti solent qui facultates uel hæreditate acceperũt uel laboribus pararunt. In lege enim de Leuitis scriptum est, Num. 18. Dedi uobis illa pro hæreditate uestra. Item, Reputabitur oblatio uestra, ac si fieret de frumẽto areæ aut de plenitudine torcularis. Et iterum, Comedetis decimas in omni loco tam uos quàm familia uestra. Est enim hæc merces uestra pro ministerio uestro. Hæc autem in nouum testamentum & ad ministros euangelij transferens apostolus Paulus 1. Cor. 9. multis similibus docet ministros uerbi dei, perinde ex suo ministerio uictũ quærere & accipere posse, atq; quemlibet alium ex opificio suo. Tandem uero subiungit, An nescitis quod hi qui in sacris operantur, ex sacrificio uiuunt? sic & dominus ordinauit, ut qui euangeliũ annunciãt, ex euangelio uiuant. Proinde ipse dominus qui hæc sic ordinauit in ecclesia, primus omnium facultatibus sibi collatis non ut alienis, sed maxime proprijs usus est, suæ & suorum necessitati inde subueniens, et liberaliter egenis erogans. Hoc domini exemplum spectent ingenui adolescentes studijs sacris & ministerio ecclesiarũ consecrati, neq; sinant animos sibi à theologiæ studio uerbiq; ministerio alienari, ab ijs qui liuida inuidia & incredibili malitia marcescentes suggerunt, Quid quæso operam das studio sacrarum literarum, in quo si excelleas, fies uel ecclesiastes concionatorue uel lector ecclesiasticus aut theologiæ professor, at tum uiuendum erit ex eleemosyna, mendicorum more, Vnd můst den Bättel fräſſen. Sic enim solet sathanas egregia ingenia per suos oratores & apostolos territare, quo minus ipsi & regno eius noceant, operamq; suam collocent Christo & ecclesiæ eius. At qui sapiunt iuuenes, contemnunt arrogantem illam contumeliam, & consiliũ non inuidum modo, sed & diabolica profectum è malitia & impietate. Neq; cupient se unquã præferre Christo domino, neq; magnopere curabunt si cum Christo dei filio, rege regum, & domino dominorum, unà cum prophetis & apostolis deijciantur & numerentur in mendicorum turba. Reges certè ipsi adeoq; omnes principes & magistratus mendici omnium maximi illis erunt calũniatoribus, cum & ipsi è populi munificentia, tributis & uectigalibus uiuant. Sed hæc hactenus cõtra eos quibus

Vnde habuerit facultates dominus.

Ad studiosos sacrarum literarum.

hoc

hoc unice cordi est, ut quibuslibet modis ingenuorum adolescẽtum animos à studio sacrarum literarum uerbiq; ministerio abstrahant, & studijs huius sæculi applicent: quos suo tempore iudicabit deus.

Cum ergo exisset, dixit Iesus, Nunc glorificatus est filius hominis, & deus glorificatus est per eum. Si deus glorificatus est per eum, & deus glorificabit eum per se, & continuo glorificabit eum. Filioli, adhuc pauliſper uobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego uado uos non potestis uenire: ita & uobis dico nunc.

Postquam è collegio sanctorum apostolorum sua culpa deturbatus ad colligendos sicarios atq; latrones festinaret sceleratissimus Iudas proditor, sensit Iesus iam imminere horam mortis suæ, uidit mœrere & animis fluctuare discipulos suos, ideoq; diligenti his opus esse confirmatione, consolatione atq; institutione. Proinde auspicatur famosam illã & ab omnibus sanctis per omnes ætates celebratã oratiõnẽ siue concionẽ proxime ante mortẽ ad discipulos suos factã, de qua nonnihil annotaui in huius libri argumento. Ac primũ indicat aperte mortẽ suam iam esse præ foribus, quæ quoniã omnibus sæculis probrosa & ignominiosa est uisa, dominus ostendit ipsam pertinere ad gloriã dei quã prouehat maxime. Nũc, inquit, clarificatus est filius hominis. Loquitur aũt de re futura ceu præterita, idq; per cõsuetum tropũ scripturę enallagen, quo iam factũ dicimus quod mox futurũ est, et propter multã certitudinẽ iamq; instantẽ clarificationem. In morte enim per resurrectionẽ ex mortuis & ascensionẽ ad dexterã patris clarificatus est dei filius. Nam in morte enituit maxime uirtus & gloria Christi, partim ex eo quod mortẽ morien- *Mors Christi gloriam Christi prouehit.*
do superauit, serpentis caput cõtriuit, & inferos atq; damnationẽ cõfregit: partim ex eo quod in ipsa morte ꝓdigiosis signis demonstratum est illum qui patiebatur, quemadmodũ & Centurio cõfitebatur, uerũ esse dei filium & hominẽ iustũ. Mox autẽ excitatus à mortuis, & immortalis iam factus uitã reduxit omnibus credentibus, ascendit ad cœlos, & collocauit se ad dexterã patris, inde misit spiritum sanctum in apostolos, qui exeuntes in orbẽ terræ, totũ ad Christũ cõuerterunt mundum. Quibus rebus omnibus maxime glorificatus est Christus. Recte ergo, Nũc, inquit, glorificatus est filius hominis. In propinquo enim erat ut glorificaretur, ac crucẽ & mortem redderet moriendo gloriosam. Hactenus uisus sum mundo, ait, mortalis & nihil aliud esse quàm ærumnosus homo, uerum nunc in mea morte, & ꝓtinus à morte apparebit gloria mea quod uerus sum dei filius, qui in ipsa carne mea clarificatus et immortalis factus cœlos ascendã dominaturus omnibus. Glorificatur præterea pater per filiũ in morte & resurrectione. Nam intelligimus ex his præcipue dei bonitatẽ, misericordiã, iustitiam ac ueritatẽ, unde dei nomẽ quod per se in sæcula benedictũ est, glorificatur etiã apud homines fideles. Nam misericordia dei ac bonitas in eo se exerit maxime, quod filiũ pro nobis tradidit in mortem. Iustitia in eo, quod peccatũ non potuit expiari, nisi tam celebri morte filij dei. His autẽ omnibus sanctissime ueriſſimeq; præstitit mundo quod per prophetas promisit. Hæc qui intelligunt & apud se propius expendunt, deũ ex animo glorificant. Sequitur, Si deus glorificatus est per eum, id est posteaquam filius morte glorificarit seu gloriam patri parauerit, pater glorificabit filium resurrectione & ascensione, idq; per se, per diuinam inquam potentiam atq; uirtutem: ac continuo quidem glorificabit eum. Tertia enim mox die excitauit eum à mortuis, imò in cruce pendentem honorauit prodigijs, sed & 40. die à resurrectione ascendit in cœlum, in-

Oratio domini ultima in cœna de omnibus pietatis capitibus.

de paucos post dies effudit spiritum suum super omnem carnem, & traxit ad se totum mundum, qui deiectis statuis atq; idolis, calcatis cupiditatibus, & abnegatis erroribus Christũ adorauit, & in hoc uno unicum uitæ præsidium collocauit. His omnibus rite inuicem collatis, & propius expensis, intelliget fidelis mortem Christi non probrosam, sed potius gloriosam esse. Ex infima enim humiliatiõe siue deiectione enata est suprema ac supra omnes cœlos exaltatio. Exposuit hunc locum paulò diuersius beatus Aurel. Augustinus Tract. in Ioan. 63. cuius sententiã cum breuioribus, luculentioribusq; uerbis recitarit D. Ioan. Oecolampadius, eius uerba subijcio. Christus dicitur in claritate sua, inquit, quãdo cum sanctis suis regnabit, eiectis impijs. Eius rei typum gerit ista segregatio, ubi abijt Iudas. Dicit ergo se glorificari filius, tametsi nondum perfecta gloria sit, sed solũ figura gloriæ Christi. Plura qui uelit petat ex Augustino. Addit ille, Non oportet igitur tristitia affici, quoties ex nobis egrediuntur falsi fratres. Sunt enim ulcera corporis Christi. Quãdo autẽ aperta fuerint ulcera & pus effluxerit, leuatur corpus & melius habet. Nobiscum uero facit beatus Cyrill. qui lib. in Ioan. 9. cap. 20. Passionẽ, ait, suam indicat his uerbis, Nũc clarificatus est filius hominis, iã esse in ianuis. Cõsummatio enim gloriæ in morte sita est, quam pro uita mundi sustinuit, per quam resurrectionis modus innotuit. Mortuus est ut homo & uitã suam pro uita omniũ repensauit: surrexit autẽ ex mortuis, & totam naturã nostrã in seipso suscitauit. Semel enim mortuus non amplius moritur, mors illi ultra non dominabitur. Factus ergo patri obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, exaltatus rursus est, nomẽ supra omne nomen accipiens. Nam qui homo nudus ab omnibus ferè putabatur, sic exaltatus est ut deus uerus, & uerus dei filius esse demonstretur. Nec in nouam dignitatem ascendit, qui natura deus erat (nihil enim nouum in filio dei potest inueniri) sed habebat omnia naturaliter ut deus etiam antequã formam serui acciperet. Factus autem homo, quoniã ad dignitatem pristinam cum humanitate redijt, glorificationẽ accepisse intelligitur. Filio autem clarificato deus etiã pater in filio clarificatus est, non quod gloriæ illius, qui perfectio est, quicquã accedat, sed quia clarũ hominibus factũ est cuius filij pater sit. Et cætera. Porrò ad pleniorẽ expositionẽ illud facit, quod mox de morte sua manifestissime sic subiũgit, Filioli mei adhuc paulisper uobiscũ sum. Post horas aliquot diuulsum à uobis impiorũ manus me capiet & trahet ad mortẽ. Vos quæretis me, id est miro mei desiderio tenebimini, optabitis frequentibus uotis mortẽ, sed nunc non moriemini. Nam periphrasi illa, Quò ego uado, uos non potestis uenire, aliud nihil dixit, quàm, in præsentia non moriemini. Nam paulò post ad Petrum dicit, Quò ego uado non potes me nunc sequi, sequeris autẽ postea. Dixit sanè ad Iudæos quoq; eadem hæc uerba, sed sensu diuerso. Cũ Iudæis enim loquens adiecit, Quæretis, nec inuenietis, & ubi ego sum, eò uos non potestis uenire: nisi intelligas dominũ sensisse etiam apostolos frustra à morte Christi quæsiturũ dominum, nisi mandata Christi penitius animis insculpserint suis. Quẽ sensum uideo placuisse Paraphrasti, qui singula pulchre ad statum orationis referens, scribit, Quare filioli mei ne uos exanimet mea mors, quæ tametsi uidetur infirmitatis esse, tamen erit potentior mea uita: tametsi uidebitur ignominiosa, tamen illustrabit gloriã & meam & patris: tametsi uidebitur abolitio mei, tamen salutem adferet & uobis & uniuerso mundo. Hæc consolentur animi uestri mœrorẽ. Expedit enim uobis ut hoc corpus mortale uestris oculis subducatur, iamq; instat tempus ut id fiat. Interim fruamini me tanquam mox abituro, & quæ uobis mando, cordibus uestris imprimatis. Alioqui quemadmodum dixi Iudæis, sublatum frustra quæretis. Mox enim abeo, tum illuc abeo, quò in præsentia

non

non poteſtis conſequi. Supereſt igitur ut abitum meum fortiter feratis, & doctrinam meam, meiq; memoriã animis ueſtris impreſſam, teneatis. Hoc eſt quod uos felices reddet potius quàm corporis huius mortalis conſpectus. Peculiarẽ autem gratiam beneuolentiamq; illud habet, quod diſcipulos ſuos uocat filiolos. Hanc enim gratiam miratur & commendat etiam Ioannes apoſtolus in 1. Ioan. 3. cap.

Præceptum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuo, ſicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuo. In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter uos mutuam.

Præſcribit diſcipulis ſuis quomodo ſe gerãt.

Iam quia diſceſſurus erat à diſcipulis ne ignorarẽt quomodo ſe gererẽt, & quibus inter ſe uiuendi legibus uterentur, paucis totã uiuendi regulam præſcribit. Innumeræ alioqui ſunt leges traditæ de ratione uiuendi, dominus omnes ad charitatem reuocat: quẽ haud dubie imitatus apoſtolus Paulus ad Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, inquit, niſi hoc ut inuicẽ diligatis. Nam qui diligit alterũ, legẽ expleuit. Siquidẽ illa, Nõ mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimoniũ dices, Non concupiſces, & ſi quod aliud eſt præceptũ in hoc ſummatim cõprehenditur, nempe, Diliges proximũ tuum ſicut teipſum. Dilectio ꝓximo malum nõ operatur. Cõſummatio itaq; legis eſt dilectio. Proinde dominus charitatẽ nõ ideo appellat nouũ mandatum, quod hactenus fuerit inauditũ, ſed nouũ, id eſt nobile, præclarũ, illuſtre, pretioſum: uel quod per Chriſtũ iam innouatum, nouo quodã modo & noua ratione ſit propoſitũ. Nullæ enim, ſicut in lege, adijciuntur minæ, gratia & beneuolentia dei lactamur ac ducimur: nec nobis ipſis ponimur exemplum charitatis, ſicut olim factum eſt cum diceretur, Dilige proximum ſicut teipſum. Iam nouum proponitur & hactenus inauditum dilectionis exemplũ Ieſus Chriſtus dei filius: quo ſimul & dilectionis ſiue charitatis modus & ratio, qualis uidelicet eſſe debeat, declaratur, nimirum per omnia reſpondens charitati domini Ieſu: quæ qualis fuerit inquiramus ex ipſis literis ſanctis, ut ſic quoq; rei nouitas exemploq; carentis eluceſcat. Ipſe ergo dominus in euangelio, Maiorẽ hac, inquit, dilectionẽ nemo habet, ut quis animã ſuam ponat ꝓ amicis ſuis. Significantius autẽ multò apoſtolus, Chriſtus, inquit, cum adhuc eſſemus infirmi iuxta temporis rationẽ, pro impijs mortuus eſt. At uix ꝓ iuſto quiſquã morietur. Pro bono forſan aliquis mori ſuſtineret. Cõmendat ergo ſuã erga nos charitatẽ deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus ꝓ nobis mortuus fuit. Huc iam pertinet etiã illud apoſtoli, Is affectus ſit in uobis, qui fuit & in Chriſto Ieſu, qui cũ eſſet in forma dei nõ rapinã arbitratus eſt ut eſſet æqualis deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, forma ſerui ſumpta. Et cætera Philip. 2. Cõgruit cũ his illud quoq; Ioãnis in Canonica, Per hoc cognouimus charitatẽ, quoniã ille animã ſuam ꝓ nobis poſuit. Habes inauditũ & nouũ hactenus exemplũ charitatis in Chriſto, modum itẽ & rationem charitatis iuſtũ. Hinc uero nõ dicit ſimpliciter & ſemel, Præceptũ nouum do uobis, ſed addit, Vt uos mutuo diligatis, ſicut ego dilexi uos. Nam priore mẽbro exponit quid uelit: poſteriore nouitatis rationẽ, & modum dilectionis declarat. Ad hæc annotat beatus Cyrillus ea quæ ſequuntur, Lex fratrẽ diligere iubet ſicut ſeipſum: cæterũ Chriſtus magis nos q̃ ſeipſum amauit. Nouus ergo & inauditus huius dilectionis modus qui nos affici iubet hic eſt, ne quid anteponamus fratrum dilectioni, non gloriam, non diuitias, non deniq; huius corporis mortem, ſi inquam ipſa res poſtularit pro ſalute fratrum mori. Id quod à beatis Ieſu diſcipulis factitatum legimus, qui uitam propriam contempſerunt omnẽ laborem, omne periculũ ſubierunt, ac demũ etiã mortui ſunt ut hominũ aĩas à perditione liberarẽt.

Charitas præceptũ nouum.

Modus charitatis Chriſtianæ.

Præstantia charitatis Christianæ.

Porrò charitatem Christianã illud maxime nobis cõmendat quod sequitur, In hoc cognoscẽt omnes, &c. Quasi dicat, Cæterorum magistrorũ discipuli titulis, cultu, uarijsq; obseruatiunculis dignoscuntur. Nihil istarũ rerum à me didicistis, nihil tale à uobis exigo, aut inter uos instituí uolo. Vna nota cognoscẽt omnes in orbe homines, quod ueri & genuini mei sitis discipuli, si talem inter uos retinueritis charitatem, qualẽ ego uobis præsto. Hanc igitur notã cum præscripserit ipse Christus uelut unicam & certam, an non stulti adeoq; insani sumus qui pręterito tam claro & absoluto dei mandato, alius ad alia conuertimur? Sunt enim qui se Christianos fore credũt si cucullam induant, uota deo ac diuis nuncupent, templa & aras extruant, Missas frequentent, & nescio quas alias hominũ traditiones uerbo dei contradicentes obseruent. Quibus si paulò liberius reclames, & hoc Christi uerbũ urgeas, charitatẽ & misericordiæ opera exigas, mox ceu religionis lues ac pestis exibilaberis. Verũ stat nihilominus immobile uerbũ domini, In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatẽ habueritis inter uos mutuã. Nec est quod iustificationis gratuitæ hostes huius loci præsidio fidẽ & eius uires eleuent. Agnoscimus enim ipsi fidẽ non esse sine charitate, interim certò nouimus ex fide oriri dilectionẽ: quo nomine proculdubio apostolus Paulus fidem per dilectionẽ operantem uel efficacem, aut uires suas uiuide exerentem cõmendauit ecclesijs: quæ demũ ueræ id quod dicuntur erũt, si in hac dilectiõe Christi exerceantur ꝓpetuò.

Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò uadis? Respondit ei Iesus, Quò ego uado non potes me nunc sequi, sequeris autem postea.

Interrumpit cœptam orationẽ domini apostolus Petrus. Cum enim nõ intelligeret quò pertineret illud domini dictũ, Quò ego uado uos non potestis uenire, rogat dominũ Quò sit abiturus? Respondit dominus, moriturũ quidẽ se, Petrum uero nunc non moriturũ, sed postea suo tempore. Putat beatus Cyrill. ænigmatice his significatum etiam Petrum post ascensionẽ domini in crucẽ esse suffigendum.

Dicit ei Petrus, Domine, quare non possum te sequi nunc? Animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, Non canet gallus, donec ter me negaueris.

Petrus qui totus flagrabat amore domini sui, magnifice pollicetur domino. Dominus sibi ipsi nimium fidentẽ necdum sibi ipsi notũ satis erudit ac castigat, prædicens ipsi lapsum grauem. De ea re consule quæ dedi in Matth. 26. cap.

CAP. XIIII.

Et ait discipulis suis, Ne turbetur cor uestrum. Creditis in deum & in me credite.

Consolatur ecclesiam dominus.

Redit ad institutum argumentum cœptæ orationis & hactenus bono Petri zelo interruptæ. Ideo enim additum crediderim à S. Ioanne, Et ait discipulis suis. Dixerat se iam iam abiturum adeoq; moriturũ. Dixerat Petrum una nocte ter negaturum constanter dominum. Vnde conijcere potuerunt discipuli tempestatem nunc imminere atrocissimã, toti ergo conciderant animis ac diligenti cõsolatione confirmationeq; ualida opus habebãt. Hanc instituens dominus huiusmodi summam scopũ ac propositionẽ præfigit, Ne turbetur cor uestrũ. Repetitur eadẽ in fine ꝓpemodũ huius cap. 14. his uerbis, Ne turbetur cor uestrũ, neq; formidet. Cæterum nõ flagitat à suis dominus merã apathiã, ne uidelicet maximis turbis ac infortunijs uel leuiter cõmoueant, sed postulat, ut si quãdo cõmoueantur aduersitatibus tentatiõibusq;, ne cordibus cõturbẽtur, id est animis prorsus concidãt, aiosq; ipsos despondeãt, quin potius animi robur ꝓpetuò retineant. Rationẽ ꝓpositioni adijcit,

adijcit, Creditis in deũ, & in me credite. Fundamentũ cuiuslibet consolationis firmissimũ ac immobile in omnibus tentatiõibus & aduersitatibus est fides in dominum. Cõsistit enim aduersus oẽs sathanæ insultus qui uera fide persuasus credit se habere deum, & eum quidẽ patrẽ & dominũ, beneuolũ ac potentẽ, qui & uelit & possit ex omni malo liberare omnigenisq; donare muneribus & dotibus. Vnde Cyrillus lib. in Ioan. 9. cap. 30. Arma, inquit, dat suis discipulis dñs quibus omnia queant superare aduersa. Per fidẽ nãq; nec aliter seruamur, iuxta illud Psalmistæ, Dominus illuminatio mea & salus mea, quẽ timebo? dominus protector uitæ meæ à quo trepidabo? Deo enim nos protegente, quis affligere poterit? Et cætera. Tale ergo est quod dicit dominus ad discipulos, Cæterũ ne animis uestris prorsus concidatis, efficiet certa, solida & indubitata in deum fiducia. Qui enim habitat in adiutorio altissimi, in æternum non cõmouebitur. Proinde si fidem uestram uere in deum fixistis, seruabit ille uos: seruabo & ego, quemadmodum sæpe hucusq; pollicitus sum. Qui enim in deũ credit, in me quoq; credit, qui sum deus uerus, unius cum patre essentiæ, potestatis & gloriæ. Ergo si uidemini uobisipsis tuti cum in deum creditis, quippe qui semper inuocantibus se in ueritate adsit, in me quoque credite, ut tuti sitis. Hactenus defendi uos præsens per potentiam meam, non deseram uos, licet corpore recedam, in posterum, quo minus adsim uobis in omnibus. Si itaq; uere & cum fructu uultis in deũ credere, in me credite. Euincit hic locus irrefragabiliter Iesum Christum uerum esse deum, in quem credamus, patri consubstantialem, in propria tamen persona subsistentem, non confusum. Confutantur ex hoc loco isti qui docent Iesum Christum non deum uerum, sed prophetam duntaxat fuisse uerum. Si enim propheta fuit uerus, mendaciũ nõ docuit ullum. Docuit autem discipulos suos in ipsum credere: uerum ergo docuit. At credimus in solum deum. Deus itaq; erit Christus, nisi hic non sit, uel propheta, uel falsus sit propheta. Quod obijciunt Israelitas quoq; credidisse in Mosen, non sine tropo dictum est, nec cum hoc loco conferri potest. Etenim eodem sub iugo utraq; continentur, Creditis in deum, & in me credite: unde pari ratione in Christũ creditur, qua in deum, adeoq; in deum creditur cum in Christum creditur, imò non creditur legitime in deum, nisi per Christum. Imò Græce non est distincta uox creditis & credite, sed eadem, ut potius transferendum sit, Si autem creditis in deum, & in me creditis. Aut, Credite in deum, & in me credite. Quod si per indicatiuũ & imperatiuũ πιστεύετε efferre uolumus, licebit & sic transferre, Credite in deum, & in me creditis. Iesus ergo Christus uerus & naturalis deus est: idẽ suos seruat ab omni malo, & firmissima est sanctis ancora salutis & præsidij. Id quod non solis domini discipulis, sed omnibus per omnes ætates fidelibus dictum putabimus, in hoc ut ex hac domini consolatione in quouis periculo sese confirment: qui uerus est huius diuinæ consolationis usus.

Fides fundamentum consolationis.

Christus uerus deus.

In domo patris mei mãsiones multæ sunt: quod si secus esset, dixissem uobis: uado paraturus uobis locum. Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et quo ego uado scitis, & uiam scitis.

Subiungit alium consolationis locum, eumq; euidentissimũ ductũ à patria illa beata & fine siue fructu mortis dominicæ. Ac uidetur quidẽ uobis, inquit, abitio mea aspa & intoleranda, sed ea uobis uiã sternet in æternã & beatã patriã. Vtcũq; enim res fideliũ in hoc sæculo duræ sint & ancipites, hoc tamẽ oĩbus pſuasum esse debet in cœlis apud patrẽ meũ firmas & trãquillas ipsis paratas esse sedes, in quas

Patria nobis per Christum aperta.

liberati ex huius sæculi exilio, certo collocentur. Ideo enim abeo ut sedes illas paratas ab æterno, occlusas propter peccatũ, aperiam. Sciendum tamen duplicem esse huius loci & sensum & intellectum. Prior lectio est huiusmodi, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem uobis, uado paraturus uobis locũ. Et si abiero ad parandũ uobis locũ, &c. Sensus uero talis est, In domo patris mei iam paratæ sunt multæ mansiones, ut non mihi uni, sed oĩbus meis locus sit. Quod si secus esset, dixissem me iam abire ad parandas eas mansiones: nunc nihil opus est cum paratæ sint, & uos breui sequuturos expectent. Porrò quod abeo ad breue tempus abfuturus, non ob id abeo ut parẽ mansiones quæ iam paratæ sunt, sed ut uiã in cœlos mea morte uobis aperiã. Et hunc sensum sequutus uidetur beatus Cyrillus, qui lib. in Ioan. 9. cap. 31. Nisi multę essent mansiones, inquit, hac abirem de caussa ut locũ uobis præpararẽ: nunc uero cum multę sint præparatæ iam, non hac de caussa, sed ut uiam uobis faciã, & inuium iter præparẽ, abiturus sum. Inaccessibile nãq; cœlũ erat hominibus prius: nec ullus unquã hominũ ante Christum cum sancto angelorum consortio fuit: hunc ascensum nobis postea Christus præparauit, & iter fecit in cœlũ carni nostræ. In primitias enim mortuorũ seipsum innouando, deoq; patri offerendo primus homo in cœlo uisus est. Posterior lectio huiusmodi est, In domo patris mei mansiones multæ sunt: quod si secus esset dixissem uobis: uado paraturus uobis locũ. Et si abiero ad parandũ uobis locũ, &c. Sensus uero talis est, In domo patris mei mansiones multæ sunt, occlusæ quidẽ peccatis mortaliũ, sed quas modo trãsitu illo meo ex hoc sæculo, reserabo. Quod si aliud esset dei consiliũ, aut aliud ipse spectarẽ institueremq;, mihi credite, non dissimularem, sed exposuissem uobis iam dudũ: nunc autẽ abitio mea reuera aliud non est quàm mansionũ cœlestium resolutio: uado enim ut parẽ uobis locum. Atq; hunc sensum, id quod sequitur protinus, iuuare uidetur, Et si abiero ad parandũ uobis locũ. His enim abire se ad parandũ locum non obscure testatur, quod tamen prior sensus planè uidetur negare. Verum his omissis pergimus singula repetere, & paulò diligentius copiosiusq; illustrare. In domo, inquit, patris mei mansiones multæ sunt. Domus patris est ipsa cœlorũ regia in qua se uisendum exhibet beatis. De ea domo loquens Dauid canit, Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorũ laudabunt te. In hac domo mansiones sunt multæ. Id quod ad imitationem rerũ humanarũ dictũ est: quasi cœlũ sit regium & augustũ aliquod palatiũ, quod mansionibus uarijs, multis & amœnis sit instructũ ad usus ac habitationẽ hospitum. S. Augustinus Tract. in Ioan. 67. hinc colligit diuersitatẽ præmiorũ in futuro sæculo. Denarius quidẽ ille æqualis est omnibus, inquit, quem paterfamiliâs eis qui operati sunt in uinea iubet dari oĩbus, non in eo discernens qui minus, & qui amplius in eo laborarunt: quo utiq; denario uita significatur æterna, ubi amplius alio nemo uiuit: quoniã uiuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed multæ mansiones diuersas meritorũ in uita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarũ, stella enim à stella differt, in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Tanquam stellæ sancti diuersas mansiones sortiuntur, diuersas claritates in cœlo, &c. Et quãquam hic sensus nil alienum à uero habere uideatur, apparet tamen dominũ in præsenti nihildum de diuersitate præmiorum disseruisse, sed simpliciter dixisse beatis certo in æterna felicitate amœnissimas sedes, & quantũ sufficiat recipiendis omnibus electis, esse paratas. Confirmat hoc uelut ex contrario, Ac nisi hoc ita haberet, nec tanta fide assererem, nec diuersum subticerẽ aut dissimularẽ. Parauit enim deus sedes beatas & patriã cœlestẽ, quam ut hæreditate genus hominum assequeretur, cõdidit hominem. Hic uero propter

Domus patris cœlorum regia.

peccata

peccata ſuo ipſius uitio admiſſa, excidit ſpe ampliſſima, & eiectus eſt in exilium, præterea occluſum eſt ei ipſum cœlum. Cæterum deſcendit filius dei è cœlis in terras, ut in carne moriens tranſiret de hoc ſæculo, peccatisq; expiatis, quæ uitam ad cœlos præcludebant, reduceret homines in æternam patriam ex exilio. Ideo enim dicit, Vado paraturus uobis locum. Parauit quidem locum ſiue manſiones fidelibus ab exordio mundi deus, ordinando ac prædeſtinando: parauit autem eaſdem & Chriſtus moriendo, dum impedimenta remouit quæ obſtabant, quo minus cœlum nobis eſſet paratũ, quod per ſe alioqui ſatis erat paratum. D. Ioan. Oecolamp. in ſuis illis ad Ioan. Annotatis paulò aliter exponit, præparare interpretans ꝓ fundare & ſolidare. Dicit enim ita in uſu eſſe Hebræis, & Chriſtum morte ſua confirmaſſe fœdus illud cum patre, ut iam nullus credentium poſſit excludi cœlo. Poſt hæc plenius exponit dominus modũ illum quo nobis præparatas ſedes reddit acceſſibiles, Poſteaquam abiero, inquit, id eſt, in mortẽ me tradidero, tertia mox die reſurgam ex mortuis, aſcendam ad cœlos, & illuc uos ad me transferam, ad meipſum inquã uos aſſumã, adeò ut ubi ſum ego & uos ſitis. Qui certè modus eſt præparationis loci, ac finis & fructus paſſionis Chriſti. Beatus Cyrillus hæc domini uerba, Iterum ueniam & aſſumam uos ad me ipſum, interpretatus eſt de extremo iudicio & ſecundo Chriſti in mundũ aduentu. Sic enim ſcribit, Non abibo, ait dominus, manſiones paraturus quæ multæ ſunt, ſed uiam innouaturus quæ obſoleuit propter peccata, ut per eam ad angelorum conſortia conſcendere poſſitis. Hoc cum fecero, & ſuperiora inferioribus coniunxero, ac planum iter in ſupernam ciuitatem uobis conſtruxero, iterum ueniam regenerationis tempore (in ultimo iudicio) & accipiam uos mecum, ut ubi ego ſum & uos ſitis. Id recte intelligens Paulus ſcripſit, Hoc uobis dicimus in uerbo domini, quia nos qui uiuimus, qui reliqui ſiue reſidui ſumus in aduentũ domini, non præueniemus dormientes. Quia ipſe dominus in iuſſu, in uoce archangeli, & in tuba dei deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primũ, deinde nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus ſimul cum eis rapiemur in nubibus obuiã domino in aëra, & ſic ſemper cum domino erimus. Concludit iam hunc conſolationis locũ breuiſſima clauſula ceu epilogo, & ait, Et quò uado ſcitis, & uiam ſcitis. Quaſi dicat, Et hactenus expoſui quò uadam, quare moriar, & quod in cœlũ aſcendam: & cur hæc faciam, ut uobis uiam ad cœlos aperiam. Intelligitis ergo per me uobis patere uiam ex præſenti exilio in beatas ſedes, & æternam patriam: ac fide quidem per eam ambulari uiam.

Quomodo paratæ ſedes à deo, paratæ ſint etiam à Chriſto.

Suppeditant hæc domini uerba egregia & certa illa religionis noſtræ capita, locos inquam perutiles & memorabiles. In toto uidelicet terrarum orbe nullũ genus doctrinæ aut philoſophiæ certius eſſe ac ſimplicius Chriſtiano. Eſſe enim beatitudinem & uitam beatam confeſſi ſunt alij, negarunt alij, noſtra doctrina, id eſt euangelica diſerte tradit multas eſſe in futuro ſæculo mãſiones beatas ſiue felices. Hæc quoq; indicat mirum compendium, per quod ad illas perueniatur, per Chriſtum nimirum ſi in ipſum credamus. Accedunt his & alij quidam loci, In omnibus afflictionibus præſentiſſimam eſſe conſolationem, quod intelligunt afflicti nullum ſe in hoc ſæculo habere locum manentẽ, ſed firmiorem & per omnia tranquillum eſſe paratum in cœlis. Quod eum locum parauit atque aperuit generi mortalium, non ulla uirtus aut ullum meritum hominis, ſed Chriſti mors & aſcenſio in cœlos, gratia meritum & mera uirtus ſaluatoris. Cœlum autem non tantum conditionis, ſed & loci nomen eſſe, id quod paulò copioſius tractauimus in 12. lib. Cõment. ad Matth. Ac beatos quidẽ in eo futuros loco in quo uerſatur & agit dñs Ieſus, & ut Germanice dicã, Das wirs vß ſinen gnadẽ als gůt habẽ werdẽd als er. Tanta

Fides Chriſtiana certiſſimum doctrinæ genus.

uidelicet est benignitas domini erga redemptos. Tam munificus & liberalis est erga inuocantes nomen eius. Necp enim ampliora, opinor, postulare ab ipso domino posset ullus mortalis, quàm ipse dominus sua sponte offert fruenda fidelibus, & se nimirũ ipsum & semel omnia sua bona. Quid autẽ hac domini benignitate & beneficentia est mirabilius? Fruamur ergo ineffabilibus illis cœlestibusq opibus per fidem, & simus domino perpetuò grati.

Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus, Ego sum uia & ueritas & uita, Nemo uenit ad patrem, nisi per me.

Infirmitas Thomæ utilis nobis.

Discipuli dolore & affectu sibi ipsis erepti non animaduertunt quid ipsis sugeratur à domino, & cum adhuc satis carnaliter iudicarent de uerbis domini, non intelligunt mentem & institutũ saluatoris. Inter hos enim Thomas ille Didymus ingenue suam profitens ignorantiam, Dicis, ait, domine, & quò eas, & ipsam nos uiam nosse: at ego fateor nos ignorare utrũq: imò cum nescíamus quò uadas, qui possumus nosse uiam? Hac interpellatione ueluti compellat Thomas dominum ut apertius & copiosius mysterium salutis nostræ exponeret. Optime ergo cessit nobis infirmitas apostolica, utpote quæ efficaciter medetur nostræ ægritudini. Hac enim occasione oblata, explicat dominus qua eatur aut perueniatur ad cœlos. Nõ repetit quò abeat. Satis enim dilucide dixerat se abiturum ad patrem. Sentiebat autem fructum & finem abitionis suæ non recte intelligi ab apostolis, totum ergo sermonem conuertit ad interpretationem mysterij & fructus abitionis suæ, & dicit, Fatemini ignorare uos quò abeam, & iccirco uiam nescire, dicam ergo planè, abire me uidelicet per mortem crucis ad patrem, ac ita uobis & omnibus fidelibus parare aditum & uiam in cœlos ad eundẽ patrem. Ego itaq sum illa uia, per quam peruenitur ad patrem: & ideo ascendo ad patrem in cœlos, ut illuc uos ad me traham. Proinde qui cupit intrare in regnum dei, & in sedes illas beatas, in mansiones felicibus paratas, per me eat. It per me quicunq credit se patri per me reconciliatum, & meo merito se recipiendum in hæreditatem uitæ æternæ. Habes Thoma quò uadam, & præsertim quæ sit uia uitæ.

Qua eatur aut perueniatur ad cœlum.

Doctrina salutis redacta in compendium.

Quoniam uero in his paucis omnia euangelij mysteria comprehenduntur, & hinc uenæ uitæ scaturiunt, operæpretium facturi uidebimur, si singula paulò diligentius pensitemus. Agitur de fructu & fine mortis Christi, adeoq de totius dispensationis dominicæ mysterio, & qua ad cœlos pateat uia, aut quomodo perueniatur ad uitam beatam. De ea quæstione mirifice uariarunt hominum, philosophorum maxime, sententiæ. Conscripti sunt ea de re libri uastissimi, sed à quibus non minore cum hæsitatione discedas quàm accesseris. Dominus autem Iesus uerus dei filius & beatitudinis æternæ largitor, non inuoluit tantum mysterium ullis tenebris uel difficultatibus, non circunducit suos discipulos per circunflexos disputationum ambages, sed simpliciter ipsam ueritatẽ breui sententia exponens,

Christus uia.

Ego, inquit, sum uia. Idem in 10. cap. dixerat, Ego sum ostiũ, per me si quis introierit seruabitur. Qui autem non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro. Via est Christus. Nam ducit in uitam æternam. Metaphorice enim uia dicitur. Ergo cum uia sit, per ipsum uitam ingredi cupientibus eundum est. Non proderit cuiquam quicquam uia Christus, nisi in eo ambulauerit. Quæris, Quomodo ambulare liceat in Christo? Per fidem, si uidelicet ueraci uerbo euangelij doctus credas per Christum à patre tibi aditum paratum in cœlos, & ideo te recipi in numerum beatorum, quia Christo dei filio insitus es, quia eius membrũ es, & in ipso

atq

atq; per ipsum ascendis in cœlum: rursus si eadem fide instructus insistas uestigijs Christi domini, componasq; omnes cogitationes tuas, omnia dicta & facta tua ad exemplum ipsius. In 8. enim cap. dixit, Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habet lumen uitæ. Sequitur, Ego sum ueritas. Veritas media ponitur inter Viam & Vitam, ut uidelicet intelligamus Christum ueram esse uiam & uitam, adeoq; ueritatem & plenitudinem omnium promissionũ dei, in quo plenissime sumus completi. Nam & in 1. cap. dixit Ioannes, Christus siue uerbum est plenitudo gratiæ & ueritatis. Veritas item est quia deus est. Omnis enim homo mendax, solus deus uerax est. Quod si Christus ueritas est, non debemus audire quod contra ueritatem eiaculatur mundus, caro, diabolus. Pergamus recta in uia Christo, non sinamus nos rapi in transuersum, non sinamus nos deturbari ex hac uia. Idem dominus Iesus Vita est, per quem scilicet uiuimus. Neque enim in alio quoquam uita aut salus est. Omnes nos per ingenium humanum sumus mortui, solus ille uitam & restituit & confert. De qua re abunde satis dictũ est in cap. huius euangelij 1. 3. 4. 5. 6. 8. 10. & 11. In primis autem obseruandũ uidetur quod singulis horum trium nominum apponitur articulus ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωή, ut intelligamus non quamlibet uiam aut ueritatem aut uitam, sed ueram illam & unicam, indubitatam & absolutissimam. D. Chrysostomus Homel. in Ioannem 72. ea sic est interpretatus, Ego sum uia, quia per me uenietis. Veritas, quia sine dubio hæc erunt, neq; in me mendacium est. Vita, quia nec ipsa mors prohibere poterit ne ad me ueniatis. Quod si ego sum uia, duce minime indigetis. Si ueritas, non loquor falsa. Si uita, etiam si moriendum sit, consequemini quæ uobis sum pollicitus. Multum autem consolationis illud habet quod dixit se esse uiam. Si enim in potestate mea est ut uos ad patrem ducam, omnino uenietis, &c. Rursus ne nõ omnia salutis nostræ ad unicum & solum dei filium referrentur, manifeste & plene omnia comprehendens, Nemo, inquit, uenit ad patrem, nisi per me. Ad patrem uenire, est reconciliari & coniungi cum deo, aut in uitam recipi æternam. In hanc nemo omnium recipitur, nisi per Christum. Quo quid quæso dici poterat plenius & manifestius? Idem repetijt in Actis, apostolus Petrus dicens, Nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen datum est inter homines in quo oporteat nos saluos fieri. Proinde cum ait, Nemo uenit ad patrem, nisi per me, excluduntur è patris consortio Iudæi & Turcæ, qui non cõtendunt ad patrem per filium. Cum ait, Nisi per me, se solum statuit, deijcit omnia in quibus homines quærunt reconciliationem & uitam beatam. In solo enim Christo est iustitia, reconciliatio & uita nostra. Mirandum est ergo, quis malus genius illos in transuersum rapiat, quibus plus adlubescit uia Dominici, uia Francisci, uia Benedicti, & nescio qui alij ordines, quàm uia & ordo Christi. In hoc ueritas est & uita. In idolis nulla est ueritas uel uita ne animalis quidem. In Missis & reliquis hominum traditionibus nulla ueritas uel uita est. Veritas & uita inuenitur in Christo & uerbo ac institutione eius: ad hunc accedũt quibus cordi est ueritas & uita. Qui habet aures ad audiendum audiat.

Christus ueritas.

Christus uita est.

Ad patrem nemo uenit nisi per filium.

Si cognouissetis me, & patrem meum utiq; cognouissetis: & nunc cognoscitis eum, & uidistis eum.

Significantius indicat se esse deum & patri coæqualem, id quod in principio capitis dicere cœperat, Creditis in deum, & in me credite. Hinc enim potissimum conturbabantur & ambigebant discipuli, quod nondum plene intelligerẽt, & immota fide crederent dominum Iesum patri per omnia esse æqualẽ, & eundẽ pror-

Filius patri coæqualis.

ſus cum patre, quod attinet ſubſtantiam non perſonam. Vt ergo cõfirmaret ſuos in fide, Si cognouiſſetis me, inquit, plene & uere, utiq; & patrem cognouiſſetis. In me enim cognoſcitur quod pater eſt, cũ filius ſim ego: cognoſcitur quod pater clemens atq; miſericors eſt, quia uidelicet me miſit in mundum, & non pepercit unigenito ſuo: cognoſcitur illius diuinitas, æternitas, potentia, iuſtitia, quando in me operatur opera quæ æternitatem, iuſtitiam & maieſtatem ipſius teſtantur. His iam ſubiungit, Et nunc cognoſcitis eum, & uidiſtis eum, dum uidelicet filiũ cognoſcitis & uidetis, oculis nimirum animi non corporis: quanquã & miracula diuinitatis teſtimonia, oculis etiã corporeis uiderint. Et Cyrill. lib. 9. in Ioan. cap. 35. uiſum proprie ad miracula retulit. Cognouimus in filio, inquit, quis pater ſit, nec cognouimus ſolum, ſed uidimus etiam. Cognitio enim mentis ſpeculationem ſignificat, quam mens humana de natura diuina, & quæ ſuper omnia & per omnia in omnibus eſt, habere poteſt. Viſus autem miraculorum certitudinẽ denotat. Non enim tantummodo nuda mentis agnitione uitam eſſe patrem cognouimus, mortuos uiuificantem in filio, & corruptos ad eſſe iterum reducentẽ: ſed uidimus ipſum in filio uitam naturaliter eſſe, & omnia illi eſſe ſubiecta, quãdo mari & uentis ſumma cum poteſtate præcipiens dicebat, Tace, obmuteſce. Ac mox idem addit, Cum dicat ſe pro patre uiſum eſſe, non negat in propria uere perſona deum patrẽ (ex quo eſt) ſubſiſtere, nec ſe patrem eſſe affirmat, quantũ ad perſonæ dico ſignificationẽ. Nam quoniam cõſubſtantialis patri eſt filius, iccirco in ſeipſo patrẽ uideri aſſerit: ut ſi quis noſtrũ cum patris ſui naturã ante oculos ponere uelit, ſeipſum oſtendat, ut in ſe pater ſuus cernatur: quamuis deus omnium uim exemplorum excedat.

Dicit ei Philippus, Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus, Tanto tempore uobiſcum ſum, & non cognouiſti me? Philippe, qui uidit me, uidit patrem. Et quomodo dicis tu, oſtende nobis patrem? Non credis quod ego in patre ſum, & pater in me?

Philippus cupit ſibi exhiberi glorioſam dei ſpeciem.

Philippus cæteris diſcipulis diſcendi auidior interpellat dominum, & quia plane carnalem de deo patre opinionem habebat, cupiebat ſibi ac ſuis uiſibilem aliquam uel oculis corporeis perceptibilem adeoq; glorioſam dei patris exhiberi ſpeciem, qua uiſa nihil porrò deſiderare uelint. Sentiebat nimirum de eſſentia patris longe auguſtius quàm de natura filij. Iccirco enim patris conſpectum aut uiſionem tantopere expetit, & in ea finem & abſolutionem omnium deſideriorũ conſtituit, quaſi nihil poſſit ipſis in orbe maius, præſtantius, diuinius, & gratius exhiberi, cui cedant facile quæcunq; grandia, ſuauiſſima & maxima ſunt in mundo. Sic ferè & Moſes affectus clamat ad dominum Exodi 33. Domine oſtende mihi gloriam tuam, id eſt exhibe te mihi per omnia talem qualis es in gloria. Cæterum quemadmodum tunc Moſi reſpondens, Nõ poteris, inquit, uidere faciem meam. Nõ enim uidebit me homo & uiuet: nec illi aliud obiecit tranſiens, quàm ſpectrũ, hominis nimirum (iam tunc ſignificans per Chriſtum incarnandum uelle deum uere cognoſci) in cuius tergum non faciem proſpiciebat Moſes: ita in præſenti, Philippo uiſionem dei ſerio poſtulanti ſeipſum obijcit aut exhibet. In filio enim pater cognoſci uult & uideri, quem hoc nomine miſit in mundum. Hic ergo grauiter cum Philippo expoſtulans ipſumq; in ueritate inſtituens, Adeõne, inquit, & oleum & operam, mea illa in docendo & operando, diligentia perdidi? Multo iam tempore uobiſcum uerſatus ſum, multa edidi miracula, multis docui me æqualem eſſe patri adeoq; eundem cum patre natura, poteſtate, eſſentia, gloria, imò patrem in me cognoſci atq; uideri: nunc autem tu poſcis Philippe ut oſtendam tibi patrẽ,

In filio cognoſcitur & uidetur pater.

quaſi

quasi non uideat patrem qui me uidet: aut quasi me hactenus nec noueris nec uideris. Proinde hoc tibi, si nescis aut nondum agnoscis Philippe, pro certo confirmo, quod qui me uidit, ipsum patrem uidit. Absurda est igitur illa tua petitio, qua poscis tibi patrem ostendi. An nondum credis quod inseparabili nexu & unione cohæremus pater & ego, & quod in patre sum ego, & ille in me? Vidisti ergo patrem ubi me uidisti. Sufficiat hæc tibi uisio. Nam ea uitam confert beatam, confert animi tranquillitatem & gaudium plenissimum, ut nihil possis ultra desiderare. Conabor & alijs uerbis eundem sensum exponere, quo plus lucis accedat rei per omnia maximæ, Philippe tu quidem, ait dominus, cupis ostendi tibi patrem cœlestem, quasi ego alius sim à patre essentia atque natura, & non potius unus atq; idem cum patre: scias igitur unam atque eandem esse diuinitatem & diuinam maiestatem, patris uidelicet & meam: quæ ut ineffabilis & maxime spiritualis est, ita non cernitur corporeis oculis. Tu itaque crede in me, crede uerbis meis, recipe me dei filium, & fruetur anima tua contemplatione dei iucunda, uidebit ea fides patrem in me, & me in patre. Cum autem tanto tempore, id est toto illo quo apud uos uersatus sum, nihil diligentius inculcauerim, quàm fidem in me, non possum satis mirari tenue illud iudicium tuum Philippe, qui modo cupis tibi ostendi patrem, quem iam olim in meipso per fidem uidisse oportuerat. Hæc de sensu atque contextu huius loci dicta sint hactenus.

Celebris est autem hic locus euangelij. Diserte enim docet Deum patrem in sua maiestate non uideri corporeis oculis, imò deum non nisi in Christo uere cognosci. De eo nonnihil dedi in primo cap. huius historiæ, cum exponerem illa Ioannis uerba, Deum nemo uidit unquam, unigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis: & in primo cap. lib. de Origine erroris. Certè dominus hoc loco reuocat à perquisitione curiosiore, proponit nobis mysterium dispensationis, & in eo uult nos acquiescere. Qui ergo cupiunt deum uere uidere & cognoscere, oculos in Christum conuertant, & huius uerbis atque doctrinæ credant: discant & ex operibus ipsius quis & quid sit deus. Deus enim talis ac huiusmodi est, qualem se nobis exhibuit in Christo. Qui ergo deum cognoscere cupit, uideat ut Christum recte cognoscat: uideat ne amplius scire audeat aut uelit quàm in Christo traditum est. Qui autem Christo neglecto dictamina & subtilitates humanæ rationis sequuntur, certò pereunt ac euanescunt in cogitationibus suis: & huiusmodi homines uel negant Iesum esse uerum deum, uel superbenedictam trinitatem putant non scripturis esse à deo traditam, sed ab hominibus inuentam. Atqui constat certissime ex multis scripturæ locis apertissimis, ex præsenti in primis, patrem & filium eiusdem esse substantiæ atque naturæ. Quid enim apertius quàm quod dominus ait, Qui uidit me, uidit patrem? Hoc enim perinde est ac cum alibi ait, Ego & pater unum sumus. Rursus ne quis eundem crederet patrem qui filius est, id est more Sabellianorum confunderet in adoranda trinitate personas, addit, Non credis quod ego in patre sum, & pater in me? Verum qui ea de re cupit cognoscere plura, legat elegantem Tertulliani librum contra Praxeam scriptum: in quo inter alia, Si patrem, inquit, eundem filium uellet intelligi, dicendo, Qui me uidet, patrem uidet, quomodo subijcit, Non credis quia ego in patre, & pater in me? Debuerat enim subiunxisse, Non credis quia ego sum pater? &c. Et quoniam pater non est incarnatus, sed filius, ideo uidendi uerbum in præsenti oportet ad animum non corpus, ad fidem non corporeos oculos referre. Videt ergo filium, qui credit in filium: & qui credit in filium, credit etiam in patrem. Essentia enim unus est deus, in personis trinus. Huc pertinet quod cum dixisset, Qui uidit me,

Deus non uidetur corporeis oculis in hoc sæculo.

uidit patrem, mox adijcit, Non credis quod ego in patre ſum, & pater in me. Pro uidendi enim uocabulo credendi repoſuit.

Verba quæ ego loquor uobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Credite mihi quod ego in patre ſum, & pater in me: ſin minus, propter ipſa facta credite mihi.

Plenius oſtendit dominus ſe patri eſſe æqualẽ, & deum uerum in omnibus, & per omnia. Quaſi dicat, Arguit illa Philippi quæſtio nondũ plene uos intelligere id quod in fide & in omni cõſolatione caput eſt primariũ, me uidelicet eſſe eiuſdẽ poteſtatis, gloriæ, naturæ atq; eſſentiæ cũ deo patre, id itaq; plenius edocebo. Profert aũt doctrinã & facta, uerba & opera, ac ſimpliciter docet utraq; illa ſe cõmunia habere cũ patre, adeoq; ea non ex humana facultate, ſed diuina potẽtia facere. Verba, inquit, quæ ego loquor uobis, à meipſo non loquor, doctrinã inquã quam doceo in terris non hauſi ex homine, tametſi uerus ſim homo, ſed quoniam ſimul ſum ſapientia patris, & uerbũ incarnatum, ex diuina ſapientia atq; natura doceo, quæ doceo. Quod opera attinet, non ego illa (iuxta hominẽ loquimur) operor, ſed pater in me manens, ipſe facit opera. Significanter autẽ dixit manens. Indiuidua enim eſt copula ſiue unio illa ineffabilis patris & filij. Et utitur quidẽ dominus noſtris uocabulis ad noſtrũ intellectum accõmodis, propter quæ nemo debet imaginari localiter aliũ in alio ceu uas in uaſe ineſſe, aut manere: ſicut & 10. cap. admonuimus. Iſto enim dicendi ſchemate eandem prorſus ſubſtantiæ & naturæ identitatem uoluit ſignificare. Copioſam de hoc loco diſputationẽ contra hæreticos habes in 1. cap. 3. lib. Cyrilli inſcripti Theſaurus. Et ad hæc quidem nũc infert, quod docere uel oſtendere cupit. Credite ergo mihi quod ego in patre ſum, & pater in me. Id eſt, credite quod una ſit in diſtinctis perſonis patris & mea eſſentia, poteſtas, uoluntas atq; natura. Et repetens probationem, Sin minus, propter ipſa facta credite mihi, εἰ δὲ μή, Wo aber das nit. Id eſt, etiamſi aliâs non creditis, uel ipſis diuinis factis commoti, credite. Ex actis enim euidentiſſima producitur probatio: unde & 10. cap. Si non facio opera patris mei, ait, nolite credere mihi: ſin uero facio, & ſi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis quod pater in me eſt, & ego in eo.

Ex uerbis & factis claret patrì filiũ eſſe æqualem.

Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet: quia ego ad patrem uado.

Ab operibus ſuis mirificis quæ ipſe facit, uirtute patris, id eſt potentia diuina, deſcẽdit ad ea quæ faciunt ſancti, ſed uirtute & nomine Ieſu, ac per id quoq; oſtendit ſe patri nuſpiam eſſe inæqualem, ſed ſimilem per omnia, deum uerum. Confirmat aſſeuerationẽ grauem iureiurando, quo minus dubitemus. Pro certo, inquit, & indubitato habete, ſanctos ea ipſa facturos opera, quę ego facio, id eſt paria, imò & maiora, ſi uidelicet in me credant. Quod ualidiſſimum eſt diuinæ in Chriſto naturæ argumentum. Non inefficax eſt fides in dominum Ieſum, ergo uerus eſt hic deus. Præſtitit enim ampliſſime ſuis apoſtolis atque miniſtris fidelibus, quod hic promiſit, & alibi quoq; dixit, In nomine meo dæmonia eijcient, leproſos mundabunt, ægrotos reſtituent. Ideo S. Petrus ubi claudum illum ad ſpecioſam portã ſedentem reſtituiſſet, & circũfuſam turbam in ipſum ceu miraculi authorem oculos conuertere uidiſſet, clamans teſtatur, Viri Iſraelitæ, quid miramini ſuper hoc, aut me quid intuemini, quaſi mea pietate aut uirtute effecerim, ut hic ambularet? Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, quem uos interfeciſtis, deus autem ſuſcitauit ex mortuis: & per fiduciam nominis eius hunc quem uideris &

Sancti operantes in nomine Chriſti oſtendunt filium eſſe æqualem patri.

tis & noſtis conſolidauit nomen ipſius: & fides quæ per eum eſt dedit ei integritatem iſtam in cõſpectu omnium ueſtrum. Intelligis opinor quomodo ex operibus diuinis ſanctorum, nomine & uirtute domini Ieſu factis, eluceſcat diuina Chriſti natura. Ex uno enim reliqua æſtimabis. Illud porrò omnium miraculorum maximum eſſe uidetur, quod homines uiles, noui ac peregrini, adde & illiterati, agreſtes, nulla ſæculari ſapientia inſtructi, nullis philoſophiæ ſtudijs exercitati, nec ullis auxilijs adiuti hominum, totum ad Chriſtum potuerunt conuertere mundum, ad Ieſum Chriſtum inquam incarnatum, captum, uirgis cæſum, conſputũ, in crucem ſuffixum, ſummis cõtumelijs & probris deturpatum, mortuum & ſepultũ: ac mundũ quidem in malo illo conſtitutũ, peruicacem, longa temporis præſcriptione, patrũ exemplo, felicitate, uictorijs, miraculisq; confirmatam religionẽ retinentem: cui ſuffragabantur & quam defendebant reges, principes, pontifices, ſacerdotum collegia, ſcholæ philoſophorum ſectæq; hæreticorum. Quanquã uideri poterat ſermo domini eſſe hyperbolicus, ut maiora poſuerit pro maximis. Quaſi dicat, Si ita res ueſtræ & gloria mea poſtulabunt, ſtupenda & inaudita deſignabitis in meo nomine miracula. Atq; hunc ſenſum ferè ſequutus Cyrill. lib. in Ioan. 9. cap. 41. Nullus, inquit, putet, quoniã cœlos, ſolem & lunam angelorũq; multitudinem produxit, maiora his fidelibus per gratiã conceſſurum. Non enim ad hæc intentio dicentis extenditur, ſed quæ ad utilitatẽ hominũ & ſanctificationis humanæ menſuram reſpiciebant, ea ſolum obtulit. Propterea quæ ego facio, dixit, ut ad ea quæ coram apoſtolis fecit oratio ſolummodo tenderetur. Vnde ſimul etiam oſtenditur nõ feciſſe ipſum maiora, quia nihil maius occaſio attulit. S. Auguſt. Tract. in Ioan. 71. hæc in hunc locum dedit, Non ſe extollat ſeruus ſupra dominũ, nec diſcipulus ſupra magiſtrum. Maiora quàm ipſe fecit, dicit eos eſſe facturos, ſed in eis, uel per eos ſe faciente, non ipſis, tanquam ex ſeipſis. Ei quippe cantatur in Pſal. Diligã te domine uirtus mea. Sed quæ ſunt tandem iſta maiora? An fortè quod ægros ipſis tranſeuntibus etiam eorum umbra ſanabat? Maius eſt enim ut ſanet umbra quàm fimbria. Illud per ſe fecit, hoc per ipſos: ſed tamẽ utrũq; ipſe. Hæc Auguſt. Quibus illud quoq; adijcere potes quod in 19. Act. cap. ſic legis, Ac uirtutes non uulgares edebat deus per manus Pauli, ita ut etiã ſuper infirmos deferrẽtur à corpore eius ſudaria & ſemicincta, & recederent ab eis morbi, & ſpiritus mali egrederentur. Sub finem appendit dominus, Quia uado ad patrem. Quaſi dicat, Ideo dixi uos ea facturos quæ ipſe nunc facio, quia nõ manebo ſemper in carne uobiſcũ, ſed aſcendam ad patrem, & relinquam uos corpore illo meo, uirtute autẽ mea non recedam à uobis, ſed operabo in uobis. Quis uero inde non colligat Ieſum eſſe deum uerũ? Si enim diſcedit à diſcipulis, & tamen nihilominus adeſt ipſis, & operatur in eis, quis non uideat Ieſum homine eſſe præſtantiorẽ, deum utiq; uerũ? qui ſolus ubiq; adeſſe & maxima quæq; miracula in ſuis deſignare poteſt. Idem interim uerus eſt homo, qui uidelicet abit ad patrẽ et à ſuis recedit. Alij ſic exponũt. Ideo maiora deſignabitis miracula, quia aſcendo ad patrẽ in gloriam, ut inde in uos transfundam uirtutem cœleſtem, quæ operetur & perficiat in uobis maxima quæq;.

Maiora quomõdo fecerint diſcipuli.

Et quicquid petieritis nomine meo, hoc faciã, ut glorificetur pater per filium. Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam.

Aliud diuinitatis ſuæ argumentum profert, quod recte expenſum mirifice conſolatur. Faciã ſiue præſtabo, inquit, quicquid nomine meo poſtulaueritis: ſum itaq; deus. Dei enim ſolius eſt omniũ uota audire, & omnia poſſe, ſiue omniũ deſideria explere. Nec eſt ut quicq; uos mea cõturbet abitio. Quãuis enim corpore abeam,

Chriſtus omnia ſuorum explet deſideria.

nunquã tamen uotis ueſtris deero, curabo res ueſtras, ac effectum dabo quod pſs à me precibus poſtulaueritis. Vt glorificetur pater per filium. His uel ſinẽ indicat, propter quem omnia ſe fidelibus præſtiturũ promittit. Vt appareat eandẽ eſſe & patris & filij gloriam, & ut homines patrẽ glorificent per filiũ, utpote patri natura liter coniunctũ. Annotauit Chryſoſt. quod non dixit, Vt glorificẽ patrem, ſed, Vt glorificetur in me pater. Cum enim filius, inquit, magna poſſe apparet, in eo pater glorificatur. Vel reſpexit ad conditiones precum, ut ſit ſenſus, Si petieritis quod ad patris meiq; nominis gloriã pertinebit, hoc faciã. Præſtat enim nos non exaudiri quando poſtulamus indecentia. Rurſus autẽ Chryſoſt. Sed quid ſignificat, inquit, In nomine meo? Quod apoſtoli dicebant, In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Quæcũq; enim ipſi operabãtur, eorũ author erat Chriſtus, & manus domini erat cum illis. Significat item In nomine meo, in fiducia mei nominis & meæ uirtutis, uel ꝓpter me, quod ego mea uobis uirtute præſtem. Mox aũt eandem ſententiam ijſdem propè uerbis repetens, ait, Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. Qua anadiploſi uel uehementer ac grauiter confirmat quod promiſerat, & fidem noſtram ad petendum excitat. Quaſi dicat, Ne uos perturbet abitus meus, qui lucri quoq; nõ parum uobis eſt allaturus. Tum enim maxime ſum uobis affuturus ad omnia quæ faciunt ad ueram ſalutem, cum hoc corpus uobis ſubduxero. Tantum petite quod uoletis, ego uobis omnia uota deſideria q; ueſtra explebo. Quid ergo reſtat quod quiſquam ueſtrum amplius poſtulare queat? Nec eſt quod de fide mea dubitetis, Certò dabo uobis, certò faciam, quod à me poſtulaueritis. Ideo enim eandem ſententiam repeto, quo plus fidei apud uos inueniat. Vel tacite occurrens obiectioni ueram & naturalem ſuam diuinitatẽ aſſerit. Ne enim Arrianus aliquis obijceret filium non propria uirtute facere quod petunt fideles, ſed precibus impetrare à patre, & iccirco minorem eſſe patre ſecundum naturã diuinam, diſertis uerbis & non ſine eximia emphaſi dicit, Si quid petieritis per nomẽ meum. En per nomen meum inquit: & adhuc ſignificantius, Ego faciam. Recte ergo Cyrill. hæc domini uerba exponens, Liquido, ait, hic deum ſe uerum eſſe oſtendit. Nã dicit ſe ſuſcepturũ orationes ſuorũ, omniaq; conceſſurũ eis quæ petant, ſpiritales ſcilicet petitiones, & à ſuperna maieſtate nõ alienas: neq; id ut miniſter facturus erat. Nõ enim aliena ſed ſua ſe daturum pollicetur. Oĩa enim per ipſum ex patre ſunt. Iccirco Paulus quoq; ſemper ſanctis cõiunctim bona petit, dicens, Gratia uobis & pax à deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto. Vna quippe eademq; gratia eſt quæ ab utriſq; ꝓficiſcitur. Gratiarũ quippe diſtributio, ſicuti cætera omnia, ex patre per filiũ eſt: per filium autẽ non ut per miniſtrũ, ſed ut per coauthorẽ (ut ſic dicã) & uere collargitorẽ. Vna enim deitatis natura eſt, quæ in patre & filio & ſpiritu ſancto uere atq; catholice ita creditur eſſe, ut nullam omnino diuiſionẽ, nullam ut ſic dixerim dilacerationẽ patiatur. Tantum Cyrillus lib. in Ioan. 9. cap. 42. Diſcunt ex hiſce domini uerbis pij quẽ ſpectent & inuocent ſuis precibus, non diuam uirginem, ſanctum Petrum, aut diuum Sebaſtianũ, ſed uirginis filium Ieſum Chriſtum: qui ut fidelis & miſericors eſt ſanctorũ pontifex, ita deus quoq; eſt potentiſſimus, optimus, maximus, potens, omnia ſuorũ explere deſideria. Hactenus autem tractauit primarium conſolationis caput, fidem in dominum Ieſum uerum deum & hominem ſaluatorem & curatorem fidelium. Tranſit nunc ad alia quoq; argumenta.

Quis inuocandus.

Si diligitis me, præcepta mea ſeruate: & ego rogabo patrem, & alium conſolatorem dabit uobis, ut maneat uobiſcum in æternum, ſpiritum ueritatis,

ritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit.

Spiritus domini per uniuersam scripturam non tantum demonstrat ac docet perspicue ueritatem, sed urget uehementissime ut cognitam recipiamus retineamusq; unde etiam dominus noster in præsenti consolationi & doctrinæ planè diuinæ admiscet adhortationẽ, omnibus modis urgens discipulos, ac in his totã ecclesiã, ut ea quæ hucusq; tradidit recipiant retineantq;, & seipsos in ijs exerceant. Est enim sensus uerborũ domini talis, Docui uos hoc meo sermone quod abeo ad patrem, docui cur abeam, & quis inde ad uos & ad totam ecclesiã redeat fructus, eo autem nomine quod moriturũ auditis discrutiamini grauiter, sicut ferè solent homines ob discessum exanimari amicorum: ac declaratis, fateor, illo uestro mœrore graui quàm me diligatis familiariter: ego uero iubeo uos uestram dilectionem alio declarare argumento. Si enim uere me diligitis, declarate illam uestram erga me charitatem studio & obseruatione præceptorum meorum. Præceptum uero siue mandatum illud ipsum uocat, quod commendauit hucusq;, humilitatem eximiam, charitatem Christianam, & fidem synceram atque constantem in Christum. Seruat ergo mandatum quisquis doctrinæ huic tenaciter inhæret, & religiose seipsum in humilitate, charitate & fide exercet, omnibus se modis Christo seruatori insinuat. Sic autem urget suos cultores Christus ueluti benignus pater amantes filios per amorem siue charitatem: non autem ceu legislator ac Moses aliquis sæuis minitans execrationibus, ac clamans, Quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro hoc, maledictus sit. Mitius ac suauius agit omnia Iesus. Et suauiora sunt quæ profluunt ex charitate, quàm quæ extorquentur minis. Ad consolationem simul & ad expositionem fructus synceræ dilectionis & pietatis illud maxime pertinet quod sequitur, Et ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis. Vbi, inquit, rediero in cœlos, patrem exorabo, & ille alium dabit uobis paracletum. Rogat autem patrem filius secundum rationem dispensationis, & quia mediator pontifex & uerus homo est, & manet etiam in gloria. Παράκλητος uero, siue paracletus, Latinis significat consolatorẽ, adhortatorem, aduocatum, patronum, tutorem siue procuratorem, cuius consilio opera & auxilio reguntur pupilli, & quibus per ætatem teneram rerum imperitiã iudicijq; inopiam opus est consultoribus tutoribusue & œconomis siue dispensatoribus. Ac hactenus quidem dominus discipulis suis patrocinatus uerum & fidelem egit paracletum. Prospexit enim illis in omnibus, ac res ipsorum omnes, ceu pater filiorũ negotia, curauit. Docuit enim, consolatus est, corripuit, adhortatus est, defendit à malo, contulit necessaria, sua denicq; cura & prudentia gubernauit eos, ceu tutor aliquis pupillos. Nunc uero quoniam illam sui corporis præsentiam & corpoream administrationem erat ipsis subducturus, alium, inquit, paracletum in locum meum substituet uobis pater: ut abiens uos minime destituam desolatos. Addit, Vt maneat uobiscum in æternum. Quasi dicat, Ego quidem uobis breui tempore patrocinatus sum: nunc enim abeo ad patrem & destituam uos præsentia corporali: at ille quem uobis mittet paracletum pater, semel missus, nunquam abibit à uobis, sed manebit uobiscum in æternũ. Vnde orthodoxe colligunt ueritatis studiosi nullo alio in ecclesia Christũ opus habere uicario post spiritũ sanctum, in quo maxime præsens est, licet corpore sit absens. Vnius enim substantiæ atq; naturæ est cum patre & filio sanctus spiritus. Imò ne quis ignoraret de quo loqueretur paracleto dñs, per expositionẽ subiungit, Spiritum ueritatis. Proinde paracletus

Adhortatur ut ueram pietatẽ recipiant & retineant.

Præceptũ Christi seruare.

Paracletũ promittit dominus ecclesiæ.

Præstantia & ingenium spiritus.

siue aduocatus & tutor ille quem dominus suis ꝓmittit est spiritus sanctus, quem spiritũ appellat ueritatis, consueto scripturæ idiomate. Intelligit enim spiritum sua natura esse ueritatẽ, quia deus est. Idem spiritus uerax est, ac ueritatẽ mundo reuelat, purus est, integer, syncerus, constans, firmus & fidelis, sine omni hypocrisi, fuco & mendacio. Accedit his aliud quod spiritus ostẽdit præstantiã, Quẽ mundus non potest accipere. Peculiare enim hoc donũ est filiorũ dei, quo secernuntur ceu nota à filijs huius sæculi. Per mundũ intellexit filios huius sæculi, homines incredulos, carnales, uoluptatibus deditos. Cũ huiusmodi nihil cõmertũ est spiritui sancto, nec ipsi cum illo quicquã habent negotij. Causſa. Quia nõ uident eum nec cognoscunt eum. Crassi sunt, nec amant nisi crassa & terrena: spiritualia, inuisibilia, cœlestia ꝙ dona nec intelligunt, nec cupiunt, sed cõtumaciter spernunt. Iam etiam in mundo est impuritas, mendacium, fraus, dolus & malitia, unde non potest non odisse mundus spiritũ illum sanctimoniæ & puritatis, qui maxime delectatur sanctimonia & puritate, execratur autẽ hypocrisim, impostură & immundiciã. Vnde sequitur, Vos cognoscitis eũ. Causſa, Quia apud uos manet, & in uobis erit. Fuit in pectoribus discipulorũ studium pietatis & religionis, puritatis & sanctimoniæ, idq́ non sine dono spiritus: cõmodam ergo sibi sedẽ nactus, cõiunxit se spiritibus ipsorũ, ac totos sibi uendicauit. Idem eadẽ ratione occupat hodie, & occupabit in finẽ usq́ sæculi corda omniũ in ecclesia fidelium, cum & ipsi terrena calcent, ac sedulo ad cœlestia aspirent. Significãter autẽ, & per occultã antithesim dixit, Apud uos manet, & in uobis erit. Sicut enim in mundo diabolus hærens manet, & omnis impuritas in ipso est: ita in sanctis manet & operatur spiritus, sedẽ sibi deligens mentẽ piam siue religiosam. Habemus in his descriptũ spiritus sancti ingeniũ purum & sanctũ: & quorũ dignetur inhabitare pectoribus. Habemus adumbratum & effectũ uirtutemq́ eiusdẽ. Illapsus enim in animos piorũ, regenerat, docet, consolatur: breuiter, paracletus est fideliũ. Et quoniã insitus est fideliũ præcordijs, per omnia comitatur, ubiq́ adest, semper consulit, nunquã deserit sanctos. Testantur hoc Acta apostolica, & gesta ecclesiæ fidelis. Validissima itaq́ consolatio est, quã à spiritus sancti uirtute & operatione in fidelibus duxit saluator. Interea monuit etiã quàm longe oporteat à mũdo mundiq́ studijs semotos esse, qui participes esse uolunt doni & consolationis sancti spiritus. Isaias certe, inducens loquentẽ dominum, Super quẽ, inquit, requiescet spiritus meus nisi super contritũ spiritu & trementẽ ad uerbũ meum. Declaratur præterea his dñi uerbis quomodo pij fiant spiritus sancti templa, si purgent se à studijs huius sæculi, curentq́ ut spiritus in ipsorũ pectoribus maneat, ac uigeat. Clarũ itẽ ponitur adorandæ trinitatis testimoniũ ac distinctiõis personarũ cõtra Sabellĩũ & Praxeã. Quid enim distinctius uel cogitari poterat, q̃ quod dicit, Ego rogabo patrẽ, & aliũ consolatorẽ dabit uobis? Ego, inquit, filius, patrẽ rogabo, ut det aliũ consolatorẽ, quẽ ꝓtinus nominat spiritũ ueritatis. Sunt ergo distinctæ personæ unius deitatis, pater, filius, & spiritus sanctus.

Nõ relinquã uos orphanos, ueniã ad uos. Adhuc pusillũ & mũdus me iam nõ uidet: uos aũt uidetis me. Quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis quod ego sum in patre meo, et uos in me, et ego in uobis.

Abeundo non deserit ecclesiã dominus.

Aliam adducit rationem qua consoletur mœrentes, ac denuo inculcat fructũ ac efficaciam abitionis, id est mortis suæ, & quod abeundo adeò non deserat suos, ut propius se suis agglutinans fortius coniungat. Videmini, inquit, uobis ipsis me abeunte, & corporaliter relinquente, orphani, patre inquam esse destituti (orphani enim Latinis, uoce à Græcis accepta, dicuntur qui carent patre præsi-

dioq́

dioq; paterno, & qui ſummopere deſiderant illius opẽ, cum ſine eo male habeant) uerum ſi recte expendatis rem, nunquam uos deſtituam, neq; unquã paterna uos cura proſequi, & ueſtra curare negotia deſinam. Quod ut intelligerent rectius, & animis infigerent penitius, repetit quare ſit abiturus, quis inde ad fideles redeat fructus, & quod corpore duntaxat diſcedens, ſpiritu ac uirtute nequaquam ſit ipſos relicturus, ſed penitiſſima ipſos ſibi coniunctione conſtricturus. Rurſus, inquit, uenſam ad uos, uero etiã me uobis exhibiturus corpore, ubi uidelicet è mortuis reſurrexero: proinde non relinquam uos planè orphanos. Huc accedit quod exiguo tempore uos me patre ueſtro & tutore carebitis. Quo nimirum breue illud afflictionis & mortis tempus notauit, triduum uidelicet. Addit, Et mundus me iam non uidet. Mundus ſignificat carnales nondum renatos, & incredulos homines in mundo, & ſecundum mundum uiuentes. Et Videre per metaphoram à corpore transfertur ad animum. Carnales ergo & increduli homines non uident, non intelligunt aut credunt me eſſe dei filium, & hominem nihilominus uerum, qui morte mea reduco uitam, & redimo ex damnatione totum genus mortaliũ. Ac his per antitheſim apponit, Vos autem uidetis, nunc quidem intelligere & credere incipitis, mox autem accedente & tempore & augmento ſancti ſpiritus plenius intelligetis. Simul autem quid uideant, id eſt, ſummam fidei, adeoq; fructum & effectum abitionis, exprimit & dicit, Quia ego uiuo, et uos uiuetis. Morte enim ſua calcauit & contriuit dominus peccatum, mortem & condemnationem, id eſt, caput ſerpentis: reſurrectione uitam reduxit, ac euidenter demonſtrauit uicturos quicunq; uera ſe in Chriſtum fide conjciunt. Sic enim & apoſtolus Paulus dixit, Si per unius delictum mors regnauit per unum, multò magis ij qui exuberantiam gratiæ & doni iuſtitiæ accipiunt, per uitam regnabunt authore uno Ieſu Chriſto. Et iterum, Poſtquam per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur: ita & per Chriſtum omnes uiuificabuntur. Porrò hæc uita fidelium per mortem & reſurrectionem Chriſti reparata, fortius confirmata eſt per aſcenſionem Chriſti in cœlos, & miſſionem ſancti ſpiritus in apoſtolos, adeoq; in fidelium eccleſiam. De eo enim intelligendum eſt quod ſequitur, In illo die uos cognoſcetis, quod ego ſum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Vbi uidelicet reſurrexero, aſcẽdero in cœlum, & inde uobis miſero ſpiritum ſanctum, intelligetis ſignificantiſſime quod eiuſdem ſum eſſentiæ, naturæ atq; potentiæ cum patre meo, deus uerus, uiuus & æternus. Cognoſcetis & ſentietis tunc maxime uerum eſſe quod nunc polliceor, uos non fore me meoq; deſtituendos præſidio, licet corpore diſcedam. Ero enim in uobis, & uos eritis in me. Cæterum alia ratione filius eſt in patre, alia ratione in nobis. Natura enim in patre eſt, in nobis uero participatione, gratia ſiue ſpiritus cõmunione. De utroq; dictũ eſt in cap. huius hiſtoriæ 6. & 10. Et Ioan. in ſua Canonica, Ex hoc cognoſcimus, ait, quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Proinde communione ſpiritus Chriſti unum efficimur cum Chriſto corpus, & coniungimur ipſi arctiſſime, ut ille à nobis nunquã abſit, neq; nos ab ipſo ſeparemur. Ita uero ſuos nunquã relinquit orphanos. Et quod in præſenti loquitur cum diſcipulis, id toti eccleſiæ dictum eſſe intelligemus. Afflictam enim ijſdem uel hodie argumentis confirmat ac conſolatur, quod nunquam uidelicet ab ea diſcedit dominus, ſed in medio eius inhabitans uires ſuas exerit, & in omnibus conſeruat. D. Auguſt. Tract. in Ioan. 75. poſtremã domini ſententiã paulò aliter exponens, In quo die, inquit, niſi de quo ait, Et uos uiuetis? Tunc enim erit ut poſſimus uidere, quod credimus. Nã et nũc eſt in nobis, et nos in illo. Sed hoc nũc credimus,

Fructus & effectus abitionis domini.

tunc etiam cognoscemus, quamuis & nunc credendo nouerimus, sed tunc cõtemplando noscemus. Et post aliquot uerba, In illo ergo die, ait, quando uiuemus ea uita qua mors absorbebitur, cognoscemus quia ipse in patre, et nos in ipso, & ipse in nobis: quia tunc perficietur hoc ipsum, quod & nũc inchoatum est per ipsum, ut sit in nobis, & nos in ipso.

Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligã eum, & apariã ei meipsum.

Quomodo seruentur præcepta Christi.

Repetit hic iterum dominus quod superius paulò proposuerat, Si diligitis me, præcepta mea seruate, ac denuo fideles adhortatur & urget per charitatem ad obseruationem eorum quæ hucusq; cõmendauit diligentissime. Cupitis uos, ait, mihi approbare & commendare dilectionem erga me uestram, eam uero non mœrore & lachrymis ob discessum meum effusis approbabitis, uerum si ea quæ de fide in me trado seruaueritis, unà cum reliquis quæ uos doceo. Per præcepta enim intelligit fidem & charitatem: sicut paulò ante indicauimus. Qui ergo ea habet, id est intellecta retinet, nec retinet modo in mente, sed etiam seruat, id est complet opere, id est omnem suam in me fiduciã collocat, & mihi spiritu coniungitur & mente, is reuera est qui me diligit. Proinde fide in me solida probate amorem erga me uestrum. Subiungit deinde præmium siue fructum fidei & perseuerantiæ in amore dei, quo magis incitet currentes. Principio, Qui diligit me, diligetur à patre meo. At dilígi à patre, est recipi in amicitiam summi dei, à deo foueri, ac deoq; in dei esse delitijs. Quare nihil potest in mũdo cogitari suauius, melius, excellẽtius. Deinde, Et ego diligã eum. Amicus & socius hominis pij erit ipse dei filius, quo non habet uel cœlũ uel terra præstantius aliud. Postremo, Et apariã ei meipsum. Vel, In æterna illa patria me ipsi glorioſum, & talẽ qualis reuera sum, lux & satietas omnium gaudiorũ, exhibebo. Vel, Dona illi mea augebo, ut subinde rectius & plenius regni dei mysteria intelligens, plenissima tandẽ fide mihi cõiungatur & meipso fruatur saluberrime. Dixi aũt aliàs fidẽ & cognitionẽ Christi, sua habere incrementa, quæ gradibus seu auctibus certis grandescãt, et ad iustã tandẽ mensurã excrescãt.

Fructus seruantium præcepta.

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine quid factum est quod manifestaturus es nobis teipsum & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei, Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermo quem auditis non est meus, sed eius qui misit me patris.

De præsentia Christi in ecclesia sanctorum.

Iudas non Iscariotes ille proditor qui è cœna & cõsortio sanctorum iam exierat, sed dilectus & fidelis domini discipulus, aliâs Lebbæus, item Thaddæus ac Iacobi nimirũ frater appellatus, cum non satis intellexisset sermonẽ domini de præsentia sua in ecclesia sanctorũ, quomodo uidelicet ipsis præsens esse uelit ac cognobilis, mũdo incognobilis (Dixerat enim, Mundus me iam nõ uidet, uos aũt uidetis me. Et iterũ, Diligenti me apariã meipsum) Dñe, ait, quid factũ est? τί γέγονεν quid accidit? Sermo enim est de re noua & subita, sicut ille, Wie das? wie wirt das zůgon? quod cũ nunc oĩbus sis conspicuus, tunc nõ sis apparituru mũdo, sed nobis duntaxat? quare nobis solis temetipsum aperis? aut quomodo poteris nobis esse uisibilis, si cæteris fueris inuisibilis? Ad hanc quæstionem respondens dominus, Vobis inquam ideo meipsum aperio, quia diligitis me, atq; sermonẽ meum seruatis. Atqui tales diligit pater, ad talem uenimus & mansionem apud eum facimus. Habes

quare

quare me uobis aperiã, quia ueræ religionis ſtudioſi eſtis, fide & dilectione me colitis: & quomodo uobis queam eſſe uiſibilis cum cæteris ſum inuiſibilis: ſpirituali enim inhabitatione me præſentẽ & uiſibilem uobis exhibebo. Cur autem mundo me non aperiam audi. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Mũdus me non diligit, negligit ergo ſermones meos: itaq; nec ei me aperio qui diligẽtibus me aperio, nec ille uidet me, cum in ſermonibus meis per fidẽ uidear, ac ſpiritus communione meos inhabitem, quem mundus non accipit nec uidet. Viſio ergo & reuelatio illa Chriſti, qua de hic loquitur, & qua ſe aperit eccleſiæ, qua item hæc ipſum uidet, ſpiritualis eſt, et fit dilectione et fidei contemplatione. Nã iuxta S. Ioan. apoſtoli ſententiam, qui in dilectione manet, in deo manet, & deus in eo. 1. Ioan. 4. rurſus ſecundũ Pauli apoſtoli uerbũ Epheſ. 3. habitat Chriſtus per fidẽ in cordibus noſtris. Et quoniã natura ſubſtantiaq; nõ ſeparatur à filio pater, licet perſonis ſint diſtincti, ideo dixit, Ad eũ ueniemus, & manſionẽ apud eum faciemus, id eſt inhabitabimus eũ, certe nõ corporaliter, ſed ſpiritualiter gratia atq; uirtute. Nam & S. Auguſt. hunc locũ enarrans, dixit, Deus trinitas pater & filius & ſpiritus ſanctus, ueniunt ad nos, dum uenimus ad eos: ueniunt ſubueniendo, uenimus obediẽdo: ueniũt illuminando, uenimus intuendo: ueniunt implẽdo, uenimus capiendo, ut ſit nobis eorum non extraria uiſio, ſed interna: & in nobis eorum non tranſitoria mãſio, ſed æterna. Sic mũdo filius ſe nõ manifeſtat. Proinde præſentia Chriſti, qua ſe ſuis in eccleſia exhibet, non eſt carnalis aut corporea, licet ille ueram carnem, & uerum corpus habeat diuinæ naturæ unitum, ſed maxime ſpiritualis & diuina. Chriſtus enim uerus deus & homo uerus adeſt omnibus ſuis diuina ſua uirtute, potentia & operatione, ſubueniendo, illuminando, iuſtificando, conſolando, confirmando, & omnia in nobis unà cum patre & ſancto ſpiritu operando, quæ ad perfectionem & ſalutem fidelium eccleſiæ pertinent. Atq; eo quoque modo præbet ille ſe ſuis uidendum qui à mundo non uidetur. Vident enim pij Chriſtum certiſſima illa & pleniſſima fidei contemplatione, ſentiunt illum maxime præſentem & inhabitantem in pectoribus ſuis, & efficaciter operantem. Mundus autem non uidet ipſum, quia fide caret, qua ſola uidetur, percipitur & retinetur. Contemnit item uerbum Chriſti ac dilectione uinculo unitatis deſtituitur: ergo non aperit ſe mundo dominus, nec quicquam cum ipſo communionis habet. Hæc Chriſti præſentia nullis circũſcribitur terminis, quia uirtus Chriſti in omnibus per orbem eccleſijs & hominibus ſentitur, in omnibus operatur. At non ubiq; eſt caro eius, nõ per omnia diffundit ſe corpus eius, de quo toties in præſenti ſermone teſtatur dominus quod eat ad patrem, quod relinquat mundũ, quod non ſit amplius cum ipſis, niſi breui tempore à reſurrectione futurũ: at nõ ideo relinquendã eccleſiã cum ſubſtituere uelit aliũ paracletũ, per quẽ & in quo affuturus ſit eccleſiæ in ſæcula. Stultiſſimũ ergo eſt altercari in eccleſia de præſentia Chriſti corporea, & de corporis Chriſti (ut uocant) ubiquitate. Præſentiã enim corporalẽ negat & impugnat totus hic ſermo dñi, negat & impugnat glorioſa Chriſti in cœlos aſcenſio. Vbiquitas uero ueri corporis Chriſti & ueritatem humanæ naturæ reuocat in dubium, & ueteres errores non paucos reparat. Orthodoxe enim S. Auguſt. ad Dardanum, Spatia, inquit, locorũ tolle corporibus, nuſquã erunt: & quia nuſquã erũt, nec erunt. Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi ſint, & ideo neceſſe eſt ut non ſint. Ideo ſi pergamus corpus domini uerũ & ſublatũ in cœlos extendere per omnia, ut ſit ubiq; quemadmodũ diuina natura eſt ubiq;, ſpoliabimus ipſum ſua eſſentia atq; natura, ſua ꝓprietate & ſuo ingenio, adeoq; euacuabimus naturarum alterã, nec iam integrũ ſed ueluti dimidiatũ Chriſtũ relinquemus eccleſiæ, nõ iam

hominem etiam uerum, sed exemptũ omnibus proprietatibus ueri corporis, duntaxat deum illocabilem, facientes. Omissis ergo altercationibus & disputatiõibus, non ineptis modo, sed parum pijs, teneamus potius Christũ uero suo corpore reliquisse terras, & nũc in cœlis agere, in loco inquã aliquo certo, ꝓpter ueri corporis modũ, eundem autem uerum deum & hominẽ totum ac integrum, nec cõfusum, nec diuisum regnare in ecclesia, & maxime præsentem esse fidelibus, uirtute, illuminatione & gratia. Doceamus potius quod ille maxime inculcans repetijt ac tradidit fidem in ipsum, dilectionem dei & fratrum. Per fidem & dilectionem habitat in cordibus sanctorum dominus: refugit ambitiosas disputationes: per rixas & altercationes amittitur & ueritas & simplicitas. Sequitur in uerbis domini, Et sermo quẽ auditis non est meus, sed eius qui misit me patris. Quibus respondit mundanis illis hominibus, qui obijciũt se credere uerbo dei patris, ac separant interim à patre filium, quasi nil peccarint si contempserint sermones filij. His enim respondens, dicit, Sermo quem auditis, patris quoq; sermo est, quando unum simus pater & ego. Meus autem non est, sicuti quidam meum putãt, quasi puri sit hominis, nihil inquam diuinitatis habentis. S. Augustꝰ. Secundum hominẽ, ait, nõ est suus. Beatus item Cyrillus, Cum dicit non suum esse sermonem, inquit, non in quantũ uerbum & deus, sed in quantũ serui formam habebat, hoc dicit. Et mox, Ne humanitus traditã euangelij doctrinã arbitremur, neue à deo hãc disciplinã separemus, sed deo eã attribuamus, optimo dispensationis modo, quia in serui habitu cernebatur, diuinæ naturæ per personã patris sermonẽ attribuit. Ex quo et in quo secundũ naturam est ut uerbũ & splendor eius & substantiæ suæ perfectissimus character.

Cõtemnitur pater cum filius negligitur.

Hæc loquutus sum uobis apud uos manens. Paracletus autem ille qui est spiritus sanctus, quẽ mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis.

De paracleto.

Transitionis formula præmissa, redit ad superiorem cõsolationis locum, à spiritu sancto eiusq; effectibus ductũ, plenius explicandum, Hæc hactenus, inquit, dum corpore adhuc uobis præsens sum, loquor, sed corpore discedens, non relinquam uos, quemadmodũ dicere cœperã, orphanos. Rogabo enim patrẽ, & alium dabit uobis paracletũ. De quo nunc plura dicam. Atq; ad eum modũ exposuit prima hæc huius loci uerba & beatus Augustꝰ. Tract. in Ioan. 77. dicens, Hæc loquutus sum uobis, ait, apud uos manens, utiq; præsentia corporali, qua cũ illis uisibilis loquebatur. Illa itaq; mansio alia est quàm ꝓmisit futurã: hæc uero alia quàm præsentem esse testatur. Illa spiritalis est atq; intrinsecus mentibus redditur: hæc corporalis forinsecus oculis atque auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos: hæc in tempore uisitat liberandos. Secundum illam dominus à suis dilectoribus non recedit: secundum hanc it & redit. Sequitur in uerbis domini, Paracletus autem ille, nimirum de quo dicere cœperã, est spiritus sanctus. Porrò ne ignoretis quis sit spiritus sanctus, is est quẽ mittet pater in nomine meo. Est ergo communis & patris & filij spiritus, procedens ab utroq;. Pater enim mittit spiritum, & mittit in nomine filij: qui in fine 15. cap. Cum autem, ait, uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ex quibus apertis certisq; scripturæ locis orthodoxe tradiderunt catholici ecclesiarum doctores, Spiritum sanctum uerum & unum esse cum patre & filio deum, eiusdem essentiæ, tertiam in sancta trinitate personam, procedentem ab utroque. Et certe diuinitas spiritus inde quoque colligitur, quod cum patre & filio omnia habet communia. Regenerat enim, illuminat, iustificat, uiuificat,

uiuificat, saluat. Iam & personarum distinctionẽ clarissime designat discriminatq; præsens hic locus, quemadmodũ & processionem spiritus ab utroq; manifeste declarat. Scripsit de Spiritu sancto egregios lib. ad Gratianum S. Ambrosius. Plura de eodem disputauit luculenter & simpliciter contra Varimadum Arrianum, Idatius Clarus Hispaniensis, & contra omnes hæreticos Cyrillus in lib. 13. & 14. Thesauri: at de Processione spiritus sancti edidit tres li. Hugo Eterianus Hetruscus. Id quod propter eos añoto qui de Spiritu sancto copiosiora cognoscere cupiũt. Hæc autem paucis de eo quis sit spiritus sanctus. Iam ut ad consolationem & absolutionem sententię perueniamus, Paracletus ille spiritus sanctus supplebit meas uices, ut nihil ex eo detrimenti rebus uestris accessurum sit, quod corpus illud meum aufero à uobis. Ille enim docebit uos omnia, quæ scilicet scire retulerit de mysteriis regni dei, de sancte instituenda uita, de rebus gerendis in ecclesia, breuiter de re qualibet opportunum suggeret consilium, neq; unquam uos destituet. Nõ est itaq; quod quisquam uestrum mœrore se conficiat propter corporis mei discessum atq; translationem, cum omnia sarciet pensabitq; spiritus ille uenturus, quæ uidentur per corporis mei diminuta assumptionem. Beatus Cyrillus ex apostolo Paulo colligens quanta perfectione omnia doceat spiritus sanctus lib. in Ioan. 10. cap. 6. Perfecta, inquit, quantum capere possumus, cognitio per spiritum in sanctis immittitur. Vnde Paulus quoq; ait, Propterea & ego audiens fidem uestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, nõ cesso gratias agere pro uobis, memoriam uestri faciẽs in orationibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi pater glorię det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis in cognitione eius, illuminatos oculos cordis uestri, ut sciatis quæ sit spes uocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos qui credimus, secundum operationem potentiæ uirtutis eius quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem & uirtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo sed in futuro. Harum enim rerum reuelatione quæ per spiritum in nobis ineffabiliter fit, incarnationis profunditatem & abditi uirtutem mysterij speculamur. Quod autem Christi præsentiam spiritus in sanctis habitans implet, & omnia docet, quæ ille locutus est, Paulus rursum declarat dicens, Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ & uirtutem corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus uestris, in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quę sit longitudo, latitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Cum igitur spiritus doctrinæ sanctos committat, non alio tradidit ipsos doctori quàm sibi ipsi, cum in spiritu suo animi oculis esse conspiciatur.

Paracletus docet omnia.

Monuit Tertullianus hoc loco abusos hæreticos contendisse dominum non omnia docuisse quæ ad perfectum docendi genus pertinent. Verum si quis uerba domini propius inspiciat, reperiet his ipsis uerbis subuerti eorum opinionem quibus persuasum est dominum non docuisse omnia. Spiritus enim sanctus, spiritus est Christi: unde necesse est Christum docuisse omnia si spiritus sanctus docuit omnia. At de hoc testificans dominus, Ille, inquit, docebit uos omnia. Imò ne quis Christum excluderet, addit, Et suggeret uobis omnia, quæ dixi uobis, ὑπομνήσει, id est commonefaciet siue submonebit, Docuit omnia Christus quęcunq; ad salutem

Omnia nobis tradita per Christum.

fidelium & ecclesiæ perfectionem pertinent: uerũ apostoli præ carnis infirmitate, ut non omnia plene intellexerunt, ita multorum sunt obliti. Suggerẽdo ergo & in memoriam reducendo docet spiritus: & ea quidem repetens docet, quæ prius docuit Christus, interim uero excíderant apostolis. Hanc enim domini doctrinã spiritus reparat, renouat, excitat, format, absoluit & uiuificat, ut sentiamus in nobis uiuentem Christum, fiatq; in nobis uiuẽs spiritus, quæ hucusq; fuit litera mortua.

Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis.

Cõsolatur contra metũ in turbis & tumultibus.

Versatur adhuc in eodem consolationis argumento. Præsciebat dominus magnas fore in orbe turbas & graues propter euangelium exorituros motus atq; tumultus, qui iam in ipsa Christi morte sumebant initium: confirmans ergo suorum animos, Mira, inquit, futura est omnium inter se regnorum cõturbatio, maximus erit piorum in orbe metus, propter bella, seditiones & persequutiones: sed ideo nolim quẽquam meorum exanimari. Vtcunq; enim insaniat sathan & tumultuetur orbis, mei tamẽ in medijs procellis incolumes sunt futuri. Discedens enim ecclesię meæ relinquo pacem, eidem do pacem, & pacem quidem meam. Ingens enim est discrimen inter pacem mundi & pacem Christi. Ideo enim subijcit, Non sicut mundus dat, ego do uobis. Mundus enim id appellat pacem quod ueritas dicit bellum esse, nempe otiosum & securũ uersari in uoluptatibus, nulla exerceri aduersa fortuna. Hanc enim multa consectantur infortunia, calamitates & iusta ira dei. Pax Christi est benedictio, salus, iustificatio, prosperitas, incolumitas, conscientiarum trãquillitas, animus infractus in malis, gaudium & lætitia in aduersis, adeoq; ipse domini spiritus pacificans & confirmans corda nostra. Ita hunc locum exposuit etiam beatus pater Cyrillus, qui Cõment. li. 10. cap. 7. dicit, Cum se discessurum dixit, discipuli magna correpti formidine uehementer cõturbabantur. Ad tranquillitatem ergo animos illorũ reuocãs, Sępius iam dixi uobis, inquit, quia nõ dimittã uos orphanos, nec terrã inhabitabitis ope mea priuati. Tametsi enim abfuero corpore, præsens tamẽ ero ut deus, ab omnibus malis uos liberans, ut nullo modo possit fortitudinem uestram hostium peruicatia superare. Ita timor à uobis aberit et diuina proteget uirtus, quæ supra quàm mens hominum intelligere potest tranquillo animo uestro mysteria reuelabit. Nunc uero pacem non simpliciter, neq; quam libet, sed meã do uobis. Id aũt nihil aliud est quàm spiritũ eis dare, & per eum in eis habitare. Pax eñ Christi spiritus Christi est, in quo deo patri uniuersa filius reconciliauit. Ideo spiritũ sanctũ nobis dari precamur, per quẽ reuocati à seruitute, deo patri reconciliemur. Omnia eñ reddidit nobis, id est omnia tũc habebimus, nihil nobis tunc deerit quando nobis plenitudinem Christi spiritum præbebit. Et quoniam hic omnem formidinẽ atq; turbationẽ mentis sedare maxime potest, propterea eum se discipulis daturum pollicetur, dicens, Pacem meã relinquo uobis &c.

Ne turbetur cor uestrum neq; formidet. Audistis quod ego dixi uobis, Vado & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utiq; quod dixerim uado ad patrem: quia pater maior me est. Et nunc dixi uobis prius quàm fiat, ut cum factum fuerit credatis.

Summa consolationis.

Particulari epilogo colligit dominus quæ hucusq; discipulis fusius proposuit. Propositio & scopus totius orationis, qui protinus ab initio positus est, hic repetitur, Ne turbetur cor uestrũ, neq; formidet aut metu percellatur. Subijcitur ratio, Audistis ꝙd dixi uobis &c. Intellexistis enim quod abeam & cur abeam, nimirum

in

in ſalutem ueſtram, per mortem meam ei qui mortis habet imperium omnem potestatem contra uos erepturus, & quod morte & abitione illa mea uos nequaquam deſeram aut negligam. Redibo enim per reſurrectionem meam ad uos, exhibiturus me uobis denuo rediuiuum. Et quanquam tum quoq; non niſi per 40. dierum ſpacium uobiſcum ſim conuerſaturus & mox aſcenſurus in cœlum, inde tamen mittam ſpiritum ſanctū, per quem in medio ueſtri manſurus ſum, ut non metuendum ſit uobis ne relinquam uos orphanos. Hæc autem pro meo officio paulò copioſius expoſui, quę dominus ſiue Ioannes breuius conſtrinxit. Adijcit dominus, Si itaq; diligeretis me, adeo non cõtraheretis ullum ex meo diſceſſu mœrorem, ut gauderetis de eo potius. Ille enim pertinet ad glorificationẽ meã. Nam niſi abeam, nunquam glorificabor. Si uero abeam, glorificabor & maiorem recipiam dignitatem. Quia pater maior me eſt. Ad patrem ergo ut ad glorificantem abire oportet, quo illud tãdem compleatur quod dictum eſt à propheta, Dixit dominus domino meo ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Cæterum glorificatur Chriſtus iuxta humanam naturam, qua patre minor eſt, diuinitate autem patri æqualis eſt. Appendit omnibus his clauſulam, Hæc uero omnia tam diligenter priuſquam fiant inculco, ut poſtquam omnia ſic facta fuerint, quemadmodum prædixi, credatis me uerum & expectatum illũ in prophetis promiſſum eſſe Meſſiam mundi ſaluatorem. Qui ſanè finis & ſtatus eſt totius diſputationis huius.

Horum uerborum domini Pater maior me eſt, occaſione, infœlix Arrius infandos ſtupẽdosq; motus & tumultus excitauit per totum orbem Chriſtianum in eccleſia. Pertraxit in ſuam hæreſim reges et principes, uiros item doctos nõ paucos, & grauiſſime afflixit eccleſiam, imò affligit eandẽ uel hodie. Semina enim ſparſit, ex quibus blaſphema illa Machumetis doctrina & Antichriſtianiſmus pullulauit & ſuccreuit, quem dominus aduentu ſuo in iudicium breui abolebit. Multa uero in hunc locum cõmentati ſunt ſcriptores eccleſiaſtici, conferentes inter ſe ſcripturas & euincentes nihil eſſe diſſidij aut inæqualitatis inter patrem & filium, quod diuinam attinet naturam atq; ſubſtantiam, inæqualitatem oriri ex aſſumpta à filio natura humana. Aſcribam autem celebrem ſuper hac re diſputationẽ S. Aur. Auguſtini catholici doctoris, ut ex ea etiam alij errores hæreticorum cogniti caueantur, intelligaturq; ab omnibus in Chriſto Ieſu unam eſſe indiuiſam perſonã, geminam aũt naturam, ſiue diſtinctas et manentes non confuſas aut permixtas naturarum proprietates. Verba eius habentur Tracta. in Ioan. 78. et ſunt huiuſmodi. Vt intelligerent ſecundum id quod homo erat eum dixiſſe, Vado & uenio ad uos, adiecit atq; dixit, Si diligeretis me, gauderetis utiq; quia uado ad patrem, quia pater maior me eſt. Per quod ergo filius non eſt æqualis patri, per hoc iturus erat ad patrem, à quo uenturus eſt uiuos & mortuos iudicaturus. Per illud aũt in quo æqualis eſt gignenti unigenitus, nunquam recedit à patre, ſed cum illo eſt ubiq; totus pari diuinitate, quam nullus cõtinet locus. Cum enim in forma dei eſſet, ſicut apoſtolus loquitur, non rapinã arbitratus eſt eſſe ęqualis deo. Quomodo enim rapina poſſit eſſe natura, quæ non erat uſurpata ſed nata. Semetipſum autem exinaniuit, formam ſeruí accipiens: non ergo amittens illam ſed accipiens iſtã, eo modo ſe exinaniens quo hic minor apparebat, quàm apud patrem manebat. Forma quippe ſeruí acceſſit, non forma dei receſſit. Hæc eſt aſſumpta, non illa cõſumpta. Propterhanc dicit, Pater maior me eſt: propter illam uero, Ego et pater unum ſumus. Hoc Arrianus attendat & hac attentione ſit ſanus, ne contentione ſit uanus, aut quod eſt peius, inſanus. Hæc eſt enim forma ſeruí, in qua dei filius minor eſt, non patre

Pater maior me eſt.

solo sed etiã spiritu sancto, neq; id tantum sed etiam seipso: quia idem ipse in forma dei maior est seipso. Neq; enim homo Christus non dicitur filius dei, quod etiã sola caro eius in sepulchro meruit appellari. Nã quid aliud confitemur cũ dicimus credere nos unigenitum dei filiũ qui sub Pontio Pilato crucifixus & sepultus est? Et quid eius *sepulta est nisi caro sine anima? Ac per hoc cũ credimus in dei filiũ qui sepultus est, profecto filiũ dei dicimus & carnẽ quæ sola sepulta est. Ipse ergo Christus filius dei, æqualis patri in forma dei: quia semetipsum exinaniuit, nõ formam dei amittẽs, sed formã serui accipiens, maior est & seipso, quia maior est forma dei, quæ amissa non est, quã serui quæ accepta est. Quid itaq; mirũ uel quid indignũ, si secundum hanc formã serui loquẽs, ait dei filius, Pater maior me est: & secundum formam dei loquẽs, ait idẽ ipse dei filius, Ego & pater unũ sumus. Vnũ sunt secundum id quod deus erat uerbũ: & maior est pater, secundũ id quod uerbũ caro factum est. Dicã etiam quod Arriani & Eunomiani negare non possunt, secundum hanc formã serui puer Christus etiã parentibus suis minor erat: quando paruulus maioribus, sicut scriptũ est, subditus erat. Quid igitur hæretice, cũ Christus deus sit & homo, loquitur ut homo, & iam calumniaris deo? Ille in se naturã cõmendat humanam, tu in illo audes deformare diuinã? Infidelis, ingrate, ideóne tu minuis eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus sit propter te? Aequalis enim patri filius per quẽ factus est homo, ut minor esset patre factus est homo, quod nisi fieret, quid esset homo? Dicat planè dominus & magister noster, Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrem, quia pater maior me est. Cum discipulis audiamus uerba doctoris, non cum alienis sequamur astutiam deceptoris. Agnoscamus geminam substãtiam Christi, diuinã scilicet qua æqualis est patri, humanam qua maior est pater. Vtrũq; aũt simul, non duo sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis et caro: sic unus est Christus deus & homo: ac per hoc Christus est deus anima rationalis & caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis cõfitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. Idem de singulis quibus homo cõstat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verũ hæc omnia non sunt duo uel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit, Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrẽ: quoniam humanæ naturæ gratulandum est, eò quod sic assumpta est à uerbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo, atq; ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis puluis sederet ad dexteram patris. Hoc enim modo dixit se iturum ad patrem. Nam profecto ad illum ibat qui cum illo erat: sed hoc erat ire ad eũ & recedere à nobis, mutare atq; immortale facere quod mortale suscepit ex nobis, & leuare in cœlum per quod fuit in terra pro nobis. Quare non dehinc gaudeat, qui sic diligit Christũ, ut suã naturã iam imortalem gratuletur in Christo, atq; id se speret futurũ esse per dominũ Christũ? Hæc omnia ex S. Augustino in hosce nostros retulimus Cõmentarios, quod sperem inde ad lectores lucrum non pœnitẽdum certò peruenturum.

*Fortè sepultũ.

Posthac non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me nõ habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus quod diligo patrẽ, & sicut mandatũ dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

Christus moritur pro nobis.

Disertis nunc uerbis ostendit se moriturum pro salute & redemptione humani generis. Mortẽ enim ac uincula sibi iam esse præ foribus indicãs dicit, Adeo nunc

acce-

accelerat fatum illud meum, ut nõ liceat porrò plura uobiscum colloqui. Festinandum enim ad sacrificium. Modum item et authorem afflictionis designans, Venit, ait, princeps mundi huius. Princeps huius sæculi diabolus est, regnans in impijs & mundanis hominibus: unde & princeps huius mũdi dictus est: sicuti alibi consignauimus. Hic impulit Iudam & Iudæos ad parricidiũ. Tandem enim proditum cœperunt ac suspenderunt in crucem. Vides ergo quis sit mali author. Nec rarum est duci attribui quod designatum est ab exercitu ducis. Dux Iudæ & sicariorum Iudæorum fuit sathanas. Illud uero præclarum & consolatione plenum est, quod sequitur, Et in me non habet quicquam. Quia enim Christus dei filius ac innocẽs erat, nihil iuris in ipsum habebat sathanas: qui non habet nisi in peccato obnoxios ius. Deinde non consequebantur membra & organa sathanæ id quod cupiebant. Nam Christum extinguere & nomen ipsius prorsus abolere statuerãt: uerum ille protinus à ligno & in ipsa morte terrã cœpit concutere, & prodigia ædere dei filio digna, mox denicq; è mortuis resurrexit, ascẽdit in cœlum, et regnauit cœlitus per totum terræ orbem. Nihil itacq; potuit contra dominum uitæ & lucis, potestas sathanica mortis & tenebrarum. Consolatur hoc fideles non uulgariter. Nam dominus Iesus nobis uicit peccatum, mortem, & sathanã. Proinde si nihil sathan habuit in capite, nihil habebit & in membris. Victoria enim uita & innocentia Iesu Christi per fidem nostrã fit. Ergo si sub horam mortis ueniat princeps mundi huius, ne despondeas animum, cogita eundem omnem uim expediuisse in saluatorem, sed prorsus elumbem tum maxime uictum esse & prostratũ, cum ille se putabat esse uictorem. Vicit aũt tibi dominus Iesus, & tu uinces in eo. At dicat aliquis: Si princeps huius sæculi nihil habuit in saluatore, quare ergo mortuus est? Respondet saluator, Non morior tanquam mortem cõmeritus flagitijs, sed ut cognoscat mũdus quod diligo patrem. Vult pater totum genus mortalium à peccatis purgari, ac sic aptari hæreditati regni dei. Cæterum absq; sanguinis effusione non fit ulla peccatorum remissio: oportet ergo me meo cruore abluere mundum à peccatis, ut purgatus cœlorum regiam hæreditate possit adire. Atq; hoc illud patris mandatum est quod mandauit mihi. Ego quia non patrem modo diligo, sed etiam mundũ, quem patri reconciliare cupio, mea sponte & ex mera dilectione, non compulsus aut circumuentus ullis Iudæ insidijs aut Iudæorum ui, morior: nimirum ut obedientia mea expiem inobedientiam hominum, ac meo exemplo omnibus cõmendem syncera dei dilectionem & promptam in exequenda dei uoluntate obedientiã. Imò ne quis de ijs quæ dixerat dubitaret, sponte morti ueluti obuiam pergens, Surgite, inquit, eamus hinc. Simul autem egrediuntur ex urbe, uersus montem oliuarum. In itinere uero cætera quæ sequentur ad 18. cap. usq; absoluit.

Nil iuris in Christum habet sathan.

Quare mortuus dominus.

Hæc est prima consolationis pars, qua se docuit uerum esse deũ, patri per omnia æqualẽ, imò eum in quo duntaxat uideatur & cognoscatur pater, cui qui confidant seruentur: ostendit itẽ cur abeat, ac moriatur, et quis sit fructus mortis eius: denicq; quod corpore abiens non sit deserturus ecclesiam, sed in hac spiritu & uirtute mansurus usq; ad consummationem sæculi.

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER VIII.

ABSOLVTA *prima parte orationis domini Iesu à cœna habitæ ad discipulos dilectos, uenimus nunc ad secundam, quæ in itinere uersus montem oliuarũ dicta uidetur, ac 15. & 16. cap. comprehẽditur. Cohæret ea cum superioribus ad hunc modum, Sæpe iam dixerat dominus se ex hoc mundo ad patrem abiturum, interim ne discipuli se deserendos planè arbitrarentur, adiecit se unà cum patre & sancto spiritu uenturum ad ipsos, ac in ipsis mansionem facturos, si modo præcepta eius seruare pergant. Id iam ueluti repetens quasiq; expoliens elegantißima uitis palmitumq; parabola in medium prolata luculentißime disserit de immanentia, ut sic dicam, siue præsentia ipsius in ecclesia, adeoq; de uera Christi & sanctorum communione, quod inquã spiritu, uirtute & operatione euidenti totus in nobis sit mansurus, si modo nos per fidem et dilectionem manserimus in ipso. Et certe hoc nomine copiosius paulò agit de dilectione. Obiter autem & de dignitate fidelium disserit, quos amicos non seruos appellat. Rursus ne superbirent, addit hoc eis gratuita dei electione obuenisse, qui elegerit ut abeant & copiosum fructum afferant. Cæterum discipuli iam iam sentire incipiebant quanta ipsis subeunda forent pericula, iccirco metuebant sibi non mediocriter. Dominus ergo confirmans eorum mentes, multa et uaria disputat de cruce & tolerantia, iterumq; paracletum promittit qui in turbis & persequtionibus incitet, animet atq; confirmet. Præterea de huius effectibus uiribus atq; officio multa, magna cum utilitate disputat, explicans quomodo corpoream præsentiam, quæ post mortem suam in terris nil sit profutura, spiritus dono sarcturus sit, quomodo per hunc paraturus sit in orbe ecclesiam & in hac regnaturus. iterum tamen inculcat se moriturum prius, et hinc graui mœrore opprimendos discipulos: quos mox consolando erigens denuo, asserit mœrorem non fore diuturnum, gaudium uero quod ex resurrectione oboriatur & consequatur mœrorem, fore perpetuum. Id quod per parabolam declarat parturientis mulieris. Ad hæc ne de corporis discessu in cœlos tristarentur nimium, pollicetur suis omnia se docturum per spiritum regni dei mysteria, donaturumq; quæcunq; in suo id est Christi nomine postulauerint: simul autem colligit in breuem summam totum negotium redemptionis, hoc nimirum penitius infigere cupiens ipsorum cordibus. Quæ quum magno cum applausu reciperent & laudarent discipuli, profitentes se iam credere & planè intelligere quod ipse sit dei filius, prædicit his quod mox ipso deserto quisq; sibi fuga sit consulturus. Sub finem uero totam orationem hucusq; à 13. capite contextam concludens, & quo omnia referenda sint subindicans, Hæc locutus sum uobis, inquit, ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundum.*

CAP. XV. Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit, & omnem qui fert fructum purgat, ut fructum copiosiorem afferat.

Quomodo Christus corpore discedẽs, maneat in ecclesia

Allegoria siue parabola docet dominus quomodo discedens corpore in cœlos ad patrem nihilominus maneat in suis ac præsens sit suæ ecclesiæ, & quomodo per ipsum fructificent sancti in ecclesia. Hactenus enim suos ad fructificandum inhortatus est, dum uidelicet ad pietatis studium & obseruationem mandatorum sollicite inuitauit: iam ergo ostendit quomodo possint fructificare & seruare mandata. Allegoria petita est è prophetarum literis, qui sparsim ecclesiam uineæ, homines in ecclesia uitibus, & opera fidei dilectionis ac iustitiæ fructibus comparãt. Locos si quis forte requirat inueniet Psal. 80. Isaię 3. 5. Iere. 2. 12. Ezech. 15. Osee 10. Ego, inquit dominus Iesus, sum uitis uera. Vera quidem non naturaliter & substantialiter: naturaliter enim ac substantialiter deus & homo est, non uitis, sed ueram id est generosam, feracem, nobilem, fœcundam, & optimã uitem refert. Veram enim posuit pro feraci & nobili, ac opposuit sterili & aridæ. Vnde August. Tracta. in Ioan. 80. Iste locus euangelicus, inquit, ubi se dominus dicit uitem, & discipulos suos palmites, secundũ hoc dicit quod est caput ecclesiæ, nos quoq; membra eius, mediator dei & hominũ homo Christus Iesus. Vnius quippe naturę sunt

uitis

uitis & palmites: propter quod cum esset deus, cuius naturæ nõ sumus, factus est homo, ut in illo esset uitis humana natura, cuius et nos homines palmites esse possimus. Quid ergo est, Ego sum uitis uera? Nunquid ut adderet uera, hoc ad eam uitem retulit, unde illa similitudo translata est? Sic enim dicitur uitis per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodũ dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiusmodi, quæ magis ipsa sunt uera, ex quibus istæ ducũtur similitudines, nõ proprietates: sed cũ dicit, Ego sum uitis uera, ab illa se uticp discernit cui dicitur, Quomodo conuersa es in amaritudinem uitis alienæ? Nam quo pacto est uitis uera, quæ expectata est ut faceret uuam, fecit autem spinam? Tantum Augustꝰ. Porrò uitis siue stirps ac radix è se profundit palmites, ac in palmites trãsmittit succum uitalem, unde uidelicet uiuant & fructificent. Palmites sunt fideles, Christo domino uerę uiti per fidem & dilectionẽ insiti. Succus ille uitis, id est Christi, spiritus est Christi, quem in suos transfundit, per quem in suis uiuit, ac manet. Ioanne in canonica sua dicente, Per hoc scimus q̃d manet in nobis, è spiritu quem dedit nobis. Et iterũ, Ex hoc cognoscimus quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniã de spiritu suo dedit nobis, 1. Ioã. 3. & 4. Spiritu ergo, uirtute atcp potẽtia prę sens est Christus ecclesiæ: per spiritũ manet in pectoribus fidelium, & non relinquit fideles orphanos: per eundem aũt spiritum operãtur fideles opera, dei filijs digna, proferuntcp fructus regeneratione dignos. S. Cyrillus putat nos non duntaxat spiritualiter, sed etiam corporaliter (nimirũ sicut & Augustꝰ. paulò ante) dici palmites uitis, membra nimirum Christi. An non enim, inquit, conuenienter dici potest Vitem humanitatem eius esse, & nos palmites propter identitatem naturæ? Eiusdem enim naturæ uitis & palmites sunt: ita uero & spiritualiter et corporaliter, nos palmites, & Christus uitis est. Sequitur, Et pater meus agricola est. Agricolam autem (denuo uerbis utor Cyrilli è lib. in Ioan. 10. cap. 13.) patrem appellat, ne à solo fieri filio hoc uideatur quod totius trinitatis mirabile opus est. Nõ modo enim salus nostra, uerumetiam omnia quæ à deo fiunt una uoluntate ac potestate supremæ naturæ fiunt: ac ideo gratias agentes deo, quoniam nostri misertus est saluatorem appellamus, nõ patri aut filio aut spiritui sancto, sed deitati simpliciter hoc attribuentes. Pater igitur nos ad pietatem & fidem per filiũ in spiritu nutrit, & agricolæ opera facit, inspiciens & fouens & omni ad uirtutem redigẽs cura per filium similiter in spiritu sancto. Sic enim iudicio meo rectius hoc intelligemus. Nam si alia patri, alia filio seorsum accõmodabimus, quoniã uitis filius nũcupatur, pater uero agricola, à solo filio contineri & nutriri uidebimur, à patre aũt nuda solũmodo uisitatione uel inspectione coli. Vitis eñ palmites suos nutrit, agricola uero uisitat siue inspicit solũmodo uitem & colit. Quare nec illud à patre, nec hoc à filio, nec utrũcp à spiritu separandum. Omnia enim à patre per filium in spiritu sunt. Iccirco enim patrem cultorem uitis appellauit, ne quis unigenito soli salutem nostrã attribuat, & adhæc ut discamus uisitatione seu inspectione nos diuina indigere. Cõmodissime igitur cũ uitem & palmitem nominauerit, cultoris quocp fecit mentionem, cura, prouidentia, gubernationecp dei adduci ad uirtutẽ cõtinericp nos demonstrãs. Præterea cum superius dixisset dominus, Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus, quoniam nunc copiosius exponit quomodo dominus in ecclesia & in suis maneat, ut intelligamus non filium solum sed & patrem & spiritum manere & agere in nobis, rectè illa de patre adiecit. Cura enim & cultu adeocp præsentia & inspectione agricolæ uitis & palmites seruantur, sed & uitis per succum & naturam est in palmitibus, sicut & Christus per spiritum suum est in nobis.

Iam ad explicationem agricolæ illud pertinet quod sequitur: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit. Quis? Agricola siue uinitor pater cœlestis uinitori simílis. Quemadmodũ enim palmites arídos síue steriles resecat uinitor, ita pater cœlestis abíjcit aut abdícat homines infrugiferos. Porrò fructus seu botri è pãpinis seu palmitibus dependẽtes, sunt fidei, spíritus ac charitatis opera: quem admodum planè exponit Isaias in 5. Paulus ad Galat. 6. & Ephes. 5. cap. Obseruandum autem illud est quod significanter dicit Iesus, In me non ferentem fructum, id est ex uirtute succi mei, quem in ipsum transfundo. Nisi enim opera nostra bona fiant in fide Christi & per spíritum Christi sanctum, quocunq; tandem alio spíritu profecta, ex quacunq; fuerint intentione facta, aut quocunque niteant fuco & splendore, inania sunt & mala. Extra Christum enim deo patri nihil est acceptum. Et huiusmodi quidem palmites sunt omnes hypocritæ Iudæi & Turcæ, qui opera sua faciunt nonex spíritu Christi, quem contemnunt & blasphemant, sed ex spíritu humano & ex bona illa intentione sua. Hos omnes tollit, id est resecat & abíjcit pater. Rursus, Et omnem qui fert fructum, inquit, purgat, ut fructum copiosiorem afferat. Vegeti & frugiferi palmites, quamuis ferant fructum, multa tamen uinitorum cura & inspectione indigent, ne inculti uitijs uitium corrumpantur. Et multa quidem sunt uitia, atque uariæ sunt calamitates pestesq; uinearum, quas rei rusticæ authores enumerant. Ad eundem modum sancti síue fideles multis obnoxíj sunt calamitatibus cupiditatibusq;, & innumeris díuexantur tentationibus, ut quamuis gratia per fidem sint in Christo sanctificati & faciant iam opera bona, patris tamen cœlestis cura, inspectione & purgatione in singula propè momenta indigeant. Sancti ergo símul & sancti sunt & ampliore indigent sanctificatione. Congruunt enim hæc cum illis in 13. cap. Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed mundus est totus: ad eundem enim modum & palmites in præsenti fructum ferunt & purgatione opus habent: unde sancti recte sancti, símul autem & peccatores nominantur à pijs. Porrò sicut uaria sunt uinitorum opera quibus purgant, id est colunt & curant uineas. Vites enim solent castrare síue præscindere, ablaqueare item, circumfodere, & pampinare, sarrire ac pastinare: ita uaria sunt media quibus electos suos purgat pater cœlestis. Est uexatio & persecutio síue afflictio quæ dat intellectum, ignis quoq; uocitata propter purificationem: sunt morbi, est inopia síue paupertas, & huius generis innumera, quibus purgatur ecclesia, uinea inquam domini à pestiferis uitijs. Vnde consequens est utilem & sanctam esse crucem quæ à deo imponitur sanctis. Imponitur enim ut sancti fructũ iam pietatis afferentes, copiosiorem proferant.

Opera uere bona.

Iam uos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum uobis. Manete in me & ego in uobis.

Pauculis his uerbis lucem apponit allegoriæ, & clarius suam exponit sententiam, Vos, inquit, estis purgati illi palmites, de quibus loquor, purgati uidelicet per me & aptati ad ferẽdos fructus. Mundos autem síue purgatos uos esse assero, non uestro quidem merito, sed meo gratuito beneficio. Nam propter sermonem quem dixi uobis mundi estis. Quis obsecro sermo ille? Doctrina quam hucusq; de usu fine & fructu mortis suæ, deq; fide in ipsum tradidit. Hæc, inquit, quia creditis, mihi estis insiti, & ego transfundo in uos succum, uegeto, & ad omne opus bonum idoneos reddo, ideo inquam mundi estis atque purgati. Sanctus Augustinus, Iam uos mundi estis, mundi scilicet, inquit, atque mundandi. Neque

Exponitur allegoria.

que enim nisi mundi essent fructum ferre potuissent: & tamen omnem qui fert fructum purgat agricola, ut fructum plus afferat: fert fructum, quia mundus est, atq; ut plus afferat purgatur adhuc. Quis enim est in hac uita sic mundus, ut non sit magis magisq; mundandus? Vbi si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus & ueritas in nobis non est: si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Mundet itaq; mundos, hoc est fructuosos, ut tanto sint fructuosiores quanto fuerint mundiores. Pergit dominus, Manete in me & ego in uobis: quasi dicat, Hactenus credidistis in me & estis mihi insiti per fidem, ut iam in me maneatis ac mihi coniuncti sitis: quod si sic perrexeritis in me per fidem manere, ego uicissim manebo in uobis, nimirum per spiritum, succum illum meum, ut nihil possit uobis corporalis mea assumptio atq; absentia nocere. Habes quomodo Christus corpore recedens nihilominus præsens sit & maneat in ecclesia. Intelligis item ex his quomodo docenda ac prædicanda sit fides Christiana. Multi ita de Christo disserunt ut uideatur is longe dissitus à nobis, nihil habere nobiscum communionis. Certè corpore in cœlis agens, corporaliter nobis, nisi per communionem & identitatem humanæ naturæ, non est coniunctus: interim tamẽ idem ille Christus prædicandus est ecclesiæ, ut hæc intelligat Christum tum maxime uiuificare nos & iustificare, cum in nobis est & ceu saluator noster in nobis ut suis agit, nõ extra nos ueluti alienus à nobis sibi uiuit. Agit autem in nobis Christus & uiuit totus in nobis per redemptionem & spiritum suum, qui nos totos ipsi cõiungit & affigit, non quod inde aliqua ad Christum redeat utilitas, sed ut nostra per ipsum salus perficiatur. Orthodoxe ergo S. Augustus, hunc locum enarrans, Non eo modo, inquit, illi in ipso, sicut ipse in illis. Vtrũq; autem prodest non ipsi sed illis. Ita quippe in uite sunt palmites, ut uiti non conferant, sed inde accipiant unde uiuant. Ita uero uitis est in palmitibus, ut uitale alimentum subministret eis, nõ sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrunq;, non Christo. Nam præciso palmite, potest de uiua radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, sine radice non potest uiuere.

Quomodo prædicandus sit Christus.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me nõ manserit, eiectus est foras, sicut palmes, & exaruit: & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent.

Copiosius & clarius exponit per collationes atq; sententias qualis sit coniunctio Christi & sanctorũ in ecclesia, quis ex ea fructus exoriatur in sanctis, hoc est, quod ex sola illa coniunctione boni fructus enascantur, extra ipsam non ullum ex quoquam bonum prouenire fructum. Collationes atq; sententiæ tales sunt, Quemadmodum palmes à semetipso, id est ex suopte ingenio & propria uirtute, auulsus uidelicet à uite sua, non potest ullum ferre fructum bonum. Nam si quem profert, uitis beneficio profert, succum uidelicet ac progerminandi uim trahens è stirpe siue uite: ita nisi quis maneat in Christo, non poterit ex suis uiribus ulla ædere opera uere bona. Nam Christus est qui nos per gratiam spiritus quasi per aquam irrigat & nutrit, ut facile possimus pietatis ædere fructus. Imò ut collationem rectius intelligeremus subjicit, Ego sum uitis, uos palmites. Quasi dicat, Ne ignoretis quid intelligam per uitem, quid per palmites, scitote me

Qualis coniunctio Christi & sanctorum in ecclesia.

esse unicam illam & generosam uitem, quæ palmites sustineo & succo meo uegeto fructificarecp facio: uos autem discipuli mei & quotquot mihi credunt palmites sunt, qui ex seipsis, id est ex suis uiribus, nullum fructum bonum proferunt. His iam commode aliud collationis membrum apponit, quod similitudine caret, sic autem sarciri potest. Si palmes maneat in uite & de uitis participet succo, multum boni fructus progerminat. Huic autem respondet quod affert dominus, Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum. Significanter uero dicit, Qui manet in me. Necp enim satis fuerit semel se cõiungere Christo, & mox relinquere quem prius fueras complexus. Oportet ergo nos inseri Christo, ut in ipso maneamus, & ipse maneat in nobis. Inserimur nos illi per fidẽ, & manemus in illo per dilectionem: ille uero manet in nobis per spiritum suum, per quem proferimus fructus spiritus. Ideo generalem subijciens sententiam, Quia sine me nihil, ait, potestis facere. ὅτι χωρὶς ἐμοῦ, extra uel absq; me, nisi uidelicet mihi ipsi fueritis insiti. Sic eñ perseuerat adhuc in allusione seu allegoria, Palmes non potest ferre fructũ nisi mãserit in uite &c. Obseruauit & illud Augustꝰ quod absolute dixit, nihil potestis facere, & non parum potestis facere, sicuti dixerat, hic multum fert fructum. Ver ba eius si quis requirat hæc sunt è Tracta. in Ioan. 81. Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum hæc dixisset, Hic fert fructum multum, non ait, Quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Siue ergo parum siue multũ, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat: tamen nisi in uite manserit & uixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre &c. Celebris autem est hic euangelij locus & ualidus contra liberi arbitrij defensores, contendentes in uiribus nostris & in nostra potestate esse ut bonum operemur. Quid enim planius & significantius, quàm quod dicit ueritas quæ mentiri nescit, Palmes non potest ferre fructum à semetipso? Item, Vos non poteritis ferre ullum fructum nisi in me manseritis. Et iterum, Qui manet in me, fert fructum multum. Rursus, Sine me aut extra me nihil potestis facere. Nihil ergo ex uiribus humanis potest homo facere boni. Malum ex seipso potest: bonum non potest, nisi per eum qui solus bonus est. Congruit cum euãgelica doctrina et apostolica. Negat enim apostolus, nos idoneos esse cogitare quicquam ex nobis ipsis: addit omnem idoneitatem nostrã esse à deo. Et iterũ, Deus est, inquit, qui operatur in nobis uelle & perficere. Ex quibus omnibus conscriptus est hic ortho doxus elegans & uetustus ecclesiæ Canon, qui in hęc uerba legitur, Si quis per naturæ uigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet uitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, siue salutari, id est euangelicæ prædicationi consentire posse cõfirmat absq; illuminatione & inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & in credendo ueritatem, HAERETICO FALLITVR SPIRITV, non intelligens uocem dei in euangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere. Et illud apostoli, Non quod idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Ex his quoque peti potest solidum & syncerum de uere bonis operibus iudicium, quæ reuera sint bona opera, unde oriantur, & cui maxime feramus accepta, quod bona sunt. Sequitur alia rursus comparatio, Si quis in me non manserit, eiectus est foras &c. Qua indicatur supplicium & infelicitas uel infidelium ac hypocritarum, uel deficientium à fide. Non enim manent in Christo, qui non habent solidam & constantem fidem, sed reuoluuntur in sordes & immunditiam huius sæculi. Tales autem non eijcientur, sed iam eiecti sunt è societate hæreditatecp Christi & sanctorum

Sine Christo nil boni facere possumus.

rum: quemadmodum & fideles non habituri, sed iam habere uitam dicuntur in euangelio. Exaruerunt, quia succo spiritus uitali carentes, ardore carnis adusti, iam nullis apti sunt usibus honorificis, sed idonei quos incendium exerceat inferni. Parabola petita est ex 15. cap. Ezechielis. Ibi enim ostendit aridum palmitem nullis usibus, nisi incendio esse idoneum. De incendio siue igne inferorum dixi in euangelium Matth. Beatus Cyrillus exempla afferēs optimorum & pessimorum, id est manentium in uite et nō manentium, palmitum, Optimo nobis, inquit, apostoli exemplo sunt, qui quoniam manserunt in Christo, nec ulla ui ab eo separari potuerunt, æternas laudes consecuti, fructum suæ uirtutis, conuersionem orbis attulerunt: unde immarcessibiles apud deū habituros coronas nō dubitamus. At auaritiæ seruus Iudas, à uite spirituali decisus, gratia spiritus amissa, foras eiectus, igni ut inutile sarmentum traditus est. Addit idem. Dupliciter igitur ad manendum secum Christus nos inducit: partim cupiditate gloriæ, quam fructuosi palmites assequentur: partim formidine ignis, cui tradentur qui ab eo se separant. Libro 10. cap. 17. *Exempla optimorum et pessimorum palmitum.*

Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

Fructum & utilitatem coniunctionis Christi & sanctorum amplius prosequitur, quo sit consolatio efficatior, simul ad perseuerantiam animat illorum pectora. Si manseritis, inquit, in me, triplex inde uobis enascetur utilitas. Sed qui obsecro manēt in Christo? Sequitur, Et uerba mea in uobis manserint. Et, exegetica est particula. His enim exponit paucis quinam maneant in Christo, in quibus uidelicet manserint uerba Christi. Manēt uerba Christi in fidelibus. Nam hi fide recipiunt doctrinam Christi euangelicam & retinent. Proinde Fides uera et inserit nos Christo & facit nos manere in Christo. Ideoq; quisquis per fidem, euangelicam retinuerit doctrinam, manet in Christo, & beneficio coniunctionis cum Christo, ac, ut sic dicam, spiritualis immanentię, triplicem hanc assequetur cōmoditatem. Principio enim quicquid uoluerint, petent, & fiet eis. Qua re non potest ulla alia afferri amplior, utilior, splendidior. Quorsum iam attinet Christum retinere corporaliter, si alioqui suis præstat fidelibus quod postulant, ac his semper adest suo prę̄senti auxilio? An is abesse uidetur, qui omnia suorū explet uota et desideira? Et ualidissima quidem est hęc ratio ad consolandum: unde sæpius repetitur in hac consolatione, qua dominus cauet ne sui propter corporalem discessum exanimentur. Cæterum fideles non uolent aliud quàm quod deum uelle intelligunt, proinde nihil contra uoluntatem, sed omnia secundum uoluntatem dei petunt. At ea demum utilia nobis & reuera bona sunt. Huc ergo referre oportet quod Ioannes in canonica sua 3. cap. dicit, Et hæc est fiducia quam habemus apud eum, quod si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et reliqua. Deinde copiosum adferent fructum, qua re glorificabunt patrē in cœlis. Copiosus ille fructus est iustitię fructus, copia uere bonorum operum, doctrinæ in primis, per quam conuertuntur homines ab idolis ad deum uiuētem, à mendacio ad ueritatem, à uitijs ad uirtutes. Ea re glorificatur pater cœlestis, qui delectatur ueritate iustitia & sanctimonia. Huc pertinet illud domini dictum apud Matthæum, Sic luceat lux uestra, ut uideant homines uestra bona opera & glorificent patrem uestrū qui in cœlis est. Postremo fient demum ueri discipuli Christi, qui uidelicet manserint in Christo, & uerbum Christi seu spiritus Christi in ipsis. Erant quidem tunc, cum hęc diceret dominus, *Fructus ex coniunctione Christi & ecclesiæ.*

discipuli, ueri domini discipuli, uerum multa adhuc deerant ipsis, quæ, quia perse uerabant in illa sancta societate & communione Christi, demum adijciebantur. Exponenda ergo est hæc domini sententia, sicut illa in 8. cap. Si uos manseritis in sermone meo, ueri discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas uos liberos reddet. Intelligis, opinor, quantus exoriatur atq; prouenìat fructus ex coniunctione illa Christi & sanctorum, & quod rem non uanam aut leuem pollicitus est, cum alium paracletum ecclesiæ pollicitus est, spiritum illum suum sanctum, pro carne sua, quam uexit in cœlum & posuit ad dexteram patris, nihilominus se totum iam ecclesiæ suæ communicans, cui præsens est non corpore uero & uisibili, sed spiritu & uirtute mirifica & cœlesti.

Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi uos: manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum uobis ut gaudium meum in uobis maneat & gaudium uestrum impleatur.

Charitate quo que coniungimur domino.

Docuit hactenus dominus quod non deserat ecclesiam, licet corporaliter ascendat in cœlum, spiritu enim & uirtute, administratione & plenissima cura præsentem fore sanctis, adeoq; mansurũ se in sanctis, modo ipsi in eo maneant per fidem: indicauit item quis ea ex coniunctione communioneue fructus proueniat: monuit præterea in hac communione esse perseuerandum. His iam multa & de charitate connectit. Nam per ipsam quoq; coniungimur deo: sed & fides non est sine dilectione, imò operatur per dilectionem: proinde non possunt non diligere & deum & omnes fratres quicunq; uera in Christum fide credunt. Apostolus Paulus charitatem appellauit uinculum perfectionis. Porrò S. Ioannes, Deus charitas est, inquit, & qui manet in charitate in deo manet & deus in eo. Charitate ergo nõ minus quàm fide coniungimur Christo & hic nobis: qui in præsenti ut ei cohærea mus diligenter ad studium charitatis sollicitat. Describens autem charitatis modum, Sicut dilexit me pater, inquit, ita & ego dilexi uos. Quomodo obsecro dilexit filium pater? Impensissime & ineffabiliter. Ita uero nos quoque dilexit filius. Quid autem inde colligendum est? Sequitur, Manete in dilectione mea. Dixisset, Proinde pari modo diligite uos quoq;: sed maluit dicere, Manete in dilectiõe mea. Quasi dicat, Non est satis cœpisse, nisi perseueretis & maneatis in dilectione illa mea, id est singulari & diuina. Sic enim manebo etiam ego in uobis. Ad expositionem horum pertinet quod sequitur, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Nam his indicat quomodo possint in dilectione & societate Christi manere, si seruarint eius præcepta. Etenim & in 14. cap. dixit, Si diligitis me, præcepta mea seruate. Et iterum, Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Addit hic exemplum suum, Sicut & ego patris mei præcepta seruaui, et maneo in eius dilectione. Præcepta patris filio data pertinebant ad redemptionem nostram. Voluit enim pater humiliari filium & amare nos atq; mori pro uita mortuis reparanda. Dilexit itaq; non patrem modo, sed & humanum genus, filius, descendit de cœlo, incarnatus, afflictus, cruci affixus & mortuus est. Idem iam nobis præcipit, ut hoc salutis negotium per fidem & agnoscamus & recipiamus, saluatorem amemus & fratres pro quibus mortuus est. Hæc qui facit, in dilectione siue societate Christi manet: sicut & filius in patris dilectione per obedientiam mansit. Verum quis, ais, ita perfecte præceptum Christi seruat, sicut ipse patris seruauit præ-

Qui maneãt in dilectione Christi.

cepta? Sanè nemo mortalium perfectione æqualis est filio dei. Cæterum exempla quæ nobis proponuntur imitanda, semper solent esse absolutissima. Fit enim plerũq; ut ea non assequamur quæ proponuntur, simusq; ijs inferiores quos æquare oportuerat. Quod si inabsoluta nobis imitanda præscriberentur, inabsolutior adhuc multò fieret imitatio. Optima ergo & absolutissima obijciuntur, quæ summo ardore atq; studio imitari, pro perfectione reputatur, idq; ex gratia. Porrò ad institutum suum orationisq; suæ scopũ siue consiliũ respiciens, & quo omnia hæc referenda sint, exponens, Hæc loquutus sum uobis, ait, ut gaudiũ meum in uobis maneat. Gaudiũ suum non dicit quod ipse in seipso habet, sed quod nos ex ipso per fidem concipimus. Id nimirũ aliud non est quàm tranquilla cõscientia, fiducia spei plena, cõsolatio firma, & exultatio in spiritu sancto. In hunc ergo finẽ hæc omnia dico, ut cõsolatione solida suffulti trãquillo & securo sitis animo, ac in meipso gaudeatis, qui cernitis me gaudiũ & consolationẽ fore: & ut gaudiũ uestrũ impleatur. Quod iuxta linguæ sacræ idioma perinde est ac si dicamus, ut perfectissime gaudeatis. Perfectissimũ autẽ gaudiũ, cui nihil prorsus deest, adeoq; omnis gaudij & omnis lætitiæ plenitudo, Christus est per spiritũ regnans in cordibus nostris, & exhilarans pectora nostra. Vnde S. Augustinus hunc locũ enarrans dixit, Et quod est gaudium nostrũ, quod dicit implendum, nisi eius habere consortiũ? Et gaudium eius in nobis, gratia est quam præstitit nobis, & ipse est gaudiũ nostrum, &c. Cyrillus diuersum sequitur sensum, cuius uerba non pigebit ascribere è lib. in Ioan. 10. cap. 21. Duplex mihi sensus esse uidetur. Aut enim hoc dicit, Vt gaudiũ in me habeatis, & sic ipsi quoq; gaudeatis supernæ beatitudinis atq; gloriæ magnitudinem intelligentes. Alius est, Hæc uobis loquutus sum, ut gaudiũ meum in uobis sit, id est, ut illis solummodo rebus lætari uelitis, quibus ego gaudeo. Sic enim fortes ad certamina eritis, & spe saluandorũ hominum pericula libenter subibitis: non parum gaudentes, quoniam uoluntas patris (qui uult omnes ad cognitionem ueritatis uenire) pro uirili parte uestra perficiatur. Hanc ergo elegi lætitiam, hanc etiam si uos habebitis, syncero ac integro afficiemini gaudio, &c. Iudicent Lectores. *Gaudium Christi.*

Hoc est præceptũ meum, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animã suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæcunq; ego præcipio uobis.

Quia de præceptis & de dilectione mentionẽ hucusq; fecit, plenius iam præceptum dilectionis explanat. Alij, inquit, de alijs præcipiunt, nec ullus est uel finis uel modus præceptorũ. Cæterum ego unicam uobis cõmendo charitatem. Diligite uos inuicẽ. Iam & modũ dilectionis huius Christianæ per exemplũ suũ ostendit, Sicut dilexi uos. Modus ergo & exemplum nostræ dilectionis sit dilectio Christi. Sed qualis oro dilectio Christi? Nemo hac maiorẽ habet dilectionẽ, quàm qua sustinet mori pro amicis. Nihil in hoc sæculo uita pretiosius habet homo. Mauult ille periclitari opes, & quicquid præclarũ eximiũq; habet, q̃ uitã uenire in discrimen. Vnde in euangelio dixit dominus, Quid prodest homini si totũ mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturã fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animã suam? Proinde inter homines nullum est maius charitatis indicium quàm si quis uitam impendat amico. Exigit ergo dominus à nobis nõ uulgarem, sed eximiam charitatẽ, quæ, si res postulet, nõ modo eroget pecuniam, consulat fratri, sed moriatur quoq; pro amico. De hac dictum est & in fine cap. 13. Rursus ne ignorarent quos intelligat per amicos, Vos, inquit, illi mei estis amici, pro uobis me in mortem impendo, ut uos morte mea uiuatis. Appendit tamẽ con- *De præcepto dilectionis.*

ditionem, Si feceritis quæcunq; ego præcipio uobis. Requirit à fidelibus insigne pietatis studium, ne uidelicet inaniter iactitent Christum pro salute orbis esse mortuum, ipsi interim uiuant mũdo. Quod illi ferè solent, quibus persuasum est euangelium conniuere ad uitia, & libertatem Christianam peccandi esse licentiam. Secus iudicant & faciunt amici dei. Serui quidẽ & fœda peccati mancipia ex nostra natura sumus, ex gratia uero sumus amici dei. Nam recepit nos in gratiam, & adoptauit in filios, si in ipsum credentes, operibus testati fuerimus nos esse amicos Christi & puritatis, inimicos diaboli & omnis impuritatis. Et cum dicit, Quæcũq; ego præcipio uobis, euangelica nobis præcepta commendat, non traditiones hominum, quas alibi grauiter taxat.

Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis.

Quanta dignitas fidelium.

Caussam reddit discipulis quare eos appellarit amicos, atq; hac expositiõe ostendit quanta sit fideliũ dignitas, quantũ item præmium ex eo sit sperandum si sponte faciant quæ præcepit dominus. Id quod plurimum facit ad consolationem. Natura & natiuitate nostra sumus hostes & inimici dei, serui item diaboli atq; peccati, ignari pariter & dei & consiliorum eius, adde & salutis nostræ: uerum dei filius passus & mortuus pro nobis, ex hostibus siue inimicis fecit amicos, & ex seruis fecit filios familiâs: quibus per spiritum & euangelicam prædicationem omnia patris mysteria arcana q; aperit atq; exponit, ut nihil ignorent earum rerum quas filios nosse oportet. Sunt alioqui multa arcana dei consilia & opera dei, quæ neque prodest nosse, nec q; pius cupit nosse. De ijs hic fit mentio à domino, quæ ad incolumitatem, & ad cognitionem dei & uoluntatis eius, & ad uitam beatam consequendam pertinere uidentur, ea omnia bona fide, quemadmodum à patre accepit, fidelibus suis tradidit dominus Iesus. Vbi ergo sunt nugones qui mentiuntur dominum non omnia tradidisse ecclesiæ suæ? Hinc autem ipsi occasionẽ arripiunt quid libet statuendi in ecclesia, quasi uero per ipsos nobis reuelare dignetur, quod noluit aperire per filium unigenitum. Scilicet. Veritas asserit omnia nobis esse tradita. Pietas suggerit nihil ecclesiæ apostolos subduxisse, sed bona fide & uoce uiua omnia tradidisse ecclesiæ, quæ postmodum & literis, ne unquam interirent, interciderentue tradita, commendarunt. Paraphrastes integrum hunc locum non ineleganter reddens, sic scribit, Amicos honoris gratia uoco, quos meo iure seruos appellare possem: sed tamen uos non pro seruis, sed pro amicis habebo, si quemadmodum ego uolens obtempero iussis paternis, ita uos alacres & lubentes peregeritis quæ præcipio uobis. Qui legis cultores sunt, merito serui appellantur, quoniam ex præscriptis uarijs pendent, ac metu potius quàm ex animo quod præscriptum est faciunt. Vos autem quos à legis seruitute uocaui ad libertatem euangelicam, posthac nõ appello seruos, sed amicos, ut quos mihi non necessitas iungit, sed mutua charitas. Seruus enim non intelligit quid sibi uelit dominus, tantum quod iussus est facere facit, nihil magni præmij sperans si fecerit, magno malo plectendus si iussa neglexerit. Et ad officia singula singulis opus est præscriptis, Vade, redi, fac hoc, fuge illud. Non enim credit herus sua consilia seruis, ideo malæ fidei, quia metuunt magis quàm amant. Vos autem iccirco dixi amicos, quia semel omne consilium animi mei communicaui uobis, ut non sit opus subinde nouis præceptis hominum. Quicquid pater uos per me scire uoluit, hoc tanquam fidis amicis impartij. Certa sunt quæ uos docui, nec enim alia docui quàm quæ audiui à patre meo

Dominus omnia docuit ecclesiam.

tre meo. Mea præcepta illius præcepta sunt, quæ seruantes, illi quoq; eritis pro seruis amici. Cæterum illud ex superioribus cognitissimum est, filium à patre audire uel iuxta assumptam humanam naturam, uel secundum cõmunem loquendi modum à rebus petitum humanis & diuinis aptatum minus proprie.

Non uos elegistis me, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat, ut quicquid petieritis patrem in nomine meo, det uobis.

Dignitas nobis ex gratia obuenit non merito.

Iam ne exultarent nimium, aut etiam superbirent discipuli ex eo quod audiunt se factos esse ex inimicis amicos & filios per Christi mortẽ (Recte enim beatus Cyrillus censet, nil esse maius, nil clarius, quàm esse & appellari amicũ dei, excellere hanc dignitatẽ omnes humanæ naturæ terminos) subiicit per occupationẽ dominus, Obuenit aũt uobis tanta dignitas haudquaquã ex ullo uestro merito, aut ulla uestra præeunte dilectione, sed ex benigna mea gratia & electione gratuita. Nõ me elegistis uos, nihil mihi contulistis, sed ego uos gratis elegi. Germanus diceret, Jr sind von mir hie/vnd ich nit von üch. Quicquid habetis & estis, id estis ex mea gratia, idq; meæ benignitati debetis, quam nullo uestro prouocastis beneficio aut officio. Celebris & euidens est locus contra oppugnatores gratiæ & assertores meriti & uirium humanarum, quem contra illos strenue urget S. Augustinus Tract. in Ioan. 86. Præterea iubet dominus suos spectare finem ob quẽ electi sint. Hoc enim qui faciunt, inueniunt se non per omnia probe fini suo respondere, unde minus efferuntur atq; ferociunt propter suam dignitatem uel uocationem aut dona sibi cœlitus donata.

Finis electionis apostolorum.

Finis electionis apostolorum is est, ut eant in orbem terrarum, & afferant deo fructum copiosissimum, fructum inquam nunquam periturũ, pietatem, timorem dei, iustitiam, uirtutem, & spem futuri sæculi. Hæc enim in pectoribus eorum plantarunt per prædicationem euangelicam, quos à superstitione & impietate conuerterunt ad ueram religionem ac pietatem: efficeruntq; pariter per eandem pietatis doctrinam, ut eundẽ patrem deum per nomẽ Iesu Christi inuocãtes, acceperint spiritum sanctũ, & quæcunq; sunt in uotis sanctorum, ad incolumitatem animarũ, & ad beatam uitam consequendã necessaria. Qui sanè fructus manent non intereunt, non tam propter eos qui docti æternã sortiuntur uitam, & in hac uita incorruptioni studeant, quàm propter ipsos doctores quà hinc corona donantur immarcessibili. Nec dubium est quin his uerbis alluserit ad superiorem parabolam uitis, palmitum atq; fructum eorum. Nam & Paraphrastes, Quemadmodum palmes, inquit, succo uitis semper alitur, latius sese propagine spargens: ita uos quoq; per omnes orbis regiones copiosum euangelij fructum proferatis, atq; ita prositis alijs ut fructus uester uobis quoq; maneat incolumis. Vitis enim uulgaris alijs fructum edit eumq; mox periturũ, & ideo palmites eius temporarium fructum edunt, quoniam adhærent uiti perituræ: uos quoniam adhæretis stirpi immortali, fructum afferetis nunquam periturum, sed uobis quoq; incolumẽ futurum in uitam æternam. Idem paulò diuersius enarrat hanc postremam domini sententiam, Vt quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, det uobis, quàm nos exposuerimus. Dicit enim, Nec interim est quod dicatis, Ingens est labor obire mundum, docere gentes, perpeti malorum odia. Quid salarij, quid præsidij, quid præmij nobis decernitur? Valeant ista mundi præsidia. Hoc uobis omnium præmiorum & præsidiorum loco sit, quod quicquid petieritis à patre in nomine meo, daturus sit uobis. Quid est facilius quàm petere? Quid est autẽ quod ille non possit largiri? Quid est porrò quod ille non uelit caussa mea?

Finis in electione ſpectandus.

Docet hic locus euangelij agnoſcere & recipere dei gratiam & electionẽ, reſpicereq; finem electionis quare elegerit nos deus. Quidam parum prudenter & ſobrie multis diſputant, an electi ſint, et hac ſua diſputatione illud uel amittunt uel in dubiũ ponunt, quod in hac cauſſa præcipuũ eſt, omnes electos eſſe qui in Chriſtum credunt. Dum enim perrimantur occulta quædam dei iudicia & prædeſtinationis modos & cauſſas, interim non attendunt animũ ad promiſſiones dei ac fidem. Præterea non reſpiciunt ad finem, hoc eſt, non ſunt ſollicíti quomodo copioſum, uberem & immortalem proferant fructum. Pij uero & timentes deum bene ſperant de gratia & miſericordia dei, oculos animi in Chriſtũ & promiſſiones eius figunt, & per Chriſtum ſeſe ſaluandos fore ſperantes, per eundẽ operantur opera ad quæ ſe per Chriſtũ incitari & dirigi intelligunt & ſentiunt: ac eo quidem modo altiora non rimantur, ſed ea quæ deus præcepit cogitant ſemper. Porrò præſentibus uerbis pulchre declinat in alium conſolationis locũ dominus. Hactenus enim diſſeruit de immanentia ſiue cõmunione & ſocietate Chriſti & ſanctorũ, diſſeret porrò de Cruce & afflictionibus, ſiue perſequutionibus ſanctorũ, quas hi cõmunes cum illo habent. Intelligebãt apoſtoli magna ſibi ex præconio ueritatis impendere pericula. Conſolatur ergo & animat ipſos dominus ualidiſſime. Pertinent ea itaq; ad apoſtolos uirosq; apoſtolicos præcipue, deinde uero ad omnem eccleſiam quæ doctrinæ credidit apoſtolicæ, & propterea affligitur.

Hæc præcipio uobis, ut diligatis uos mutuo. Si mundus uos odit, ſcitis quod me prius quàm uos odio habuerit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt diligeret. Quia uero de mundo non eſtis, ſed ego ſelegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.

De cruce & patientia ſanctorum.

Auſpicatur hunc cõſolationis locũ dominus à repetitione præcepti charitatis, non tam quod hanc maxime inculcatã uoluit, quàm quod mirã habet conſolandi uirtutẽ in aduerſis. Tale ergo eſt quod dicit, Nolim uero uos diſcipulos meos imitari mũdo deditos homines, qui ſeſe mutuis inter ſeſe odijs inſectantur & lacerant, ſtudio opum & honorum: nolim item uos ideo inter uos diſſidere, quia uobiſcum diſſidet mundus: quin potius uolo & iubeo cohærere uos ſuaui dilectionis uinculo. Præſtabit ea charitas mutuaq; concordia, ut & facilius & fortius mundi, id eſt exterorum, feratis odia & perſequutiones. Poſt illa mox producit ſuum exemplũ, quo afflictos & odijs oppreſſos iniquis conſoletur, Ne uobis, inquit, uideatur nouum, ſi uos odit mundus. Experti enim ſcitis, quod me prius quàm uos oderit. Habetis itaq; id mecum cõmune, et arguit hoc maxime, quod in arctiſſima mecũ communione perſeuerantes participantesq; afflictionibus tandem & eadem mecum gloria ſitis communicaturi. Cæterum indignum fortè cuiquam contumelia & ignominia pleniſſimum uideri poterat abijci & contemni à toto mundo. Atqui inuertit hoc ipſum dominus & ſubindicat ſanctos non ſine maxima dignitate & gloria contemni à mundo. Per mundũ autem intelligit homines agentes in mundo, & ſequentes carnis ſuæ deſideria, æſtimantes omnia iuxta rationem huius ſæculi, qui uidelicet ignorant deum & myſteria regni dei. Sunt autem huiuſmodi duplicis generis. Alij enim hypocritæ uideri uolunt uirtutes ſectari, odire iniuſtitiam,

Perſequutores euangelij.

& cultores eſſe ueri dei per ſtudia ueræ religionis: cum reuera ſimulatores ſint, nõ factores uirtutum, & homines ſuperſtitioſi, deum colentes fruſtra per traditiones humanas, & excidentes à uera iuſtitia Chriſti cum ſuam ipſius propriã iactitant. Tales fuerunt phariſæi apud Iudæos. Alij uero Epicurei, nec iuſtitiam colunt, nec honeſtatẽ curant, carnemq; & uoluptates tantummodo ſectantur: & ſi qui ex his

hone-

honestissimi uidentur, idola tamẽ colunt, & deum illegitime uenerantur, sibi ipsis uitæ regula sunt. Tales fuerũt plericq; gentiliũ. Atq; hic quidẽ mundus, id est mundani homines nõ possunt non odire & prædicationẽ euangelicã, & prædicatores euangelij. Nam superstitionẽ, falsam iustitiã, uoluptates, bonas intentiones, hypocrisim & impietatẽ grauiter accusant, Christum ueram iustitiã & salutẽ prædicãt, sanctimoniam suadent: ad hæc pure & illibate uiuunt, præsidiũ omne collocãt in deo, & expectant uitam futuri sæculi. Sic enim seligit suos de mundo Christus, nõ quod amplius in hoc sæculo nõ uiuant, sed quod in hoc uiuentes mũdo, moribus, instituto uitæ, & genere doctrinæ à mundo sunt quàm alienissimi. Proinde sensus uerborũ Christi huiusmodi esse uidetur. Odiũ huius mũdi adeò uos nulla cõspurcabit ignominia, ut summa potius ornaturũ sit gloria, ac declaraturũ quod mearum sitis partiũ, cultores uidelicet ueritatis, sanctimoniæ, iustitię ac pietatis, hostes contra & oppugnatores mendacij, impuritatis, iniustitiæ & superstitionis. Etenim si pertineretis ad mundũ illum immundũ: si diligeretis ea quæ sunt huius mundi: si doceretis ea quæ congruunt hypocrisi, superstitioni & cupiditatibus mũdanis, mundus agnosceret uos ac ueluti suos amaret. Congruunt enim quorũ eadẽ sunt studia: quoniã autẽ non ea sectamini quæ sunt huius sæculi & carnis, sed quæ sunt regni cœlestis & spiritus: non docetis hypocrisim, sed ueritatẽ & syncerítatem: nõ laudatis uana & peritura, sed æterna bona: nõ extollitis, sed uituperatis humanas traditiones & intentiones: nõ inhiatis bonis terrenis, sed cœlestibus, ideo uos odit mundus: non quod odio digni sitis, sed quod minime congruatis cum ipsorũ moribus & doctrina. Non ergo ob aliud uos odit mũdus, nisi quod uos selegi de mundo, quod mihi uos inseui ueluti palmites stirpi frugiferæ, quod uos delegi ad prædicationem mei euangelij: breuiter, quod estis mei amici & filij dei, ueri dei cultores, & contemptores huius impurissimi mundi, admiratores autẽ & hæredes cœlestis & æterni regni dei. Hodie certè si quis pontificum sanctiones extollat, opera & merita humana laudet, fidem leuiter perstringat, Missas celebret, uota monastica cõmendet, imagines ornet, ceremonias multiplicet, interim autem cõniueat ad scelera fœdissima, ad mercenariam militiam, ad proditiones, ad uenalia iudicia, ad oppressionem pauperum, pupillorum & uiduarum, ad usurã, furta, direptiones, sacrilegia principum, ad scortationem, adulteria, stupra, & luxuriam turpissimã, ad crapulam, poculorum certamina, & luxum uestium prodigiosum, doctus, comis, religiosus, pacificus, orthodoxus, catholicus, & omnibus uirtutibus ornatus appellatur doctor, oneratur muneribus & honoribus. At si ex doctrina Christi uera & simplici incipiat execrari idola, oppugnare & superstitiones & scelera, uerã pœnitentiam & iustificationẽ per fidẽ docere, scelera & scelleratos accusare, Deus bone quàm miserè hic laniatur ab omnibus: non sufficit hæretici nomẽ, nisi etiam addatur apostatæ, seditiosi, sanguinarij, sacrilegi, & nescio quid aliud. Sed placent ita impurissimo mundo impurissima studia, placent ei adulatores & seductores: dãnat pro hostibus qui amici sunt, ueneratur & colit ꝓ amicis qui hostes sunt, ne non semper & ubiq; sui similis sit miser. Obfirmant aũt pij pectora sua, & pergunt in semel recepta ueritate euangelica, cumq; odijs & contumelijs omnium in orbe hominum obruuntur, gaudent se dignos esse habitos, qui hæc ꝓ nomine domini sui patiantur, illãq; ignominiã suam esse credunt maximã gloriam. Odiũ enim & persequutio certissimæ notæ sunt filiorum dei: & quos ejcit & damnat mundus propter Christum, eos recipit Christus: sicut in cæco nato patuit in cap. 9.

Mementote sermonis quẽ ego dixi uobis, Non est seruus maior domi

no ſuo. Si me perſequuti ſunt, & uos perſequentur. Si ſermonẽ meum ſeruauerunt, & ueſtrum ſeruabunt. Sed hęc omnia facient uobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui miſit me.

Suo exemplo conſolatur dominus.

Clarius illuſtrat quod modo produxit exemplũ ſuum, idq; facit ſententia uulgari uel prouerbiali per comparationem accõmodata. Mementote, inquit, quod dixi uobis cum prima illa legatione uos ablegarẽ ad prædicandum, ſerui conditionem non eſſe potiorem q̃ ſit domini. De hac ſententia dictum eſt Matth. 10. Ex hac talem ducit comparationem, Si mihi non pepercerunt, qui dominus & princeps ueſter ſum, clarus & potens ſermone & uirtute, quin grauiter perſequuti ſint, haud ueriſimile eſt uobis parſuros, qui me longe eſtis inferiores. Rurſus, Si meam recipiebant doctrinam, recipient & ueſtram: ſed ut meam non tulerunt, ita ueſtram planè cõtemnent, cum eadem docturi ſitis quæ ego doceo. Sed quorſum hæc? Conſolatur Chriſti filij dei, principis eccleſiæ & regum regis exemplũ miniſtros euangelij & omnia eccleſiæ membra, ne animis concidant cũ cernunt & ſentiunt famam integram peti conuitijs atq; contumelijs, uitam periclitari uel per inſidias uel uiolentiã. Eadem enim obuenere principi noſtro, capiti eccleſiæ: ſumus ergo membra huius capitis ſi eadem propter ueritatem experiamur. Quod ſi ille uicit, uincemus & nos: quod ſi ipſius nominis integritatem non corruperunt fœda & infanda conuitia, nec noſtram corrumpent. Simus ergo forti & cõſtanti animo, omnes animi & corporis uires huc unice cõuertentes, ut multum afferamus fructum uiti, principi inquam noſtro, cui inſerti ſumus: inſaniat interim & rumpatur cum ſatana mundus. Diſcant hinc quoq; quidam non aſpernandi eccleſiarum miniſtri æquius ferre ſi ipſorum doctrina non tantum fructificet quantũ cupiunt.

Conſolatio eorum quorũ doctrinæ non reſpõdet fructus.

Quid enim mirum eſt nos non audiri? Quid mirum eſt fructum parum reſpondere labori noſtro, & pauciſſimos prædicationi noſtræ credere, ac obtemperare, poſteaquam ipſe dei filius, repulſam à ſuis paſſus, pauculos è tanto numero ad ueritatem conuertit? poſteaquam item ille nos conſolans, dixit, Si meum ſermonem ſeruauerunt, & ueſtrum ſeruabunt? Hinc uero Cyrillus lib. in Ioann. 10. cap. 28. conſultiſſime & religioſiſſime ſcripſit, Monet dominus his uerbis, Si ſermonem meum ſeruauerunt, & ueſtrũ ſeruabunt, æquo animo eſſe quando ſermo docentis contemnitur. Putaret enim quiſpiam contemptum eſſe prædicationis laborem ſi auditoribus non perſuaſit: quod non ita eſt. Nam qui probe conſuluit, & conſulere non deſinit, fecit quod potuit, & præmio non carebit. Credere autem aut non credere, non in ipſo, ſed in audientium poteſtate ſitum eſt. Nõ ergo in ſeminando uerbo dei deſperare debemus: ſed quæ nobis poſſibilia non ſunt, diuinæ maieſtati relinquenda ſunt. Quod probe figura talentorũ didicimus. Alius enim quinq; accepit, alius duo, alius unũ, qui mercaturæ cõmutationiq; dare operã renuens, terra domini ſui pecuniã obruit. Et iccirco audiuit, Nequã ſerue & piger, oportuit te numulariis talentũ meũ cõmendare, & ego ueniens cũ uſura exegiſſem. Et certè quemadmodũ qui agrum colunt, terram aratro ſcindunt, ſemina deponunt, nihil quod ſuũ eſt non faciunt, dei aũt gratiæ relinquũt, ut inde fructus ueniat: ſic prædicantibus uerbũ dei diligenter ſeminandũ eſt. Vtrũ aũt fructus ſequatur nec ne, quamuis optandũ ſit, diuinæ tamen gratiæ relinquendũ: præſertim cum agri ſterilitas detrimentum agricolis afferat, prædicantes autẽ laboris & ꝓpoſiti mercedẽ amiſſuri nõ ſint. Quare, Quamuis, inquit, ſermo ueſter cõtemnatur, memores tamen quia etiam meus cõtemnitur, nolite maiorem uos gloriam quærere. Talibus apoſtolos muniuit ſaluator, quos doctores orbis conſtituit. Hæc omnia ex Cyrillo in

illo in nostros hæc Commentarios transtulimus.

Quoniã uero ex causſa perſequutionis & crucis non modicam conſolationẽ capiunt ſancti. Pulchrum enim eſt propter Chriſtum & ueritatem confeſſam peri clitari, odia hominum experiri, & perſequutionẽ ſuſtinere. Turpe rurſus eſt propter maleficia affligi. Ideo enim & S. Petrus in Canonica ſua priore dixit, Ne quis uestrum affligatur ut homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut alienarum rerum explator, aut cupidus: ſaluator in præſenti honeſtam crucis & odij cauſſam adducens, Hæc, inquit, omnia facient uobis propter nomẽ meum, quia non nouerunt eum qui miſit me. Propterea perſequentur uos, quia in nomine meo prædicabitis pœnitentiam & remiſſionem peccatorũ, adeoq; docebitis conſtantiſſime nõ aliud nomẽ datũ hominibus, in quo oporteat ſaluos fieri, niſi nomẽ Chriſti: unde in me uno & ſolo, in nomine inquã Chriſti, urgebitis oẽs iuſtificari & ſaluari credentes, Chriſtũ eſſe unicã ſanctorũ uiam, ſanctificationẽ, lucem, redemptionẽ, hoſtiã, uitam. Cæterũ iſti qui uos pſequentur, non intelligent, neq; credent me à patre profectũ cœleſti, filiũ eſſe dei, miſſum in mundũ, ut mea interceſſione recõciliem deo peccatores, & ut in me ſolo ſit omnis plenitudo ſalutis & ſapientiæ: ergo perſequentur uos, ceu blaſphemos & omnis religionis peſtes. Nam ipſi ex aliis rebus quàm ex ſolo Chriſto dei filio ſalutem ſperabunt. Nullis autẽ hic nobis opus peregrinis exemplis ad hanc rem demonſtrandam. Si enim pontificij agnoſcerent patrem in filio dediſſe nobis omnia, non perſequerentur nos propter prædicationẽ euangelij ſynceram. Si enim Chriſtus ſemel oblatus eſt, & amplius non offertur: ſi aſcendit in cœlos, & intercedit p nobis, quid obſecro odiunt & pſequuntur nolentes confiteri ſacrificos quotidie in Miſſa offerre Chriſtũ pro peccatis uiuorum & mortuorum? aut eos quoq; qui ſibi unicã Chriſti interceſſionẽ apud patrem ſufficere credunt, diuorũ nihil curant? Poſſem huius generis & alia multa afferre, ſed licet ex his pauciſſimis æſtimare reliqua. Vere Cyrillus ſenſit Mittendi uerbo totum incarnationis myſterium ſignificari. Neceſſe eſt autem pariter & patrẽ ignorari, & myſterium incarnationis, cum eius nomen habetur exoſum, per quod pater cognoſcitur, & miſſionis cauſſæ intelliguntur.

Cauſſa perſequutionis ſit ſancta.

Si non ueniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatũ non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato ſuo. Qui me odit, is & patrẽ meum odit. Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent: nunc autem & uiderunt & oderunt, non ſolum me uerum etiam patrem meum. Sed (hoc accidit) ut compleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, Odio habuerunt me gratis.

Dixit, Quia non nouerunt eum qui miſit me: atqui obijciat iam aliquis, Si nõ nouerunt eum qui miſit Chriſtũ, nimirũ ignorantia illa ſua nihil peccarunt. Videtur enim ignorantia tollere culpã. Id excipiens dominus ac diluens, oſtendit Iudæos non peccare per ignorantiã, ſed malitiã. Si non ueniſſem, inquit, & tam diſerte myſteria regni dei, patris utiq; conſiliũ & dilectionem, qua mundum cõplectitur, & ei conſulere cupiens, filium miſit in mundũ, qui morte & reſurrectione ſua mundum patri reconciliet, explicaſſem, non haberent peccatum, id eſt ignorantia ipſorum potuiſſet uideri malitia carere: nunc uero cum ipſe dei filius deſcenderim de cœlo & omnia regni dei myſteria expoſuerim & copioſiſſime & luculentiſſime, ipſiq; hæc audierint & intellexerint ſingula, interim noſſe & intelligere nolint, non poteſt uideri ignorantia, quæ malitioſa eſt pertinacia, imò con-

An perſequutores excuſet ignorantia.

temptus ueritatis agnitæ cõtumelioſiſſimus & impĩſſimus: nec habent porrò quo purgent ſuam malitiã, & quod iam ſuæ uſqueadeo deſtinatæ prætexant iniquitati. Porrò quod ex hoc loco diſputatur an peccatum originale peccatũ ſit? an ignorantia excuſet peccatum? an gentes non audientes euangeliũ à peccato immunes ſint? & ſi quid huius generis aliud eſt, nõ uidetur huc pertinere. De ĩjs enim nunc nihil diſputat dominus, qui ſimpliciter euincit Iudæos non ex ignorantia, ſed malitia potius & cõtumacia peccare. Habuerunt aliâs originale peccatũ, habuerunt & alia innumera ſcelera, quibus omnibus hunc quoq; apicẽ imponunt, quod cũ Chriſtus dominus è cœlis deſcendit, & à peccatis liberauit, ipſamq; liberationem nunciauit, recipere liberatorẽ & credere euangelio noluerũt. Itaq; amplificare uidetur dominus peccatum gentis Iudaicæ & omnium eorum qui agnitam ueritatem oppugnant, non ullius peccatum imminuere aut excuſare. Propter curioſos tamen uolui paucula hæc ex libris D. Auguſtini in hæc noſtra transferre Commentaria. Hic in Epiſt. 105. Sixto presbytero contra Pelagianos ſcribens, In euangelio, ait, dominus dicit, Si non ueniſſem, & eis loquutus fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Non utiq; peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliĩs magnis & multis peccatis, ſed hoc peccatum uult intelligi non eos habituros fuiſſe ſi non ueniſſet, qui cũ audiſſent eum non crediderunt in eum, hanc eos excuſationem non habere aſſerit, qua poſſint dicere non audiuimus, ideo non credidimus. Humana quippe ſuperbia tanquã præſumens de uiribus liberi arbitrĩj excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ non uoluntatis eſſe uidetur quod peccat. Secundũ hanc excuſationẽ inexcuſabiles dicit ſcriptura diuina quoſcunq; ſcientes peccare conuincit, dei tamẽ iuſtum iudicium nec illis parcit qui non audierunt. Quicunq; enim ſine lege peccauerũt, ſine lege peribunt. Et quamuis ſeipſi excuſare uideantur, non admittit hanc excuſationem qui ſcit ſe feciſſe hominẽ rectũ, eiq; obedientiæ dediſſe præceptũ, nec niſi quo male uſus eſt libero uoluntatis arbitrio, etiã quod tranſiret in poſteros manaſſe peccatum. Neq; enim dãnantur qui non peccauerũt, quandoquidẽ illud ex uno in omnes pertranſĩt, in quo ante ꝓpria in ſingulis quibuſq; peccata oẽs cõmuniter peccauerunt: ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, uel reatu originis, uel additamento etiã ꝓpriæ uoluntatis, ſiue qui nouit ſiue qui ignorat, ſiue qui iudicat ſiue qui nõ iudicat: quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt ſine dubitatione peccatũ eſt: in eis autem qui non potuerũt, pœna peccati. Ergo in utriſq; nõ eſt iuſta excuſatio, ſed iuſta dãnatio. Huius generis & alia quædã idem author diſputat libro De gratia & libero arbitrio ad Vincentiũ cap. 3. & aliâs quoq;, ut in Tract. Ioan. 89.

Auguſtini iudiciũ de hac re.

Qui filium odit patrẽ étiã odit.

Rurſus ne quis iterũ ſuam defendens impietatẽ obĩceret, Tametſi odiam filiũ, id eſt Chriſtũ Ieſum & prædicationẽ illam euangelicã, nõ tamẽ ipſum patrẽ ac deũ uerũ odi: reſpondens oſtendit quod ipſum etiã patrẽ odiat qui odit filiũ. Nã dicit, Qui me odit, is & patrẽ meum odit. Quæ enim identitate uniuntur, ut uere dixit Cyrillus, eadẽ laude aut uituperatiõe afficiuntur. Et ne meritò & cum ratione uiderentur filiũ contemnere, magna cũ grauitate ſubĩjcit, Ipſa mea opera quæ inter illos deſignaui, manifeſtiſſime euincunt me uerũ eſſe dei patris filiũ à quo non ſeparor eſſentia. Nec quiſquã unquã ab ipſo uidelicet mũdi exordio tot & tanta patrauit miracula. Multa quidẽ & egregia fecit in Aegypto Moſes: multa & inſignia fecit Heliſeus: multa & preclara fecerũt ꝓphetæ aliĩ, ſed nemo æquauit miraculis Chriſtũ, qui oẽs poſt ſe longiſſimo interuallo reliquit. Oĩa enim ſua ꝓpria uirtute fecit, nec ipſis cuiquam nocuit, ſed omnibus profuit. Ad quod illud accedit quod

Marci

Marci 1. cap. ita legis, Vesperi cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & qui à dæmonijs agitabãtur. Et ciuitas tota cõgregata erat ad ostium, & sanauit multos qui ægrotabant uarijs morbis, & dæmonia multa eijciebat. Et in 6. cap. Vbi audissent appulisse Iesum, discurrebant per totam undiq; regionem illam, cœperuntq; in grabatis eos qui male habebant circumferre: & quocunq; introisset, in uicos aut in ciuitates, aut in uillas, in plateis ponebãt infirmos, & deprecabantur eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum salui fiebant. Quo nimirũ illud Lucæ pertinet, Omnis turba quærebat eum tangere, quia uirtus ex illo exibat, & sanabat omnes. Id quod de nullo unquã sanctorum legitur. Hæc autem omnia uiderunt & senserunt Iudæi in suis ipsorũ corporibus, nullam itaq; uel uerisimilem caussam prætexere potuerunt ob quam merito filium contemnerent: cum uero nihilominus contempserunt, certum est contemptum & odium hoc non tantum in filij, sed & patris redundare contumeliam. Quod ipsum & contra nostri sæculi Iudæos & impios Machometistas pronuncia tum à deo uideri potest: qui se à peccato immunes & genuinos dei filios esse credunt, quia patri conditori omnium adhærent, filiũ cum suo euangelio negligunt. Neq; uero hi quoq; in uniuersum ignorant gloriã & diuinas uirtutes Christi. Ad finem appendit, Sed hæc non accidunt fortuito. Prædixerunt enim hæc ꝓphetæ, futurum uidelicet ut pro benefactis, quibus debebatur gratia, maleuolentiã reponerent. Legem appellauit scripturã, à parte totum, per synekdocham. Eorũ dixit legem, quã ipsi recipiebant atq; magni æstimabant. Locus petitus uidetur uel ex Psal. 35. qui iuxta literã cõpetit Dauidi, iuxta typũ aptatur Christo domino, cuius typũ gessit Dauid. Oderunt hunc gratis, id est immerito, rependentes ipsi pro gratia maleuolentiã. Vel ex Psal. 69. in quo hæc etiam uerba reperiuntur, & aptantur Christo domino non alia ratione quàm uerba Psal. 35. Quod autem dicitur de Christo, et de membris eius intelligendũ est. Sicut enim ille præter meritũ, & absq; sua culpa odiũ eorum sustinuit qui amare debuerãt: ita mundus persequitur pios non alia caussa, quàm quod recte consulunt, iniustitiam accusant, sanctimoniã & uitam beatam cõmendant, propter quod officium amandi fuerant, non odio prosequendi. Cyrillus lib. in Ioan. 10. cap. 32. Quam, inquit, caussam odij habuerũt nemo dicere potest. Quid enim odio dignum fecit? Ab interitu eripuit, à diaboli tyrannide liberauit, peccati uires extinxit, à seruitute humanum genus ad adoptionem filiorum dei adduxit, spiritus sancti participes homines effecit, cœlum nobis in domicilium largitus est. Quomodo ergo dico, non odio non habendus, sed iugi ab hominibus oratione laudandus non est? Sed nihil horum mouere potuit. Gratis enim oderunt, quem admirari & amare summopere debuerant.

Cum autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. Quin & uos testes estis: quia ab initio mecum estis.

Spiritus adest sanctis, & iuuat atq; confirmat in aduersis.

Pertinet etiã hoc ad consolationẽ sanctorũ in persequutionibus quas sustinent propter confessionẽ studium & præconium ueritatis euangelicæ. Sic autem cohæ rent cum superioribus. Difficile & non ferendum onus uidetur imponi fidelium humeris, cum iubentur ueritatẽ mundo exosam ꝓferre & tueri cõstanter, ut certe non est humanarũ uiriũ in tantis turbis & omniũ hominũ odijs libere ueritati ferre testimoniũ. Dominus itaq; Iesus non ignorans mundi huius & principis tenebrarum furorem, suorum item metum & imbecillitatem, spiritum & uires cœlestes hic se suis suffecturum suosq; armaturum, instructurum, confirmaturumq;

promittens, Scio, inquit, quàm uideatur uobis difficilis prouincia quam nũc mando. Sentitis quàm parum sitis instructi ad rem usqueadeo magni momenti subeundam. Metuitis, scio, hunc mundum sapientia artibus & omnigenis auxilijs & uiribus instructissimum: sed nolo uos esse sollicitos. Dabitur uobis spiritus sanctus, qui de me in hoc mundo testimoniũ perhibebit, idq; tanta faciet uirtute, ut quamuis insaniat hic mundus, & omnes suas expediat artes, uires denique uniuersas proferat, nihil effecturus sit. Sic enim & Lucæ 21. dixit dominus, Injcient uobis manus suas & persequentur, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum. Vos autem infixum habete cordibus uestris, nullam præmeditandam esse defensionem. Nam ipse dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere omnes qui aduersantur uobis. Ad eundem enim modum hic quoque suos consolans, Cum uenerit, inquit, spiritus sanctus in uos, ille de me testificabitur, id est, uos instruet ut testificari libere multa cum constantia & certitudine de me & negotio euangelico possitis. Sequitur enim, Quin & uos testes estis. Quasi dicat, Id nolim sic intelligi à uobis quasi ille in mundo de me testificaturus sit, uos tacituri. Per uos aget omnia ceu organa electa. Nam ideo uos ab initio prædicati euangelij elegi, ideo uos mihi adhibui, ut de omnibus cum dictis tum factis meis testificari queatis. Nemo ergo dicat, Si ille testificabitur in mundo, non erit ulla nostra opus testificatione. Requirit enim deus operam, fidem, diligentiam ac industriam nostrã, quam interim spiritu suo sancto idoneam reddit, informat, conseruat, illustrat, confirmat, dirigit atque restaurat. Hunc sensum atque contextum orationis agnoscens etiam beatus pater Augustinus Tractatu in Ioannem 93. In his quæ præcedũt, inquit, dominus discipulos suos ad inimicorum odia perferenda confirmans, suo quoq; reparauit exemplo, ut eum imitando fierent fortiores, addens & promittens eis quod uenturus esset spiritus sanctus qui de illo testimonium perhiberet, & adijciens quod & ipsi fierẽt testes eius, hoc utiq; in eis operante spiritu sancto: sic enim ait, Ille testimoniũ perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis: utiq; quia ille perhibebit, etiam uos perhibebitis: ille in cordibus uestris, uos in uocibus uestris: ille inspirãdo, uos sonando, ut possit impleri, In omnem terram exiuit sonus eorum. Parũ quippe fuerat eos adhortari exemplo suo, nisi impleret spiritu sancto. Tantum Augustinus. Colligere hinc licet quodnam sit officium concionatorum, testificari de dictis & factis Christi domini, non de Decretis Papæ: & unde uires sint testificandi, unde felicitas & facultas prophetandi, è spiritu sancto. Excitatur item & requiritur nostra à nobis industria, ne uidelicet torpidi omnia reijciamus in spiritũ sanctum: quod cessatores solent qui suæ inertiæ prætexunt gratiæ tenuitatem. Iam uero quo plus euidentiæ haberet consolatio, paucis, sed mire significantibus uerbis adumbrat nobis præstantiam sancti spiritus. Hunc enim denuo appellat paracletum, patronum, inhortatorem, qui excitet & inflammet mentes. Spiritũ ueritatis, qui procedat à patre, & quem ipse denic̃ mittat à patre. Est enim in patre filius: unde se dicit mittere à patre spiritũ patris, qui eadẽ ratione & filij spiritus est. Nam ego, inquit, & pater unum sumus. Ideoq; si ꝓcedit à patre, simul & à filio procedit. Etenim sicut hic dicit, Quem ego mittam uobis à patre: ita in 14. cap. dixit, Quem mittet pater nomine meo. Ex quibus uanissimi esse conuincuntur illi, qui putant à patre per filiũ tanquã per instrumentũ mitti spiritũ sanctũ: aut spiritum sanctũ à patre duntaxat non à filio ꝓcedere. De qua re ueteres abunde disputarunt, quemadmodũ & 14. cap. indicauimus. Nos cõtentionibus & curiosis quæstiõibus omissis tenebimus, si sapimus, spiritũ sanctũ nobis ꝓmissum esse, qui idoneos reddat, & ad prædicandi

Testificatur spiritus per homines.

Officium concionatorum.

Præstantia spiritus sancti.

functionem

ſanctionem eos qui ad ipſam uocati ſunt, & omnes homines ad ſapientiæ ſtudium & omnis boni operis abſolutionem. Verum de effectu ſpiritus ſancti in fidelibus paulò poſt plura ſequentur in cap. 16.

Hæc loquutus ſum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à ſynago- CAP. XVI.
gis facient uos. Sed ueniet tempus ut quiſquis interficiet uos, uideatur cultum præſtare deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me. Sed hæc loquutus ſum uobis, ut cum uenerit tempus illud reminiſcamini eorum quod ego dixerim uobis.

Finis eorũ quæ dicuntur de perſequutione ſanctorum.

His manifeſte oſtendit quorſum ea pertineant quæ hucuſq; de perſequutione futura præmonuit, de qua & planiora apertioraq; nonnulla appendit. Cohærent enim hæc cum ſuperioribus, tametſi per diſtinctionem capitis diuiſa & auulſa uideantur. Multa hactenus differui, ait, de patientia ſanctorũ, de odio & furore huius ſæculi in præconium, & præcones ueritatis, id autem ideo futurum prædixi, ne ex prædicatione euangelica honorem, gloriam, regna, opes, & uoluptates expectetis, ac tum concidatis animo cum uobis præter ſpem ingruerit ingnominia, contumelia, inopia rerum omnium, & calamitas grauiſſima. Minus offendunt infortunia quæ præuideris, & ad quæ obfirmaris animum antequam incurrant: ergo hæc loquutus ſum uobis μὴ σκανδαλισθῆτε ne impingatis, atq; deficientes coruatis in interitum ſempiternum. Plures certè cernentes impĩſſimos quoſq; ueræ pietatis pſequutores, ſceleratos, & omnibus flagitĩs obnoxios, ſuperſtitionis errorũ & omnis nequitiæ defenſores florere, uincere, & perrumpere: pietatis contra ſtudioſos, religionis & ſanctimoniæ aſſertores marceſcere, perire & opprimi à nephandiſſimis, grauiter offenduntur, indignũ putantes ut ſeruí dei ſic pereant: imò addubitare de ueritate incipiunt propter impiorum proſperitatem. Huius generis exempla non pauca occurrunt in prophetis, & in quotidiana rerum experientia. Conſultiſſime itaque dominus ſuos contra ingens illud ſcandalum præmunit. Hinc uero paucis, ſed luculenter exponit quales ſimus habituri hoſtes, quibus illi nos petituri ſint machinis, quid ab ĩſs ſimus paſſuri, hoc eſt, quid expectemus ex præconio ueritatis & religionis ſtudio ab hominibus huius ſæculi. Ac duo quidem malorum genera enumerat. Principio ἀποσυναγώγους alienos à ſynagoga facient uos, id eſt, eĩcient uos è ſynagoga, uel interdicent uobis ſynagogam, uel excommunicabunt uos. De ea re dixi in cap. 9. Claret hinc quales ſimus habituri hoſtes, non uulgares & plebeios, ſed qui arcem religionis tenere uidentur, pontifices & ſacerdotes: qui rerum præfecti ſunt gubernaculis, reipublicę primores, reges, principes & magiſtratus. Hi petẽt uos armis ualidiſſimis. Eĩcient enim è cœtu ſanctorum & bonorum hominum, delebunt ex albo ciuium. Genus nominat ſub quo intelligit omnes ſpecies. Omnigenis perfundent uos contumelĩs, ꝓbris, ignominĩs, ceu homines luce indignos, hæreticos, blaſphemos, ſeditioſos, pacis perturbatores. Nullum concedent locum in rebuſpublicis honeſtum, aqua & igni interdicent, non permittent uel emere uel uendere, teſtamenta condere: eĩcient ex urbibus, proſcribent, diripientq; ueſtras uobis facultates. Huc nimirum pertinet illud apoſtoli, Nos ſtulti propter Chriſtũ, imbecilles & cõtempti. Ad hoc uſq; tẽpus & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur ſedibus, laboramus, ꝓprĩs manibus, male audimus, perſequutionẽ ſuſtinemus, cõuitĩs afficimur, ueluti περίψημα mũdi facti ſumus, omniũ περικάθαρμα ad hũc uſq; diẽ. Huc ꝓtinet quod de Chriſtianis in Apologetico ſuo comme-

E ſynagoga eĩcere, & omnigenis contumelĩs perfundere.

morat Tertullianus, recensens q̃ infandis conuitijs gentiles Christi nominis stu-
Occidere propter Christum. diosos asperserint. Deinde addit aliud calamitatũ genus priore multò grauius, Sed ueniet tempus, ut quisquis interficiet uos, uideatur cultum præstare deo. Quæ loquutio magnam habet uehementiã. Perinde enim ualet, ac si quis dicat, Sed quid dico eijcient uos & execrabuntur? imò & occident. Insidiabuntur uitæ, conijcient in carceres, pulsabunt, flagris discindent, excarnificabunt, tandem & trucidabũt. Denicq; eò res procedet, ut quisquis interfecerit uos, existimet se uictimam immolare deo gratissimam. Græce enim significantius dicitur, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ, uideatur cultum, id est acceptũ sacrificium, offerre deo. Apostoli enim & uiri apostolici iudicantur ab hoc mundo hostes esse dei, religionis, cultus dei, perturbatores pacis publicæ, osores disciplinæ, impij, perditi, blasphemi & sacrilegi homines, quibus saluis nequeat incolumis esse dei cultus, maiestas, religio, & respublica. His itaq; sublatis è medio arbitratur pulchre uindicatam dei gloriam, & cõsultum esse reipublicæ. Sic inquam putat mũdus se deo gratissimã offerre uictimam, quoties cædit, iugulat & concremat apostolicæ fidei confessorem. Interim indicatur et calamitatis grauitas sanctis incumbens. Non enim occiduntur tanquã asserores pietatis, sed ueluti impij hostes dei, religionis pestes, & omnis pacis cõturbatores, propter quos exoriantur bella & seditiones, lues & fames sæuiant, imbresq; & pluuias serena longa suspendant. Hæc em̃ & huius generis alia multa Christianis doctoribus maxime impegisse gentiles author est S. Cyprianus Tractatu illo suo contra Demetrianũ ædito. Nec est quod è longinquo petamus exempla, cum hodie multis persuasum sit, nunquã uel ecclesiæ uel reipublicæ consuli posse, nisi una uictima ad unum omnes iugulemur & offeramur deo per ferrum & ignem, quotquot pontificiam superstitionem oppugnamus, defendimus religionẽ & pietatem euangelicam. Ergóne excusati sunt, quia impietati suæ prætexunt pietatis imaginem? Nequaquam. Sequitur enim caussa quæ ipsos ad persequendum impellit, & quæ consolatur sanctos, Et hæc facient uobis quia non nouerunt patrem neq; me. De ea caussa dixi iam nũc in fine cap. 15. Non cõmittent ista in uos quod fures sitis, maledici, raptores, latrones aut malefici, sed quia euangelij mysterium intelligere nolunt. Neq; nos hodie sustinere persequutionem cogeremur propter Missam abolitam, neglectam diuorum inuocationem, propter proscriptum monachismum, & deiecta simulachra, si intelligerent nostri persequutores euangelij negotium. Postremo concludens hunc locum de cruce & patientia sanctorum, repetit in quem finem hæc tam diligenter inculcet, Sed hæc loquutus sum uobis, &c. Ea exponens Paraphrastes, Expediebat, inquit, de his præmonere uos, ut cum inciderint uobis hæc mala, fortiter & infractis animis perferatis, dum uobis ueniet in mentem quod hæc omnia prædixerim euentura, quod exemplo mei, quod ab impijs, quod ab ignorantibus ueritatem, quod mea patrisq; mei caussa patiamini. Nec uos moueat hominum de uobis iudicium, contentos recti conscientia. Quin potius iuxta doctrinam meam, beatos uos ipsos iudicate, cum persequuti fuerint uos homines, cum omne malum dixerint aduersus uos, mentientes propter nomẽ meum. Eijcient uos è synagogis, sed ego recipiam uos in ecclesiam meam, & inscribentur nomina uestra in cœlis.

Hæc autem ab initio uobis non dixi, quia uobiscum eram. Nunc autem uado ad eum qui misit me: & nemo ex uobis interrogat me quo uadam: sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero,

abiero, consolator ille non ueniet ad uos: sin autem abiero, mittam eum ad uos.

Transit à cruce & patientia sanctorum ad alium cõsolationis locum, repetens quod in hac eadem oratione, in 14. uidelicet cap. tractauit, corporeã suam præsentiam, quam tamen apostoli retinere admodum cupide desiderabãt, ideoq; iam uehementer dolebant quod audirẽt ea se destituendos, nihil planè in hoc sæculo post mortem profuturam, ꝓfuturam autem plurimũ si auferatur & reddatur cœlo. Sic enim spiritũ sanctum generi mortaliũ intercessione filij & impetrandũ & mittendum, qui fideles absoluat. Ita uero delabitur etiã ad explicandos sancti spiritus effectus atq; uirtutes, quibus omniũ efficacissime consolatur dominus. Transitionis formula, qua utitur, huiusmodi est. Sciebam iam olim ista omnia euẽtura pijs quæ hucusq; exposui, sed tamen nolui hactenus tam acerbe, atrociter & diserte uobis explicare. Meminit quidẽ persequutionis dominus, cum primo ablegaret ad prædicandum apostolos, nunquã uero tam atrocia, & tam diserte ꝓposuit atq; nunc. Rationẽ addit, Quia hactenus illa nõ opus fuit præmonitione atroci. Nam corporaliter uobis præsens murũ me pro uobis opposui, omnes in me aduersitatũ procellas suscepi, aduersarijs respondi, uos docui atq; cõsolatus sum, uobis denicq; in omnibus sum patrocinatus. Nunc uero cum corpore illo meo, quo uobis præsens res uestras in uniuersum omnes administrauí, ad eum abeo qui me misit, & corporaliter à uobis subducor, oportuit uos palàm præmoneri quid sitis perpessuri, quo paulatim consuescatis (uerbis utor Paraphrastæ) corporalis præsentiæ solatio carere, positoq; affectu humano, sumatis firmius magisq; masculum animi robur, nec sitis similes pueris, qui semper pendent à sinu matrum, exanimati si quando contingat à conspectu parentum auelli. His miscet increpationem, Et nemo ex uobis interrogat me quò uadam. Interrogarat quidẽ Thomas in 14. cap. Domine, nescimus quò uadis. Sed & alij haud dubie quò iret satis diligenter perquirebant. Proinde, Interrogare hoc in loco, ut aliàs sæpe in scripturis, usurpatur pro perpendere, & exactius pensitare: quemadmodum & Germanis in usu est, dicentibus, Dem fragſt dꝛu nüt nach. Id tibi non est curæ: non expendis quid hinc tibi oboriatur uel utilitatis uel detrimenti. Talis itaq; est increpatio domini, Et cum mihi corpore omnino abeundum sit ad patrem, idq; uergat in maximam utilitatem uestram, uos tamen hoc minime agnoscitis, minime sicut decebat expenditis. Caussam non dissimulat, tristitiam, Sed quia hæc uobis dixi, abiturũ uidelicet me corpore in cœlos, & uos uarie in hoc sæculo afflictionibus & tentationibus exercendos, mœstitudo impleuit cor uestrum: id est mœrore plena sunt corda uestra. Est enim idiotismus Hebraicus, quo uehemens mœroris affectus prorsus opprimentis hominem significatur. Metus, inquit, & dolor, mœror, & grauis animorum perturbatio, non sinit uos mea recte percipere deq; meis sermonibus syncerius iudicare. Et certè affectus isti ubiubi uicerint, omne hominis iudicium & perturbant & auferunt. S. Augustinus hunc locum paulò diuersius exposuit. Eius uerba Tract. in Ioan. 94. sunt huiusmodi, Significat dominus Iesus sic se iturum ut nullus interrogaret, quod palàm fieri uisu corporis cernerent. Nã superius interrogauerunt eum discipuli quò esset iturus: Et responderat eis se iturum quò ipsi nunc uenire non possent. Nunc uero ita se promittit iturum, ut nullus eorum quò uadat interroget. Nubes enim suscepit eum, quando ascendit ab eis, & euntẽ in cœlum non uerbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt. Sed hic sensus non usqueadeo congruit & cohæret cum ijs quæ præcedunt & sequuntur.

Corporeã Christi in ecclesia præsentiam nil profuturam.

Iam ostendit, quod huius loci primum & consolationis potissimum est, corpoream suam præsentiam nihil planè in hoc sæculo post mortem profuturam, profuturam autē plurimum si auferatur & reddatur cœlo. Affirmatione ergo siue asseueratione graui confirmans hæsitantium trepidantiumq; corda, Vos, inquit, arbitramini, & pertinaciter etiam creditis corporalē illam meam præsentiā ualde multum profuturam uobis: sed ego ueritatē dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Ego inquam qui sapientia sum patris, qui omnia regni dei mysteria noui, qui sum in sinu patris, lux mundi, & ipsa infallibilis ueritas, nesciens fallere & mentiri, ego inquam ueritatem uobis dico (Ich sag üch den rechten grund/vnd wie die sach an jr selbs ist) nihil dissimulo: certa, fidelia & indubitata sunt quę uobis dico. Quid illud συμφέρει ὑμῖν, Das es üch vil das wäger ist, quod uobis longe prętstabilius est, ut hinc uidelicet abeam corporaliter, quàm maneam. Ac protinus fructum, caussam & rationem subijciens, dicit, Si enim nō abiero, consolator non ueniet. Sin autem abiero, mittā eum ad uos. Quis ille cōsolator sit, exposui in cap. 14. & sequetur paulò post clarissima expositio. Sed quare non mittitur spiritus sanctus ecclesiæ siue apostolis nisi auferatur prius corpus domini in cœlos? Aut quare mittitur spiritus in terras sublato domini corpore in cœlos? Principio spiritū non accipiūt qui carni duntaxat intenti, mentes ad cœlestia & spiritualia percipienda non erigunt atq; præparant. Deinde poscebat ita dispensationis negotiū. Ita decreuerat & ordinarat æternum illud de redimendo & restituendo homine dei consilium. Oportuit enim reconciliatorem dei & hominum, per quem omnia reparanda erant, ante omnia uere incarnari, in carne uera deinde mori, & pro expiatione peccatorū plenaria immolari in cruce: oportuit eundem ex mortuis excitari, & excitatum corpus leuari in cœlos, ac eo modo declarari & testificari orbi quod uita sit recuperata, quod cœlum apertū omni carni credenti, quod in cœlis regnet rex populi dei super omnem terram, quod intercessor & pontifex noster nunc apareat in cœlis coram patre, impetret omnia, & in spiritu ac per spiritum suum cōmunicet ecclesiæ omnia: qui non fuisset unquam nisi per hoc dispensationis mysterium collatus. Atq; huc iam pertinent illa scripturæ testimonia, Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Item, Ego ad patrem uado: & rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis ut maneat uobiscum in æternū, spiritum ueritatis, &c. Et iterum, Ascendit Christus in altum, captiuā duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Certissimum itaq; & ipsa ueritatis infallibili testificatione confirmatum est Corpus domini sublatum in cœlos, agere nunc in cœlis, & non præsens esse in terris. Præsens est Christus ecclesiæ, sed in eo & per illud, per quod potest esse uniuersæ ecclesiæ præsens, ubiq; & incircumscriptus totus & plenus in omnibus, & singulis. Sic autem diuina potentia, uirtute saluifica, & spiritu paracleto, docente omnia & prorsus absoluente homines, adest ecclesiæ suæ: corpus uero eius non est ubiq;, per omnes se singulasq; diffundens ecclesias, sed manens in dextera patris, radios suæ uirtutis instar solis diffundit in omnes, et agit ac uiuit totus in omnibus, per totum orbem, non ecclesijs modo, sed singulis etiam pectoribus pijs: ut nihilominus totus sit etiam in cœlo, oībus diuis, cœlitibusq; se exhibens plene & conspiciendum & fruendum. Sutelæ ergo & inuenta hominum sunt nouitatesq; uerborū, cum dicitur ipsum uerum domini corpus traditū pro nobis, in singulis prętsens esse ecclesijs corporaliter quidē, sed tamen inuisibiliter. Scriptura simpliciter dicit Christum dominum uero suo corpore abijsse ad patrem in cœlos, & non esse amplius in mundo, atq; eundem Christum manere in ecclesia præsentem. Relinquit autē fidelibus pro ingenio fidei exponendū, quomodo idem abierit, neq;

Quare non mittatur spiritus ecclesiæ, nisi sublato prius corpore.

rit, neq; amplius in mundo sit, & interim præsens maneat in ecclesia: id quod sanctis & scripturarum fideiq; peritis neq; ineffabile neq; difficile est. Vt enim hi unitatem personæ non scindunt, ita naturas non confundunt. Agnoscunt ergo, credunt & interpretantur totum Christum præsentem esse ecclesiæ, qui nihilominus iuxta naturam humanam in cœlis est, iuxta diuinam in cœlis simul & in terris. Nam corpus Christi etiam glorioſum & in cœlos receptum, sedens nunc ad dexteram patris in omni gloria, non est deificatum, id est amissa aut transmutata natura humana, prorsus deus factum. Nam in eadem carnis forma atque substantia (uerbis utor S. Augustini) qua in cœlum ascendit, de cœlo rursus in iudicium descendet: cui profecto immortalitatẽ dedit, naturam nõ abstulit. Clarificatio enim ueritatem corporis humani non euacuat, non reddit inuisibile, inpalpabile aut illocabile corpus. Id quod contra Origenistas & Valentinianos ueri corporis resurrectionem negantes, docte & euidenter euicerunt orthodoxi ecclesiarum scriptores. Sed & scriptura sancta ueritatem tribuit clarificatis corporibus, non eximens ea dimensionibus uerorum corporum. Habent suam symetriam, loca, & contactum, & si ab omni corruptione libera. Ideo enim angelus dixit, Surrexit, non est hîc, ecce locus ubi posuerunt eum. Quid quod ipse dominus Iesus rediuiuum & immortale corpus suum beato Thomæ non tantum uidendum, sed palpandum quoq; exhibuit. Visibilem sese & palpabilem præbuit discipulis Emaum proficiscentibus. Quod autem cognitum non agnouerunt, non erat ex corporis alteratione, aut ut sic dicam euacuatione aut annihilatione, sed ex eo quod oculi ipsorũ tenebantur, sicut ueritas euangelica manifeste testatur. Idem per fractionem panis ab ijsdem agnitus, eadem ratione ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν inconspicuus factus est eis: uel, subduxit se à conspectu eorum: uel, desijt illis esse conspicuus: non quod in auras uel fumum dissolueretur corpus, aut phantasmatis in morẽ, & ueluti Marcioniticum aut Origenicũ corpus euanesceret, suaq; ex substantia & natura inuisibile redderetur corpus domini, sed manebat idem ipsum corpus quod resurrexerat ex mortuis, oculi rursus illorum tenebantur ne is qui natura corporis sui uisibilis erat, cerneretur iam amplius ab ijs qui eum antea uiderant. Potest sanè quod uult dominus de corpore suo facere, interim tamen ueritatem naturæ eius nunquam euacuat. Potuit inambulare aquis ueluti solidæ terræ priusquam glorificaretur, sed ideo non est demutata natura: radiauit uultus eius in monte sicut sol, & splenduit reliquum corpus sicut lumen, sed non est demutata natura. In ueritate enim corporis domini etiam glorificati, retinentis uidelicet in se ueram humani generis naturam absq; corruptione, fundatur infigiturq; ancora fidei & spei nostræ. Credimus enim nos unà cum corporibus nostris ibi futuros ubi nunc Christus est. Credimus corpora nostra ad eum modum resuscitanda & clarificanda sicut Christi corpus resuscitatum est atq; clarificatum. Quia ita nos docuit, & ita nobis ex scripturis & ore ueritatis tradidit apostolus Paulus, fusissime quidem & apertissime in 1. ad Corinth. 15. cap. & succinctius quidem, at apertissime tamen ad Philipp. dicens, Conuersatio nostra in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrũ humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia. Philip. 3. Proinde cum ueritas in Christo & ipsa humani corporis natura, corruptione excepta, maneat, apparet uanum esse commẽtum quo fingitur Christi corpus corporaliter, & tamen inuisibiliter præsens esse ecclesiæ, diffundiq; per omnia, nec iam ullo contineri loco. Diuina potentia & uirtute saluifica manet & agit in ecclesia: corporaliter nõ manet in ecclesia, sed agit in cœlis. Quod Cœnã

Quomodo idẽ Christus ecclesiæ suæ adsit et absit.

Glorioſum corpus uerum corpus.

illam mysticam domini attinet, copiose satis exposui in 26. caput Matth. quomodo Christus præsens sit ecclesiæ cœnam legitime celebranti.

Nec ego primus hæc domini uerba, Expedit uobis ut ego uadam, &c. de corporali discessu & præsentia spiritus expono, quod uidelicet corpus Christi abeat in cœlos, corporaliter amplius non sit præsens in ecclesia, spiritu autem & uirtute maneat in ecclesia: interpretarunt ad eum modum & alij interpretes & orthodoxi, & ecclesiarum lumina, ex quibus duos mihi duntaxat delegi, quorũ uerba ad longum adscribam, quod ex ijs non mediocrem fructum percipere possit Lector prudens. Alter ex ijs uetustus est, & inter priscos non postremus S. Cyrillus: alter Paraphrastes ille est, nostri sæculi, inter eruditos, & extra contrauersias, in scripturis enarrandis longe felicissimus, D. Eras. Roterod. Ille lib. in Ioan. 10. cap. 39. aderat, inquit, dominus in hoc mũdo corporaliter tẽpore opportuno: & rursus quando, ut ille nouit, oportebat, ad patrẽ corpore redijt. Nec omnino negamus non expedijsse semper discipulis præsentiam Christi: nec quia præsentia sua utilis fuerat, recessus maximum cõmodum erat contemnendum. Vtrũq; enim in tempore suo utilissime adhibebatur. Omnia enim bona sunt in tempore suo. Sed age ad utilitatem legentiũ breuiter incarnationis unigeniti causſam, & recessus sui ad patrem grandẽ utilitatẽ perstringamus. Homo igitur factus est, ut ab interitu quẽ prisca maledictio intulerat, nos liberaret: & quoniã nulla diuinæ naturæ ad peccandum inclinatio est, omnes nos per ipsam carnẽ assumpsit: in ipso enim omnes sumus ea ratione qua homo est. Assumpsit igitur nos ut terrena hæc umbra, id est carnis passiones & peccati legẽ, quæ in mẽbra hominũ irruperat, extingueret, adde & naturam nostrã sanctificaret, & dux ad pietatẽ & optimæ disciplinæ uiuendi humano generi fieret: & hæc quidẽ homo factus effecit. Sed non solũ uoluit ab interitu & à peccato nos liberare, uerum etiã ad ipsos cœlos reducere, ac summi boni participes facere, in angelorũ consortio numeratos: & quemadmodũ per resurrectionem suam mortẽ destruxit, sic corã ipso patre collocaret. Ea recte intelligens Paulus, dicit, Nõ enim in sancta manufacta introiuit Christus, in exemplaria uerorũ, sed in ipsum cœlum, ut appareat uultui dei ꝓ nobis. Audis quia cum sit semper cum patre ꝓpter identitatẽ substantiæ, non pro seipso, sed ꝓ nobis patri apparet. Ita cum ipse sit primitiæ generis nostri, quando in cœlũ cum carne ascendit, corã patre, ut modo dixi, nos cõstituit. Et sicut quamuis secundũ naturã uita sit, mortuus tamen ꝓpter nos fuit. Ita etiãsi patrem semper uideat ipse, ab eoq; uideatur, nunc tamen, id est posteaquam homo factus est, apparuisse illi, non ꝓpter se, sed propter nos, ut homo dicitur. Quasi ergo deficere hoc dispensationi uidebatur, ut in ipsos etiam cœlos ascẽderemus in Christo primo, ut in primitijs. Præcursor enim ille ascendit, ut Paulus dicit, & sic in quantũ homo pontifex & intercedens ꝓ nobis, & paracletus & ꝓpitiatio pro peccatis nostris: in quantũ uero deus & dominus natura cum patre simul sedet, quæ tamẽ gloria etiã ad nos transit secundũ Paulũ, qui de patre scribit, quia & conresuscitauit, & cõsedere nos fecit in cœlestibus in Christo. Cum ergo omnia quæ in terris, ut ab homine faciunda fuerũt perfecerit, restabat ut iam ad patrẽ ascenderet. Iccirco ait, Expedit uobis ut ego uadam. Nam nisi abiero, paracletus non ueniet ad uos. Opus enim erat participes nos naturæ suæ fieri, & in nouã inauditamq; uitã transformari: quod aliter quàm participatione spiritus sancti fieri nõ poterat. Cõmodissima uero aduentus spiritus opportunitas post Christi ad cœlos reditũ fuit. Oportebat autẽ spiritũ uenire, ut illũ habẽtes libere clamemus Abba pater, & ad uirtutẽ redacti, tam aduersus diabolũ quàm aduersus perse quutiones hominũ fortes efficeremur. Quod autẽ præsentia spiritus ad nouam uitam om-

Mysterium incarnationis per Cyrillum expositum.

tam omnes in quibus habitat transformantur, nõ est difficile è scripturis ostendere. Dicit enim Samuel ad Saulẽ, Et insiliet in te spiritus domini, & conuerteris in alium uirũ. Et Paulus, Nos uero, inquit, oẽs reuelata facie gloriã domini speculantes, in eandẽ imaginẽ transformamur à claritate in claritatẽ, tanquã à domini spiritu. Vides quia ad aliã sicuti uult spiritus imaginẽ nos ut domini reformat, nempe qui facile à terrenis ad cœlestia nostros trãsponit animos. Quod in discipulis factũ fuisse inueniemus: per spiritum sanè ad eam fortitudinem ab humana ignauia reducti sunt, ut nec ulla pericula timerẽt, & Christo inseparabiliter inhærerent. Expediebat igitur uere discipulis, ut saluator dicit, in cœlos ipsum abire. Tẽpus enim iam aduentus spiritus erat.

Paraphrastes sic reddidit uerba siue sensum uerborũ domini, Expedit uobis ut interim subducar ab oculis uestris. Nisi enim submoto carnis cõspectu cœperitis esse spirituales, spiritus ille cõsolator, qui uos fortes reddet & inuictos, non ueniet ad uos. Siquidẽ illi uos præparaui, ille perficiet quod à nobis cœptum est in uobis. Denicp per illũ semper uobiscũ futurus sum, & præsentius absens adero, q̃ nunc adsum pręsens. Nõ enim in hoc ueni ut semper uobiscũ agam in terris, sed ideo me deieci ad uestram infirmitatẽ, ut uos eueherẽ in cœlũ. Sic uisum est consilio paterno, dispensatis temporũ uicibus, paulatim uos & gradibus quibusdam ad ea quæ perfecta sunt, pmouere. Aequum est autẽ ut animos quocp uestros ad paternã dispensationẽ accõmodetis. Omnia uobis contingent nostro beneficio, sed uestrũ est adniti ut nostri beneficij sitis capaces. Etenim si ppetuò mãseritis in hoc affectu, in quo nunc estis, cõsolator ille cœlestis non ueniet ad uos, nimirũ nondum capaces sui muneris. Quod si abiero uoscp neglecta corporali præsentia præparaueritis animos uestros sublimioribus dotibus, quas spiritus ille uobis deferet, tamen ueniet ille consolator à me missus ex patre, nunquã uos relicturus, nec unquam uos destituturus, nec in uita, nec in morte: nec erit ineffícax ille spiritus, sed cũ uenerit plus efficiet per uos, quàm ego nunc præsto: non quod non sit eadem potentia, sed quod sic expediet hominum saluti, negotij partes in tempora partiri.

Et cum uenerit ille, arguet mũdum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia uero, quia ad patrem uado, & posthac non uidetis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Vires & officia spiritus sancti.

Descendit modo ad enumerandas uires effectus atcp officia quędã sancti spiritus, in quibus magna est piorum consolatio. Principio cum uenerit in uos missus ille patris ac meus spiritus, arguet mundũ, & arguet quidẽ de peccato, iustitia & iudicio. Deinde singula illa capita repetens, modum & rationẽ indicat quomodo arguat, & de quibus arguat. Hæc quidem cœpit per apostolos, & agit idipsum hodie in uniuersa ecclesia per ministerium sanctorũ. Operans enim in cordibus auditorum ora prædicatorum instruit, colligiturcp regnum in orbe terrarum Christi, nõ carnale, sed spirituale, quod uidelicet Christi spiritu coalescit, cohæret, regitur & conseruatur. In his certe tribus capitibus comprehenditur uniuersa pietatis doctrina, & tota ratio nostræ salutis. Intelligemus ex ijs quomodo regnet in ecclesia Christus per spiritum suum sanctum. Difficilis sanè est hic euangelij locus, sed si intellexerimus quomodo usurparit dominus arguendi uocabulum, non postremam huius loci difficultatem superauimus. Dominus καὶ ἐλθὼν, inquit, ἐκεῖνος, ἐλέγξει τὸν κόσμον, Et cum uenerit ille, arguet, protrahet atcp conuincet mundum. ἐλεγχεῖν enim significat ostendere, adeocp & quod ostenderis probare, imò & con-

Spiritus sanctus arguit mundum.

uincere. Ita Arguere Latinis est ostendere, & cum ratione ac argumẽtis reprehendere: uelut in foro fit ab actore contra reum, quem ille in lucẽ protrahit, reũ agit, intentatiq; criminis aut negotij conuincit. Quod simul atq; factum est, cõpellitur protinus iudicum sententia urgente reus uel ad palinodiam, uel ad restitutionem atq; emendationem. Ad eum ergo modum arguit & spiritus sanctus mundum, id est delitescentẽ in tenebris ad lucem protrahit, protractum redarguit, peccatorum & iniustitiæ conuincit, mox autem & ad iustitiam & ad iudiciũ impellit. Idq; efficit partim per prædicationẽ euangelij, quam toti mũdo per apostolos uiros q; apostolicos siue uerbi dei ministros reuelat atq; annunciat: partim per occultam illam suam operationem, qua corda cõmouet, animos excitat, intellectũ instruit, uoluntatem præparat, ac facultates perficiendi submini strat. Videamus porrò sigillatim de quibus arguat mundum, & quomodo arguat. Principio, Arguet, inquit, mundum de peccato, quia non credunt in me. Primũ ergo locũ tenet peccatũ, & peccatum quidem incredulitatis. Caput autem posuit haud dubie pro membris, genus pro omnibus speciebus. Equidẽ fluunt ex incredulitate omnia peccata. Qui enim non credit in filium dei, is nec patrem habet, ac spiritu dei caret. Vbi uero nullus dei spiritus est, ibi nulla lux est, nulla puritas, nulla salus: omnia enim tenebris errorum & superstitionis adeoq; impietatis squalent, omnia peccatis, sceleribus, flagitijsq; polluta & fœdata sordent ac fœtent, desperatione deniq;, ira dei horribiliq; iudicíorum dei & condemnationis sensu plena sunt omnia. Spiritus sanctus itaq; arguet mundum de peccato, id est, clarissime per euangelij prædicationem demonstrabit & euincet, totum mundum & omnes homines peccato obnoxios suis uiribus saluari non posse. Idem occulte corda hominũ accusans atq; redarguens euincet oẽs nos filios esse iræ, ignaros dei, timore dei uacuos, omni malitia deniq; plenos. Quia enim fides dei donũ est, nemo mortaliũ fidem beneficio habet naturæ. Atqui fide purgantur corda, fide operamur iustitiã, fide iustificamur. Natura itaq; nostra impuri sumus & iniusti: id quod spiritus dei euincit. Nam citra spiritus sancti demonstrationem nemo se talem esse credit qualis reuera est. Et hic quidem nõ est infimus sancti spiritus effectus. Apodixim huius capitis elegantissimam & euidentissimam habes in 1.2. & 3. capite epistolæ Pauli ad Roma. In his enim spiritus sanctus arguit mundum de peccato per os Pauli ministri sui, initium reprehensionis suæ ducẽs ab hac eadem incredulitate, de qua in præsenti dominus agit. Nam, Palàm fit, inquit, ira dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui ueritatem in iustitia detinent: propterea quod id quod de deo cognosci potest manifestum est ipsis. Et cætera. Discit ex hoc euangelij loco sancta Christi ecclesia, recte secum agi cum peccatum arguitur in ipsa: maximo autem & utilissimo carere spiritus dono, cum nemo arguit scelera & sceleratos. Discunt ecclesiarum ministri, quid faciant si uerã Christo ecclesiam colligere uolunt, ne uidelicet euehant uires corruptæ per peccatum naturæ humanæ, sed euincant potius nihil in homine esse nisi corruptionem, peccatum & cõdẽnationem: accusent grauiter & strenue scelera & flagitiosos, ne metuant aut palpẽt sibi ac suæ fidei commissis. Assentatione subuertuntur ecclesiæ: seruantur cõstantia, prudentia & parrhesia.

De quibus & quomodo arguat spiritus.

De peccato incredulitatis.

Arguit de iustitia.

Secundo loco enumerat dominus Iustitiam, dicens, De iustitia uero, quia ad patrem uado: & posthac non uidetis me. Qui seipsum agnouit per spiritus sancti reuelationem, quod totus sit ueluti consutus ex peccatis, nihil habens æqui, iusti, boni, quo nomine merito sibi irascatur dominus, cogitans de uindicta, per eiusdẽ spiritus sancti beneficium incipit iam cõsultare de iustitia, id est, quomodo reconcilietur coniungatur ue deo, siue quomodo iustificetur & absoluatur à peccatis:

item

item quomodo uere, iuste, & legitime deũ colat, deoq; seruiat iustificatus. Iustitiæ enim uocabulum usurpat hoc loco dominus nec philosophice, nec iuridice, sed theologice, & more scripturæ, cui Iustitia est reconciliatio cum deo, liberatio à condemnatione, remissio item, purificatio & absolutio peccatorum, uera pietas, religio iusta, & legitimus dei cultus. De his cũ cogitat seriò peccator, sentiens iam impendens sibi dei iudiciũ propter peccata sua, adest spiritus sanctus qui arguit mundum de iustitia, ac duo quidẽ hoc loco ostendit & euincit, Alterum quod Christus ierit ad patrem, Alterum quod posthac non uidemus ipsum. Principio arguet, demonstrabit & euincet spiritus per doctrinam apostolicã & in pectoribus auditorũ iustitiam non esse ullam in nobis, id est nostris uiribus non posse nos reconciliari deo, purgari à peccatis, absolui à iudicio & sanctificari. Nam si iustitia ex nobis esset, si nostris iustificaremur meritis et operibus, Christus frustra abisset ad patrem: id est frustra assumpsisset carnem, mortuus esset, ac tandem conscendisset cœlos. Totum enim incarnationis & redemptionis mysteriũ designauit per abitum illũ suum ad patrem, non hic modo, sed alijs quoq; in locis huius euangelij. Nunc aũt abijt ad patrem, incarnatus & mortuus est, ut nos morte sua uiuificaret, ascẽdit in cœlum ut nostram carnem illuc secũ subueheret: absolutio ergo, purificatio, iustificatio & salus nostra est ex merito Christi, adeoq; Christus est nostra iustitia, redemptio & uita. Id quod S. apostolus Paulus docte & diserte ex spiritu dei sancto tradidit, & copiose prosequutus est in Epist. ad Rom. cap. 3. 4. 5. ad Galat. 2. & 3. Ephes. 1. & 2. Colos. 1. & 2. Deinde ostendet atq; cõuincet spiritus sanctus iustificatorum, id est sanctorum dei legitimum cultum non uersari in rebus externis, ueluti in discrimine uestium & ciborum, in sacrificiorum generibus, & id genus alijs ritibus & culturis. Id uero per hoc demonstrabit quod Christum (ἔτι) posthac, id est porrò & amplius ad iudicij usq; diem in hoc mundo non uidemus, nimirũ corporaliter. Quod si cultus dei uerus corporalibus perficeretur rebus, corpus suũ secum non sustulisset in cœlos, nec ita totum cultus statum direxisset in spiritum, donans fidelibus suum spiritum. Atqui subduxit carnem Christus, submisit spiritum. Spiritu ergo se coli uult dominus, nimirũ fide, charitate, puritate, syncerítate, obedientia, uirtutibus & innocentia. Docuit hæc plenius apostolus in suis epistolis, maxime ad Rom. 12. cap. Hæc est solida & certa doctrina ecclesiæ de uera iustitia Christianorum, qui reconciliantur deo, ac iustificantur gratis per abitum Christi ad patrẽ, iustificati uero deum colunt spiritu & ueritate.

Iustificamur per Christum non ex nobis.

Verus dei cultus.

Postremo loco sequitur Iudicium, de quo dominus dicit, De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Princeps mundi quis sit, ostendi 12. cap. ubi & de Iudicio quædam annotaui. Iudicium fieri uolet spiritus in ecclesia, Daß recht zůgang, ut omnia fiant secundum regulam uerbi dei, & iuxta exemplum capitis archetypi & regis Christi, ne uiuamus secundum legem carnis nostræ & conformemus nos ad exemplum filiorum huius sæculi. Hoc mundo sic demonstrabit. Christus dei filius, qui purificauit nos à peccatis & hæredes fecit uitæ æternæ, contriuit caput serpentis, eiecitq; ex ecclesia sua sathanam, id est diabolum spoliauit regno suo. Vnde facile quiuis colligere potest, sibi porrò militandum esse sub signis Christi redemptoris, non in castris sathanæ, è quibus nos transtulit in regnum suum, ut ipsi seruiamus in sanctitate & iustitia omnibus diebus uitæ nostræ. Atque huc pertinent omnes apostolorum Paræneses, quibus ad studia uirtutum & mortificationem carnis sollicitant ecclesiã. Porrò si hæc omnia colligas in cõpendiũ, talis erit uerborũ domini sensus. Posteaquã abiero in cœlos,

Arguit de iudicio.

Sensus huius loci atq; contexus indicatur.

non deserã uos in terris, quamuis corpore illo meo carituri sitis. Mittam enim uobis spiritũ sanctũ qui unus omnia uobis erit, quippe in quo habituri estis omnia. Nam admirabiles & innumeri sunt eius effectus, ut nihil his prorsus sit defuturũ quibus donatus est sanctus spiritus. Hic præcipue doctrinã meam, quã uobis per orbem terræ prædicandã cõmendabo, & quæ in præsentia, partim ob imbecillitatem, partim ob metum & ignauiam excidit, uobis reducet in memoriã, rectiusq; formans, plenius absoluet, ac indicabit uobis quale sit futurũ regnum meum, qualis item esse debeat per uniuersum terræ orbẽ prædicatio uestra de me & salute generis humani. Quod si summa rerum capita uobis recenseri cupitis, hæc sunt. Spiritus sanctus per uestram prædicationẽ foris ac intus in hominum pectoribus docebit, adeoq; conuincet totum mundũ, quod omnes homines sint peccatores: iusti ficentur autem gratis per redemptionẽ & iustitiã Christi: qui uerum cultũ, sublata carne trãstulerit in spiritũ. Vnde & hortabitur iustificatos seu ueros dei cultores, ut uita pristina abnegata ac posita, sathanæ, quem ille deuicit, nõ seruiant, sed per reliquũ uitæ tempus ambulent in nouitate sensus & uitæ.

Christus ascendens regnare cœpit, nemini regnum resignauit.

In his, opinor, cernis comprehendi summam totius doctrinæ Christianæ, & Christum dominum tum demum uere regnare cœpisse, cum è terris sublatus in cœlos, consedit ad dexteram patris, & spiritum suum sanctũ effudit in apostolos, qui exeuntes in orbẽ terræ, omnes ipsi gentes per doctrinã ueritatis, & spiritu operante non tam in concionatorum ore quàm auditorum corde, subdiderunt. Ecclesia ergo sanctorum est regnum Christi regis nostri, qui in cœlis residens regnat super omnes gentes. Neq; enim apostolis aut ullis hominibus regnũ suum tradidit gubernandum cum ex hoc sæculo recessit: sicut nugantur impij quidam gygantes, qui Christum regno deturbare, se pro regibus & principibus ecclesiæ substituere conantur: imò tum demũ uere & maxime regnare incœpit, cum in gloriam patris ingressus, spiritũ demisit in ecclesiã, per quem & in quo maneret nobiscum usq; ad consummationem sæculi. Per hunc enim est & manet perpetuò in ecclesia sanctorum, quæ regnum Christi est: per spiritum docet, trahit, uiuificat, cõseruat, ad omne opus bonum dirigit, in omni bono confirmat, in uerbo & legitimis suis ritibus deducit, denicq; ministros ecclesiæ ædificantes inquam instituit, format & regit. Apostoli enim & uiri apostolici ecclesiæ huius, quæ regnum Christi est, architecti & ministri sunt, non domini. Colligunt uerbo ueritatis ecclesiã, hanc retinent, & augent eandẽ ueritatis doctrina, quæ de peccato de iustitia & iudicio disserit: eandem sacramentis cõsignant, obstringunt, exercent, & fulciunt. Inter hæc uero Christus rex, deus uerus & homo uerus, omnia est omnibus.

Ad hæc multa habeo quæ uobis dicam, sed nõ potestis portare nunc. Cum autem uenerit ille qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audierit loquetur, & quæ futura sunt annunciabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt: propterea dixi uobis, quod de meo accipiet & annunciabit uobis.

Nõ omnia quouis tempore & quibuslibet tradenda.

Abrumpit dominus grauem de peccato, iustitia & iudicio dissertationẽ, multa adhuc expositione egentem, & indicat causam quare potissima illa religionis nostræ capita nõ tractarit copiosius diligẽtiusq; ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν. Adhuc multa haberẽ uobis dicẽda: uel, Possem uobis adhuc plurima dicere, nimirũ de peccato, iustitia,

iuſtitia, et iudicio: uerũ ſunt cauſſæ quæ id non admittũt. Neq; enim ea modo poteſtis portare, & alio tempore per ſpiritũ meũ cõmodius reuelabuntur. Nõ poteſtis portare modo, inquit, metaphora ducta ab ijs, quibus ꝓpter humerorũ & uiriũ imbecillitatẽ grauiores ſarcinæ non imponuntur baiulandæ. Fit aũt à corpore ad animum tranſitus. Animi enim diſcipulorũ perturbatiores obſtrictioresq; erant affectibus, quàm qui tantis idonei eſſent myſterijs rite percipiendis. Cõmode ergo in aliud tempus differtur plenior inſtitutio ac enarratio. Diſcant hinc miniſtri eccleſiarum pro modulo cuiuſuis ingenij doctrinam pietatis attemperare, ne mole rerum adobruantur ſimpliciores. Senſim enim & cum tempore percipiuntur maxima dei myſteria. Rurſus exponens quando iſta ſint plenius & perfectius ediſſerenda apoſtolis, ſubijcit, Cum autem uenerit à me miſſus ueritatis ſpiritus, is non modo illa copioſius & diligentius explicabit, ſed ducet uos in omnem ueritatem. Recte uero dixit, Ducet. Nos enim per uires naturæ noſtræ ut cæci ita elumbes quoq; & uacillantes ſumus. Niſi ergo ſpiritus uiam oſtendat, & in oſtenſa uia etiã deducat, greſſus noſtros confirmans & roborans, nunquã in uiam ueritatis perueniemus, neq; quicquã uirium ambulandi in uia ueritatis habebimus. Cæterum Omnem ueritatẽ diſerte exprimens, nihil ueritatis relinquit, quod ignorarint apoſtoli. Proinde abſolutiſſima ueritas & perfectiſſima ueræ ſapientiæ & beatitudinis doctrina, & apoſtolis intellecta perceptaq;, & fideliter eccleſiæ eſt tradita, ut nihil prorſus cœleſtis & abſolutæ ueritatis deſit eccleſiæ Chriſti. Poſt hæc iterum diſſerit de ſpiritu ſancto, oſtendens doctrinam eius nihil uariare aut diſcrepare à doctrina domini, eandem enim eſſe utrãq;, cum utercq; eiuſdem ſit eſſentiæ atq; naturæ diuinæ. Non, inquit, loquetur à ſemetipſo, nimirum nihil loquetur alieni à me aut noui: ſicut ſolent qui non ea loquuntur in legationibus quæ cõmiſſa ſunt, ſed quæ ipſis uidentur. Per alluſionem enim & ſuffigurationem ad res humanas ita loquitur dominus. Sequitur enim, Sed quæcũq; audierit loquetur. Sic inquam non loquetur à ſemetipſo, quia patris mei atq; mea uobis conſilia, myſteria atq; uerba, quæ ipſius quoq; ſunt, reuelabit. Non audit & diſcit ſpiritus ſanctus à patre & filio, quemadmodum nos diſcimus à magiſtris: nulla enim in trinitate inæqualitas: ſed iſta ſic dicuntur ad morem planè humanum: ſenſus tamen eſt, eandem non diuerſam eſſe ſpiritus ac filij dei doctrinam. Præterea recenſet adhuc plenius quid docturus ſit eos ſpiritus, unde iterum inclareſcat ſpiritus ſancti diuinitas, Futura annunciabit uobis: quod reuera diuinæ eſt ſapientiæ. Teſtantur autem Acta & Epiſtolæ apoſtolorum quod futura prȩſciuerint, non ad explendam curioſitatem, ſed ad utilitatem magnam eccleſiarum. Nam & prudentius rectiusq; res ſuas gerere, & tempeſtiue eccleſiam admonere, contraq; futuras calamitates inſtruere potuerunt. Prædixerunt autem ſcriptisq; commendarunt quæ hoc poſtremo noſtro ſæculo uexant & exercent eccleſiam. Petrus quidem in poſteriore epiſtola, Iudas per integram, Paulus uero 2. Theſſ. 2. 2. Timoth. 4. cap. &c. Atq; hic locus multũ habet bonæ conſolationis. Sequitur, Ille me clarificabit. Cuius ſententiæ duplicem expoſitionem affert Sanctus Auguſtinus Tractatu 100. Poteſt hoc intelligi quia diffundendo in cordibus credentium charitatẽ, ſpiritualesq; faciendo declarauit eis quomodo filius patri eſſet æqualis, quem ſecundũ carnem prius tantummodo nouerant, & hominẽ ſicut homines cogitabãt. Vel certe quia per ipſam charitatẽ fiducia repleti, & timore depulſo annunciauerunt hominibus Chriſtũ, ac ſic fama eius diffuſa eſt in toto orbe terrarum: ut ſic dixerit ille me clarificabit: tanquam diceret, Ille uobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentius prædicantes, gloriæ meæ per totum mũdum dabitis odorem, cõmendabitis honorem,

Spiritus ducet in omnem ueritatem.

Spiritus ſanctus eiuſdem naturæ cum patre & filio.

Quod enim facturi fuerãt in ſpiritu ſancto, hoc eundem ſpiritũ dixit eſſe facturũ: quale etiam illud eſt, Nõ uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri loquetur in uobis, &c. Cæterũ eo modo clarificare filiũ in toto orbe, nõ eſt creaturæ ſed creatoris. Solus enim deus ubiq; per orbem in omnibus fidelium cordibus agit & habitat, fidem & charitatem confert. Vnde etiam adiungit, Quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Vide quid ſit, Ille me glorificabit. Nunc enim dicit, Annuncia bit, annunciando itaq;, illuſtrando, docendo, teſtificando in cordibus fidelium cla rificabit. Quid autem eſt, Quia de meo accipiet? Nimirum cauſſam reddit quare tantum tribuat ſpiritui ſancto, Quia meæ eſt ſubſtantiæ atq; naturæ, diuinæ nimirum. Iterum enim humano more loquitur de diuinis, ut illa hæc per omnia nec aſſequantur, nec exprimant, exhibeant duntaxat guſtum aliquem. Et cum, inquit, meæ ſit ſubſtantiæ atq; naturæ ſpiritus, annunciabit uobis omnẽ meam gloriam atq; naturam, quam naturæ eiuſdem particeps nouit exquiſitiſſime. Imò ſeip ſum exponens, quomodo hoc dixerit, De meo accipiet & annunciabit uobis, Om nia, ait, quæcũq; habet pater, mea ſunt, propterea dixi uobis, &c. Sum, inquit, ſubſtantiæ paternæ character, omnia cum ipſo habens cõmunia, habeo itaq; & ſpiritum cum ipſo cõmunem: ut ſpiritus patris meus ſit, & meus ſpiritus patris ſit: ideo dixi Spiritum de meo me in uobis glorificaturũ. Cyrillus omnia iſta copioſius & ſignificantius enarrans lib. Comment. in Ioan. 11. cap. 2. dicit, Habet deus pater ex ſeſe & in ſeſe proprium ſpiritũ, quo in ſanctis habitat, per quem myſteria reuelare ſolet: non ut per miniſtrũ (nihil enim tale recordari oportet) ſed ut per eum qui in ſe ſubſtantialiter ſit, & ex ſe inſeparabiliter procedat: ac ideo ut propria interpretatur ea, quæ ſunt eius in quo eſt. Non enim creaturis pater aliter inhabitat quàm per filium in ſpiritu. Sed hic ſpiritus unigeniti etiam proprius eſt. Conſubſtantialis enim patri filius eſt. Quoniã ergo, inquit, deus pater in ſpiritu proprio ſanctis reuelatur, & per eum quæcunq; uult operatur, & hic ipſe ſpiritus mihi etiam naturaliter ineſt, hac de cauſſa dixi, quia de meo accipiet. Addit mox idem ille, Nullus uero turbetur accipiendi uerbo: ſed recordetur nos quidem ut homines ea de deo loqui, quæ non ut uerba ſonant, ſed ſublimius intelligenda ſunt. Accipere nanq; dicimus ſpiritum ex patre & filio quæ illorũ ſunt, non quia non habuerit aliquando & tunc ſolũ habuerit quando accepit (ſemper enim ſapiens & omnipotens ſpiritus eſt: imò uero reipſa ſapientia & uirtus, non participatione, ſed natura) ſed quemadmodum aromatum odor ex ipſis in olfactum prodit uirtutem illorum naturaliter ac ſemper habens: tale quid imò uero etiã ſuper hoc, de deo & de ſpiritu ſancto intelliges. Quaſi enim odor ſubſtantiæ dei eſt uiuens atq; actiuus, à deo ad creaturas, quæ dei ſunt tranſportans ac participationẽ eius immittẽs. Nam ſi aromatum odor ꝓpriam uirtutẽ eorum ueſtibus relinquit & tranſmittit quodam ad ſeipſum modo ea in quibus inhæſit, quomodo ſpiritus ſanctus qui ex deo naturaliter eſt, participes diuinæ naturæ eos non efficiet in quibus inhabitabit? Fructus ergo & character hypoſtaſeos patris, filius cum ſit, diuina quæ illius ſunt ſecundum naturã attrahit. Ideo ait, Quæcunq; habet pater, mea ſunt, propterea dixi quia de meo accipiet, & annũciabit uobis: ſpiritus uidelicet ſanctus, qui per eum & in eo eſt, per quẽ in ſanctis ut & pater habitat. Non enim aliud præter eum ſpiritus eius eſt: licet in propria perſona ſubſiſtat: ſpiritus enim ſanctus, & non filius eſt.

An omnia tradita apoſtolis, & hi tradiderint eccleſiæ omnia.

Abutuntur præſenti euangelij loco Pontificij Sophiſtæ, hinc fulcientes oĩa illa ſua cõmenta, quæ uel extra uel contra ſcripturarum canonẽ, eccleſiæ tradiderũt obſeruanda. Non, inquiunt, omnia tradita ſunt ab apoſtolis, quia nec omnia his quoq; reuelata ſunt. Multa enim reſeruata ſunt patrũ in conſilijs determinationi.

Vnde

Vnde scriptũ est, Adhuc multa habeo uobis dicere, sed nunc non potestis portare, &c. Atq; hic iam numerãt Missarum celebrationem, Idolorũ cultum, Cœlibatum clericorum, Vota monachorum, & quæ huius generis alia sunt. Quamuis autem stropham hanc elumbem dissoluerim in lib. de authoritate scripturæ cap. 14. paucula tamen hæc repetens annoto. Dixit dominus plura se potuisse differere, nõ de ijs capitibus quæ isti numerãt, sed de peccato, iustitia atq; iudicio: eam dissertationem, quia nec breuitas temporis, nec auditorũ perturbatio admittat, dilaturum in tempus aliud atq; cõmodius. Rursus ne isti tempora cõsiliorũ suorũ (non enim de omnibus loquimur in uniuersum Synodis, scientes in multis multa ex spiritu dei secundũ scripturas prodita) substituerent, de quo ipse loquutus sit tempore subijciens dicit, Cum autẽ uenerit spiritus ueritatis, ducet uos in omnẽ ueritatẽ. Venit autẽ in apostolos ipso sancto pentecostes die, sicut testatur Lucas in Actis cap. 2. duxit ergo in omnẽ ueritatẽ. Cur ergo dicunt isti contra hunc apertissimũ locum apostolis non oĩa esse reuelata? An non in manifesto errore deprehensi sunt? Imò impium est tanta audacia asseuerare quod manifeste pugnat cum ueritate euangelij. An dicent, apostolos quidem omnia nouisse, non omnia tradidisse ecclesiæ? Atqui ita quoq; infidelitatis accusabunt apostolos ac parum grati fidelissimis doctoribus, impietatis quoq; crimen incurrent. Verum de scriptis, inquiunt, loquimur, scriptis inquam non tradidisse apostolos omnia. Hoc ipsum ex uobis ipsis, sicuti & superiora, confingitis. Omnia enim quæ ad plenam Christi cognitionẽ, & ad ueram pietatẽ pertinere uidentur apostoli scriptis suis plenissime tradiderũt. Id quod ex scriptis ipsorum ostendi potest. An non omnia quæcunq; de peccato, iustitia & iudicio sciri debent à sanctis plenissime exposuit apostolus Paulus in epist. ad Rom. ut de alijs nihil dicam. An non omnia Christi dicta & facta plenissime descripserũt euangelistæ, quantum uidelicet ad pietatem & salutẽ hominum pertinet? An non de sacerdotio & sacrificio totoq; redemptionis mysterio absolutissime disputauit S. Paulus ad Hebræos? An non plenissimam de Sacramentis expositionem accepimus etiam scripto traditam ab apostolis? An non omnes fidei Christianæ articuli absolutissime traduntur & confirmantur apostolicis literis? Lucas euangelista apostolorum Acta per 28. annorum curriculum descripsit exactissime, nec ullibi istorum meminit capitum, quæ isti ad ecclesiæ integritatem pertinere contendũt. Atqui fuit ea, quam ipse descripsit, ecclesia, omnium haud dubie absolutissima. Huc accedit quod dominus in præsenti dicit, Non loquetur à seipso, sed quæcũq; audierit loquetur. Isti uero qui celebrationem Missarum mercenariam & quæstuosam, immundum item cœlibatum, cultum idolorum, & uota monachorum obtruserunt ecclesiæ, ex seipsis loquuti sunt, & ea sunt loquuti quæ pugnant cum ijs quæ spiritus reuelauit per prophetas ac apostolos: ergo non constituerunt decreta illa sua ex ingenio sancti spiritus. Hic, ait dominus, quæ futura sunt annũcia bit uobis, nimirum futuros in postremis temporibus qui prohibeant matrimoniũ, & leges statuant de discrimine ciborũ: qui uerbum ueritatis relinquant & conuertantur ad inanes hominum fabulas: qui clam inducent sectas pernicioſas, etiã dominum qui ipsos mercatus est abnegantes. Præterea addit dominus, Spiritus me glorificabit. Isti uero non dominũ Iesum suis istis decretis glorificant, sed seipsos, suis rebus cõsulentes. Ac mirũ est istos audere futilia illa capita proferre, & pro ijs uenditare, quæ dominus discipulis in cœna illa reuelare noluerit, determinationi autem spiritus reseruarit, cum S. Augustinus putet omnino temerarium esse definire quænam illa sint quæ tunc noluerit apostolis credere. Consulat ipsum qui cupit Tractatu in Ioannem 96. Idem in sequente dicit hæreticos figmenta insaniæ suæ

hoc ueluti prætextu ornasse, quasi ea quæ ipsi extra & contra scripturas proferebant, hęc ipsa fuerint quę in præsenti noluerit credere discipulis dominus. Verum de his hæc hactenus.

Pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum & uidebitis me, quia ego uado ad patrem. Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se, Quid est hoc quod dicit nobis Pusillum & non uidetis me, & rursus pusillum & uidebitis me, & quia uado ad patrem. Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit Pusillum? Nescimus quid loquatur.

Inculcat mortẽ et resurrectionem suam.

Cœperat paulò ante differere de discessu suo ex hoc sæculo, hoc est de sua morte, resurrectione & ascensione ad cœlos: uerũ abrupit cursum orationis sermo interpositus de effectu sancti spiritus, quo absoluto redit iam ac denuo, quo altius infigat, mortem & resurrectionẽ suam inculcans, Pusillũ, inquit, & nõ uidetis me, & iterum pusillum & uidebitis me. Id est, breui tempore mea corporali præsentia carituri estis. Nunc enim capiet me manus hostilis, suffiget in crucem, occidet: sepelient me uiri boni, sed tertia die resurgam. Hæc autem uelauit noua quadã uerborum obscuritate, nimirum ut nouitate orationis rem maximam diligenter inculcans commendaret. Isti uero affectibus perturbati mysterium orationis non intelligunt, & uarie inter se ęnigma propositum uersant. Paraphrastes totum orationis contextum non infeliciter obseruans atq; enarrans miram singulis addit lucem & ait, Breue tempus est quod orbabimini conspectu meo, sed id longum nõ erit. Post exiguum enim temporis spacium rursus reddar oculis uestris, ut paulatim assuescatis carere corporis huius conspectu, qui nobis inutilis est. Nam ad patrẽ redeo, maiora uobis largiturus, ubi uobis conspicuus esse desiero. Tantus autem mœror occuparat id temporis discipulorum animos, ut toties iterata nec intelligerẽt, nec meminissent. Cum enim dominus Iesus indicaret his uerbis non admodum obscure, se per mortem & sepulturam abfuturum à conspectu suorũ: sed rursus post triduum eodem quidem corpore, sed iam immortali uidendum esse suis: ut aliquot dies confirmatis discipulorum animis sese reciperet in cœlũ, ut sublato conspectu corporis, quod illos non patiebatur esse spirituales, promererentur spiritum illum cœlestem, nec post expectarẽt corporalem domini præsentiam, nisi cum supremo die sese semel ostendet omnibus totius orbis nationibus, iudicaturus uiuos & mortuos: tamen quod dictum erat non intelligentes discipuli, mussitabant inter sese, Quid sibi uult hic sermo? Breue tempus est quod me non uidebitis, & rursum Breue tempus erit quod me uidebitis, quoniã uado ad patrem. Quomodo uidebimus qui se subducit ad patrem? aut quid sibi uult hoc breue tempus, quo sui uidendi copiam nobis adimet? rursum aliud breue, quo sui uidendi nobis copiam faciet? Obscurus est hic sermo, nec intelligimus quid loquatur.

Cognouit autem Iesus quod uellent ipsum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter uos quod dixi, Pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum & uidebitis me? Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus contra gaudebit: uos autem mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium.

Christus nouit omnia.

Iesus intelligẽs quod uellent percontari se, prȩuenit illorum interrogationem, ac ea re demonstrauit se nihil ignorare rerum mortalium, ac iccirco deum esse uerum, qui solus est omniscius. Præbuit item benignitatis specimen quod suauiter et familiariter admodum ignorantiam imò stupiditatem discipulorũ amice erudit.

Repetit

Repetit aũt ſignificanter ipſorum quæſtionẽ, ut luculenter intelligerent diſcipuli ipſum nihil eorũ ignorare quæ etiam clam inter ſe cõferrent. De hoc, inquit, eratis me interrogaturi, quod dixi uos meo cõſpectu breuiſſimo porrò tempore fruituros, & rurſus puſillũ interceſſurũ temporis ac denuo uos me uiſuros. Sic ergo me capite, Certiſſima & indubitata ſunt quæ uobis refero, & prorſus ita eueniet ſicut uobis refero. Iam nunc diſcedens auellar à uobis, capient autẽ ac uincient me Iudæi ac occident: uos uero fugientes diſpergemini, deſpondentesq; animũ toto iſto triduo putabitis & de meipſo & de tota religione actũ eſſe. Plorabitis itaq;, & grauiſſimo luctu uos ipſos cõficietis. Contra uero mundus, id eſt homines mundani, uoluptatibus, honoribus & fallacibus ſe mundi erroribus ingurgitantes, pontifices, ſacerdotes, & quotquot oppreſſa pietate, impietatẽ & luxum uolẽt incolumẽ, ineffabili exultabũt gaudio, omnino perſuadentes res ipſorũ in tuto eſſe ac portu, cũ me in ſuã redegerint poteſtatẽ, adegerint in crucẽ, ac ueluti oppreſſerint morte & turpi & funeſta. Dolebitis interim nõ mediocriter quod uidebitis ſic exultare impios, & ꝓpter ueritatem & religionẽ oppreſſam, nobiles figere tropheos, canere epinicia, ducere choros, & modis omnibus iubilare. Cæterũ nõ diu durabit male ſana felicitas impiorũ & uictoria. Vertentur enim uices. Reſurgã enim die tertia ſubacta morte, calcato peccato, & deuicto ſathana, magnaq; cum gloria declarabo me eſſe uictorẽ totius mundi & omniũ hoſtium meorum. Id ubi audierint ac ſenſerint pontifices & fœda huius mundi mancipia, mirũ quàm ſint ſemel cornua contracturi. Tunc mea reſurrectio uobis omnẽ ex animis mœrorẽ expunget, inſeretq; gaudiũ & exultationem ineffabilẽ. Sic autẽ conſolatur dominus diſcipulos ſuos à breuitate calamitatũ, & à ſpe gaudiorum ineffabiliũ. Congruit hæc conſolatio omnibus & temporibus & piis hominibus. Quemadmodũ enim mundus perpetuò ſui ſimilis eſt, ita ſemper perſequetur ueritatẽ. Cõcedet item dominus ei nõ raro cõtra ſanctos ſplendidas uictorias, adeò ut ſancti & de ſeipſis & de uniuerſa religione actũ eſſe putent. Sed uiuit qui uicit omnẽ aduerſariam poteſtatem dominus, qui mœrorem noſtrum in gaudium poteſt conuertere. Quo nimirũ illud Cyrilli pertinet, Viuit ſemper Chriſtus, & mors per eum deſtructa eſt: contraria uero omnia mundus patietur, perpetuos cruciatus ſubiturus. Nam ſicut Chriſto ſecundum carnem mortuo, mœrore ſancti, mundus autem lætitia eſt affectus: ſic conſequenter deſtructa morte ſuſcitatoq; ſaluatore, mœror ſanctorum in gaudium & lætitia mundi in triſtitiam conuertetur.

Dolor ſanctorũ & gaudium impiorum ex afficta ueritate.

Mulier cum parit, dolorẽ habet, quia uenit hora eius: cum autẽ pepererit puerũ, iam nõ meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominẽ natum eſſe in mundo. Et uos igitur nunc quidẽ mœrorẽ habetis, ſed iterum uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrũ: & gaudiũ ueſtrũ nemo tollit à uobis.

Parabola è 26. Iſa. cap. ſumpta ornat & illuſtrat quod ꝓpoſuit: ſed & parabolã adiecta interpretatione exponit. Proinde cum ea ſit apta, quippe adiunctã habens interpretationem, nõ multa ac operoſa enarratione noſtra indiget. Quemadmodũ mulier, inquit, grauida & partui iam uicina, tum grauiter diſcruciatur cum iam enitendi tẽpus appetijt, dolores tamẽ patienti tolerat animo, quod ſperet ſe breui & doloribus liberandã & maximas ex ꝓple percepturã uoluptates cõmoditatesq;. Nõ enim ſolent dolorũ meminiſſe amplius, poſteaq; ſemel pepererint feliciter. Ad eundẽ modum uos quoq; in præſentiarũ magno animi mœrore teneemini, maioreq; paulò poſt diſcruciabimini: uerũ ſi cogitabitis dolorẽ fore breuem, & gaudiũ quod ex dolore exorietur, uel mœrorẽ excipiet, fore ꝓpetuũ, infracto animo perfe

retis, ac semel subibitis anxietates molestiasq; omnes. Et ut intelligatis siue gustū potius percipiatis quale futurū sit gaudium uestrū, sic accipite rem, Post dies paucu-

Gaudium fidelium.

los rediuiuus ad uos redibo, ipsum corpus meum uobis ex mortuis excitatū, & iam immortale factū exhibiturus, simul etiā declaraturus deuicisse me mortē, peccatum, inferos atq; sathanā. Hoc nomine gaudebit cor uestrū, id est ineffabiliter & ex animo gaudebitis. Est enim idiotismus linguæ sanctæ, maximā significans gaudij affectionē. Addit & aliud quod uehementer augeat, Et gaudiū uestrum nemo tollit à uobis. Mundi gaudia per hoīes & leuissimā quamlibet occasionē disturbari possunt: gaudiū quod ex morte & resurrectione Christi per spiritus sancti confirmationē oritur & sentitur in fideliū cordibus perenne siue ꝑpetuum est, adeò ut nō possit ab ipsa etiā morte cōturbari. Ipsa enim fides dictat hæc domini uerba nō de apostolis duntaxat, sed omnibus simul fidelibus esse exponenda, præsertim cū Paulus dicat, Si cōmortui sumus & conuiuemus, si sufferimus & cōregnabimus: ac idem alibi quoq; asserat, nos nō perituram accepturos coronam sed æternam.

Et in illo die me nō interrogabitis quicquā. Amē amē dico uobis, quæcunq; petieritis patrē in noīe meo, dabit uobis. Hactenus nō petistis quicquā in nomine meo, petite & accipietis ut gaudiū uestrum sit perfectum.

Nil defuturum ecclesiæ, tametsi in ipsa dominus non sit corporaliter.

Pertinent etiā hæc ad consolationē ne turbentur ob corporis discessum. Nil enim illis defuturum demonstrat, licet ab ipsis corporaliter discedat. Ac duas potissimum utilitates hīc enumerat, quæ sequuturæ sint discessum, id est mortē, resurrectionē, ascensionem eius in cœlos, & missionē sancti spiritus. Principio enim, In illo die, inquit, me non interrogabitis quicquā. In quo obsecro die? Quando corporaliter in cœlū sublatus & glorificatus, uobis misero spiritum sanctū, tunc non interrogabitis quicquā. Interrogāt qui uel dubitant uel ignorant. At spiritus sanctus corda uestra ita confirmabit & tam plene omnia regni dei mysteria uos docebit, ut nulla uobis interrogatione opus sit. Ipse enim insinuabo me uestris pectoribus per spiritū, ipse in uobis inhabitabo, & scientia, robore, & oīaria gratia implebo. Ad eum modū expositi hunc locū & Cyrill. qui lib. in Ioan. 11. cap. 7. dicit, Virtutem ex alto accepturos, ac doctrina spiritus prudentiores futuros discipulos dicit, adeo ut oīa ipso etiam absente intelligant. Nō autē quia lumine suo nō indigebūt, nō ignoraturos dicit, sed quia spiritū eius in cordibus suis habentes, omni ꝑfecta scientia pleni erūt. Perfectam autē scientiā dicimus rectā atq; integrā, per quā recte de sancta trinitate opinamur. Nā etsi per speculū in ænigmate & ex parte cognoscamus, ueris tamen ecclesiæ dogmatibus inhærentes, & sensum scripturæ syncere sequentes, perfectā scientiā habemus: quā consequi nemo potest nisi fulgore spiritus sancti. Deinde alterā recensens cōmoditatem ait, Amē amen dico uobis,

Omnia à patre per nomen filij conceduntur fidelibus.

quæcunq; petieritis patrē in noīe meo, dabit uobis. Licet corpore discedā, nihil tamen prorsus in ulla re uobis deerit: imò assumptus in cœlos apud patrē iam oīa uobis impetrabo quæcūq; petieritis, & uobis salutaria necessariaq; fuerint. Idq; iureiurando adhibito cōfirmat ne quid de promissione dubitarent. Simul autē & orandum siue petendū, quis item & q̄modo petendum sit docet. Licet enim deus nobis amplissima quæq; ꝑmittat, & sese totū generi mortaliū impertiat, oēs suos his thesauros aperiens & offerens, uult tamē serio & sedulo orari. Et orandus quidem est deus, nō tantū ut deus omniscius uidelicet, fortis & omnipotens, sed etiā ueluti pater benignus, clemēs & beneficus, qui & uelit & possit prēstare quod oratur. Ideo dominus dixit, Quæcūq; petieritis patrē. Orandū est item per nomē Christi. Ideo enim subdit, In nomine meo. Præterea nihil dubitandū est de potentia & bonitate

dei.

dei. Nam huc ꝑtinet quod adiecit, Dabit uobis. In fide itaq; ſolida eſt orandũ. Quia uero iuſſerat precari in noĩe ſuo, iccirco amplius addit, Hactenus nõ petiſtis in nomine meo, iam uero petite. Placuit enim patri ut de cætero omnes ſuas preces deo offerat per Chriſtũ eccleſia. Hactenus quidẽ orationes ſanctorũ ab initio mũdi acceptæ fuerunt ꝓpter promiſſum Meſſiã, quinimò & Daniel poſtulauit à domino exaudiri ꝓpter dominũ, id eſt propter uenturũ Meſſiã: ſicut clare legitur Dan. 9. ſed is modus orandi per nomẽ Chriſti nõ adeò fuit hucuſq; uulgaris. Pleriq; enim precantes mentionẽ fecerunt patrũ, dicentes, Recordare domine patrũ noſtrorũ Abrahã, Iſaac & Iacob; nõ quod ſentirent illos ꝓ ſe in cœlis intercedere, ſed quod fœderis cum patribus icti, & ꝓmiſſionum admonerent deũ mentione patrũ. Nũc autẽ placuit deo ut iam oremus patrẽ per Chriſti Ieſu nomen. Omnia enim recapitulauit, ſicut Paulus ait, in Chriſto, & in hoc reconciliatus eſt, in hoc ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ reconditi, per eundẽ omnia nobis dedit, huius ſolius nomẽ datũ eſt hominibus in quo ſalui fiamus. Oremus ergo deinceps patrẽ per nomen unigeniti filij, per incarnationẽ, crucẽ, mortẽ, per glorioſam eius reſurrectionem & aſcenſionẽ in cœlos, ut maximi uidelicet huius myſterij memor pater cœleſtis, nos perire nõ ſinat quibus donauit filiũ, quos in filios adoptauit per filiũ & in filio unigenito. Atq; hoc eſt in noĩe filij orare, ut ſcilicet reſpectu filij, noſtri miſereatur, nos recipiat, & nobis quod poſtulamus ab eo præſtet. Nõ ingratã Lectoribus rem facturũ puto ſi aſcribã quæ in hæc ſcripſit Cyrill. In nomine, inquit, meo addidit, ut mediatorẽ ſe & collargitorẽ oſtendat. Nullus enim accedit ad patrẽ niſi per filiũ: per quem & acceſſum ſiue aditũ habemus ad patrẽ in ſpiritu, ſicut ſcriptũ eſt. Ideo ſe portã & uiam appellat. Quia nemo, inquit, uenit ad patrẽ niſi per me. Nam in quantũ filius & deus eſt, unà cũ patre nobis bona largitur: quod oſtẽdens Paulus dicebat, Gratia uobis & pax à deo patre & domino Ieſu Chriſto. In quantum uero mediator eſt & pontifex & paracletus, noſtras preces ad patrẽ adducit. Ipſe enim nobis libertatẽ atq; fiduciã ad patrẽ largitur. Orandũ eſt igitur in nomine ſaluatoris, ſi exaudiri à patre uolumus. Subiũgit idẽ mox, Hic orãdi modus prius ſcis fuit ignotus: cõſtituitur autẽ modo per Chriſtũ quando emẽdationis tempora aduenerũt, & omne nobis bonũ per ipſum abſolute cõceſſum eſt. Vbi ergo nunc ſunt qui orant deũ in noĩe S. Petri, in nomine S. Ioannis, in nomine deiparæ uirginis Mariæ, in nomine ſanctorũ Cyriaci, Antonij, Sebaſtiani, Chriſtophori: & diuarum Barbaræ, Catharinæ, Annæ? Euangeliũ docet nos orare in ſolius Chriſti Ieſu noĩe. Hoc qui cõtemnit, indignus eſt qui audiatur à deo. Scio quid ꝓ inuocatione & interceſſione diuorũ ꝓferant aduerſarij, ac reſpõdi ad ea iam olim in lib. noſtro priore de erroris origine. Euangeliũ ſimpliciſſime iubet patrẽ inuocare per nomẽ unigeniti filij, qui ſolus eſt pontifex eccleſiæ, ſedens in dextera patris, benignus, clemens, omniſcius, omnipotens. Nugæ & uanæ hominũ cogitationes, artes, ſutelæ, & ineptiæ ſunt in uniuerſum quæ cõtra hanc ueritatẽ planã & indubitatã affe runt quotquot in hoc certamen deſcendũt Sophiſtæ. Illud uero cõſolatione plenũ eſt quod ſequitur, Petite & accipietis. Vrget nos ad petendum, & ꝓmittit ſe quod utile & ſalutare fuerit præſtiturũ, ne uidelicet cuiq; uideri poſſet difficilis eſſe aut impotens. Huius generis impulſionẽ & ꝓmiſſionem tractaui & in 7. cap. Matth. Cæterũ in hæc ueritatis infallibilis ꝓmiſſa, in hæc diſerta domini præcepta infigũt fidẽ & ſpem ſuã pij, nec ab his uel latũ pilum ſe abſtrahi ſinũt. Parũ religioſi, & uerborum Chriſti cõtemptores, quouis uento doctrinæ huc & illuc impelluntur, nec quicq; habent certi, ſolidi, firmi. Appendit ſub finẽ fructum orationis fidelis inæſtimabilem, Vt gaudiũ ueſtrum ſit perfectũ, id eſt ut abunde, ꝓfecte & quantũ uotis

Quare orandũ in nomine Chriſti.

Quomodo impetret Chriſtus fidelibus poſtulata idem & det.

Orare in nomine S. Petri.

Fructus orationis gaudium perfectum.

& desiderijs uestris cupitis, gaudeatis, & ne quid rerum cœlestium & optimarum desit uobis, Das jr alles das habind/das üwer hertz frôuwt vnd begärt. Satiantur enim spirituali gaudio & omni bono quicunq; in uera fide patrẽ per Iesu Christi nomen orant. Vide autem, ô fidelis anima, quàm excellens & præstans sit fidelis oratio in ecclesia. Vide quantis thesauris locupletarit diues dominus in oẽs se inuocantes, ecclesiam suam, quę tametsi corpore Christi careat, nullis tamen salutaribus bonis destituitur. Omnia autẽ illa per Christũ à deo patre habemus. Cui gloria semper.

Hæc per prouerbia loquutus sum uobis: ueniet tempus, cum iam non per prouerbia loquar uobis, sed palàm de patre meo annunciabo uobis. In illo die in nomine meo petetis.

Spiritus Christi dicta exponit.

Idem dicit quod modo dixerat, sed alijs uerbis, nempe spiritũ omnia salutaria regni dei mysteria apostolis adeoq; ecclesię reuelaturũ luculentissime: ac eosdẽ per preces pias oĩa accepturos necessaria salubriaq; : quinimò id subindicat amplius, quod spiritus oĩa Christi dicta, quæ hactenus nõnihil obscura sunt uisa, luculentissime illustraturus sit, denicq; quod spiritus excitaturus sit ad postulandũ orandũue, quo assequãtur cœlitus postulata. Videbatur quidẽ apostolis quod nũc ꝓponebatur à dño parabolicũ, id est obtectum & obscuritati esse inuolutũ, quod alioqui dilucidũ per se erat & explicatissimũ: at animus curis occupatissimus illud nõ percipiebat. Et Cyrillus, Parabolã, ait, occultiorẽ & obumbratum sermonẽ appellauit, qui cũ obscuritate tegatur nõ facile capiẽ ab audientibus. Oppositi parabolæ, Sed palàm de patre meo loquar uobis. En palàm, inquit, loquar uobis, ego inquã, & de patre quidẽ. Spiritus enim sanctus ꝓcedit ab utroq;. Per spiritũ aũt reuelat dominus omnia mysteria ecclesiæ, nodos scripturæ dissoluit, obscura illustrat, aspera & difficilia cõplanat. Nec alio tempore id fieri cœpit in ecclesia q̃ cum apostolis spiritum misit, per quẽ & hodie instruit, cõfirmat & dirigit sanctos siue fideles in ecclesia. Idẽ spiritus efficit in cordibus piorum, ut in noĩe Christi iusta, bona, salutariaq; postulẽt iugibus fidelibusq; precibus. Nescimus enim nos quid petamus, spiritus infirmitatẽ nostrã curans, quid petamus suggerit, affectũ incẽdit, facultates et perseuerantiam orandi concedit. At nihil non potest fidelis apud dominũ oratio. Inæstimabilis ergo existit utilitas ex discessu corporis dominici & missiõe spiritus sancti. Proinde nemo porrò propter sublatũ domini corpus è terris cõturbabitur, nisi qui fructũ ascensionis domini nescit, & uires ignorat spiritus sancti, per quẽ & in quo manet dominus præsentissimus in ecclesia. Certe qui euangelia dominicalia per dñicas distribuerunt, uidentur hunc domini sermonẽ nõ temere ijs collocasse dñicis quæ ꝓxime sequũtur pascha, & præcedũt diẽ ascẽsionis et pentecostes, &c.

Spiritus ad precandum excitat.

Et non dico uobis quod ego rogaturus sim patrẽ pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis & credidistis quod à deo exiuerim.

Filius intercedit pro nobis apud patrem.

Scriptura euangelica & apostolica manifeste multis in locis testatur dominũ Iesum rogare patrẽ siue intercedere ꝓ nobis apud patrẽ. Quid enim apertius, quàm quod Ioannes euangelista & apostolus dicit, Aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustum? Quid apertius q̃ quod Paulus apostolus ait, Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiã est ad dexterã dei, qui et intercedit ꝓ nobis? Proinde nõ negat absolute dominus se intercessurũ pro fidelibus apud patrem. Cæterũ oratio, unde hæc existit difficultas, hiulca est, quæ sic uidetur sarciri posse, Ego uero nõ dico quod rogaturus sim patrẽ tanquã uestri immemorẽ. Nam sequitur mox, Ipse enim pater amat uos: quæ sententia superiorẽ supplet, ut iam intelligamus dominum non oraturũ patrẽ tanquã eum qui nostra uel ignoret uel

non

nõ curet uel inexorabilis sit. Videtur ergo his dominus per occupationẽ respon dere ad obiectionẽ quæ ex superioribus sic potuit obiici, Ergon' ignorat nos pa ter? ergon' misanthropos est pater, quia iubes nos per tuũ duntaxat nomen omnia poscere à patre? Respondet, Non sentio dicoúe me patrẽ rogaturũ, quasi nescien tem uos aut odientem & negligentẽ. Amat enim uos impensissime, sed ideo amat, quia uos mecũ per fidem consentitis & me amatis: proinde non uestro merito uos cõplectitur, sed ꝓpter me: id est in me uos curat & diligit: ideo etiã in meo nomine orare uos iussi: ideo intercedo ꝓ uobis. Nam ꝓpter meũ patrociniũ meamq; com mendationẽ uos illi estis grati, ingratissimi futuri nisi per fidẽ & dilectionẽ mihi si tis insiti. Hæc firmant & fulciunt fidẽ orantiũ. Vident enim & intelligunt se orare ante illum qui miseriam & omnes nostras necessitates non ignorat, qui item afflictis & miseris bene uelit, idq; propter Christũ, cuius mẽbra sumus ꝓ fidẽ in ipsum.

Amat nos pater nõ propter nos, sed in filio, ita audit propter filium.

Exiui à patre, & ueni in mundũ: iterũ relinquo mũdũ, & uado ad patrẽ.

Quia dixerat, Et credidistis quod à deo exiuerim, semel in breuẽ summam con stringit totũ redẽptionis negotiũ, quod hactenus sparsit & tractauit fusissime. Sin gula ergo uerba, singula cõtinent mysteria. Exiui, inquit, à patre. Id quod Paulus exposuisse uidetur per uerbũ exinanire, Philippensibus scribens, Cum esset in for ma dei, nõ rapinã arbitratus est ut esset æqualis deo, sed semetipsum inaniuit for ma serui sumpta. S. Cyrill. lib. in Ioan. 11. cap. 9. sic interpretatur, Exiuisse à deo ni hil aliud est nisi natũ esse effulsisseq; ex substantia patris, eo processu quo est & in ꝓpria intelligitur subsistentia, quamuis nõ omnino disseparetur à patre. Isto itaq; uerbo significauit siue notauit diuinã naturã. Consequenti denotat humanã. Et ue ni in mundũ. Per incarnationẽ enim uenit in mundum: sicuti plenius exponitur Ioan. 1. & 1. Ioan. 4. Habemus ergo Iesum Christũ uerum esse deũ & hominẽ. Hic iterum relinquit mundũ, per mortẽ uidelicet & assumptionẽ in cœlos, et uadit ad patrem, corpore uidelicet ascendens in dexterã patris. Hæc quatuor religionis no stræ capita, quod uidelicet exiuit à patre filius unigenitus dominus noster, uenit in mundũ, iterum reliquit mundũ & iuit ad patrẽ, S. Augustinus elegantissime & bre uissime explicans, Tract. in Ioan. 103. Neq;, ait, propterea debet incredibile uideri, quia sic ad mundũ ueniens, exiit à patre, ut non desereret patrẽ: & sic uadit ad pa trẽ relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim de patre, quia de patre est: & in mundũ uenit, quia mundo suum corpus ostendit quod de uirgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad patrẽ hominis ascẽsione, nec mundũ deseruit præsentiæ gubernatione. Congruit his Augustinianis & Cyrilli explicatio, Venisse, inquit, in hunc mundum ait, & nunc ex mundo ad patrẽ re dire, qui nec à patre aberat, homo factus, nec cum ad cœlos cum carne redierit à terris abest. Deus enim uerus est, ineffabili uirtute omnia replens.

Summa negotij redemptionis.

Dicunt ei discipuli eius, Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbium ul lum dicis. Nunc scimus quod scis omnia, nec opus est tibi ut quis te inter roget: per hoc credimus quod à deo existi.

Hactenus copiose respondit ad illud quod hæsitantes dixerant discipuli, Quid est hoc quod dicit Pusillũ? Nescimus quid dicat, ac responsione sua nõ modo ad il lud quod rogabatur respõdit, sed oẽs insup alios animi scrupulos ipsis exemit. Ea ubi audissent & intellexissent utcũq;, maximo cũ applausu cõclamant, Nõ est ꝙ in posterũ clariorẽ expectemus disputationẽ, cum modo tam clare uidearis loquu tus, ut prorsus nihil desideremus amplius: nunc enim intelleximus atq; credidi mus, quod nimirum longa hac oratione efficere uoluisti, te uerum esse dei filium.

Discipuli fatentur Iesum esse dei filium.

Id enim ex eo possumus colligere, quod nosti omnia, id quod solius dei est. Respiciunt autẽ ad illud quod dixerat, Hæc per prouerbia loquutus sum uobis, uenit tempus cũ iam nõ per prouerbia loquar uobis, sed palàm à patre meo. Denique intelligis ex his quid tum intellexerit per prouerbia, cum modo dicant, Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbiũ ullum dicis. Prouerbiũ ergo dicit qui nõ loquitur aperte, sed obscure. Applausus ille & spontanea confessio discipulorũ relinquit nobis exemplum & documentũ quid fiat à studiosis pietatis trãquillis adhuc rebus. Applaudunt enim prædicato dei uerbo, collaudant hoc, cõfitentur libere & exultant: ueluti nostri solent clamantes, ä Das ist ein heytere gůte predig. Nec uituperandũ est in quoquã hoc ueritatis studium, hæc exultatio & confessio: uerũ requiruntur interim à nobis ampliora, ne quid uidelicet nobis arrogemus temere, neue extra periculũ audaces simus, in periculo nos cõtrahamus. Ideo sequitur in euangelio.

Respondit eis Iesus, Nunc creditis. Ecce instat tempus, & iam uenit, ut dispergamini unusquisq; in sua, meq; solum relinquatis: & tamen nõ sum solus, quia pater mecum est.

Reprehenditur inabsoluta apostolorum fides.

Dominus Iesus qui nihil ignorabat, probe sciebat quo hæc ꝓficiscerentur animo, & quod nondũ plene quid dixisset intelligerent, cum nondum uere crederẽt, nondũ essent pares ingruentibus procellis, tamẽ sibi uindicarent quod erat precibus postulandum à patre & perficiendũ missione sancti spiritus, respondens, Nũc creditis, inquit. Quibus uerbis exprobrat arrogantiã, eorumq; confessionẽ ueluti eleuat: perinde ac si Germanice dicas, Ja yetz ists gůt glouben, cũ nullo uidelicet in periculo uersamini. Oportebat aũt in periculis & tentationis tempore maxime uigere fidem, at hîc eritis, ait, maxime imbelles & languiduli. Post sesquihorã enim uel horã cum ingruerit ꝓsequutionis tempestas, adeò non cõfitebimini me exijsse à patre, ut quisq; sibi turpi consulens fuga me sitis solum derelicturi. Sic autẽ declarabitis quàm imbecilles sint hominũ uires, nisi per spiritũ sanctum confirmentur. Sic declarabitis, quàm arroganter sentiatis de uobis ipsis, quàm parũ solide credatis in me. Congruunt hæc cum ijs, quæ prædixit propheta Zacharias, Percutiam pastorẽ, & dispergẽtur oues gregis. Et Isaias, Torcular calcaui solus. In sua dispergi dixit secundũ idioma linguæ sacræ, pro eo quod est, quemlibet pro se fugere, & sibi suisq; rebus consulere. Quod fit dum alius aliò fugit, & quisq; sibi timet & cauet, ne propter alterius consortium ueniat in periculũ. Significauit ergo ea loquutione horribilem trepidationẽ & fugã turpissimam suorum. Mire autẽ in his infirmitas humanarum uirium in præstantissimis etiam hominibus inclaruit. His per correctionem quandam subiungit, Et tamẽ non sum solus, quia pater mecum est. Quasi dicat, Verum mihi nõ erit uestro opus præsidio, tametsi enim omnes amici & noti mei me relinquent, ac deserent, nunquã tamen deerit mihi pater meus cœlestis. Feliciter autẽ enarrans illa nobisq; applicans beatus Cyrillus lib. in Ioan. 11. cap. 12. Solus nõ erat, ait, qui deus, & ex deo, & in deo naturaliter est. Humano autem more id dictũ est: ut nos moneat, quando tentatio aut persequutio ad gloriosa pro pietate uocat certamina, non oportet cadere animo, etiãsi nulla societate amicorũ cõsolamur. Nam quãuis omnes se fugæ dent, credere tamẽ oportet deũ semper nobis adesse, qui solus amicos suos potest saluare. Nõ enim sumus soli, etiamsi non cernamus oculis defensorẽ ac protectorem nostrum undiq; nos munientem, ut Psalmista canit, Domine, ut scuto bonæ uoluntatis tuæ, coronasti nos. Hæc dicimus ut maiore animo etiam à nostris propter ignauiam eorum relicti, certamina pro pietate suscipere non dubitemus.

Tametsi deseraris ab hominibus, deus tamen non deseret.

Hæc

Hæc loquutus sum uobis, ut in me pacem habeatis: in mũdo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundum.

His concludit ceu epilogo totam consolationem siue orationẽ suam à 13. cap. hucusq; productam, simul & ostendit quò omnia pertineant & quem habeant finem. In mundo, inquit, nullam unquam sperabitis pacem. Si enim persequutio & odium huius mundi uos non urserit & exercitarit, cõsurget in uos grauissimis tentationibus sathanas, impugnabit diuexabitq; uos mundus, peccatum & ipsa caro uestra. Nullam ergo dum in hisce terris uixeritis securitatem expectabitis, semperitaq; stabitis induti armatura dei in procinctu Martis: semper bella, turbas & tentationes cogitabitis, nunquam tranquillitatẽ. In his tamen tumultibus & afflictionibus exercitationibusq; in me habebitis pacẽ, quoties uidelicet cogitaueritis me uicisse uobis mortem, peccatum, inferos & sathanam, ut illa iam fidelibus nihil nocere possint. Quoties itẽ repetieritis uobiscũ quid ego ab impio mundo perpessus sim, & quod illum uici, non mihi duntaxat, sed omnibus meis ministris atq; cultoribus. Neq; uero his admodum difficile & laboriosum fuerit deuictum, exarmatũ & exanimem propemodum ad plenum conficere. Retinaculum huius ueræ & solidæ pacis erit fides, cõscientiæ lux atq; serenitas. Intelligunt autẽ sancti quod per mundum intellexit dominus omnem aduersariam pjs potestatem. Intelligunt sancti necessitate quadam gratuita sequi, Christus uicit mundũ, ergo nos quoq; uincemus. Christus enim uitis est, nos palmites, Christus caput est, nos mẽbra sumus. Denicq; Christi bona oĩa, fideliũ quoq; bona sunt: quia Christi fratres & cohæredes sunt. Huc pertinet illud apostoli, Dominus ꝑpe est, de nulla re sitis solliciti: sed in omni precatione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud deum. Et pax dei quæ superat omnem intellectum, custodiet corda uestra, & sensus uestros per Iesum Christum. Paraphrastes illum euangelij locum feliciter enarrans, Hæc ideo loquor uobis, inquit, ut uestris diffisi uiribus in me conquiescatis. Mundus magnis tumultibus coorietur in uos, quemadmodum nunc in me cooritur. Sed magno & excelso sitis animo, memores quod ego uici mundũ. Ex me sumetis exemplum, à me sperabitis auxilium. Vincetis & uos, sed per me: uestrapte quidem natura imbecilles, sed meo spiritu fortes & inuicti futuri, cum tempus & res postulabit. Huc ergo pertinent huius orationis omnia, ut intelligamus quid à mũdo in hac carne constituti, & in hoc agentes sæculo expectemus, utq; pectora nostra confirmantes aduersus omnia mala, credamus in Christo ueram esse tranquillitatem quærendam, qui reuera omnibus sanctis suis pacem concedit, gaudium conscientiarum, fortitudinem, consolationem, uitam & immortalitatem, Matth. 11.

Epilogus totius orationis.

Pax in Christo.

Huc nimirum referenda sunt omnia quæ hucusq; in VIII. hoc libro disputata sunt de præsentia Christi immanentiaq; in ecclesia sanctorum, de cruce & patientia sanctorum, de eo quod corporalis domini præsentia à morte & sacrificio pro peccatis perfectissimo, in terris, nihil prodest, in cœlos aũt sublata plurimũ ꝑdest, de uirtute item sancti spiritus agente in ecclesia & perficiente sanctos. Nã hic docet omnia perfecte, consulit in omnibus difficultatibus, cõsolatur in aduersis, confirmat in fide & omni bono, confert nobis omnia necessaria & salubria, nunquam nos destituit, imò per hunc pater nobiscum est, filius item licet corpore à terris absens sit, uirtute tamen saluifica, & eo modo quo maxime nobis salutaris est, maxime præsens est.

COMMENTARIORVM

IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM

LIBER IX.

POSTEAQVAM dominus noster Iesus sermonibus his plane diuinis discipulos suos partim cõsolatus esset, partim erudijsset & instruxisset aduersus imminentem malorũ procellam, quoniã unice admonuerat fiduciã non collocandã esse in ullis rebus humanis, sed præsidio cœlesti, porrò exemplo suo docet ut ingruentibus afflictionibus non aliò spectent quàm ad patrem cœlestẽ. Iam itaq; suam subiens passionẽ, incipit eam à precibus ad patrẽ fusis, cui se primum cõmendat, deinde apostolos, postremo omnes apostolorũ doctrinæ credentes, obsecrans ut se glorificet, apostolos item & fideliũ ecclesiã per hunc impurissimũ mundũ deducat in studio ueritatis, pietatis & charitatis, sibiq; æternũ coniungat. Absoluta oratione subit in montẽ oliuarum, abiens in hortũ, quo repetitis sese deo precibus cõmendaret. Interea collegerat perfidus Iudas è scelera tissimis quibusq; cohortem, ac imminet innoxio. Dominus ut ostenderet se pati ultrò & uoluntarie, ac omnipotentem esse, tametsi patiatur sibi injici catenam, prosternit semel atq; iterum cohortem in horto, deinde spontanee tradit seipsum impijs uinciendum. Ibi satis infeliciter pugnabat Petrus, ac coërcebatur à domino, quem mox producunt ad Annam pontificem, & ab hoc ad Caiapham, quod is esset eo anno in summi præsulatus dignitate constitutus. Fit inquisitio in doctrinã Iesu, cumq; hic responsionẽ pararet, indignissime cæditur à ministro pontificio. Inter hæc turpissime negat & abiurat dominũ Petrus. Cæterum ex curia pontificis recta in prætorium proconsulis abducitur Christus, quod mortẽ cõmeruisse uideretur. Accusatur coram Pilato, & discutiuntur accusationis capita, uerum nullã in ipso culpam inueniens Pilatus, arte ipsum liberare tentat. Quod cum cessisset sinistre, flagris discissum & corona spinea coronatum, producit ad multorum capitum beluam uulgus. Hoc conclamat cruci esse figendum. Pilatus uero multa rogitans, tandem tamen Iudæorum improbis uictus clamoribus, Iesum tradit crucifigendum. Accipitur ergo à militibus, & educitur in locum caluariæ ad supplicium. Ibi medius inter latrones erigitur in cruce. Cruci imponitur per Pilatum non sine magna concertatione & contrauersia titulus siue caussa mortis. Porrò milites discindunt uestes domini, & pro tunica inconsutili sub cruce sortiuntur. Dominus autem à cruce matrem suam commendat Ioanni: sitit, & propinatum in spongia acetum bibere renuit, sanctéq; testans omnia consummata, & sacrificium perfectum, tradit deo patri spiritũ. Postea franguntur crura latronibus, Iesu aperitur latus, profluit ex eo sanguis & aqua. Qui uidit sancte ueritatem attestatur Ioannes. Postremo autem adsunt pij ac religiosi uiri, qui depositum à cruce mortuum domini corpus, honestissime condunt atq; sepeliunt.

CAP. XVII. Hæc loquutus est Iesus, & sublatis oculis in cœlũ, dixit, Pater, uenit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam æternam.

Christus pontifex intercedit pro nobis.

Christus dominus quia sacerdos & pontifex noster est, sacerdotum autem erat orare pro sibi cõmisso populo, ideo pro sancta sua ecclesia iam orat dominus apud patrem. Valeant hic & facessant hinc curiosæ & parum piæ quæstiones, Quid necesse fuerit omniscienti deo patri, quid faciat, enumerare ac ueluti præscribere? Cur hæc à patre, qui ipse potest & largitur omnia, petat? Recitantur enim preces deo, non ut ignoranti, sed scienti, & uerbis quidem humanis, quibus excitemus nosipsos. Et Cyrillus docte & pie lib. in Ioan. 11. cap. 15. Nõ, inquit, erat opus patri cuncta scienti petitionis hunc modum subaperire, sed quoniam pontifex in quantum homo est, quamuis deus etiam natura sit, tamen ut pontifex pro nobis patrem alloquitur ut credamus eum & nunc paracletum siue aduocatum ac propitiationem esse pro peccatis nostris. Et mox, Quoniã, ut sæpius dictum est, oĩa ex patre per filium in spiritu efficiuntur, quãuis cum patre simul spiritalia dona largiatur (quibus enim uult summa cũ potestate spiritũ distribuit) ut mediator tamẽ & pontifex bona ꝓ nobis petit. Discãt hinc potius sancti ecclesiã oĩno precari oportere. Sciebat pontifex noster se plane exaudiendũ fore, nihilominus tamẽ orat. Et orat uerbis

uerbis conceptis ut maxime uani esse uideantur qui putant nullis orandũ uerbis, sed spiritu duntaxat. Coniungenda sunt hæc utraq;. Orandũ est spiritu & mente, & mentis quidem maximo feruore, animis in cœlũ sublatis. Oratio enim eleuatio est mentis in deum. Et certè tantus est præsentis orationis splendor, tantus est orantis ardor, tam profunda deniq; sapientia, ut nemo quantumuis eloquens spiritus istius euidentiam assequi possit, nedum ego inepte balbutiens. Commendo autem eam pio cordi æstimandã, uoluendam & reuoluendã, certus quod quisq; tanto afficietur ardentius quo sæpius legerit: ego summa duntaxat rerum persequar uestigia. Quod dominus sublatis in cœlum oculis orat, exemplum nobis & doctrinam relinquit, nimirum ut cordis oculos figamus in deum ipsum, oculos corporis non conuertamus ad picturas hominũ ineptas, & mendacia idola. Quod palàm & audientibus apostolis uerba ad patrem effusa, orat, factũ est, ut magis confirmaret & consolaretur apostolos atq; ecclesiam intelligentẽ quanta ipsi postulet & impetret, dei filius. Alibi iubet precari in occulto, nimirũ prohibens ambitionis crimẽ. Pertinet autem ad continuationẽ historicã & orationis concinnitatẽ quod dicit, Hæc loquutus est Iesus, & sublatis oculis in cœlum. Sequitur oratio, quã incipit à suaui patris uocabulo, quod plenũ est benignitatis & fiduciæ, Cursum, inquit, consummaui pater clementissime, adest hora mortis meæ, tu ergo morientem nũc excipe & glorifica, ut uicissim glorificet te filius tuus. Cæterũ glorificat pater filiũ suum, cum per uiuificam resurrectionẽ & glorioſam ex mortuis resurrectionem ascensionemq; corporalẽ in cœlos largissimamq; spiritus sancti effusionem in ecclesiam declarat illũ non modo hominẽ esse uerum, sed & deum uerũ ac naturalẽ. Rursus clarificatur per filiũ pater, quando per dispensationẽ filij, uel per negotiũ incarnationis unigeniti, fidemq; euangelicã, agnoscimus patrem, ipsum, inquã, nostrum esse patrẽ, nobis beneuolum atq; clementẽ. Hinc enim existit magna per ecclesiã deo gloria, quam in ipso sancti per Christũ prædicant. Sed quorsum hæc ptinent? Cur hæc à patrè postulauit? Non tam ꝓpter se, quàm propter nos, uidelicet ut nos crederemus & saluaremur per fidem in ipsum. Sequitur enim, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam æternã. Quis obsecro credat uirorum abiectissimum & contemptissimũ, uerum & uiuum esse dei filiũ, nisi pater crucifixũ clarificet? Hoc ergo dicit, Clarifica me quæso, et euince me esse uerũ tuũ filiũ, quo in me credere possint: ut quemadmodum constituisti me dominum totius mundi, ita ipse possim dare credentibus in me uitam æternam. Notæ autem sunt, opinor, hæ loquutiones, Dedisti potestatem omnis carnis: id est dominum constituisti omnium hominũ. Caro enim pro toto homine ponitur. Et, Quot quot dedisti mihi, id est omnes credentes. Dati enim filio à patre fideles sunt: sicut ostendi in cap. 6. Rursus quod hic sibi dicit potestatẽ datam in omnem carnem, id Petrus in Actis significantius exposuit. Dixit enim cap. 2. Certo sciat tota domus Israel quod dominũ & Christum fecerit deus, hunc Iesum quem uos crucifixistis. Beatus Cyrill. luculenter & orthodoxe disputans de Dandi uocabulo, Humanæ, inquit, id mensuræ humilitatisq; figuræ conuenire nõ dubitamus. Si enim nos puderet serui naturã illum assumpsisse cõfiteri, et quoniã seruus factus sit, regẽ super Zion montẽ sanctum eius constitutũ esse, non consequenter diceremus quicq; à patre illũ accipere: sed cũ sponte obsequutus patri, homo factus sit, q ui oĩa possidet ut deus, omnia recipit ut homo, cui regnare aduentitiũ est, id est non naturale. Creaturæ nãq; recte dicitur, Quid habes quod non accepisti? Creatura etiam uere Christus est, in quantũ homo: quãuis increatus secundũ naturã deitatis, in qua omnia bona uere & naturaliter esse intelliguntur, unde ad nos ꝓ gratiã effunduntur,

Commendat se patri filius moriturus.

Glorificat Christus patrem, & uicißim glorificatur.

Creatura Christus in quantũ homo.

Quando igitur ut homo, princeps noſter conſtitutus, omnis carnis poteſtatẽ acce piſſe dicitur, nõ turbabitur qui diſpenſationẽ incarnationis tenaci memoria tenet.

Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolũ deum uerũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Quid uita æterna, & quomodo conſequamur eam.

Meminit poſtremo uitæ æternæ dominus, quam ipſe ſit daturus ipſi credentibus, cõmode ergo ſubiicit, Hæc eſt autem uita æterna, &c. Vita æterna reuera eſt uiſio ipſius dei, conſortium inquam & perfruitio ſupremi & æterni boni. Id quod ex tota licet ſcriptura intelligere. Quomodo ergo uocat, ais, cognitionẽ uitã æternam? Quia uia & certiſſima ratio eſt, quæ ducit ad uitam illam beatam, mediũ per quod ipſi deo coniungimur, qui eſt uita & beatitudo fidelium. Cæterũ per cognitionem non intelligit quamuis ſcientiam, ſed ueram & uiuam fidẽ, quam inſpirat ipſe dominus. Et certè ſignificantius uidetur eſſe uocabulũ cognoſcere quàm credere. Illud enim ferè comprehendit & intellectũ contemplationemq; animi uiuã, & ſenſum quendam apprehenſionemq; eius quod intelleximus, adeoq; uoluntatẽ oblectantem & exercentem ſeſe in cognitis, omniaq; ſua dirigentem & attemperantem ad cognitorum rationem. Verſatur cognitio illa circa deum & miſſionis diſpenſationisue myſterium. Saluandi enim credunt patrem ſolum eſſe deum uerum, & quem hic miſit Ieſum Chriſtum. Solum quare dixit? An ut excluderet filium, qui non ſit uerus deus? Minime. Contextus enim uerborum indicat ſaluandos credere & patrem eſſe deum uerum, & quem ille miſit eſſe deum uerum. Vnde idem hic author Ioannes in Canonica ſua dixit, Scimus quod filius dei uenit & dedit nobis mentem ut cognoſcamus illum qui uerus eſt, & ſumus in uero in filio eius Ieſu Chriſto: hic eſt uerus deus & uita æterna. Cur ergo ſolum hic patri appoſuit? Vt excluderet multitudinem deorum ac dominorũ, indicaret autem ueram ſaluandorum fidem agnoſcere unum tantum ſolum uerum eſſe deum, qui eſt ſancta & ſuperbenedicta trinitas, unus uidelicet deus non tres dij, tres tamen diſtinctæ perſonæ unius & eiuſdem eſſentiæ naturæq; diuinæ. Vnde & apoſtolus Paulus Corinthijs ſcribens, Etſi, inquit, ſunt qui dicantur dij, ſiue in cœlo ſiue in terra, quemadmodum ſunt dij multi & domini multi, nobis tamen unus eſt deus, qui eſt pater ille, ex quo omnia & nos in illum; & unus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos in illum. Iam in ueram fidem pertinet etiam diſpenſationis ſiue miſſionis & redemptionis myſterium, ideo non dixit, Vt cognoſcant te ſolum uerum deum, & Ieſum Chriſtum: ſed adiecit, quem miſiſti Ieſum Chriſtum, utiq; intelligens agnoſcendum atq; credendum eſſe Ieſum Chriſtũ à patre eſſe miſſum nimirum per incarnationem in mundum, ut morte ſua aboleret mortem, uitam autem reduceret per reſurrectionem, &c. Deniq; per hanc miſſionem filij reuera cognoſcitur pater & ineffabilis diuina maieſtas. Nec excluditur ex hoc patris & filij cõplexu ſpiritus ſanctus, tametſi hic non exprimatur nomen eius: conſequenter enim intelligitur, quia patris & filij ſpiritus eſt, tanquam charitas ſubſtantialis & conſubſtantialis, ut & Auguſt. ait, amborum.

Filius eſt deus uerus.

Ego te glorificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi ut facerem. Et nunc glorifica me tu pater apud temetipſum gloria, quam habui priuſquam hic mundus eſſet apud te.

Pariter rationẽ reddit cur clarificari petat à patre filius, & ſignificantius exponit quomodo ipſe patrem glorificarit, & qua petat ab ipſo illuſtrari gloria. Ratio talis eſt. Ego glorificaui te in mundo ac meum tibi præſtiti officium ſumma fide

fide & diligentia, æquum est itaq; ut tu uicissim me glorifices. Quomodo autẽ glorificauit filius patrem super terram? Opus cõsummauit quod pater obeundum & absoluendum mandarat. Quod nam illud? Incarnari, prædicare salutem, attestari hanc miraculis, & parare tradito in mortem corpore. His enim illustratur dei gloria in mundo. Ista uero absoluit partim, partim mox absoluet siue consummabit. Nam moriens in cruce, & se offerens deo patri perfectam pro peccatis totius mundi hostiam, dicet, Cõsummatum est. Tropus itaq; est in uerbis non infrequens scripturæ, quæ de rebus certo futuris ceu præteritis loquitur. Qua porrò gloria cupit illustrari à patre filius? Quam habuit priusquam hic mundus esset. Quæ uero illa? Quod deus uerus æqualis est patri, eiq; consubstantialis & spiritui sancto. Petit ergo dominus ut pater declaret orbi Iesum esse uerum & naturalem dei filium. Ea gloria non nunc quidem, nec ut aliena filio confertur, sed eam ceu propriam habuit antequam mundus esset, id est ab æterno. Nam illa æternitatis est periphrasis. Aeternus ergo deus, & æternus dei filius est Iesus iuxta naturam diuinam, qui mortalis & uerus est hominis filius iuxta naturam humanam. His confutantur strenue & luculenter omniũ hæreticorum deliramenta: quorum alij negarunt Iesum esse deum, nec priusquam ex Maria nasceretur fuisse: alij negãt uerum fuisse hominem. *Gloria filij dei æterna.*

Non pigebit elegantissimam & utilitatis refertam beati Cyrilli explanationem huius loci in hos meos referre Cõmentarios. Scribit autem lib. in Ioan. 11. cap. 17. Sed quod nunc opus dices consummauit, quo à se pater glorificatus est? Homo factus est uolente patre, ut ad ueram pietatem, & ad uitam perpetuã lapsum ad inferos hominum genus restitueret. Hoc iam potestate Christi factum est. Mortem enim destruxit, diaboli tyrannidem euertit, peccati uires extinxit, ineffabilem charitatem erga nos habuit, peccata nostra dimisit, errantes illuminauit, & ad uerum deum reduxit: quæ uniuersa uirtute Christi consummata, faciunt ut ab omnibus glorificetur pater. Omnes enim qui in terris sunt, sapientiam & uirtutem & misericordiam dei hoc pacto intellexerunt. Effulserunt enim hæc in Christo ut in imagine patris ac charactere, & arbor à fructu cognita est. Quibus probe consummatis ad suam gloriam Christus redijt, quam tamen ut homo, quasi non habens, petijt. Cuncta enim à deo homo habet. Nam etsi ut deus ex deo, gloriæ patris expers nunquam fuit, homo tamen factus ac inhonoratissimo hominis assumpto corpusculo, tanquam uere non habens, ut homo gloriam petit. Hoc intellexit Paulus, dicens, Hoc sentite in uobis fratres, quod et in Christo Iesu, qui cũ in forma dei esset, nõ rapinã arbitratus est se esse æqualẽ deo, sed seipsum exinaniuit formã serui accipiens, & habitu inuẽtus ut homo, humiliauit seipsum factus obediens usq; ad mortem, mortẽ aũt crucis: propter quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cœlestiũ, terrestriũ & infernorũ, & omnis lingua cõfiteatur quia dñs noster Iesus Christus in gloria est dei patris. Sublimẽ enim filiũ suũ & deum uerũ ac dominũ nõ minus ut hominẽ exaltasse scribitur. Homo enim ꝓpter naturę humilitatẽ exaltatione naturaliter indiget. Gloriã igitur suam quã semper habet ut deus, ut homo petijt. Nec quia gloriæ unquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur (nunquam enim dei uerbum ac deus uerus dignitate caruit sua) sed quia in gloriam, quæ sibi semper adest ut deo, proprium templum reducere uolebat: imò uero ipse cum propria carne, propter quam nonnihil dedecoris in hac accidisse uita uidebatur, in cœlos & in gloriam suam redijt. Quare ne alienam aut inconsuetam petere uideretur, ante creationem mundi apud patrem ipsum sibi affuisse illam testatur, qua

nunquam ut deus caruit: qui cum patre ſemper regnat, qui cum patre ſemper glorificatur, qui cũ patre ſemper adoratur deus, & ex deo, & in deo, & cũ deo, quod hic ipſe euangeliſta docet, dicens, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, &c.

Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonẽ tuum ſeruauerũt. Nunc cognouerunt quod omnia quæcunq; dediſti mihi abs te ſunt. Quia uerba quæ dediſti mihi dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognouerũt uere quod à te exiui, & crediderunt quod tu me miſiſti.

Orat dominus pro diſcipulis.

Hactenus ſuam cauſſam egit apud patrem, cui ſe commendauit ut uerum hominem, obſecrans ut clarificet quo fideles in ipſum credendo ſaluentur, nunc ſenſim deſcendit ad diſcipulos, pro quibus orans, & ipſos diuinæ commendat maieſtati. Plurima autem de his præmittit priuſquam pro ipſis oret, nimirum ut appareat dominum eorum non temere tantam gerere curam, neq; præter rationẽ tantopere commendare patri. Cohærent omnia inter ſe miro et indiſſolubili nexu ac ſeipſa illuſtrant atq; exponunt. Manifeſtaui, inquit, nomen tuum hominibus. Nomen patris eſt gloria, potentia, maieſtas, iuſtitia, miſericordia & ueritas patris. Manifeſtauit hæc per prædicationem euangelij & miracula potentiſſima, atq; eo modo glorificauit patrem: ut hinc iterum colliqueſcat quomodo filius glorificet patrem. Porrò gloriam patris manifeſtauit hominibus, nec quibuslibet, ſed quos, ait dominus, dediſti mihi de mundo. Dat filio pater quos ſpiritu illuminat, & attrahit fideq; donat, qua inſtructi & regeniti mundi ſtudia contemnunt. Mundi ſtudia ſunt hypocriſis, ſuperſtitio, idololatria, luxus, libido, impietas. Ab huiuſmodi ſtu-

Pietas diſcipulorum Chriſti.

diis retraxit diſcipulos Chriſti pater, & conſecrauit filio. Sequitur enim horum clarior expoſitio, Tui erant, & mihi eos dediſti. Elegit diſcipulos ex hoc mũdo pater ſibi ueluti peculium, ſed tradidit atq; adhærere eos fecit filio ſuo Ieſu Chriſto, qui ipſis prædicauit ſermonem euangelij, qui patris ſermo eſt: & hunc ſermonem ſeruauerunt, nimirum per fidem & ſtudium pietatis. Subtexitur enim, Nunc cognouerunt quod omnia quæcunq; dediſti mihi, abs te ſunt. Crediderunt nimirũ quod omnia dicta & facta mea, quamuis homo ſim uerus, prorſus tamen ſint diuina, unde omnem ſuam in te collocant fiduciam, idq; per me. Sequitur enim adhuc clarius, Quia uerba quæ dediſti mihi, dedi eis. Non aliam doctrinam quàm cœleſtem & diuinam ipſis in humana natura propoſui. Et ipſi acceperunt. Quomodo? Cognouerunt uere quod à te exiui: id eſt, quod ſim ſplendor tuæ gloriæ, & tuæ character ſubſtantiæ: & crediderunt quod tu me miſiſti, quod inquã bona dei uoluntate incarnatus, paſſus & mortuus ſim. Putat autem non ſine ratione S. Auguſtinus res futuras per præterita uerba pronunciatas. Diſcipulos enim tales tandem per aduentum ſancti ſpiritus eſſe factos. Plurima ex his decerpi poſſunt egregia dogmata, illud in primis quod diſcipuli Chriſti cœlitus trahuntur, & Chriſto conſecrantur: quod pij nihil curioſius de electione diſputant. Non enim in arcana dei conſilia irrumpunt, ſed ſeipſos in incarnationis myſterio exercent, & ſaluti ſuam in cruce Chriſti quærunt, ubi ſi ſentiant ſe Chriſto per fidem inſitos, credunt ſe à deo eſſe electos. Teſtatur hic item locus doctrinam Chriſti, id eſt euangeliũ regni traditum & prædicatum ab apoſtolis eccleſiæ, ipſiſſimum & eſſe & dici uerbũ dei. Dicit enim, Verba quæ dediſti mihi dedi eis. Indicatur hic quoq; quæ ſit uera dei cognitio, fides uera in Chriſtum, qua credimus quod ex patre exierit filius, miſſus

ab illo

ab illo in mundum, ut morte sua uiuificet mundum.

Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis.

His absoluitur orationis sensus hucusq; suspensus. Tale enim est quod dicit dominus, Hæc uero cum ita habeant & tales sint illi discipuli mei, ego pro eis rogo, hos tuæ fidei commendo, & ut eos serues oro: quemadmodum paulò post clarius sequetur. Nam propter longa hyperbata, & intertextas rationes aliquot paulò impeditior & obscurior est oratio. Miram autem emphasim habet quod dicit, Ego pro eis rogo, Ego inquam filius tuus oro, quem merito audis, & cui nihil denegare potes. Confirmat hoc fidem nostram, qui scimus filium dei orasse pro nobis, & haud dubie exauditum esse pro reuerentia, sicut apostolus dixit Hebr. 5. Non possunt ergo non confidere de dei bonitate quoties deum per nomen Christi orant. Iam uero egregias rationes intertexit quibus patri suos commendat, & quod in fidem suam ipsos recipere debeat ostendit. Principio, Pñ, inquit, adeoq; tui sunt, quibus inspirasti fidem, merentur ergo à te in fidem tuam recipi. Mũdus iterum usurpatur pro hominibus impie & scelerate uiuentibus in mundo. Nihil ergo, inquit, iniqui à te peto. Non enim impios tibi commendo, sed pietatis studiosos. Cæterum quando iam semel & iterum discipulos appellauit patris discipulos, ne quis ex hoc occasionem acciperet male sentiendi de sancta & adoranda trinitate, deq; identitate substantiæ diuinæ patris & filñ, interponit, Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Quibus uerbis quid poterat oro dici apertius? Eadem ergo est potestas, maiestas, ueritas, potentia, essentia, siue substantia patris & filñ. Sed & in 16. cap. idem dixit, Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt. Subdit aliam rationem, Et glorificatus sum in eis. Per prædicationem euangelñ & fidem apostolorũ partim iam erat coram populo Israelitico clarificatus, partim uero post acceptum spiritum sanctum clarificabatur, & tum quidem plenius. Quia itaque clarificant nomen meum, æquum est ut tibi illos habeas cõmendatos. Ex istis hæc ducuntur dogmata, Officium concionatorum ut præstantissimũ ita esse periculosissimum, quippe pro quibus filius dei patrem tam studiose obsecrat. Nisi enim concionatoribus magna imminerent pericula, non tam ardentem pro eis obtulisset precationem dominus. Debent autem isti magno & excelso animo omnia mala despicere, & firma fide domino suo adhærere, cui uident se usqueadeo commendatos esse. Mittuntur quidem in mundum, ut nomen Christi portent coram regibus & principibus, cæterũ qui misit ipsos nunquam deserit, & diligentissima ardentissimaq; oratione eos patri commendauit. Discimus item quibus Christi preces sint utiles, qui uidelicet Christi sunt, mũdo immersis nihil prosunt. Glorificatur Christus ueritatis euangelicæ pura prædicatione. Glorificãt ergo Christum homines, qui per euangelium eius gloriam annũciant. Gloriæ Christi hostes sunt quicunq; se prædicationi euangelicæ opponunt: hi etiam ignominia afficiunt deum patrẽ & unigenitum eius filium.

Filius dei orat pro nobis.

Omnia patris filij sunt, & omnia filij patris.

Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio.

Hanc rationem pulchre enarrans Cyrillus lib. in Ioan. 11. cap. 19. dicit, Quoniam se glorificatum in suis esse asseruit, iccirco magna retribuens pro eis modo rogat. Cur autem hoc faciat exponit, dicens, Non sum in mundo, & isti in mundo sunt, & ego ad te uenio. Præsens enim atq; conuiuens carne cum apostolis, manifesta consolatio erat ipsis cum oculis cerneretur. Solet enim humanus animus nõ

Christus nõ est corporaliter in mundo.

occultis, sed manifestis cõfidere. Quamuis ergo dominus cum etiam corpore absit, cuncta quæ uelit possit efficere (Iesus enim Christus heri ac hodie, ipse & in sæcula) præsentia tamen eius priuati apostoli, non turbari non poterant, præsertim cum magno æstu mundi fluctus in eos influerent, & omnibus modis ueritatẽ prædicantes deijcere conarentur. Quoniam ergo, inquit, ego ad te uenio: cito enim tibi cõregnaturus in cœlos ascendam, isti uero in terris permanent, de istis rogo: tui enim iam sunt cum mihi dati sint. Quare merito tuorum meorũq; curam non paruam habeo. Hæc Cyrill. Est itaq; in uerbis domini enallage. Dicit enim se iam non esse in mundo, qui paulò post nõ erat futurus in mundo. Nam cũ hæc loqueretur corporaliter erat in mundo: at cum assumptus in cœlũ corpore ageret in cœlis, nõ erat amplius in mundo. Quod nonnulli cõminiscuntur Christũ corporaliter esse in mundo, sed tamen inuisibiliter & modo quodam ineffabili & mundo incognito, scripturas torquent & corrumpũt. Ita hallucinantur qui aiunt Christũ in mundo non esse, aliud non esse quàm Christum non sapere more huius sæculi, quemadmodum apostoli tum adhuc sapiebant. Dominus enim significantissime dicit, καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ, Et non porrò siue posthac sum uel ero in mũdo. Imò ne quis adderet inuisibiliter, ille adiecit, Et hi in mundo sunt, quod superiori membro opponitur per antithesim. Cognitissimum est autem omnibus quomodo apostoli fuerint in mundo, ita uero et ad eum modũ dominus non est in mũdo. Sequitur enim, Et ego ad te uenio, corpore utiq; uisibili. Sed & Augustinus hũc locum enarrans Tract. in Ioan. 107. sic scribit, Si horam prorsus illã attendas qua loquebatur, utriq; adhuc in mundo erant, & ipse scilicet & illi de quibus hæc loquebatur. Non enim secundum profectum cordis & uitæ id accipere possumus uel debemus: ut illi propterea adhuc esse dicantur in hoc mundo, quod mundana adhuc sapiant, ille autẽ iam non esse in mundo sapiendo diuina. Positum est enim hic uerbũ unum quod nos ita intelligere omnino non sinat: quia non ait, Et non sum in mundo, sed, Iam non sum in mundo: per hoc ostendens fuisse se in mundo, iam non esse. Nunquid ergo fas est ut eum credamus aliquando mũdana sapuisse, & ab hoc errore liberatum iam illa non sapere? Quis tam impio sensu se induerit? Restat igitur ut secundum id quod ipse etiã in mundo prius erat, in mundo se dixerit iam non esse, profecto præsentia corporali, mundo scilicet absentiã suam iam cito futuram, illorũ autem tardius, per hoc ostendens quod se iam non hic esse, illos autẽ hic esse dixit, cũ & ipse hic & illi adhuc essent. Sic enim loquutus est homo congruens hominibus, ut mos loquendi sese habet & humanus usus. An non quotidie dicimus, Iam non est, de aliquo quantocius abituro? Et maxime hoc de morituris solet dici. Quanq; & ipse dominus tanq; præuidens quid lecturos monere posset, adiecit, Et ego ad te uenio, sic exponens quodãmodo cur dixerit, Iã non sum in mundo. Cõmendat ergo eos patri, quos corporali prẹsentia relicturus est. Hæc Augusti. est enarratio.

Pater sancte serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi ut sint unũ sicut & nos. Cum essem cum eis in mundo, ego seruabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis periit nisi filius ille perditus, ut scriptura cõpleretur: nunc autẽ ad te uenio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

Orat dominus patrem ut nos sanctificet.

Blandum patris uocabulum semel comprehendit quicquid est uirtutis diuinæ bonitatis & gratiæ. Addit epitheton sancte. Nã ex deo est sanctificatio omnis, quam hic postulat discipulis. Nunc enim expressius quid discipulis petat significat, Oro,

cat, Oro, inquit, pater sancte, ut eos sanctifices atq; serues, ad sanctificationem uidelicet & celebrationem tui nominis, ne ab impuro mundo polluantur. Serues autem per nomen tuum, per diuinam, inquam, potentiam: quam etsi communem & eandē cum patre possideat filius, petit tamen & orat hoc in loco sicut uerus & mortalis homo. Dignū autem est ut eos serues in officio cum eos mihi dederis ad sanctificationē & celebrationē nostri nominis. Addit & aliud quod petit, Vt sint unum sicut & nos. Quod non intelligendū est de unitate substantiali, quam uocant identicam, quasi apostoli deo sint consubstantiales, sed de cōcordia animorū, ut quemadmodum pater & filius substantia unū sunt, ita hi cōsensu mutuo unū sint. Nam id plurimū momenti in ea re habuit, ad quam perficiendam erant uocati. Concordia enim paruæ res crescunt, discordia magnæ dilabūtur. Vel, Oro, ait, ut quemadmodū ego iuxta hominē per omnia cōsentientem me præbui diuinæ uoluntati, ita & hi nuspiā à nobis in doctrina aut uita dissentiant. S. Cyrillus, Seruari, inquit, in beneuolentia & charitate discipulos uult, animo & spiritu & pacis certissimo uinculo sic ad unum copulatos, ut hæc uoluntaria unio, naturalis in filio & patre unitatis imago quædā esse uideatur: ut nullo uidelicet modo, nulla ui uoluptatis aut periculi frangi debilitariue possit, sed conseruetur in pietatis atq; sanctificationis unione charitatis uirtus intemerata: quod & factū esse in Actibus legitur apostolorum, Erat enim, inquit, credentium cor unum & anímus unus, in unitate scilicet spiritus. Docet ergo nos hic euangelij locus, charitatē integritatem, sanctificationem & perseuerantiam non esse ex nobis, sed ex munificentia dei, à quo hæc indefessis postulanda sunt precibus. Sequitur alia ratio, propter quam suos patri tanta commendat diligentia, & cur is in fidem suam cōmendatos recipiat, Quandiu, inquit, cum illis egi secundum corporis cōsuetudinem, adeo studiose eos non commendaui, ipse enim seruabam eos in nomine tuo, id est præsidio & uirtute diuina: nūc uero cū hinc mihi sit discedendū, hos tantopere tibi commendo. Ita enim absoluitur sentētia post aliquot interposita uerba. Nam obiter inserit ingens suæ diligentiæ studium, quod nemo eius perierit culpa & incuria, nisi perfidus Iudas, quem scriptura prædixerit proditurum dominum & periturum. De qua re dictū est in 13. cap. & in Matth. Quemadmodum autem stabilitas fidelium & indubitata salus fidelibus parata ex uerbis domini 10. cap. pronunciatis, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, colligitur: ita eadem ex præsentibus, Quos dedisti mihi ego ita custodiui ut nemo ex ijs perierit, nisi perditissimus ille nequam, quem scriptura propter proditionis perfidiæ & parricidij crimen periturum prædixit, colligi potest. Notum est autem omnibus, datos à patre appellari credentes: ergo si uere crediderimus in Christum, non peribimus, sed certo seruabimur Christi cura fideli & ineffabili beneficio. Iam quod sequitur, Et hæc loquor in mundo, ut habeāt gaudium meum impletum in semetipsis, occupationis habere uidetur speciem & sensum talem, Quod autem tam multis hoc negotium ago, & apostolorum incolumitatem tibi commendo, non ideo fit quod sciam te esse inexorabilem, durum, difficilemue, aut quod metuam te meis esse iniquum, aut quicquam dubitem de bonitate tua & diligenti cura, sed ideo hæc ago tam multis, ut mei illi hæc mea tam ardentia uota palàm audiant & credant quod tu ipsos per intercessionem meam usqueadeo ardentem & uehementem habeas tibi quàm commendatissimos, atq; inde gaudium meum in semetipsis habeant impletū, id est uere abunde & ex corde gaudeant, & in me quidem & propter me gaudeant. Acto. 1.

Christus uerus deus, saluator & consolatio nostra.

Rursus autem gratissimam Lectoribus rem facturus mihi uideor, si sanctissimi & acutissimi uiri S. Cyrilli enarrationem huius loci ex libro eius in Ioannē 11.

cap.21.in hoſce noſtros Cõment. transcripſero, ppter eos præſertim qui bonorũ librorũ inopia laborant, Paulatim, ait, clarior ſaluatoris redditur ſermo, & quaſi ab umbra ad ſolis radios, aut à fluctibus in ſtationẽ reducitur. Putabant enim diſcipuli abſentiã Chriſti, ut hominis dico (deus enim ubiq; adeſt) multorum eis incommodorum cauſſam futuram, cum non adeſſet qui ab omnibus eos poſſet malis eruere. Sed oportebat (dicam libere) ſi luminaria orbis poſtea facti ſunt, non ſolum in carnem Chriſti, uerum etiam in deitatem reſpicere, quæ quamuis oculis non cernatur, adeſt tamen ſemper ſumma cum poteſtate, nec quicquam eſt quod prohibere poſſit, quin omnia repleat, & quod uelit peragat. Nõ enim loco aut dimenſionibus circumſcriptibilis natura diuina eſt. Quare cum deus & homo Chriſtus uere ſit, oportuit eos intellexiſſe ineffabili deitatis poteſtate unà cum eis ſemper futurũ, etiamſi carne abeſſet. Iccirco enim ipſe quoq; in ſuperioribus dicebat, Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, aperte ſignificans deitatis ratione, non carnis præſentia eos poſſe ſeruari. Quippe ipſa etiam caro non à ſe ſancta fuit, ſed coniunctione uerbi ad uerbi uirtutẽ quodam modo reformata ſalutis atq; ſanctificationis participantibus cauſſa eſt. Non ergo carni ut caro eſt, operationis diuinæ uirtutem, ſed naturę uerbi attribuimus. Hoc enim & non aliud ſignificat, In patris nomine illos fuiſſe ſeruatos. Gloria enim dei certe ſeruati ſunt. Deſolationis ergo formidinem pellens, idem per eadem uerba ſæpius reuoluit, ſalutem illis non corporali præſentia ſed deitatis poteſtate futuram oſtendens. Idem eadem ferè repetens & in conſequente 22.cap. tandem dicit, Cum præſens eſſet carne Chriſtus cum diſcipulis, uniuerſa ſe facile ſuperaturos pericula putabant: illo uero abſente, omnia ſe extrema paſſuros arbitrabantur. Hac igitur de cauſſa dominus noſter Ieſus Chriſtus nec ſe hominem negans, & deum ſe eſſe oſtendens, deitatis nomen ut homini datum ſibi affirmat: in ſe autem & per ſeipſum conſeruari credentes à patre aſſerit. Ex quibus omnibus illud ſubtilius emergit, quod etiam cum ut homo adeſſet, non hac ratione ſed deitatis uirtute ac gloria illos conſeruabat. Nihil ergo mali uobis accidere poteſt, ait, ſi carne abfuero, cum deitatis meę poteſtas, quæ uos hucuſq; ſeruauit, in poſterum etiam ſeruatura ſit.

Rurſus ne uideretur hęc in derogationẽ carnis Chriſti ſuperbenedictę dixiſſe, mox ſubiungit idem, Hæc non ideo dicimus, quia domini corpus non magni æſtimemus, ſed quia mirabiles hos effectus gloriæ deitatis attribuẽdos putamus. Nam ipſum etiam domini corpus cõiuncti uirtute uerbi ſanctificatur, & ad benedictionem myſticam adeò actiuum ſit, ut poſſit ſanctificationem nobis ſuam immittere. (Credimus enim incarnatione uerbi nos ſanctificari. Credimus in Cœna fidelium myſtica Chriſtum operari, ſuamq; ſanctificãtionem ceu ſolem iuſtitiæ radios ſuæ gratiæ immittere pijs fide cœnã celebrantibus) Vnde ipſe quoq; ſaluator, cum ad Iudæos multa de carne ſua diſſereret, ac uiuificum uere panem eam appellaret. Panis enim, inquit, quem ego dabo, caro mea eſt quã ego dabo pro mundi uita. Stupentibus illis, & quomodo id fieri poſſet dubitantibus, dicebat, Spiritus eſt qui uiuificat: caro nihil prodeſt. Verba quæ ego loquutus ſum uobis, ſpiritus ſunt & uita. Aperte nanq; hic ad ſanctificandũ uiuificandumq; nihil prodeſſe carnẽ oſtendit, in quantum ſcilicet naturæ humanæ caro eſt. Ac protinus rediens ad explicanda præſentia ſaluatoris uerba, ſubdit, Cum igitur deitati ſeruatio tribuatur, non debetis, inquit, carnis præſentiam propter hoc deſiderare. Hæc in mundo loquor ut gaudium meum in uobis impletum ſit. Quod autem eſt impletum uere atq; perfectum gaudium? Vt ſciamus firmiterq; credamus, non ſolum hominem illum ſicuti nos, abſq; peccato, ſed uerum etiam deum eſſe. Hoc enim ſolummodo

pacto

pacto etiam carne absens seruare suos poterit: qui perfectum habebunt gaudium, cum se uirtute omnipotentis protegi non dubitent. Ista omnia transscripsi ex beato Cyrillo, in hoc ut rectius omnia huius loci & diuinæ orationis mysteria intelligantur.

Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia nō sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos è mundo, sed ut serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.

Pro robore in aduersis orat sanctis.

Nouam & efficacem affert rationem, quam mira elegantia & copia enarrans Paraphrastes, Graues, ait, persequutionum tempestates excitabit in illos mūdus, propterea quod mea doctrina non conuenit cum huius mundi cupiditatibus. Siquidem homines inhiant rebus terrenis & caducis, ego doceo cœlestia. Hanc doctrinam abs te mihi traditam tradidi illis, quam aspernante mundo hi pauci amplexi sunt, & ob hoc mūdus hos ueluti sui desertores, & ad nos transfugas odio prosequitur, non ob aliud nisi quod nobis adhærent, mundo renunciantes. Habet hic mundus illecebras ad tempus blandientes, habet sua terriculamenta minasq́, quibus fortem etiam animum frangit. His tuetur suam factionē & nostrā impugnat. Aequū est igitur ac nostræ benignitatis, ut qui à mūdi partibus desciuerūt ad nos, seq́ totos nobis crediderunt, totiq́ pendent à nobis, curæ sint tibi, quo mūdus intelligat tutiores esse qui se nostris tradunt præsidijs, q̄ qui nituntur auxilijs mūdi. Simplex illorum erga nos fiducia meretur cœlestem fauorē, & odium in eos mundi nostra caussa exortum prouocat nostram erga illos beneuolentiam. Non enim ideo sunt inuisi mūdo, quod fures sint aut homicidæ, aut raptores, aut impostores, sed quod immunes sint à uitijs huius mundi, ab ambitione, auaritia, liuore, fraudulentiaq́ pharisæorum, ab idololatria, à turpitudine cæterisq́ uitijs, quibus passim laborat mundus. Deniq́ ideo odit eos mundus, quod spreta doctrina pharisaica, spreta stulta philosophia mundi, simplici credulitate meis pareant decretis, quemadmodum me quoq́ mundus odit, quod tuæ uoluntati paruerim. De eo odio dictum est & cap. 15. Colliguntur ex his quæ dicta sunt hi loci, Doctrinam apostolorum Christi adeoq́ dei esse doctrinam. Quid enim manifestius quàm quod dicit, ego tradidi eis sermonē tuū? Vnde Paulus non temere dixit, Qui contemnit nos, non nos contemnit, sed deum qui dedit spiritū sanctum in nos. 1. Thes. 4. Doctrinam Christi siue apostolicā ex diametro pugnare cū traditionibus hominū. Oriri item odia mundi cōtra apostolicos uiros non ex maleficijs, sed beneficijs diuersisq́ studijs. Nunquam congruere Christum & mundum, euangeliū & philosophiam. Semper enim Christus uerax, purus & integer est. Mundus semper mendax, immundus & corruptus est. Amplius uero post hæc exprimit quid petat dominus,

Non rogat ut tollat nos è mundo.

Non rogo, inquit, ut tollas eos per mortē è mundo, id est è uita & conuictu mūdi, sed ut serues eos ἐκ τοῦ πονηροῦ ex illo malo, ne uidelicet superentur à diabolo, contaminentur à mundo, uiuentesq́ in hoc sæculo & inter homines, non reuoluantur in mundi factionem, sed perstent potius in fœdere nobiscum, ac impugnent mundum & sathanam mundiq́ & sathanæ studia. Discimus hinc quid orent sancti, nō ut extra periculum positi in uoluptatibus securi stertāt nihilq́ experiantur aduersi, sed ne diuino destituantur auxilio & uincantur à mundo & sathana, quoties suum facientes officium diabolum & mundum debellant. Neque enim boni uiri est labores detrectare, fugere ex hoc mundo, & posthabita utilitate publica, priuatæ suæ quieti consulere, sed audenter prodire in aciem & pugnare pro gloria dei

& ſalute eccleſiæ Chriſti. Hodie non pauci magno periculorũ metu, propterq́; huius mundi ingratitudinem & iniqua odia, deſerũt turpiter locum & officiũ ſuum, in quod fuerant collocati à domino: nihil diſſimiles ignauis monachis, qui ne huius mundi aleam atq; uices, ingratitudinem atq; feritatem experiri cogantur, fugiunt ex ponto illo procelloſo, & abdunt ſeſe in tutum aliquem portum ſiue nobile aliquod luſtrum. Optamus quidem non raro mortem periculorum & laborum mole propè oppreſſi, ſed cogitandũ interim erit quod Paulus ait, Super graui tentatione mea ter rogaui dominum, ut diſcederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Et quod idem dixit, Coartor ex his duobus, deſiderans diſſolui, & eſſe cum Chriſto, id quod multo longeq; melius eſt. Cæterum manere in carne magis neceſſarium propter uos. Quo nimirum alludens beatus Martinus epiſcopus, Domine, inquit, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborẽ: fiat uoluntas tua. Hęc itaq; cogitantes & uera imitantes fide, ſimus fortes atq; conſtantes in opere domini Ieſu, qui pro nobis orauit, nõ ut protinus ſuſtollamur in perſequutionibus & aduerſis ex hoc mũdo, ſed ne uincamur, frangamurq; à diabolo & mundo. Repetit deniq;, De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo, ut intelligamus Chriſto negotium eſſe non cum impijs & mundo implicatis, ſed cũ pijs & ſegregatis à mundo. Effectus enim uis & operatio uerbi dei, quod nobis traditũ eſt à Chriſto, in eo ſe prodit quod ſeparat nos à ſtudijs huius ſæculi, inſerit nos Chriſto, ſtudijsq; pietatis exercet.

S. Martinus epiſcopus.

Sanctifica eos per ueritatem tuam. Sermo tuus ueritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum: & pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati per ueritatem.

Iterum quid diſcipulis à patre petat exprimit, exponens interim quomodo ſeruari poſſint à mundo. Dixerat enim, Serua illos à malo: iam ergo addit, Sanctifica eos, id eſt emunda, inſtrue, conſecra, & idoneos effice ad regnum dei & prædicandum & percipiendũ. Per quid? Per ueritatẽ tuã. Quæ aũt illa? Sermo tuus ueritas eſt. Porrò ſermo dei nõ ſignificat apices, literas, ſyllabas & uoces tãtum, ſed ipſam rem ijs ſignificatam & annunciatam, fidem uidelicet & ſpiritum dei. Sanctificat enim deus per uerbum, ſpiritum ac fidem adeoq; per myſteriũ redemptionis uerbo prædicatum. Nam & Petrus dixit fide purgari corda noſtra. Et Paulus pronunciauit credentes ſanctificari ſanguine Ieſu Chriſti per ſpiritum dei noſtri. 1. Corinth. 6. Alij exponunt, Sanctifica eos uere, quod tunc fiet cum uerbum tuum ipſis uere reuelaueris, ipſi uerbum dei in corde retinuerint, & iuxta uerbum dei inſtituerint omnia. Alij ſic interpretantur, Sanctifica, id eſt inaugura, ſepara & ordina illos in tuam ueritatem, ad prædicandam uidelicet ueritatem uerbi tui. Sermo enim tuus illa eſt ueritas æterna. Sanctus Auguſtinus Tract. in Ioannem 108. Seruantur ex malo, inquit, cum ſanctificantur: & cum ſanctificantur in ueritate, utiq; ſanctificantur in Chriſto qui ueraciter dixit, Ego ſum uia, ueritas & uita. Nihil ergo aliud dixit, quàm Sanctifica eos in me. Sequitur enim, Sermo tuus ueritas eſt: filius autem ſermo eſt. Sanctificat itaq; pater in ueritate, id eſt in uerbo ſuo, in unigenito ſuo, &c. In nullo autem iſtorum ſenſuum ulla eſt impietas, deliget ergo Lector quem putarit eſſe appoſitiſſimum inſtituto Chriſti: qui mox cauſſam reddit, cur ſuos tantopere petat ſanctificari. Sicut enim tu me miſiſti in mundum: ita & ego miſi eos in mundum. Id quod per ſynekdocham exponendum eſt. Miſit pater filium in mundum ad redimendum mundũ. Apoſtoli uero non ſunt redemptores, ſed redemptoris legati, & redemptionis præcones. Miſit autem filium in mundum

De ſanctificatione.

Actor. 15.

mundum pater, non ut ſuam uoluntatem faciat, ſed eius qui miſit ipſum patris: ut oues fideles diſperſas reducat ad patrem doctrina pietatis, ut euangelium annunciet, denicq; & opera diaboli diſſoluat, impietatem euellat, pietatem plantet. Sic autem miſit & apoſtolos in mundum, nimirum ut euangelium regni non ullas hominum traditiones prædicent, oues errantes ad paſtorem ouium reducant, omnem ſuperſtitionem, impietatem & conſceleratione gladio uerbi dei excindant. Ad hanc autem rem perficiendam multa ipſis uirtute opus erat, unde dixerat, Sanctifica eos per ueritatem tuam. Imò aliud grauius & euidentius propter quod illos pater ſanctificet coniungit, Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſancti per ueritatem. Sanctificabat ſe pro apoſtolis dominus, cum ſe hoſtiam pro ſanctificatione offerebat deo patri. Hoſtia enim & peccatum appellabatur & ſanctificatio, quod uidelicet offerretur pro peccato ad ſanctificationem ſiue emundationē. Quandoquidem ergo ego me, inquit, trado hoſtiam immaculatam pro apoſtolis ad expiationem & ſanctificationem, merito tu ſanctiſſime pater illos uere ſanctificas, & pro ſanctificatis recipis, foues & tueris. Sanctus Cyrillus lib. in Ioannem 11. cap. 25. orthodoxe contexens myſterium redemptionis, & locum hunc enarrans, dicit, Si expertes ſancti eſſemus ſpiritus, nunquam deus eſſet in nobis. Si ſpiritum non haberemus, per quem in filios dei adoptamur, nullo modo eſſemus filij dei: nunc autem participes ſupremæ naturæ, & templa dei ſumus. Pro noſtris enim peccatis unigenitus dei filius homo factus, ut ſacrā hoſtiam in odorem ſuauitatis deo patri ſeipſum obtulit, ut cum è medio ablatum ſit, quod à deo nos ſeparat, id eſt peccatum, nihil nobis impedimento ſit, quin ſi uoluerimus deo adhæreamus, ac participatione ipſius per ſpiritum ſanctum fruamur, reformantes nos ad iuſtitiam, ad ſanctificationem & imaginem primam. Nam ſi peccatum à deo diſſeparat, iuſtitia certe coniunget, ac nullo quodam modo intermedio deo nos aſſiſtere faciet. Iuſtificati autem ſumus per fidem in Chriſtum, qui pro peccatis noſtris traditus eſt, ut ſcriptura dicit, & reſurrexit ut nos iuſtificaret. Tota enim in eo ut in primitijs ad nouam uitam natura hominis reparata, ad priſtinam conditionem & ſanctificationem conſcendit. Sanctifica igitur eos in ueritate tua, id eſt in me, pater, ait: uerbum enim tuum, id eſt ego, ueritas eſt. Sanctificauit autem ſeipſum pro nobis, id eſt, obtulit, cum pro uniuerſis unus mortuus ſit, ut omnes ad nouam uitam reformaret: ut ſancti ſint in ueritate, id eſt in Chriſto.

Chriſtus ſancti ficat ſe pro eccleſia.

Non pro eis autem rogo tantum, ſed pro ijs qui crediturí ſunt per ſermonem eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quod tu me miſeris.

Vltimo loco orat non pro apoſtolis & miniſtris duntaxat uerbi, ſed pro omnibus apoſtolicæ doctrinæ credentibus. Dicit enim, Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro ijs qui crediturí ſunt per ſermonem eorum in me. Non dicit Credunt, ſed Crediturí ſunt: ita enim cōplexus eſt oēs fideles ad finē uſq; mūdi. Quibus uerbis cōfirmant fidē ſuā in tentationibus ſancti. Quoties enim obijcit ſathanas, negotiū myſterij redemptionis nihil ad te pertinere, & dominū ſuis illis ardentiſſimis precibus apoſtolos nō te cōmendaſſe patri, mox hic locus confirmans occurrit, phibens dominū ſe immolaſſe & oraſſe ꝓ oībus credētibus. Itaq; ſi tu credideris ꝓ te obtulit ſe dñs, ꝓ te orauit, & exauditus eſt. Cōmendatur itē nobis uerbi miniſteriū. Nō deſcēdit ad nos in horas dñs, neq; angelos nobis mittit qui nos eru-

Chriſtus orat pro omnibus fidelibus.

diant. Semel descēdit, ac plenissime omnē tradidit sapientiam, delegit sibi testes & totius orbis doctores apostolos: in horum ora posuit sapientiā, id est uerbum ueritatis, ac per ipsos orbi loqui uoluit. Qui ergo apostolorum doctrinæ & testimonijs credunt, ipso domino Iesu Christo credunt, & recte credunt. Credunt autem apostolis, qui hodie apostolicam doctrinam ex prædicatione ministrorum recipiunt, & ita recipiunt, sicut illa apostolorum scriptis est prodita. Pro his omnibus immolauit se Christus, pro ijsdem & preces obtulit patri: atq; hi credunt in ipsum, nō ut hominem duntaxat, sed ut deum uerum. Quid autem orauit pro credentibus? Vt omnes unum sint. In unitate, inquam fidei, spei ac charitatis compacti: iuxta illud apostoli, Hortor uos, ut ambuletis sicut dignū est uocatione qua estis uocati, cum omni mansuetudine tolerantes uos inuicem per charitatem, studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis. Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodū & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus, & pater omnium. Iam & unionis arctissimā cōnexionem significare uolens, addit, Sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Quomodo uero pater in filio, & hic in illo sit docui in 10. & 14. cap. Substantia siue essentia, potentia & natura pater & filius unum sunt. Sic autem homines non sumus cum illis unum, sed nostro more coniunctione spiritus & uoluntatis. Atq; hunc in modum exposuit & D. Augustin. Tract. in Ioan. 110. Nec uariat ab ea S. Cyrillus, qui lib. in Ioan. 11. cap. 26. Charitatis, ait, pacis & concordiæ uinculum petit, quod ad tantam spiritalem credentes unionem perducat, ut naturalis consubstantialisq; in patre, filio atq; spiritu unionis similitudinem imitetur. Nec tamen huius charitatis uirtus atq; connexus efficere unquam poterit, ut incommutabiliter in identitate substantiæ ita uniamur ut modum unitatis diuinæ assequuti uideamur. Et cætera. Idem tamen mox contra Arrianos disputans copiose affert subtiliorem huius loci enarrationem, docens fideles cum deo corporaliter & spiritualiter uniri. Id quod breuioribus constringens in cap. 27. Corporaliter, inquit, filius, per benedictionem mysticam (per mysterium inquā incarnationis, qua nobis benedicitur natura nostra alioqui maledictis: uel per fidelem Cœnæ communionem, in qua ueri corporis & sanguinis domini memoria celebratur) nobis ut homo unitur, spiritualiter autē ut deus sui spiritus gratia nostrum ad nouam uitam & diuinæ naturæ participationem spiritum redintegrans. Nexus igitur unionis nostræ ad deum patrem Christus est: nobis quidem ut homo, deo autem patri ut deus, naturaliter unitus. Non erat enim possibile corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atq; incōmutabilis ad eā descendisset, ac cōmunione participationeq; sui à mortalitatis nostræ terminis ad summū bonum reformatos eleuaret. Plura de hac expositione qui cupiunt, uel ex hoc authore, uel ex 8. lib. S. Hilarij de Trinit. petant. Appēditur, Vt credat mundus quod tu me miseris. Nam ex unione atq; cōsensu sanctorū, quam habent primo cum ipso numine, deinde inter sese, colligunt omnes caput huius corporis filium esse dei. S. Augustinus existimauit hunc locum luculentiorem futurum si tertio repetamus uerbum rogo, ad hunc modum, Rogo ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Rogo ut ipsi in nobis unum sint. Rogo ut credat mundus quod tu me miseris. Atq; hoc modo uideretur dominus tria postulasse fideli ecclesiæ. Principio ut ipsa inter sese concors cohæreat. Deinde ut cum deo coniuncta sit. Postremo ut firma fide in Christum credat. Nam fide in Christū conjungimur deo: ex fide charitas existit, quæ unit & conglutinat nos cum omnibus sanctis.

Vnitur nobis Christus corporaliter & spiritualiter.

Et ego

Et ego gloriam quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint cõsummati in unũ, & ut cognoscat mundus, quod tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti.

Gloria, immortalitas, clarificatio & uita beata est, quã ut homo uerus accepit, & dedit siue daturus est credentibus, si uidelicet unum sint. Modum iterum addit arctissimæ unionis, Sicut nos unum sumus, natura uidelicet & substantia: ita illi quoq; unum sint consensu, uoluntate & pace. Id autẽ fiet si ego fuero in eis. Tunc enim tu quoq; in ipsis futurus es, pater, qui in me es & ego in te. Ita demum fiet ut consummatissima futura sit unio sanctorum, primo uidelicet illorum nobiscũ, deinde ipsorũ inter sese. Atq; inde colliget orbis Iesum esse uerũ dei filiũ: colliget ineffabili gratia deum cõplecti genus hominũ, ac charitate ardentissima amare ecclesiam. S. Augustinus, In illo quippe nos pater diligit, inquit, quia in ipso nos elegit ante constitutionem mundi. Qui enim diligit unigenitũ, profecto diligit & membra eius, quæ adoptauit in eum & per eum. Nec ideo pares sumus unigenito filio, per quem creati & reconciliati sumus, quia dictum est, Dilexisti eos sicut & me. Neq; enim semper æqualitatem significat, qui dicit, Sicut illud ita & illud, sed aliquando tantum quia est illud, est & illud: aut quia est illud, ut sit & illud, &c. Beatus Cyrillus cap. 27. eodem lib. quem iam citaui ista ad hunc modum exponit, Intelligitur in Christo unitate ineffabili caro sanctificata absq; ulla confusione ad unitatem uerbi ascendere, & per uerbum ad unitatem patris, habitudine quadam scilicet & non naturaliter. Hanc igitur, inquit, claritatẽ & gloriam quam dedisti mihi pater, quæ est ut tecum unum sim, dedi eis, ut sint unum sicuti nos unũ sumus. Vniuntur enim inter se fideles, uniuntur autem etiam deo. Et modũ ipse saluator aperuit, dicens, Ego in ipsis, & tu in me, ut in unum sint consummati. Cõsummati inquam sumus, reductiq; ad unionem dei patris, mediatione saluatoris, id est Christi. Filium enim dei natura patri unitum, corporaliter substantialiterq; (ut dictum est) accipientes, clarificamur glorificamurq; supremæ facti participes naturæ. Quando igitur per me tibi patri coniungentur, tunc mundus cognoscet quia tu me misisti, & quia eos etiam quos tibi per me coniunxisti sicuti meipsum amauisti. Et cætera.

Pater, quos dedisti mihi uolo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant gloriam meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante conditum mundum.

Rursus quid petat indicat, Volo, inquit, pater ut ubi sum ego, & illi, quos uidelicet dedisti mihi, sint mecum. Emphasim autem peculiarem habet, quod dicit, Volo, & non Peto uel Rogo. Tametsi enim ut homo, pontifex, mediator & intercessor oraret pro nobis, uoluit tamen inter orandum significare quod iuxta diuinam substantiam simul cum patre confert uitam & felicitatẽ æternã. Sed quibus? Quos pater ipsi dedit. Dati isti sunt credẽtes, sicut iam sæpe ostendi. Quid his à patre postulat filius? Quid confert cum filio? Vt ubi sum ego, inquit, & illi sint mecum. In æterna uidelicet gloria. Sequitur enim per expositionem, Vt uideant gloriam meam, id est meipso fruantur in gloria. De qua & Ioãnes apostolus scribens, Scimus, inquit, quoniã si apparuerit, similes ei erimus: quoniã uidebimus eũ sicuti est. Et Paulus, Nostra conuersatio in cœlis est, ex quo & seruatorẽ expectamus dominũ Iesum Christũ, qui transfigurabit corpus nostrũ humile, ut cõforme reddat corpori suo glorioso. Hæc prius quoq; in 12. & 14. cap. tractata sunt. Datã uero

Postulat nobis filius gloriam æternam.

sibi dicit gloriam propter assumptam naturam humanã. Nam iuxta diuinã omnia cum patre habet communia. Cæterum ante constitutionem mundi dilígi se ait à patre, uirtutem huius mysterij antiquissimam ostendens. Præsciuit enim deus mo dum salutis nostræ, quæ mediatione Christi cõsummata est; adeoq; in dilecto nos dilexit. Fuit autem filius in æterna apud patrem dilectione.

Christus iuxta carnem creatura.

S. Augusti. Tract. in Ioan. III. multis hunc domini sermonem, Volo ut ubi ego sum & isti sint mecum, exponens, & ad humanam & ad diuinam retulit naturam Christi. Verba eius hæc sunt. Quantum attinet ad creaturam in qua factus est ex semine Dauid secundum carnem, nec ipse adhuc erat, ubi futurus erat, sed eo mo do dicere potuit, Vbi ego sum, quo intelligeremus quod cito fuerat ascensurus in cœlũ: ut iam ibi esse se diceret, ubi erat mox futurus. Potuit & illo modo quo ante iam dixerat loquens ad Nicodemum, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descen dit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Nam & ibi non dixit, erit, sed, est, pro pter unitatẽ personę, in qua & deus homo est, et homo deus. In cœlo ergo nos futu ros esse ꝓmisit. Illò enim forma serui leuata est, quam sumpsit ex uirgine, & ad pa tris dexteram collocata. Propter spem tanti huius boni & apostolus ait, Deus au tem qui diues est in misericordia, propter multam charitatem qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia sumus salui facti: & simul excitauit et simul sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Hoc ergo potest intelligi dixisse dominum, Vt ubi ego sum & illi sint mecũ: & ipse qui dem de se dixit quod ibi iam esset: de nobis autẽ uelle se dixit, ut essemus ibi cum illo, non quod iam essemus ostendit: apostolus autem quod dominus uelle se dixit ut fieret, tanquam factũ fuerit est loquutus. Non enim dicit, Excitaturus est nos, & in cœlestibus sedere facturus: sed excitauit & in cœlestibus sedere fecit: quia nõ inaniter, sed fideliter iam deputat factum, quod futurũ esse non dubitat. Quod ue ro attinet ad formam dei, in qua æqualis est patri, si secundum eam uelimus intelli gere quod dictum est, Volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, abscedat ab animo omnis imaginũ corporalium cogitatio, quicquid menti occurrerit, longũ, latum, crassum, qualibet luce corporea coloratum, per quælibet locorũ spacia uel finita uel infinita diffusum. Ab his omnibus quantũ potest aciem suæ contemplationis uel intensionis auertat, & non inquiratur æqualis patri filius ubi sit: quoniam ne mo inuenit ubi non sit: sed qui uult quærere, quærat potius ut cum illo sit, non ubiq; sicut ille, sed ubicunq; esse potuerit. Et reliqua.

Pater iuste & mundus te non cognouit: ego autem te cognoui, & hi co gnouerunt quod tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in eis.

Confirmatur fides piorum.

Rationem subijcit quare uelit cultores suos eo agere in loco in quo ipse glorifi catus habitabit, eaq; ipsa confirmat fidem ecclesiæ. Iustum cognominat patrem, ut iustitiæ & æquitatis admoneret. Suadebat sanè iustitia eos glorificare quos à mun do abstraxerat pietas deoq; coniunxerat religio: quemadmodum eadem dictabat merito abijciendos esse mũdo innexos, quod nollent oculos recipere, & uiuere in Christo. Sensus ergo huiusmodi est, Iustitia tua, ô pater, poscit ut illos meos recipi as atq; glorifices discipulos. Desciuerunt enim à mũdo & se nobis cõsecrarunt. Si cut enim te noui exactissime, ita te illis diligenter prædicaui, quod bene uelis mun do, ideoq; me miseris in mundum, ad saluandum omnes credentes. Id uero recepe runt syncera fide, & crediderũt quod tu me miseris, id est receperũt redemptionis mysteriũ, repudiarunt mundũ & uoluptates mundi. Iniquissimũ aũt foret si huius

sæculi

ſæculi pariter & futuri ſpoliarẽtur gaudijs atq; uoluptatibus. Sequitur, Et notum feci eis nomen tuum, &c. Quaſi dicat, Quod ſi his aliquid deeſſe uidetur, ego fideliter ſarciam. Cœpi illis tuam, ô pater, gloriam enarrare, eam plenius porrò enarrabo. His finis pariter omnium appenditur, Vt dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, id eſt pleniſſime perfectiſſimeq; diligant, & abſolute & uere pij & religioſi ſint. Id quod fiet ſi ego fuero in eis, ſpiritu uidelicet & uirtute. Ea docent nos quid in ſtudio religionis ante omnia ac unice ſpectemus, ut dilectio dei ſit in nobis, & nos in Chriſto, & Chriſtus ipſe in nobis. Hactenus ſe totũ omniaq; ſua patri obtulit moriturus dominus, commendauitq; diſcipulos ſuos, & omnes credentes fidei & curæ dei patris, ſuo nimirum exemplo nos docens, nos & noſtra omnia commendare domino: ſicut & S. Petrus docuit, dicens, Omnem curam ueſtram conijcite in dominum. Nam illi cura eſt de nobis. Quod qui faciunt, tranquilliore animo mortem opperiuntur.

Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. CAP. XVIII.

Hæc eſt poſtrema euangelicę hiſtoriæ pars, qua deſcribitur diligẽter quomodo Chriſtus ſeſe p peccatis noſtris ſponte tradiderit in mortẽ, tertia autẽ die è mortuis reſurrexerit, & uitam ac immortalitatẽ nobis reduxerit. Hanc partem leuius perſtringemus, quod pleraq; in Matth. ſcribens tractaui, unde qui uolet petat. In præſenti 18. cap. hæc potiſſimum deſcribũtur quid actum ſit in horto montis oliuarũ, quid in curia ſummi pontificis, præterea in prætorio proconſulis Pilati actione uidelicet prima. Cæterum ab initio protinus more ſuo hiſtoriæ textum connectit huiuſmodi ferè uerbis, Poſteaq; dominus Ieſus confirmaſſet ſuos & patri cõmendaſſet, lubens iam periculis & morti ſe exponens, tranſmiſſo torrente cedron, in hortum ſeſe cum delectis tribus recipit diſcipulis. Mons uero oliuarum proximus urbi imminebat, propè medius profunda ualle fiſſus, qua torrens cedron perfluit. Adeo autem mœnibus uicinus erat, ut in fatali illa obſidione, Titus Veſpaſiani filius, Iudæos fame confecturus, cum murum ingenti opere circũ urbem duceret, partem etiam montis oliueti complexus fuerit, teſte Ioſepho. Monuit autem Eraſ. in Annotat. ſuis articulum additum τῶν κέδρων indicare Cedron non eſſe nomen Hebraicũ, ſed cedrorum. Opinatur enim torrentem ita dictum quod hinc & hinc cedros haberet, quemadmodum dictus eſt mons oliuarum. S. Hieron. meminit huius nominis in locis Hebraicis, indicans torrentem ac uallem eſſe eius nominis ad orientalem plagam urbis Hieroſolymitanæ. Alij contendunt Cedron uocem eſſe Hebraicam, & torrentem nomen illud habere ab opacitate ramorum. Vtcũq; uero id habeat, meminit huius torrẽtis ſacra ſcriptura 2. Samuel. 15. ubi Dauid fugiens tranſit torrentem cedron & lachrymatur. In hoc torrente exuſta ſunt ſimulachra temporibus Aſæ & Ioſiæ regum Iuda. Porrò in hortum concedit dominus quod is aptus eſſet precationibus, utpote ſemotus à turbis. De triplicata prece dixi Matth. 26. Cyrillus lib. in Ioan. 11. cap. 31. myſterium in eo quæſiuit, dicens, Hortus autem admonebat paradiſi. Ad priſtinum enim omnia recurrere oportebat. Et ut in paradiſo malorũ initium factum eſt: ſic in horto Chriſti paſſio incipit, per quam à malis liberati, in priſtinũ habitum reſtituti ſumus.

Venit Ieſus in hortum montis oliuarum.

Torrens cedron.

Nouerat autem & Iudas qui prodebat eum, locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cum accepiſſet cohortem, & à pontificibus ac phariſæis miniſtros, uenit illuc cum laternis & facibus & armis.

Interseruntur hæc ut intelligamus qua occasione cohortem ad hortum duxerit Iudas, Non ignorabat hic quod dominus Iesus frequenter multa nocte eò se solitus sit subducere orandi gratia cum discipulis suis. Commendat ergo hic nobis locus precationem eamq; frequentissimam. Docet item domesticos & familiares nostros si fiãt ex amicis hostes multò nocere grauius quàm alienos. Ita uero grauius afflixere ecclesiam hypocritę, hæretici, quàm sanguinarij Romanorũ tyranni. Vide autem quàm industrius & sedulus in pessimo opere sit proditor. Discipuli domini fideles dormiunt in horto: at proditor circuncursitat & parat sibi cohortem, σπεῖραν funẽ siue cateruam, manipulum uidelicet nebulonum, quem ipsi dabant pontifices & pharisæi. Qua in re relictus est nobis generalis typus perpetuæ persequutionis sanctorum. Nunquam carebit persequutione ecclesia. Persequutores erunt ex omni hominum genere, ex omnibus ordinibus. Nam ipsum ecclesiæ caput persequũtur pontifices, pharisæi, magistratus populi, ipsa plebs & plebis fex, adeoq; Iudas unus ex numero duodecim. Magna erat tunc pharisæorum & sacerdotũ in urbe potentia. Nam maximus erat è redditibus templi quæstus. Præerant illi templo, quod tuebantur armis. Alebant præterea numerosam famulorum turbam, ut fit, ex facultatibus ecclesiasticis: ex quibus cohors, cuius dux erat Iudas, confluxerat. Afferebant hi secum faces & laternas contra noctis caliginem, necubi quem quærebant latere posset. Afferebant et arma, quibus arcerent, si qui contra iniuriam tueri pergerent dominum. Huiusmodi armis oppugnant & hodie ecclesiam Christi hypocritæ & impij.

Domestici hostes.

Iesus itaq; sciens omnia quæ uentura erant super se, processit ac dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ergo ei, Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, Dixi uobis quod ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt compleretur sermo quem dixerat, Ex ijs quos dedisti mihi non perdidi quenquam.

Sequitur quanta magnanimitate atq; constantia obuiam ierit dominus periculis, & quomodo se gesserit in aduersis, & quod sua sponte tradiderit sese in mortẽ, quam si uoluisset uel declinare uel subterfugere potuisset. Sic autẽ perpetuò coniungitur humilitati gloria, ut quos in Christo offendit ac deijcit humanæ naturæ crucisq; ignominia, eosdem mox fulciat & erigat diuinæ naturæ maiestas & gloria. Duo autem spectanda sunt in insigni illa Christi obedientia ac humilitate. Alterum his uerbis exposuit apostolus, Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam unius iusti constituentur multi. Alterum his uerbis exposuit Petrus, Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ ut insequeremini uestigia ipsius. In illis denicq; mira elucescit dei iustitia, & proponitur generale exemplũ quomodo deus agat cum hominibus. Ante omnia diligenter monet adeoq; & præscribit quid agamus, quæ illi placeant, quæ displiceant: ostendit præterea quis uires suppeditet, & unde petamus facultates, ubi diserte demonstrat imbecillitatem uirium humanarum, interim amplissime suam promittens gratiam, suum auxilium & uirtutem cœlestem, siquidem credamus & oremus sedulo: quo & uarijs perpellit argumentis. Ea si segnius recipiantur, aut temere cõtemnantur, flagris nos adoritur semel atq; iterũ imò

Humilitas Christi intermixta est gloriæ.

Iustitia dei & modus agendi cũ hominibus.

imò frequentius, si fortè uerberibus emendentur, qui uerbis erudiri renuerunt. Quod si hic quoq; fuerimus incurabiles, nostra indurati malitia, nostris relinquimur erroribus. Ad eum uero modum in præsenti procedit negotium. Hactenus enim diligenter erudijt Iudaicam gentem dominus, quid uidelicet ageret, quomodo placeret deo, quomodo cõsequeretur uitam & beatam felicitatẽ, & per quem. Nec ignorabat ipsum impia militum turba, ad quos fama peruenerat & doctrinæ & miraculorum Christi, nihilominus uicti cupiditatibus, contra iustum & uitæ largitorem insurgũt contẽptores. At hic protinus cohibere reprimereq; cupiens miserorũ ferociam, & uerbis ipsos admonet, & facto castigat planè diuino & prodigioso. Obuiam enim illis procedens, diligenter perquirit quem quærant. Non erat ipsis ignotus Iesus, præsertim cum addatur ab euangelista, Iudam quoq; proditorem stetisse cum eis: mysterium itaq; & magnum affectum habet quæstio domini. Quasi dicat, Adestis armati & infestis animis, rapturi me ad crucem, sed uidete interim quid agatis, quem quæratis, uitæ uidelicet authorem ad interitũ, benefactorem ad supplicium. Isti uero præfracte nec sine insigni contemptu respon santes conclamant, Non inquirimus uirum bonũ aut sanctum, sed Iesum Nazarenum. Per contemptum enim ac cõtumeliam appendunt Nazarenum. Etenim & Nathanael dixerat, A Nazareth potest aliquid boni esse? Ergo cum nihil apud eos ualeret eruditio & admonitio, uerbis addit castigationem, ut ipsa re potentem dominum sentirent, quem ceu impotentem persequebantur. Sternit enim armatos, non ullis uel suis uel suorum armis, sed ui & potentia diuina. Dicit enim, Ego sum, non utiq; impostor, sed uerus & uiuus dei filius, dominus rerum omnium & saluator mundi. Cæterum ut sentiatis me esse potentem rerum dominum, eueniet uobis quod omnibus meis continget hostibus, ut in hoc sæculo incipiant cadere, in futuro in æternũ ruant interitum. Simul enim atq; dixisset dominus, Ego sum, correpta cohors uelut epilepsia quadam, repulsaq; in tergum, concidit ceu fulmine attacta in terram. Verum præferentes typũ eorum qui ne uerberibus quidem aut ullis plagis emendantur, resumpto mox spiritu & animo impio, exiliunt, ac in instituto suo pessimo pergũt. Sed retinet illos adhuc dominus, & quid faciant admonens, repetit, Quem quæritis? Quasi dicat, Mirum sanè si in uestro pergere autetis instituto, cum modo senseritis quem quæratis, dominum rerum omnium & omnipotentem: qui si saluti generis humani conduceret, & uestra posset effugere uincula, & uos unà cum armis uestris redigere in puluerem. Cum uero isti omnino essent incurabiles, & cum cõtumelia domini cõclamarent, se inquirere Iesum Nazarenum, nimirum seductorem & pseudoprophetam, hæreticum atq; seditiosum, tum demum relinquit induratos propria malitia, suis erroribus, ac permittit se eis, repetens tamen se esse Iesum, non utiq; maleficum, sed beneficum & saluatorem mundi. Interim uelut bonus pastor oues sibi creditas, propriæ uitæ dispẽdio conseruat, potentiam suam denuo exerens, dum uidelicet hostibus præcipit, ne discipulos affligant. Fuit autem hoc præceptum tam efficax, ut ne Petro quidem ferienti Malchum uel tantillum nocuerint noceréue potuerint: quod certè haud sine grandi euenit miraculo. Est & alia causa ob quam in præsenti oportuit parci discipulis, Vt compleretur, inquit, sermo quem dixerat, Ex ijs quos dedisti mihi non perdidi quenquã. Reperiuntur hæc in 17. cap. huius historiæ. Neq; nunc eos affligi cædiue oportebat, quos magistros & doctores orbis, testes mortis & resurrectionis suę ordinarat. Ita quoq; declarabat nihil euenire sanctis, nisi domino permittente, & hos esse tutos & securos abunde satis, si degant sub protectione altissimi. Illud uero non sine miraculo & scriptum & legẽdum esse puto, Stabat autem

Pastor dispendio uitæ propriæ cõsulit ouibus.

& Iudas cum eis. Quis enim non obstupescat domino dilectũ discipulum ex choro desciuisse sanctorum, & sectari nunc partes latronum siue sicariorum? Merito ergo exclamabat ille, Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? In quæstione illa domini, Quem quęritis? alium sensum Cyrillus est sequutus q̃ nos. Verba eius hæc sunt, Considerãdum etiã est, quia cum Iesus dixisset, Quem quęritis? non insilierunt in illum, sed quasi non uidentes, Iesum, inquiũt, Nazarenum. Sed non cognouisse milites Christum nec ministros Iudæorum, quispiam dicet. Quomodo autem poterant ministri sacerdotũ Christum, qui quotidie Christum in templo docebat, non cognoscere? Verum ne quis ista cogitaret, necessario euãgelista proditorem quoq; cum militibus & ministris stetisse narrat. Quomodo igitur ille Christũ non nouit? An quia nox erat? Sed hoc quoq; mirabilis euangelij scriptor præuidit. Cũ facibus em̃ & lanternis fuisse eos exposuit. Potestas ergo diuina Christi enituit, qui quãuis se quærentibus offerret, minime tamen cognoscebatur. Verum ut aperte ab illis non posse cognosci nolentem ostenderet, Ego sum, ait. Deinde ut etiam nihil posse aduersus uirtutem suam magnas militũ cateruas monstraret, hoc miti sermone in terras illos prostrauit, &c. Lib. 11. cap. 33.

Simon ergo Petrus cum haberet gladiũ, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro, Immitte gladium tuum in uaginam. An non bibam poculum quod dedit mihi pater?

Passio Christi spontanea.

His quoq; testatur dominus passionẽ suam esse spontaneam, cum prohibet Petro defensionem. In Petro commendatur nobis amor & studium Christi & ueritatis. Conijcit se in magnũ discrimen: nec uituperari meretur studium, sed affectus agendiq; imprudentia. Dominus ostendit ex iustitia dei esse quod patitur, ac iustitiæ dei sic oportere fieri satis. Poculum autem poni pro calamitate & societate malorum alibi diximus. Omnibus certè nobis uaria parata sunt mala, quæ cũ in nos exonerantur, cõsolari nos debet quod nihil fit sine dei prouidentia, quodq; Christus prior bibit poculum, ipsumq; nobis propinauit. Reliqua pete ex Matth. 26. capite.

Cohors igitur & tribunus ac ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & abduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is, qui consilium dederat Iudæis, quod expediret unum hominem mori pro populo.

Ducitur primũ ad Annam dominus, mox ad Caiapham.

Primum quod in horto circa dominum euenisse commemorat Ioannes, est uirtus domini prosternentis unà cum tribuno cohortem. Secundũ est infelix illa Petri pugna. Postremum iam sequitur quod captum & ligatum dominũ deduxerint sic uinctum primo ad Annam, mox autem ad Caiaphã, q̃ hic eo anno primi summiue pontificis dignitate excelleret. Quibus adijcit paucula quædam quæ pertinent ad summi præsulis descriptionem uel notationem. Significãter autem dixit, Cohors & tribunus & ministri comprehenderũt Iesum, ut notaret crudelitatem, cum unus reluctantem uincire potuisset. Porrò ligatus est dominus, ut nobis tenebrarum uincula dissolueret, & patientiam doceret maximã, si quando propter euangelium nobis inijcerẽtur uincula. Tribunus cohortis erat dux ac imperator militibus prę fectus à collegio pontificali. Adducitur ad Annam primum, nimirũ

authorem

authorem huius parricidij, non postremum. Huic inquam adducitur dominus, ut ex ludibrio & uinculis eius caperet uoluptatem. Ac erat summa inter primores sacerdotum necessitudo affinitasq, quæ plurimum semper momenti habuit ad opprimendam ueritatem, & affligendos sanctos, cum coijt ex pessimis. Deut. 7. 3. Regum ultimo. De Consilio Caiaphæ dixi cap. 11. Commodum autem hoc repetitur mox in initio passionis domini, ut inde colligamus passione Christi nos liberari ab interitu. Et præstat quidem hunc passionis dñi finem perpetuò habere ob oculos.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum. Stabant autem serui & ministri qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se.

Quid actum sit in curia pontificis.

Sequuntur quæ euenerunt in Curia pontificis, non Annæ, sed Caiaphæ, & primum quidem se offert negatio Petri, quam Ioannes secat in partes, interposita inquisitione contra Iesum instituta à pontifice. Nam hæc duo uidebantur digna quę euangelista contexeret de ijs quæ gesta sunt in Curia præsulis. Quod sequitur præceptorem suum Petrus, amoris erat indiciũ. Quod autem ingredi tremiscit, & ingressus, atq; ab ostiaria interrogatus, etiam in conspectu alterius illius discipuli, quem Ioan. Chrysost. & Cyrillus putant fuisse Ioannem, dominũ diserte negat, infirmitatis est humanę. Appendit Paraphrastes, Hæc nimirũ est prima professio uolentium principũ aulis sese addicere, abnegare Christũ, id est ueritatem. D. Ioan. Chrysost. homel. in Ioan. 82. putat Ioannem nõ citra laudem recitasse q dominum in atriũ sequutus sit pontificis: mox tamen subdit, Et animaduerte quomodo propriæ laudi demit. Ne quis enim diceret, Quomodo omnibus aufugientibus ipse ingressus est? Causſam affert, q fuerit notus pontifici, ne quis se sequutum admirare tur, néue id adscriberet fortitudini. Neq; enim tanq; rem magnam dicit se notum pontifici, sed cum solum se cum Iesu uenisse dixisset, ne putares animi magnitudine factũ, causſam affert, &c. Cæterũ, Dixit ostiariæ, pro eo posuit quod est, Loquutus est cũ ostiaria, ut intromitteret Petrũ, id quod fecit. Rogat hæc introductũ amice, Num & tu, nimirũ sicut ille tuus socius, ex discipulis es hominis illius, miseranda uidelicet, uel seductoris? Quo magis mirandũ est quis horror adeo transuersum abripuerit Petrum, ut tam cito negaret dominũ, cum nihildum ipsi ex cõfessione libera periculi immineret, præsertim apud imbellem mulierculam, & præsente ad huc socio altero illo discipulo, cui nihil mali ex eo conflatum uidebat, q discipulus esset, attamen non erubuit dominũ in ipsius quoq; socij sui cõspectu negare. Tanta uidelicet est humanæ imbecillitatis miseria & calamitas, quam in Petro detegi oportuit, quo uidelicet simus oculatiores & uigilãtiores in omnibus quæ agimus. Post hæc immiscuit se Petrus aulicis siue curialibus, ut uocant, id quod ipsi maioris extitit ruinæ occasio. Plura require ex Matthæo.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina ipsius. Respondit ei Iesus, Ego palàm loquutus sum mũdo. Ego semper docui in synagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniũt, & in occul

to loquutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt, quid loquutus sim ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

Inquisitio de doctrina Christi.

Secundum & potissimũ quod agebatur in atrio siue curia pontificis, est inquisitio de doctrina Iesu. Pontificem autem intellige Caiapham non Annã. Nam modo dixit euangelista Caiapham fuisse pontificem anni illius. Vnde intelligitur dominus ab Anna protinus ad Caiapham esse missus. Cæterum pontifex, sacerdotes ac pharisæi sumpserant sibi censurã doctrinæ, sicut & 1. cap. annotaui. Doctrinam sequebantur & tradebant populo, non ueterem illam & propheticam, syncериter quondam traditã, sed nuperam quandam patrum traditionibus interpolatã atq; corruptã. Ab ea qui uel latum, quod dici solet, culmũ discedebat, accusabatur protinus innouationis ac hæreseos. Nam uideri uolebant sacerdotes se doctrinã uetere rem & orthodoxam habere. At ei sese opposuerat dominus, impugnans ipsorũ traditiones, & reparans ueterem & orthodoxã doctrinam: quo nomine grandẽ sibi apud sacerdotes conflarat inuidiã, qui nunc in illum ceu hæreticũ inquirunt. Pon

Inquirunt in Iesum ut hæreticum & seditiosum.

tifex enim ac sacerdotũ primas duo quærit, nec syncere & simpliciter quærit, sed captiose & imperiose. Principio de discipulis, deinde de doctrina. De discipulis, nimirũ non de 12. duntaxat, sed de omnibus sectatoribus Christi. Schismaticus enim ex eo esse uidebatur quod asciuisset sibi discipulos, hoc est, quod baptismi sacramento sibi cõsecrauisset cultores, quodq; contẽpto pharisæorũ magisterio, totum populum inuitasset ad se sequendũ, utpote lucem, magistrũ, & saluatorem domus Israeliticæ. Sic enim uidebatur ecclesiam Israeliticam discidisse, cum alij sequerentur iam Iesum tanquam ueritatis magistrum, exhorrerent doctrinã Pharisæorum tanquam corruptam & falsam: alij uero adhærerẽt pontifici & pharisæis uelut catholicis & orthodoxis doctoribus, damnarent autem Christum & doctrinam eius tanquam nuperam atq; hæreticam. De Doctrina enim inquirit pontifex, cur à recepta & hactenus in ecclesia usurpata uariet, cur seniorum traditiones conculcet, pontifices & sacerdotes corã plebe traducat, cuius authoritate sic, & quid, doceat? Pulchre autem respondet hoc examen inquisitioni profundissimorũ illorum nostrorum hæreticæ prauitatis inquisitorum. Dominus Iesus nihil respondet ad quæstionem de discipulis, sed ea uelut præterita & non necessaria interrogatione, transit ad quæstionem doctrinæ. Mox enim atq; approbatum fuerit doctrinæ genus orthodoxũ esse, & nihil in ipso culpari posse, culpa is quoq; liberatus est qui deo non sibi per doctrinam ueritatis discipulos collegit. Rursus culpa nunquã uacare poterit, qui falsa doctrina ipsi etiam deo discipulos parare satagit. Quoniam uero captiose non syncериter interrogarat de doctrina præsul, dominus nec recensет certa doctrinæ suæ capita, nec defendit enumerata, imò à priuato suo suorumq; testimonio relegat ad publicum. Nil, inquit, meæ doctrinæ metuo, nec uideo quorsum pertineat, uelut de nouo retexere quid docuerim, & quare sic docuerim, cum palàm loquutus sim toti mundo, id est omnibus, omnis inquam generis ordinisq; hominibus: idq; non in angulis aut latebris, sed palàm uel in synagogis per Galilęam & Iudæam, uel in augusto Hierosolymorum templo, quo ex omnibus Syriæ partibus undiq; Iudæi conueniunt, ubi palàm docentem, & nihil occultantem audierunt. Quorsum ergo pertinet me interrogare de re omnibus manifesta? quorsum pertinet testificãtem de caussa propria audire? Præstabilius est alios qui audierũt, & mihi nulla familiaritate iuncti sunt interrogare. Referant uel inimici mei quid docuerim, non repugno. Hoc autem nullum est certius innocenti testimonium. Relinquit autẽ ex his & pontifici & omnibus iudicibus sacerdotibúsue colligendum,

dum, doctrinam eius orthodoxam, authenticam atq; indubitatã esse, contra quam ne ipsæ quidem inferorum portæ sint prævalituræ. Ornat hæc domini libera & fortis ueri confessio doctrinam euangelicam, quam omnes docti, pontifices, phari sæi & sacerdotes Iudæorum odire, & conuitijs insectari, iustis autem argumentis seu rationibus reuincere erroris non potuerũt. Si enim potuissent, absq; dubio palàm feciſſent in templo corã toto populo, qui suam existimationẽ authoritatemue asseruissent. Colligis item ex his, quodnam sit ueritatis ingenium, ut enim lucis filia est, ita tenebras odit, & neminem metuit. Recipiunt eam integri & boni, odiũt corrupti, imò & metuunt misere. Qui ueritati innituntur, securi sunt, infracto animo, imò & inuicti in quibuslibet tentationibus atq; aduersis, adde & formidabiles omnibus improbis. *Doctrina euangelica certa & firma.*

Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens, Siccine respondes pontifici? Respondit ei Iesus, Si male loquutus sum, testificare de malo: sin bene, cur me cædis? Et misit eum Annas uinctum ad Caiapham pontificem.

Responsionem domini iustissimam liberrimamq; uel recepisset pontifex, uel iustis confutasset argumẽtis, egissetq; ratione, non uiolentia: nunc autem diuersum euenit. Nam quod deest pontificis eruditioni, id pensat ministri audacissima iniuria. Id quod perfrequẽter usuuenit in aulis & principum & antistitum, in quibus exultat & regnat gnatonismus, mendaciũ & iniuria, exulat iustitia, libertas & ueritas. Peccasse grauiter in dignitatem sancti ordinis uidetur, quisquis huiusmodi antistitibus religionis citra adulationem & gnatonismum simpliciter & uere dixerit id quod res est, quisquis item ueritati liberius tulerit testimonium, errores constantius accusauerit, ac ita sese gesserit ut appareat non reuereri ullam hominum maiestatem fictitiam, fidere autem & magnificere deum & ueritatem eius æternam. Dolet magnatibus hæc & libertas & fiducia, nec ferre possunt puram simplicitatem & ueritatem, quorum aures sic assueuerunt assentationibus, ut nisi audiant titulos hos, Reuerendissime, reuerende, dignissime, celeberrime, amplissime, sanctissime domine, princeps clementissime & gratiosissime, ad singula propemodum uerba ingeminari (non dico nunc quod nonnullis in promptu est stolidos illos & assentationibus gaudentes homines magna cum reuerentia appellare ipsam sanctitatem, reuerentiam, maiestatem, üwer fürstlich gnad / üwer eerwürd vnd vätterlicheit/hoche vnd heiligkeit, & nescio quæ ineptiora alia, quæ in diem noua comminiscuntur homines uanissimi) nedum se contemni, sed maxima affici contumelia arbitrantur. Non hæc dico quod contra Apostolũ pugnans, censeam nemini suum deferendum esse honorem, sed quod turpem illam uanissimorum hominum assentationem, & superstitiosos titulos credam indignos esse hominibus Christianis. Huiusmodi certè corruptione infecta pontificis Caiaphę curia, adeo omnium corruperat iudicia, ut nec domini nec ministri iam interstinguere possent inter liberam & contumelioſam orationem. Nam minister hic miser, imò nulla miseratione dignus, contumeliam appellat, quæ reuera erat iusta libertas. Responderat enim libere & absq; assentatione dominus: at minister assuetus assentationibus, Siccine, ait, respondes pontifici, tam uidelicet irreuerenter & uulgariter, Solt dy mins gnẽdigen herren gnad ein so schnöde antwurt geben? simul autem & alapam impingit in faciem Christi. Erat autem contumelia maxima, sicut ex prophetarum quoq; libris colligere licet, cædere in faciem. Itaq; summa affecit contumelia dominum iniustissimus minister propter ueritatis liberam confessionem. Prędictum id fuerat per *Percutitur dominus à ministro pontificis.* *Adulatio regnat in aulis, exulat libertas.*

Isaiam dicentem, Corpus dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Quod modo in Iudaicæ condemnationem superbię (uerbis utor Cyrilli) & dedecoris nostri euersionem exitum habuit. Dedecorati enim peccato fuimus, quã notam iniustum Christi detersit dedecus. Ipse enim peccata nostra tulit, & pro nobis laborauit. Nam quemadmodum mors sua mortem nostram destruxit, similiter arbitror præuaricationis nostræ dedecus alapa Christo inflicta, deletum fuisse. Vnus enim pro omnibus laborabat, & unus pro omnibus inhonorabatur. Interim uniuersam creaturam ad hanc indignissimam contumeliam inhorruisse certum est. Vnde nõ temere sanctus Augustinus dixit, Si cogitemus quis acceperit alapam, nónne uellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio uolutari, aut aliqua huiusmodi qualibet pœna uel etiam grauiore puniri? Quid autem horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, qua uincitur mundus? Porrò dominus Iesus quãuis indignissime esset cæsus, sentiretq; apud præsidem siue pontificem hunc speciem esse iudicij, iudicium uero iustũ planè nullum, nihil concidit animo, nihil dissimulauit, nihil libertatis suæ mutauit, sed libere rursus licet manuetissime, Si quid male dixi, inquit, doce, euince, proba: sin nihil male loquutus sum, cur tu iudicis minister, in iudicio, tacente iudice, nihil refellens, me uerberas? Vera etenim patientia fortitudinem animi, studium item & amorem æqui & iusti, odium rursus iniqui & iniusti, coniuncta habet. Cum enim hæc non habet, sed elumbis potius & trepida, uiam silentio intempestiuo turpiq; metu sceleribus & audaciæ impiorũ aperit, uitium est non uirtus. Ideo uero tanta cum constantia & libertate responsat dominus, ut nobis exemplo suo indicet uerum & genuinum ueræ patientiæ ingenium. Sanctus Augustinus Tractatu in Ioannem 113. scribit, Fortè hic dicit aliquis, Cur non fecit quod ipse præcepit? Percutienti enim non sic respondere, sed maxillam debuit alteram præbere. Quid quod ueraciter, mansuete iusteq; respondit, & non solum alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparauit in ligno: & hinc potius demonstrauit, quod demonstrandum fuit, sua scilicet magna illa præcepta patientiæ non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest ut alteram maxillam uisibiliter præbeat homo, & iratus. Quanto ergo melius & respondet uera placatus, & ad uera perferenda grauiora tranquillo animo sit paratus? Beatus est enim, qui in omnibus quę iniusta pro iustitia patitur, potest ueraciter dicere, Paratum cor meum deus, paratum cor meum. Hinc fit quippe quod sequitur, Cantabo & psalmum dicam domino. Quod Paulus & Sylas etiam in uinculis durissimis facere potuerũt. Docent hęc non quaslibet iniurias propter patientiam nobis ab aduersarijs obiectam, dissimulare oportere, neq; silentio meticuloso audaciam impiorum confirmandam esse. De qua re plura require ex 23. capite Actorum apostolorum, Comment. nostrorum lib. 5. Docent hæc præterea neminem nisi conuictum prius, esse uel affligendum uel cædendum. Ministeruero ille assentator & iniurius, relinquit exemplum aulicis quibusdã, nimium obsequentibus præceptis dominorum suorum crudelibus, aut etiam amplius facientibus quàm fuerant iussi. Ex hoc enim unico discunt quales sint, & quid expectent, supremi & æterni numinis iram indignationemq; implacabilem. Dicit enim in Euangelio dominus, Quod minimo meorum feceritis, mihi irrogastis. Id quod ideo adijcio, ne quis se excusatum putet, quod dominum ipsum corporaliter in faciem non cędit. Sub finem appenditur, Et misit eum Annas uinctũ ad Caiapham. Quod per hysteron proteron adiectum uidetur. Conuerso enim ordine res narratur.

Fortitudo & constantia domini.

Christus nõ obuertit ferienti maxillam alteram.

tur. Prídem enim míserat Annas dominum ad Caíapham, non nunc primum mít tebat. Quæ enim hucuſq; facta ſunt, in curia pontificis geſta ſunt, non Annæ, qui non erat pontifex anni illíus, ſed Caíaphæ. Sed & ἀπέστειλεν αὐτὸν ſignificantius uer teris, Míserat ípſum. Adiecit enim hæc Ioannes, ne quis putaret illa apud Annam eſſe geſta.

Stabat autem Simon Petrus & calefaciebat ſe. Dixerũt ergo ei, Num & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, & dixit, Non ſum. Dicit ei unus ex ſeruis pontificis cognatus eius cuius abſciderat Petrus auriculã, Nónne ego te uidi in horto cum illo? Iterũ ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus cecinit.

Euenit etiam hoc in atrio Caíaphæ. Monet Petri lapſus, ne quid præſumamus de humanis uiribus, ſed ſobrie ſentientes, omne præſidium collocemus in miſericordia & protectione diuina. Cætera pete ex Matth. 26. cap.

Ducunt ergo Ieſum à Caíapha in prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed ut ederent paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accuſationẽ affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei, Si non eſſet hic nocens, haud quaquam tibi tradidiſſemus eum.

Exponit conſequentibus Ioannes quid porrò actum ſit coram proconſule ſiue prætore aut præſide iudicéue Pontio Pilato Hieroſolymam à Romanis ad ius dicendum, Romanaq; iura tuenda miſſo. Multa uero tranſit Ioannes, quæ alij euangeliſtæ diligentius proſequuti ſunt, è quibus nimirum ille peti uoluit. Ex quibus illud maxime repetendum eſt, quod poſt accuratum Caíaphæ in atrio pontificio examen, Ieſus libere & aperte confeſſus eſt ſe eſſe uerum & uiuum ueri & æterni dei filium. Ob quam confeſſionem uidebatur morti eſſe obnoxius, utpote blaſphemus in deum. Tunc conclamabatur ab omnibus, Reus eſt mortis. Quoniã autem omnis poteſtas uitæ & necis erat apud Romanorum prętidem, ideo uinctum ac ſacerdotum ſententijs ſuffragijſúe condemnatum ducunt ad præſidem, tanquam ouem ad lanienam, ut is de ipſo meritũ ſumeret ſupplicium. Sic enim oportuit Ieſum agnum illum immaculatum tradi à Iudæis, condemnariq; & occidi à gentilibus. Nam utrorunq; peccata Chriſtũ occiderunt, & utrorunq; factus eſt ſaluator. S. Ioannes locum, in quo res geſta, & tempus quando hæc facta ſunt, oſtendit, Ducunt, inquit, Ieſum in prætorium. Aiunt autem prætorem omnem appellari magiſtratum cui paret exercitus aut populus. Sic dictus à præeſſendo, uel ut Varroni placuit, à præeundo, quaſi tu dicas prętor, quod præiret iure & exercitu. Iam Prætorium eſt ipſa domus in qua dux uel prætor habitat, locus item in quo prętor ius dicit: ſed & ædes quælibet ampliſſimæ dictæ ſunt prætoria, quale fuit auguſtale illud Herodis palatiũ, cuius meminit Lucas in Actis & Ioſephus. Tẽpus porrò annotans, Erat aũt mane, inquit. Hæc enim eſt impiorum hominũ in rebus peſſimis induſtria ac diligẽtia, ut nullis parcãt laboribus, & mature res ſuas agãt: in rebus optimis tanta eſt inertia bonorũ, ut ſero tandẽ prorepat unus & alter, & q̃d agũt, ſegniter agãt. Addit Ioan. & aliud obſeruatu dignißimũ, Et ipſi non introierũt in prætoriũ. Cauſſam addit, Ne contaminarẽtur, ſed ut ederẽt paſcha. Quibus haud dubie taxauit grandẽ eorũ ſuperſtitionẽ, qui ſe crederẽt præſidis, quia Iudæus nõ erat, ſed ethnicus, innoxia domo prophanari, cũ ipſi nefandis artibus molirent ne

Quid actum in prætorio.

Prætorium.

De pollutionibus & purificatione.

cem homini nedū nihil cōmerito, ſed optime merito. Colligimus hinc duplicē eſſe munditiam ueram & falſam. Vera conſtat fide ac interna ex ſpiritu ſancto ſanctimonia, quæ mox externa omnia dicta & facta recte & pure ad internā componit, ne quid inueniatur hypocriſeos. Falſa uerſatur circa externam purificationem & ſpeciem, corde interim ſiue animo exiſtēte pollutiſſimo. De hac loquutus in euangelio dominus apud Matthæū dixit, Væ uobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Et iterum, Væ uobis ſcribæ & phariſæi hypocritę, quia purgatis exteriorem poculi patinæq; partem, cæterum intus plena ſunt rapina & intemperātia. Phariſæe cæce, purga prius quod eſt intra poculum & patinam, ut & exteriores horum partes puræ reddantur. Et in præſentiarum quidem parū ipſis curæ eſt parricidium cruentiſſimum, de agno comedendo & conuictu gentiliū uitando ſunt ſolliciti, ne uidelicet ethnici conſortio polluantur. Similes his ſunt qui hodie non citra conſcientiam ueſtiūtur quouis colore, & ualde ſe peccare credūt, cum in ieiunio quadrageſimæ ueſcuntur carnibus, at nullis conſcientiæ uexātur torminibus, quod uiuunt ex rapto, diſtenduntur libidine, & profluunt concupiſcentijs. Ita ſuperſtitioſum eſt foris ſeipſum purgare, & parare ad religioſam ſacramentorum participationem, de animi uitijs parum uel nihil eſſe ſolicitum. Quanto rectius Apoſtolus, Expurgate, inquit, uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, &c. 1. Corinth. 5. Beatus Cyrillus lib. in Ioan. 12. cap. 2. Quemadmodū ipſi ſaluatorem, inquit, omnium Romanis tradiderūt, ſic paulò poſt Romanis traditi perierunt. Graue nanq; adeo bellum aduerſus ipſos exarſit, ut in calamitates inauditas impulſi, mortem præ uita exoptarent: quod ſaluator futurum prędixit, Montibus dicetis, Cooperite nos: & collibus, Cadite ſuper nos.

Pilatus cupit audire accuſationem contra Ieſum.

Poſt ea ſubiungit apoſtolus quid ante prætorium & in ipſo prætorio geſtū ſit, primo inter Iudæorum primores & Pilatum, deinde inter Pilatum & ipſum dominum Ieſum. Pilatus ubi audiuit uinctum quendam eſſe adductum, primoresq; populi Iudaici ipſius aduentū operiri ante prætoriū, in frequentiſſima armatorū turba, prodit foras, & per initia quidem ſatis æquū & ſtrenuum ſeſe præbet iudicem. Diligētiſſime enim inquirens capita accuſationis, id eſt, cauſſam intelligere cupit, ob quam adduxerant uinctū. Ducitis, ait, hunc ad me capite plectendū: atqui non eſt moris Romani quenquā afficere ſupplicio, niſi conuictum de crimine capitali: quod igitur crimen huic intenditis? quid deſignauit? S. Cyrillus hæc euāgeliſtæ uerba enarrans, Vir alienigena, inquit, Moſaicæ legi non ſubiectus & incircunciſus, cauſſas quærit diligenter, iniuſtum putans hominem uexare innocentem: illi autem parum de mandatis dei curantes, cum nihil poſſent dicere, ut latronem tamen adduxerunt. Non iniuria ergo ad ſynagogam dicitur, Iuſtificata eſt Sodoma ex te. Diſcant hinc magiſtratus non feſtinare in ferendis ſentētijs & hominibus noxijs cædendis, inquirant prius diligenter & legitime cauſſam accuſatorum, & iudicent iuſte, audiant partem utranq;. Quidam inquirunt, ſed non legitime neq; ſerio. Quidā ſatis quidem legitime inquirunt, ſed inuentos & deprehenſos nequam non puniunt rite. Iam & præter meritum & ex affectu iniquo ducuntur non pauci. Hi omnes præſenti damnantur ethnici hominis Pilati exemplo, qui ſi ita perſeueraſſet uti cœperat, egregiū iuſtitiæ omnibus iudicibus exemplū reliquiſſet. Pontifices aūt iniquorū accuſatorum typū præferētes, clamoribus rem agūt non argumentis. Sit tibi ſatis, inquiūt, pontificū, phariſęorum & ſacerdotū authoritas, Si nō eſſet iſte maleficus, quę noſtra eſt ſanctitas, ꝓbitas, integritas, nō traderemus eū in manus

Pontifices ſua authoritate premūt dominum.

manus tuas. Prodierat præses è prætorio, id quod honoris & reuerentiæ gratia factum, dignitatiq; pontificiæ datum arrogantes arbitrabantur, ampliora ergo sibi postulant deferri, urgentq; innocentem dominum Iesum sua existimatione, dignitate & sanctimonia, arbitrãtes abunde satis probatum esse Iesum cõmeruisse mortem, si ipsi qui uidebantur sacerdotes esse summi dei, patres totius populi, eruditione item & sanctimonia præcellentes, dicerent Iesum maleficum esse & mortẽ commeruisse. Ea enim est hypocritarum & pseudosacerdotũ iactantia, arrogantia atq; impudentia. Caueant ergo sibi sancti magistratus, ne huiusmodi hominibus hypocritis nimium deferant. Semper enim sua quærunt, & ueritati insidiantur. Caueant sibi, ne ullius in iudicio personam recipiant. Quidam enim suæ authoritati & existimationi confidunt, & hac urgent aduersarium. Quidam fidunt amicis, linguæ, uel muneribus, sed hęc ex æquo oĩa æquus iudex & negligit & execratur.

Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi, Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

Nemo indicta caussa condemnandus.

P. Valerius Publicola legem tulerat, ne quis indicta caussa uel condemnaretur uel duceretur, cuius alibi quoq; meminimus. Quia ergo Iudæi Iesum postulabãt ad supplicium, & legitime agere nolebant, imò potius uociferationibus innoxium opprimere satagebãt, Pilatus indignitate rei commotus, iuxtaq; Romanorũ leges indicta caussa Iesum condemnare nolens, non sine indignatione accusatores à se repellẽs, Non est fas mihi, inquit, nullo accusatũ crimine atq; conuictũ punire hominem: ipsi itaq; eum, siquidẽ lex uestra innocẽtes condemnat, iuxta legẽ uestram iudicate. Paraphrastes & alium non ineptũ adferẽs horum uerborũ sensum, dicit, Pilatus suspicans id quod res erat, esse aliquid priuati odij propter legis superstitionem. Si quid est, inquit, quod ad meum tribunal non pertineat, ueluti si uiolatum sabbatum, si gustatæ carnes suillæ, si quid liberius dictũ in Mosen, prophetas, templum aut deum uestrum, aut si quid huiusmodi cõmissum est, quod uestra lex puniri iussit, cum nõ sit alioqui Romanis legibus uetitũ, ipsi tollite ad uos hominem, & iuxta legem uestrã iudicate illum. Ego Cæsaris nomine præsidem ago. Si quid aduersus huius leges commissum est quod capitali supplicio dignum sit, afferte & legitime conuictum afficiam supplicio: cæterũ uestræ legis quæstionibus me non admisceo. Iudæi simpliciter negant sibi ullam esse potestatem supplicio extremo afficiendi quenquam: uel propter ereptam sibi potestatẽ necis & uitæ, traditamq; Romanorũ præsidi, uel propter imminẽs modo festum, quod cupiebãt non cruentis celebrare manibus. Scilicet, quasi uero is duntaxat effundat sanguinem innoxium, qui gladio ferit, & carnificis fungitur officio, non ille magis cuius cõsilio & opera innoxius tradit in manus carnificis. His adijcit aliud quoq; Ioan. oportuisse Christum à Iudæis tradi gentibus, & ab his flagellatũ & illusum suffigi in crucem, non autem lapidari à Iudæis. Ita enim non semel in euangelio ipse dominus prædixit, sicut Matth. 16. 20. & Mar. 10. Ioan. 12. &c. Fuit autem crucifixio ut crudelissima, ita & probrosissima mors, sicut alibi ostendimus.

Introiuit ergo iterum in prętoriũ Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei, Tu es ille rex Iudæorũ? Respondit Iesus, A temetipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus, Num ego Iudęus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti?

Christo impingitur crimẽ affectati regni.

Omittũtur à nostro hic quædam quæ ex alijs huc referre oportet, quo historiæ contextus sibi constet. Cum Pilatus nihil moueretur Iudæorũ delationibus & clamoribus, neq; cessaret urgere ipsos, & causſas indagare propter quas dominũ postulabant ad supplicium, tandem isti capita aliquot, ut apud Lucam est, accusationis proferunt, inter quæ non postremum erat crimen affectati regni. Nihil enim nũc in prætorio sicut nuper in atrio siue curia de crimine hæreseos & blasphemię disputant. Callidi enim non ignorabant Romanorum præsidem nihil curaturum quæstiones de legibus, religione & doctrina ipsorum: affectati ergo regni & sedi-

Expectãt Iudæi Messiam.

tionis insimulant dominum, quod putarent præsidem ea in re multa usurum diligentia. Nec omnino falsi sunt. Mox enim atq; audisset Pilatus regis uocem, rursus ingressus est in prætorium, foris relicta turba, & accersito priuatim ad se Iesu, ut quid res esset explscaretur, dixit, Tũne es rex ille Iudæorũ? nimirum quem dicuntur expectare. Audierat enim Pilatus à Iudæis expectari Messiam quendã, quem promiserint prophetæ, qui ipsos liberaturus sit, oppressis Romanis & omnibus Iudæorum hostibus, ipsis quidem per orbem terræ principibus constitutis. Proinde rogat Pilatus, Num Iesus is Messias ac liberator sit? Ad quam quæstionem respondens dominus ait, A temetipso tu hoc dicis? id est, Tũne talem me regem arbitraris, an alij hanc tibi opinionẽ suggesserunt? Scio autem te non posse huiusmodi quiddam de futuro Iudæorũ liberatore ex temetipso habere, neq; me talem regem suspicari, consequens est itaq; istam opinionem alios tibi suggessisse, falsaq; me tibi criminatione esse delatum. Hanc mitem & prudentem Christi responsionem, qua ciuiliter admonuerat iudicem sui officij, ut non tam ex alijs q̃ ex seipso saperet, paulò ferocius excipiens Pilatus, Num ego Iudæus sum, ait, qui ex fabulis prophetarum quicquã de futuro liberatore sciam, aut qui Messiam expectem? Gens illa cuius tu alumnus es, & pontifices, qui religionis tuæ præsides sunt, unà & te mihi uinctum tradiderunt, & affectati regni crimen tibi impegerunt: quid ergo fecisti, quod tibi hoc criminis intentant?

Respondit Iesus, Regnũ meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarẽt, ne traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc.

Quale regnum Christi, & qualis rex Christus.

Accusatio Iudæorum Christum insimulabat criminis affectati regni, rebellionis seditionisue, unde Pilatus diligẽter ex ipso perquisiuit quid designarit, ex quo ei hæc exorta sit criminatio: ostendit ergo simpliciter & breuiter dominus Pilato, regnum suum non futurũ tale, quale imaginabantur Iudæi, quod uidelicet armis deturbaret Romanos, Iudæos faceret rerum dominos, dicẽs, Regnum meum non est ex hoc mũdo: quæ loquutio hunc haud dubie sensum suppeditat, Regnũ illud, cuius ego rex sum, nihil cõmune habet cum regno huius sæculi, id est, nõ est mundanũ, quod uidelicet armis paratur & defenditur, alios reges prelijs fatigat, urbes obsidiõe cingit & expugnat, metropolim itẽ, diadema siue coronã, fasces, titulos, milites siue exercitus habet. Id sic demonstrat ac probat, Si regnũ meum eius esset generis, cuius est Cæsareum, non uinctũ me tibi absq; turba & bello Iudæi tradidissent: si rebellionem meditarer, nimirũ haberem & ipse, more cæterorũ regum, armatum satellitium, haberem laterones & stipatores, haberem instructas copias: hæc præsidia decertarent armis pro me, & opponerent se & Iudæis & tuis militibus. Cum autem nihil huius appareat, nihilue à me fiat, claret regnum meum non esse hinc, id est, tale quale imaginantur Iudæi. Atq; ad hunc modum purgauit intentatum crimen dominus. Ad eundem modum enarrauit hæc & sanctus Cyrillus,

Cyrillus, qui libro in Ioan. 12. cap. 10. Liberauit, inquit, à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæsaris in Iudæa seruare debebat. Christus enim Pilato respondens, regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus nō est, sed cœli, terræ, cæterarumq; rerum omniū. Vnde autem suspicionis falsitas ostenditur? Quia milites non conscripserit, satellitibus usus non sit, arma nec ad defensionem quidem suam præparauerit: cum nulli pro salute sua decertauerint. Ita clamoribus Iudæorū depulsis, temere in Christum inferri Pilatus manifestatur. Monuit autem & S. Augustinus dominū non dixisse, Regnum meum non est in hoc mundo, sed, Regnum meum non est de hoc mundo: necq; dixisse, Regnum meum non est hic, sed, Regnum meum non est hinc. In mundo enim & in terra est ecclesia, quæ regnum Christi est, sed hæc non est mundana. Regna huius mundi oriuntur & intereunt, administrantur consiliis humanis, defenduntur armis, & pompa utuntur mundana: ecclesia aūt Christi nunq; interit, & ut armis nō paratur, ita armis non excinditur, etsi ijs exerceatur: regitur spiritu dei sancto, defenditur protectione altissimi è cœlo, omnem huius mundi superbiā & luxū conculcat. Videat ergo pontifex unà cum suis episcopis ac toto clero, in quo uersetur regno. Quod Anabaptistæ hinc colligunt, omnem ex ecclesia magistratū auferendum, ne quid in ecclesia sit mundani: non expendunt iudiciū & iustitiam, defensionē religionis uiduarum & pupillorum, excidium item nocentiū, non esse mundana, sed maxime cœlestia & spiritualia opera. Negauit sanè Christus regnum suum non esse ex hoc mundo, nullibi autem negauit è mundo reges & principes in ecclesiā uenturos, qui in ea domino etiam sicut reges essent seruituri. Non possunt autem reges uelut reges aliter seruire domino, q; exercendo ea propter quæ uocantur reges: sicuti alibi copiose ex scripturis & S. Augustino ostēdi. Quemadmodū autem non sequitur ecclesiam esse mundanam, quia nos qui caro & sanguis sumus, ac mūdo hoc utimur, ecclesiæ membra sumus: ita nemo, nisi communi sensu carēs, dixerit ecclesiam ex eo mundanam esse, quia in ipsa deo seruiunt reges & principes, defendendo bonos, & puniendo malos, propter quod, iuxta uerbum Apostoli, acceperunt gladium. Verum de ijs alibi copiosius.

Dixit itaq; ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis, q; rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundū, ut testimoniū feram ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam.

Qui regnum habet, rex est. Dixerat aūt dominus, Regnum meum non est ex hoc mundo, inde colligens Pilatus, Christum non prorsus abnuere regis titulum, & tamen distinguere inter regnum suum & regnū mundi, mox infert, Ergóne uerum est te esse regem? Ad ea Iesus modestissime respondēs, Tu dicis, inquit, me regem esse. Ita inquā rex sum, non ut Iudæi me regem faciunt, sed sicut tu iam intelligis, qui nulla rebellione contra Cæsarem insurgo. Imò protinus exponit Pilato plenius qualis sit rex, quale ipsius regnū, & qui subditi. Ego, inquit, in hoc natus sum, id est, in hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati. Christus ergo rex est ueritatis, qui è cœlis uenit in mundum, ut prædicet ueritatem, ueritate ad se conuertat homines, qui ipsi seruiant in ueritate, sanctitate, fide, iustitia & charitate. Diuinus enim uates Psal. 45. sic canit, Accinge gladium tuum super femur potentissime, decore tuo & magnificentia tua. Et in magnificentia tua prospere inequita, super uerbum ueritatis, mansuetudinis & iustitiæ, &c. Regnum Christi est regnum ueritatis, in quo uidelicet prædicatur ueritas, ipsum dei uerbum, & in quo ualet & uiget pietas, syncerítas, integritas, puritas, beneficen-

Subditi regis Christi.

tia, innocentia. Subditi huius regis & regni huius municipes sunt omnes ueritatis studiosi: qui uidelicet uocem Christi audiunt, & doctrinæ eius obsequuntur: sicut & Ioan. 10. cap. expositum est. Est itaq; Christus rex totius mundi, regnans in spiritu per uerbum suum in fidelibus, qui certe sunt subditi eius. Nam uerbū eius recipiunt, & omnia sua ad uocem oris ipsius componunt. Proinde non eripit regibus & principibus huius sæculi regna sua Christus dominus, sed illucescit ipsis uerbo & spiritu suo, quem si recipiant doctrinæ ueritatis obedientes, fide Christum agnoscunt regem esse regum, cui se & omnia sua subijciunt, formā & regulam regnandi ex illo discentes, quam si diligenter sequantur, felicius, tranquillius & firmius regnant, quàm regnarant dum proprij ingenij cogitata & huius sæculi commenta sequerentur, Christum non cognouerāt, ac se merum possidere imperium arbitrabantur. Hæc ego perstringo duntaxat, quisq; pro donato sibi Christi spiritu, singula excutiat diligentius. Illud uero minutius est quàm ut annotare conueniat, Vt feram testimonium ueritati, dictum esse pro eo quod est, Vt testificer ueritatem, id est uere, pure, aperte, libere & synceriter prædicem mundo uerbum dei, quæ dei ueritas est. Intelligūt autem ex his quæ de regno Christi delibaui, fideles, quando sint in regno Christi, cum uidelicet sunt ex ueritate ac audiunt uocē Christi, Ioannis 8.

Dicit ei Pilatus, Quid est ueritas? Et cum hoc dixisset, iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis, Ego nullam inuenio in eo causſam. Est autem consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. Vultisne ergo dimittam uobis illum regem Iudæorum? Clamauerunt rursum omnes, dicentes, Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Prophani ueritatē cōtemnūt, & irrident.

S. Augustinus hunc locum enarrans Tract. in Ioan. 115. Credo, ait, cum dixisset Pilatus, Quid est ueritas, in mentem illi uenisse continuo consuetudinem Iudæorum, qua solebat eis dimitti unus in pascha, & ideo non expectauit ut responderet ei Iesus quid esset ueritas, ne mora fieret, &c. Verisimilius tamen est Pilatum ubi intellexisset Cæsari & Romanæ monarchiæ nihil imminere ex Iesu, adeoq; ex Iudæorum Messia periculi, magno cum cōtemptu dixisse, Quid est ueritas? hanc quam dominus commendabat, uelut ex alto despiciens, atq; irridens. Impij enim cogitationes suas & errores suos pro sapientia & ueritate habent, cumq; de alia sapientia & ueritate audiunt, quàm ipsi hactenus pro ueritate agnouerunt, mox, Quam nobis, inquiunt, sapientiam, quam ueritatem proferetis? Ea ne apud uos hucusq;, omnibus alijs incognita, delituit? Protinus enim atq; dixisset, Quid est ueritas? egreditur, relicto Christo, ueluti homine stolido, superstitioso, et nescio quid sibi temere arrogante. Christus enim ut Iudæis scandalū, ita gentibus stultitia est, 1. Cor. 1. Despiciunt & hodie alto supercilio ueritatem Christianam gentilizantes philosophi. Et quoniam manifeste deprehenderat Christum nullam parare rebellionem, nec affectare regnum, sed nescio quid somniare de regno, quod Pilatus apud se, ceu homo prophanus nullibi esse, arbitrabatur, prodit & ingenue confitetur accusationem Iudæorum prorsus esse friuolā, & Iesum esse innocentem. Non, inquit, inuenio in ipso ullā causſam, culpam siue crimen, ob quod ipsum cædam. Deinde pro sapientia carnali & improba conuertit omnia sua consilia ad liberandum Iesum, sed medio utitur planè probroso & sceleſtissimo. Innocentem enim copulat cum nocentissimo, nec sine insigni contemptu dicit, Vultisne dimittam uobis regem illum Iudæorum, nimirum stolidum, miserandum & ficulneum. Nam

& Cy-

& Cyrillus, Regem, inquit, nominans Iesum, rabiem Iudæorum risu mitigare conatur, & simul prudenter ostendit, falso ipsum hoc crimine accusari. Reliqua pete ex 27. cap. Matth.

Tunc ergo apprehẽdit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circundederunt eum, ac dicebant, Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas. CAP. XIX.

Hactenus quid prima in prætorio actione à Pilato in caussa Iesu actum sit audiuimus: sequitur iam actio secunda & postrema, in qua primo flagellis cõscinditur indignissime Iesus, productusq; è prætorio ad populũ, miserandũ exhibet cunctis spectaculũ. Fit deinceps noua inquisitio, An sit dei filius. Postremo conscendit tribunal Pilatus, & innoxium tradit iniquissimis crucifigendum. Ab initio tamen uarijs artibus nitebatur Pilatus, non ignorans Iesum sibi traditum inuidia præsidum populi Iudaici, & sese explicare ex caussa perplexissima, & innocentẽ liberare. Ideo inter alia, quæ tentabat satis imprudenter & impie, miserat dominum Herodi uinctum: cum autem ne hic quidem quicquam morte dignum reperisset in Iesu, remittit ipsum Pilato: qui nouam protinus artem cõminiscitur. Nam Barabbam omnibus inuisum componit cum Iesu, ac optionem offert populo, utrum liberari iubeant, sperans omnino futurum, ut odium illud ineluibile quo in Barabbam exæstuabant, Iesum præferret facinoroso & notæ audaciæ latroni: uerũ cum inani sua spe & prauo consilio fuisset delusus Pilatus, tunc apprehendit Iesum, & flagellauit, non sua quidem manu, sed militum suorum. Dicitur autẽ facere iudex uel dux, quod ministros uel milites facere iubet: qui nisi iussi non facerent. Vide autem Christiane Lector, quantis malis laboribus atq; peccatis se implicent calamitosi, qui humanis consilijs ex metu alijsq; affectibus profectis, iustitiam negligunt, & æquitatem torquent. Pilatus hic infelix in primæ actionis initio satis apparuit iustus & æquus, dum uidelicet benigne prodit, & pontifices beneuole audit, cumq; non legitime caussam agere uellent, fortiter obiurgat & repellit, ac dum accusationis capita proferrent, ea qualia sint prudenter examinat: & intelligit, dili genter & diserte exponente domino, fucatam & falsam esse Iudæorum accusationem: id quod prodiens ad populum palàm & ingenue fatetur, dicens, Ego nullam inuenio in eo caussam. Atq; hic liberasset illum protinus, si sapuisset Pilatus, quod cum non facit, sed aures porrò præbet calumniatoribus, ex calumnijs iniquorum tandem arripit occasionem, non sine magno emolumento hoc quicquid oneris & molestiæ erat, alienis inijciendi humeris. Audiens enim Galilææ mentionem, cogitabat se egregie gratificaturũ & populo Iudaico, & Herodi Galilææ regi uel tetrarchæ, si ad Herodem relegaret Iesum: sic autem se quoque sperabat grauissimo leuandum onere. Atqui ea re grauiter peccauit etiam contra leges ethnicas, prohibentes ne quis iudex cum detrimento innoxij aut ex oppressione iusti, amicitias, fauorem, denicq; priuatum quærat commodum: ut iam non dicam iniquissime aliorum imponi humeris, quod ipse cum debeas & possis, ferre nolis. Facti quidem feruntur amici Herodes & Pontius Pilatus, ex eo quod hic illi Iesum miserat uinctum: sed certum est interim hunc & grauem incurrisse dei inimicitiam ac indignationem, & spe sua fuisse frustratũ. Remissus enim ab Herode redit Iesus, ac nouum facessit Pilato negotium: è quo cum per humana consilia & iniquissima media eluctari contenderet, subinde in grauiora subsidit peccata. Nũc enim innocentissimum, dictu nephandum, componit cum omnium mortalium sceleratissimo latrone: ac ne sic quidẽ se explicat, sed implicat magis. Protinus enim noua captat

Groß übelzyrist vnrecht thün.

consilia, & iam extendit manus cruentas in sanctissimum & innocuũ domini Iesu corpus, quod flagris turpiter & crudeliter discindit per manus sicariorum suorum, quorũ libidini permittit ipsum dei filiũ. Quo obsecro cõsilio? Planè humano & uere diabolico. Nam per contumeliã & iniuriam mirum certe asserendi modũ, liberare uoluit, qui alia ratione & minore negotio, si uoluisset, potuisset. Intellexerat Iesum esse quidẽ regẽ, sed non talem regẽ qui ullas Romanæ monarchiæ strueret insidias: ideo non uidebatur quicquam cõmeruisse Pilato, nõ uidebatur etiam iuxta Romanorum leges uel in fortunis uel in corpore plectendus: interim tamen animaduertebat Iudæos indignissime ferre quod Iesus se iactaret regẽ Iudæorũ: in horum ergo gratiam arreptum flagellat, serto spineo coronat, trabea seu paludamento uestit, & sic ornatum ad Iudæos producit, ut hi cernerent Iesum abunde satis dignas suæ stultitiæ iactantiæq; luisse pœnas, adeoq; ipsum iam frui regno suo, & cum maiestate ad suum prodire populum. Sperabat autem hanc contumeliam Iesu irrogatam, irritatos Iudæorum animos placaturam, & illum sic castigatũ fore dimittendum. Apud Lucam enim in 23. cap. dicit Pilatus, Nullum crimen capitale comperio in eo, castigatum ergo dimittam illum. Verum ne sic quidem assequutus est quod uoluit, imò grauiore se peccato obstrinxit, & innocuo sese cruore cõmaculauit. Quanto melius & facilius se explicasset ex hoc negotio, ex curis, laboribus, periculis atque peccatis, si protinus ab initio spretis consilijs humanis, calcatis item affectibus, iustitiã iuste fuisset prosequutus? Vides ergo Lector Christiane, nullum ab his portũ inueniri qui semel deserta ueritate & iustitia, æquitate & iudicio, cõmiserunt se procelloso humanorum consiliorum affectuumq; pelago. Quod si quis omnibus his opponat, Sic fuisse in fatis, & Pilatum hæc omnia coactum fecisse: recte quidem sentit mortem domini præuisam, & æterno dei consilio præordinatam: non recte autem sentit cum dicit, Pilatum diuina coactum potentia fecisse quod fecit. Deus enim ut prohibet impietatem, ita neminem cogit impia facere. Cum homines impie agunt, ex sua natura & corruptione id agunt, excitante simul & inflammante incendium mali in carne, cõcupiscentia propria, sathana & mũdo. Id quod S. Iacobus pulchre ostendit Iacobi 1. cap. Pilatus itaq; propria sua culpa & corruptione peccauit, qui per gratiam dei non ignorauit se iniuste agere, si id perficere pergeret quod postulabãt Iudæi: atq; hic non coẽgit ipsum deus, sed superauit affectus: affectum ergo contra suam ipsius cõscientiam sequutus, non id quod deus reuelarat, & quod sequendum animus eius dictabat, peccauit. At obijcit alius, Quod si non peccasset ita Pilatus, quomodo passione sua redemisset mundum dominus? Pilatus non damnauit dominum, ut innoxia morte à condemnatione liberaret mundum, sed spe & metu superatus, nocentissimis in iudice affectibus, innoxium, contra suam ipsius conscientiam, nocentissimis nebulonibus tradidit cædendum: grauissime ergo peccauit. De Flagellatione (liceat enim mihi sic loqui in præsenti) dixi plura apud Matthæũ in 27. cap. Cyrillus fructum & usum eius pulchre exponẽs, lib. in Ioan. 12. cap. 15. Flagellatus, inquit, iniuria fuit, ut à uulneribus quæ iure peccatis nostris perpessi sumus nos liberaret. Alapis cæsus & illusus est, ut illusori sathanæ nos illudere possimus, & præuaricationis peccatum fugiamus. Omnia enim propter nos & pro nobis Christus suscepit, quæ repulsiuas uires habuerũt, quibus ea repulsa sunt, quæ nobis merito præuaricationis crimine acciderunt. Et quemadmodum mors Christi, qui morti non subijciebatur, ad destruendam omnium mortem sufficit: sic intelligere ac credere oportet flagella & dedecora dominum pertulisse, ut à talibus nos eriperet. Ipsius enim liuore nos sanati sumus, ut scribitur, Omnes enim errauimus, unusquisq; in

Pilatus non fecit coactus quod fecit.

Vsus flagellationis Christi.

uiam

uiam ſuam declinauit, & dominus poſuit in eo iniquitatẽ omniũ noſtrum, attritus eſt propter ſcelera noſtra, ut Iſaias dicit, dorſum autẽ ſuum dedit in flagella, & maxillas ſuas in alapas. Addit his Paraphraſtes, Ad omne ludibrij genus ſeſe manſuetiſſime præbuit dominus rerum omniũ, quo nos, qui cũ nihil ſimus, tamẽ animos excelſos ac præferoces gerimus, doceret lenitatem & in malis tolerantiam.

Exiuit iterũ Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoſcatis quod nullam in eo cauſſam inuenio. Exiuit ergo Ieſus foras, geſtans ſpineam coronam, & purpureũ pallium. Et dicit eis, Ecce homo.

Producitur Ieſus cultu regio ornatus ad populum.

Pilatus quid ſuo illo egregio, ſi diſs placet, conſilio, apud furore æſtuantẽ populum ꝓficeret experturus, dominũ Ieſum per contumeliã & illuſionẽ regio cultu ornatũ, producit, ſpectaculum miſerandũ, ſed Iudæis ſuauiſſimũ exhibiturus. Vbi ergo uterq; tam Pilatus præſes quàm Ieſus miſerabilis ꝓfecto rex, in eminentiore loco conſtitiſſet, ac iam cerni poſſet & exaudiri ab uniuerſa plebe, clamat Pilatus, Neſcitis fortaſſis quid cum rege ueſtro hactenus actum ſit in prætorio, produco igitur illum ad uos foras, ut ipſi cernatis intelligatiſq; quàm miſerè ſit tractatus, & quod nullam in ipſo cauſſam inuenio necis. Atqui nouum & admirandum eſt hoc aſyſtaton. Si enim nullum in Chriſto crimen inueniſti Pilate, quare flagellaſti inſontem? Si uero flagellaſti, quomodo pronuncias innocentem? Verum ita oportuit innocentiã Chriſti, toti mundo etiam ab aduerſarijs cõmendari. Huius fructum & uſum enarrans beatus pater Cyrill. lib. 12. cap. 16. Verũ, inquit, in Chriſto inuenitur quod dixerat, Venit princeps mũdi huius, & in me nõ inuenit quicquam. Huc enim atq; illuc reuolutis omnibus nihil diabolus delicti poteſt inuenire, quo Chriſtũ iure poſſit detinere. Quare quemadmodũ totam naturã hominis in Adam uno ſuperatã peccato ſubiecit: ſic modo ab ipſa per unum ſuperatus eſt. Natura enim homo & deus erat dominus, qui peccatũ non nouit. Sicut igitur condemnatio per primũ hominẽ Adã in omnes penetrauit: ſic iuſtificati Chriſti benedictio per unũ ad omnes extenſa eſt: ſicut id teſtatur Paulus. Porrò ſenſus uerborum Pilati hic eſt, Iubent Romanorũ leges nocentẽ proxima à flagellis abducere ad necẽ, ego uero miſerandũ hunc hominẽ non iubeo à flagris duci ad ſupplicíũ, ſed produco eum ad uos foras, ut uel ita teſtificer me in eo nihil quod mortem mereatur inuenire. Iactauit fateor ſe regem eſſe Iudæorũ, ſed dicetis, opinor, ipſi, commeritas ſtolidũ iactantiæ dediſſe pœnas. Ecce enim ut miſerum tractari iuſſerim: adeo regẽ non refert ullũ, ut uix hominis aliquid in ipſo appareat. Proinde cum affectu quodã pronunciauit cõmiſerationis, Ecce homo: quaſi quis noſtrate lingua dicat, Sähend was armen menſchens/vñ was ellenden jämerlichẽ anblicks er doch iſt. Quid ergo reſtat niſi ut ueſtræ nunc ceſſent accuſationes friuolæ, ipſeq; ſatis caſtigatum iam dimittam? Intertexit autẽ Ioannes proſopographiã Chriſti domini, partim ut omnia rectius intelligerentur, & quaſi coràm cernerentur à ſanctis, partim ut mouerentur affectus eorũ, Prodijt, inquit, Ieſus iubente uel ducente Pilato, ſicut erat ornatus per contumeliã & illuſionẽ, uinctus, geſtans ſpineam coronã, amictus ueſte purpurea, uulneribus interim toto corpore diſciſſus & laceratus, tuberibus oppletus, facie ſiue uultu ſanguinolentus, ſputiſq; conſpurcatus, crinibus item partim ſanguine concretis, partim cruore madidis. Quibus haud dubie dolor & pudor ingens accedebat, qui feſſum uerberibus corpus tenerũ, admodũ debilitabat. Vt enim uerũ induit hominẽ, ita non potuit non doloribus diſtringi & erubeſcere grauiter, cum in tanta populi frequentia ita traduceretur & infandis afficeretur contumelijs, cumq; tanta ipſis cõtuliſſet beneficia, nihilominus tanta barbarie ad

Ecce homo.

crucis supplicium se postulari, ac ueluti probrosissimũ, nocentissimumq; omniũ mortaliũ damnari audiret. Sed hæc omnia nostri gratia pertulit, ut uibicibus suis nos sanaret atq; pudore suo omne dedecus nobis abstergeret.

Cum ergo uidissent eum pontifices & ministri clamabant, dicentes, Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus, Accipite eum uos & crucifigite: ego enim in eo non inuenio caussam. Responderunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundũ legem nostram debet mori: quia filium dei se fecit.

Crudelitas gentis Iudaicæ.

Describitur his pertinax gentis Iudaicæ sæuitia, odiũ in Iesum implacabile ac crudelitas & incredibilis & carens exemplo: tum etiã omnia præsidis consilia planè irrita euanuisse. Erãt enim improba & iniquis suffulta caussis. Potuisset spectaculo tam tristi quantauis barbarorũ feritas mitescere: uerum animi Iudæorũ adeò non sunt mitigati, ut uiso sanguine innoxio magis irritati, ac uelut canes uenatici efferatiores facti uideantur. Sicut enim aliæ gentes uiso rege suo acclamãt, Viuat rex, Viuat rex: ita Iudæi uiso domino Iesu rege regum acclamarũt, Crucifige, crucifige. Cyrillus cap. 17. Iudæi, inquit, adeò ab omni humanitate fuerunt alieni, ut immanitatẽ ferarũ excederent, feruentiusq; clamarẽt crudelissimo ipsum genere mortis occidendũ. Quid enim crudelius aut amarius cruce? Hoc summæ impietatis dedecus à principibus Iudæorũ solis euangelista traxisse originẽ ostẽdit. Quando enim ipsum uiderũt pontifices & ministri, clamarũt, Crucifige crucifige eum. Nam cum turba aliquo modo his factis suberubesceret, recordati forsan miraculorum eius, ipsi primi exclamant, & uulgus incendunt. Vere ergo de ipsis prophe ta prædixit, Quia pastores stulte egerunt, dominũ non quæsierunt, ergo non intel lexit uniuersus grex, & dissipati sunt. Nam quoniã populus non modo à principibus non fuit deductus ad cognoscendum Christum, imò etiam ad cædem eius fuit inflammatus, propterea delapsus in barathrum perijt. Volebant coloni dominũ uineæ occidere, ut summis ipsis gauderent honoribus, uerum diuersa omnia euenerunt. Hęc si nostris quoq; applices temporibus, quibus citra omnẽ clementiam sæuitur in confessores Iesu Christi & doctrinæ euangelicæ, intelliges quis tandem finis sit expectandus cruentis illis beluis. Ad illam uero infandam Iudæorũ truculentiã grauiter cõmotus, exclamat, Accipite illũ uos, & si ita libet crucifigite, ego iuxta leges Romanas soleo noxios crucifigere, at in hoc nullũ crimen, nullam noxam inuenio. At peccabat etiam nunc Pilatus, non quod innocentiæ apertum ferret testimoniũ, sed quod nihil cõmeritum & innocentem canibus obijceret, quem si æquus fuisset iudex constanter ab iniurijs defendisset. Imò stultũ erat reum accusatorum libidini permittere. Sic potius decernens pronunciasset, Innocens est hic rex uester: innocẽtes nullo afficiuntur supplicio; liber est itaq; hic à pœna. Vos autem nisi protinus abieritis, eorum sustinebitis pœnas qui iniustas & iniquas actiones instituunt contra innoxios. Hæc quoniam non facit, grauiter peccat in iustitiam & officium suum. Iudæi uterant inuicti & pertinaces in suo prauo & cruento proposito, ueluti nouam accusationem instituunt, & dicũt, Vt maxime demus illum nihil peccasse in Cæsarẽ uel rebellione affectationeúe regni uel crimine maiestatis læsæ, tamen nos legem habemus à deo traditam, quam Cæsar etiam nobis relinquit, & iuxta eam legem cõmeruit mortem, quoniã se fecit filium dei, & sibi diuinitatem arrogans, in deum fuit blasphemus. Lex extat Leuit. 24. Caute autẽ dicunt, Quia filium dei se fecit. Ipsi enim non agnoscebant in ipso diuinam naturam. Orthodoxe autem D. Oecolamp. hunc locũ enarrans, Iam satis apparet, inquit, contra Arrianos & alios, qui nolunt Christũ parem esse deo patri, & faciunt

Omne malum à senioribus.

Christus naturalis dei filius.

filium

filium quasi adoptiuum, quemadmodũ cæteri sancti dicti sunt filij dei, ut in Psal. 81. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Quod si non ob aliam causſam dixisset Iesus se esse filium dei (quàm per adoptionem) nequaquam Iudæi occasionem accusandi accepissent, sed satis apparet ex hac accusatione quod uerum dei filium se dixerit. Hoc est scandalum Iudæis atq; omnibus arrogantibus ingenijs, qui diuina solent æstimare, iuxta rationem eorum, quasi eadem filiatio in diuinitate ut in humanitate, &c.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonẽ, magis timuit, & ingressus est prætoriũ iterum, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iesus aũt responsum nõ dedit ei. Dicit ergo Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Respondit Iesus, Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset è supernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

Timet Pilatus audiens Iesum esse filium dei.

Metuit Pilatus, non uero dei timore perculsus, sed gentili imbutus superstitione, qua stolide credebatur quosdã semideos nasci ex dijs & hominibus. Nam omnibus notæ sunt fabulæ quæ referuntur de Aeneæ, Romuli, atq; aliorũ natalibus. Non ignorabat Pilatus augustę Romæ aliquando male cessisse contemptũ deorũ, sed & Troiam dedisse pœnas ob reiectum Herculẽ, & si quid aliud nugatur uanitas gentilis, ideo timebat Pilatus, ne & ipse hinc magnũ aliquod sibi malũ contraheret. Reduxit ergo Iesum iterum in prætorium, ac rogans, Vnde es tu? cupit expiscari originẽ Iesu. Ethnicorũ enim dij patria atq; gente clari erant atq; insignes. Cæterum Pilatus ad hanc suam quæstionem nullam merebatur responsionẽ, non tam quod contra ius & phas præcepisset flagellari Iesum, quàm quod prophanus & impius, nihil intellexisset supremæ illius theologiæ, quam in priore colloquio priuato alto supercilio contemnens, non sine cachinno dixerat, Quid est ueritas? Quid enim putas respondisset gentilis & impurus canis, si audisset dominum disserere de æterna natiuitate siue generatione filij ex patre, aut etiã de semine Abrahæ & Dauidis, de promissionibus his factis, ac de cõceptione uirginis è spiritu sancto, & partu uirgineo? Nam hinc erat Iesus, è cœlorum nimirum regia & è Bethlehem castello Dauidis. Risisset haud dubie, ac dixisset delirare stolidum. Prudenter ergo noluit margaritas spargere ante porcos. Atqui ferox præses silentium domini pro contemptu habet, supercilium ergo sumens, & non citra stomachum ex ingenio planè tyrannico, Mihi, inquit, nõ loqueris? An ignoras coram quo constitutus sileas, & quem tuo magno malo fastidias? Is sum, si nescis, cui ius uitæ & necis est in te. In meo enim arbitrio est te uel crucifigere uel dimittere liberũ. Hũc Pilati arrogantem sermonem pulchre exprimunt nostri principes & magistratus, qui non agnoscunt suam uocationem, & quale ipsis datum sit cœlitus officium, certè ut sint publicæ iustitiæ, iuris & æqui, non domini, sed ministri, legum custodes, disciplinæ & pacis tutores. Nam quod libet, licere etiam putant, imò in grandem dei iusti & optimorum quorunq; contumeliam & cõculcationem impudenter clamitant, Nos sumus ius & lex, Wir sindt recht, quod nobis usum fuerit, id demum æquum est & iustum, quamuis discrepet à legibus æquo & bono. Dominus autem quantumuis patiens & longanimis sit, non fert tamen insolentem prophani præsidis arrogantiam. Non posses mihi, inquit, quicquam nocere, nisi id tibi permissum esset cœlitus. Ita enim nunc placuit patri ut moriens pro mortaliũ genere, omnes redimam fideles. Data quidẽ est potestas magistratui & principibus

Tyrannica uox Pilati.

à deo, uerum bonis ad defensionem, malis ad uindictam. Quod si exerceat tyranni dem, abutitur sua potestate, quod ut deus iusto permittit iudicio, ita culpa hæret in peccante, qui auertit animi aures ab inspiratione dei, & accommodat suggestio nibus sathanicis: unde etiam merito iusta dei manu percutitur atq; punitur præ-
Peccat Pilatus. uaricator. Nam & dominus indicans Pilatum non impune facturum quod faciebat, Propterea, inquit, qui me tibi tradidit maius peccatum habet. His enim uerbis ostendit & Pilatum peccare, & Pilato adhuc grauius Iudæos. Quasi dicat, Ais Pilate tibi esse in me potestatem uitæ & necis, & ex tua uoluntate pendere utrum suffigar in crucem, an liberer à caussa, propterea peccas, quia uidelicet cum possis liberare, & nosti me esse innoxium, non autem liberas. Grauius autem peccãt Iudæi, quia me tibi & tradiderunt, & nunc te in excidium meum impellere non cessant. Docet ergo hic locus euangelij contra Stoicos & Iouinianum, discrimen esse in peccatis, & alterum altero grauius & leuius esse, non autem paria omnia. Discunt iudices graue sibi cœlitus imminere dei iudicium si condemnent innoxios & in iudicando affectus adhibeant consultores. Discunt consultores se innoxio pollui sanguine, quod tametsi non effundant manu propria, tradũt tamen ijs qui effundunt, neq; effunderent nisi potestate & occasione ab illis accepta.

Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes, Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris. Quicunq; se regem facit, contradicit Cæsari.

Innocentia domini Iesu. Illustre iterum ponitur innocentiæ Christi testimonium, nec præter insignem caussam. Innocẽtia enim Christi delet peccata nostra, & reddit nos coram deo innoxios. Cupiebat Pilatus Iesum absoluere, & quod innocentissimũ esse deprehenderet, & quod metueret ne quid mali sibi ex mala eius tractatione conciliaret. Id sentientes Iudæi deprauatissimi, ad primam conuertuntur calumniam, urgentes Pilatum crimine affectati regni, quod iterum impingunt Christo, iam & perfidiæ Pilatum insimulantes, nisi manifestum Cæsaris hostem opprimat. Clamant enim, Quisquis regium sibi nomen in Romanorum prouincia arrogat, Cæsaris se hostẽ ac perduellem profitetur, quippe qui imperium Cæsari præripere cogitat. Hostis Cæsaris est quisquis huiusmodi fauet perduellibus. Atqui Iesus qui dicitur Christus manifeste iactitat se regẽ esse Iudæorũ, sibi utiq; usurpans quod Cæsaris est. Cæsar enim Iudæorum dominus & rex est, qui hoc nomine te Pilate præfecit Iudææ, ne quis oriatur motus, & ut in fide Cæsaris retineatur populus Iudaicus. Tu itaq; uideris quomodo tuo satisfeceris officio, dominoq; tuo fidem seruaueris, si huic Iesu perduelli, ita ut cœpisti, fauere perrexeris. Hoc autẽ modo calcaria propius & acrius adhibentes præsidi, quod iustis rationibus impetrare non potuerũt, minis & insimulationibus extorquere uel nolenti contendunt. Omnem enim lapidem mouet impia sedulitas, ut tandem quod petit impetret. Vtinam uero tam industrij sint in promouenda religione ac uirtute cultores pietatis, quàm diligentes cernunt in suis rebus perficiendis homines mundo & suis affectibus seruientes.

Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, sedit q; pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceue paschæ, hora fermè sexta, & dicit Iudæis, Ecce rex uester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem uestrum crucifigã? Responderũt pontifices, Non habemus regem,

regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eum illis ũt crucifigeretur.

Describit Ioannes breuiter, sed euidenter ultimam illam & capitalem actionẽ, qua Christus à Pilato ad crucem condemnatus est. Initio autem notat quid Pilatũ in tribunal conscendere cõpulerit, non utiq; maleficiũ Christi, sed metus Cæsaris. Metuebat enim ne Iudæi sibi magnam apud Cæsarem inuidiam calumnijs excitarent, quasi data opera defectionem à Cæsare procurauerit, qui capitis sentẽtia noluerit condemnare perduellem. Metuebat ergo dignitati honoriq;, ne fortè deponeretur per Cæsarem, ac officialis aliquis alius Cæsari fidelior diligentiorq; surrogaretur. Perdit hic metus plurimos mortales, qui dum per iniuriam & impietatẽ terrena retinere contendunt, unà cum terrenis etiam cœlestia amittunt: id quod Pilato euenisse testantur historiæ. Quanto rectius & prudentius deum plus reueremur quàm homines, & dispendio rerum caducarum paramus nobis bona nunquam interitura. Proinde excitatus à Iudæis Pilatus prodit tandem foras in publicum, & sub apertum nimirum cœlum. Interponit Ioannes & loci & temporis notationem, in quo damnatus est dominus. Locus, inquit, in quo capitales agebantur caussæ in aperto erat. Erat enim tribunal augustum in ædito loco, ut omnibus esset conspicuus præses uel iudex, in illud magna cum grauitate & maiestate deniq; maxima cum totius populi expectatione ascendebat & cõsidebat, nomine & loco Cæsaris imperijq; Romani sententiam pronunciaturus in Iesum. Appellabatur locus Græce λιθόστρωτον Lithostrotos, quasi tu dicas lapide stratus. Nam λίθος Græcis lapis est, & στρωνύω sterno: inde στρωτὸν dicitur quod quocunq; modo stratum est. Raphaël Volaterranus lib. Philologiæ 27. Lithostrota, ait, cœptauere sub Sylla paruulis crustis, pulsa exinde ex humo pauimenta in cameras transiere, &c. Et alius quidam, Lithostrota, inquit, ex paruulis crustis constabant, quibus solum pauimẽti incrustabatur. Hebraice uero dicebatur idẽ ille locus גבתא, uoce nonnihil deflexa ad Syriacum, nimirum à sublimitate, quod tribunal in ædito esset loco. Et sanè obseruatum uideo apud ueteres loca fermè omnia, in quibus capitales exercitæ caussæ, fuisse rebus & signis aliquibus clara atq; insignia, adde & caussas capitales ferè palàm in conspectu totius populi, non sine ceremonijs fuisse tractatas, quo altius cogitatio ultionis popularis insideret animis, essentq; studiosiores pacis atq; uirtutis. Conueniebat item solennem & publicã esse Iesu condemnationem, quo apertior & probatior esset eius innocẽtia, maiorq; animi pudicissimi cruciatus, ac per cõsequens euidentior liberationis nostræ uirtus. Tempus his denotat, Erat aũt parasceue paschæ, hora fermè sexta. Παρασκευὴ præparatiõis dicitur dies, quæ proxime præcedebat festũ, quo parabant omnia quæcũq; ad festum erant necessaria. In festo enim nihil operabantur. Lucas, Et dies, inquit, erat parasceue & sabbatum illucescebat. Oportuit autem eo die parari uictimam, cuius morte purgati perpetuum ageremus sabbatum atq; festum. Erat præterea fermè sexta. Horas autem non nostro, sed Babyloniorũ more, diem ab ortu auspicantiũ, sumpsisse Iudæi uidentur, ut prima hora sole oriente, sexta meridie, nona declinante iam ad uesperã sole, obseruata numeratáq; sit: quod in Matth. quoq; indicauimus. Sub horã igitur primã tempore matutino duxerũt Iudæi Iesum ad prætoriũ, à quo ad regiã Herodis relegatus, circa tertiã reductus est ad Pilatũ, à quo ad sextã ferè concertatũ est acriter de crucifigendo dño cũ Iudęis. Eo aũt et tempore & loco, cũ iam omnia essent ad ultimũ parata iudiciũ, ipseq; pręses pro tribunali consedisset, producitur & Iesus foras in coronã totius populi, ac fit miserabile mundi spectaculum. Non ignorant qui uel semel uiderũt capitales agitari caussas, q̃ funestũ sit

Actio capitalis contra Christũ instituitur.

Locus iudicij & actionis.

Parasceue.

Producitur Iesus ad iudiciũ.

ſpectaculum, duci à lictoribus uinctũ ac ſtatui coram iudice in totius populi conſpectum, palamq; horribilem audire mortis extremam ſententiam. Cui & hoc accedit quod quo integrior eſt rei conſcientia & animus, hoc pudor & dolor acerbior: unde Chriſtum maxime ex hoc ſpectaculo afflictum eſſe certũ eſt, ut qui uerum induerat hominem, & integritate neminẽ habebat ſecundũ. Præſes uero ubi reum aſtare, & accuſatores grauiter Ieſu imminere cerneret, pro more Romano accuſationis caput repetendo, proponit, atq; ita ordine ac legitime omnia fieri poſtulat. Illud, inquit, unicum crimen eſt quod miſero intenditis, quia regẽ ſe ueſtrũ eſſe dixit. Atqui liquet uel ex ipſa miſeri hominis ſpecie, quàm in eum non cõpetat affectatæ tyrannidis crimen. Ecce enim quàm miſerè affectus ſit, ecce quàm nihil regium uel ſpiret uel præ ſe ferat. Hæc iudex in medium protulit, actionẽ commode ſic auſpicaturus. Cæterũ accuſatores Iudæi rei ſeu cauſſæ diffidentes, ad cla

Clamoribus res à Iudæis contra Chriſtũ agitur.

mores, iurgia, minas, & tumultum cõuertuntur, clamantes, Tolle, tolle, crucifige eum. Indignus eſt quem terra ferat, indignus quẽ uiri boni aſpiciant: neq; hic uel modice cunctandum aut agendum, proponendũ, probandumq; diutius, quod ad crucem mortalium nequiſſimum poſtulamus, eſſe uidetur, accelerandũ eſt potius ut execrabili hoc onere leuetur tellus. Ea importunitas cum non poſſet probari Pilato, nec tamen ſerio ipſam compeſcere uellet, non ſine contemptu & irriſione inſanæ gentis, Quid, inquit, an regem ueſtrum tanta afficiã ignominia, ut ſuffigam in crucem? Hoc dedecus recidet in gentis ignominiam, quæ regẽ ſuum ad crucẽ adegerit. Hinc uero Iudæi occaſionẽ ſumunt non iam Ieſum ſolum, ſed & Pilatũ urgendi, clamantes, Nõ agnoſcimus ullum regem, Cæſar Tiberius ille noſter rex eſt. Tu uideris reclamantibus & renitentibus nobis in Cæſaris Auguſti detrimentum & monarchiæ Romanæ dedecus obtrudere uelle regem alium. Viuat autem Cæſar Tiberius, Viuat Tiberius Auguſtus: pereat pſeudo hic rex Ieſus, crucifigatur Ieſus Chriſtus. Ad hunc clamorem grauiter perculſus Pilatus, intelligit Ieſum non poſſe abſolui, niſi magno ſuo malo, quod apud Cæſarẽ ſibi à Iudæis adornandum præuidebat. Sibi ergo cum maximo innoxij detrimento conſultũ cupiens, permiſit Iudæorũ arbitrio Ieſum, ut per ſuos milites crucifigeretur. Apud Matth. ſententiã capitalem non ſine ceremonia pronunciat. Accipiens enim aquã abluit manus, ac dixit coram omni populo, Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti, uos uidebitis: qua ſententia noue prius abſoluit quàm damnet. Quaſi dicat, Quod me attinet, innoxium damnare non poſſum, nec uolo: quia autem uos urgetis me, en permitto illum ueſtro arbitrio, permitto ut mei milites ipſum crucifigant, ſed uos interim uideritis, quo iure me huc adegeritis: uos ſuſtinebitis uindictam, quæ propter hunc innoxium ſanguinem haud dubie irrogabitur. Euincunt hæc manifeſtiſſime dominum Ieſum non cõmeruiſſe mortem ullo uel uitio uel flagitio. Nullũ enim in ipſo inuentum eſt peccatũ. Noſtra itaq; peccata, ſua morte innoxia abluit atq; deleuit. Illud uero obſeruandũ quod Iudæi Meſſiam ſuũ in præſenti, inuidia & malitia excæcati, abnegant, Cæſarem ſibi dominũ ultrò aſciſcunt, quem tamen hucuſq; oderant cane peius & angue. Iuſto ergo dei iudicio Cæſarum armis extirpati ſunt perfidi, nec ullum Meſſiæ auxilium ſenſerunt, qui Meſſiam ſuum turpiter prodiderunt, & ethnicorum manibus crudeliter peremerunt.

Acceperunt autẽ Ieſum & abduxerunt: atq; is baiulans crucẽ ſuam, exiuit in eum, qui dicitur Caluaria, locum, Hebraice autẽ Golgotha, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum.

Sequitur præcipua & ſacratiſſima hiſtoriæ paſſiõis dñi portio, ꝙmodo uidelicet dominus

dominus omnium in ara sacrosanctæ crucis oblatus sit patri in odorem bonæ fragrantiæ, & quæ circa crucem & mortẽ eius euenerunt memoranda. Acceperunt Iesum milites in prætorio, & abduxerũt in locum supplicij, qui erat extra urbem. Et Iesus ipse sibi baiulabat crucem, in qua erat perimendus, ne quid deesset crudelitatis, ac peruenit tandem in locum Caluariæ infamẽ ac facinorosum ossibus horribiliter albicantem. In eo loco sunt qui dicant Adamum patrem nostrum esse sepultum, quod tamen Hieronymo displicere uideo. Liber certè qui sub S. Athanasij titulo de Passione domini circũfertur, hæc habet, Nõ alibi patitur Iesus, nec alibi crucifigitur quàm in Caluariæ loco, quem Hebræorũ doctores dicũt esse sepulchrum Adæ. Nam eum illic fuisse sepultum post maledictionem affirmant. Quod si uerũ est admiror loci congruentiã. Conueniebat enim ut dominus uolens reuocare primũ Adam, eo in loco pateretur, ut illius peccato remisso, idem à toto genere tolleret. Et quoniam audiuit Adam, Terra es, & in terram abibis, ideo rursus illic positus est, ut illic reperto Adamo, primo dissolueret peccatum, deinde pro eo quod dictum erat, Terra es, & in terrã abibis, iam dicat, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus, &c. In caluariæ loco crudeliter cruci affigitur clauis Christus, ac medius inter duos suspenditur latrones ueluti latronum antesignamus. Quæ omnia breuius perstringo. Copiosius enim singula tractaui apud Matth. cap. 27.

Locus Caluariæ.

Crucifigitur dominus.

Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraice, & Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum, Noli scribere rex Iudæorum, sed quod ille dixerit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.

Solebat iuxta morem Romanum facinorosis pœnam nunc pendentibus affigi caussa, id est crimen ꝓpter quod sic afflígerentur, uulgus appellabat titulũ. Proinde Pilatus curauit etiam cruci saluatoris imponi titulum, quo omnibus conspicuum esset quid hic designasset. Ornabat hic dominũ & innocentiam eius prædicabat, Pilati præterea iniustitiã, & Iudæorum incredibilem inuidiam, & beluinã truculentiam, adde & perfidiam in Messiam sibi promissum ac præstitum accusabat. Scripserat hunc titulũ Hebraicis, Græcis & Latinis literis, utpote tunc maxime uulgaribus, & ut ad omnes perueniret rei maximæ notitia. S. August. Tract. in Ioan. 117. Hæ tres linguæ, inquit, ibi præ cæteris eminebant, Hebræa ꝓpter Iudæos in lege dei gloriantes, Græca ꝓpter gentiũ sapientes, Latina propter Romanos, multis ac penè oĩbus iam tunc gentibus imperantes. Significabatur item fore ut crucifixus hic rex dominaretur orbi, linguis inquã & populis per uniuersum mundũ omnibus. Cæterum Iudæi hunc titulũ legentes grauiter offenduntur, iam tunc profitentes crucem sibi perpetuum fore scandalum. Offendebat autẽ quod titulus simpliciter appellaret Iesum esse regẽ Iudæorũ. Id enim sic mutari uolebãt, Dixit se esse regem Iudæorũ, hoc est, Falsò sibi usurpauit, arrogauit & uindicauit dignitatẽ regiam. Atq; hoc serio postulabant à Pilato, qui cum indignatione ipsos reiiciens, negauit se hic quicquam mutaturum, Quod scripsi, inquit, scripsi: id est non mutabo quod scripsi. Germanice dicimus, Gschuben ist gschribẽ/gredt ist gredt, ꝓ eo quod est, reuocari nequit q̃d semel uel scriptũ uel dictũ est. Quemadmodũ aũt Caiaphas quid diceret nescíuit, cũ dixit, Expedit nobis ut unus homo moriatur ꝓ

Infigitur cruci titulus.

Christus rex uerus & æternus populi dei.

populo ac nō tota gens pereat: ita Pilatus mysteriorum regni dei ignarus pronunciauit Christum inuitis omnibus inferorum portis, & reclamante toto mundo, regnaturum in medio inimicorum suorum, nec unquam decretum dei, quo filius à patre rex declaratus est ecclesiæ dei, posse uel mutari uel infringi. Clament itaq; ad rauim usq;, & grunniant quamlibet inuidenter uel hodie omnes Iudæi, Iesum nō esse Messiam, sed arrogasse sibi Messiæ dignitatem, manet & manebit decretū dei firmum & inuiolabile. Hoc est autem decretū dei, quod constituit filium suum Iesum Christum, filium Mariæ uirginis dominum nostrum, regem super Zion montem sanctum suum: sicuti plenius intelligis ex Psalmo 2. qui totus huc pertinet, & ex Psal. 110. Reliqua quæ de hoc titulo dicenda sunt, posui in Matth. 27. cap.

Milites ergo cum crucifixissent Iesum, acceperunt uestimēta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta per totū. Dixerunt ergo inter se, Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit: ut scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam miserūt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Vestes domini diuisæ hostibus cedunt.

De partitione hac uestiū dixi etiā in Matth. 27. cap. Cū crucifixus esset Iesus, & titulus cruci infixus, penderetq; iam in aēre inter latrones dominus, nudo, ut fit, corpore, milites qui crucifixerant eum ex consuetudine partiebantur inter se uestimenta Iesu. Nam hoc illis cedebat uelut in operæ præmium. Cum autem essent quatuor, reliquum uestitum, quoniam ex uarijs partibus erat consutus, uarijsúe constabat partibus, sic dissuerunt uel diuiserūt aut partiti sunt, ut suā quisq; portionem ferret. Supererat autem tunica, uestis nimirum interior & corpori uicinior, interula, non illa quidem consuta, sed ita contexta à summo usq; ad imum, ut dissuta futura esset inutilis: uisum est itaque militibus ut ea non scinderetur, sed ei tota contingeret cuicunq; sors fauisset. Sortiuntur itaque sub cruce ipso domino omnia hæc contuente: id quod acerbum conscíuit ipsi dolorem, & contemptum habebat maximum. Lusus enim hic militum etiam tacens loquebatur, actum uidelicet esse de rege hoc, nec uicturum amplius, cuius uestes alieni principis militibus cederent. Neque diripiuntur hostium res, nec exuuntur occisorum in pugna corpora, nisi prius fusis & fugatis hostibus pleneq; indepta uictoria. Hæc autem euentura aliquando Messiæ prædixerat iam olim Dauid in Psalmo mystico, dicens, Partiti sunt inter se uestimenta mea, & super ueste mea miserunt sortes. Appendit his Ioannes, Et milites quidem hæc fecerunt, intellige, sicut prædixerat propheta. Videtur autem apostolus id non sine admiratione appendisse, quod tam pulchre respondérit congruerit úe typo uel figuræ. Non pigebit autem & diligentem huius loci explanationem Sancti Augustini ascribere ex Tractatu eius in Ioannem 118. Quamuis omnes euangelistæ, inquit, huius rei meminerint, cæteri tamen breuius quàm Ioannes. Hic enim & quot partes de uestimentis eius fecerint, dixit, id est quatuor, ut singulas tollerent. Vnde apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. Manifeste quippe ait, Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem, & tunicam, subaudiendum est acceperunt. Vt iste sit sensus, Acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, acceperunt & tunicam. Et sic loquutus est ut de cæteris uestimentis nullā sortem missam esse uideamus, sed de tunica quam simul cum cæteris acceperunt, sed

sed non similiter diuiserunt. De hac enim sequitur, exponens, Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Cur autem de illa sortem miserunt narrans, Dixerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Apparet itaq; in alijs uestibus æquales eos habuisse partes, ut sortiri necesse nō fuerit, in illa uero una eos non habere potuisse singulas partes nisi scinderetur, & pannos eius inutiliter tollerent, quod ne facerent ad unum eam peruenire sortitione maluerunt. Idem mox allegoriam uestis domini afferens, Quærat forte aliquis, inquit, quid significet in tot partes uestimentorum facta diuisio, & de tunica illa sortitio? Quadripartita uestis domini Iesu Christi quadripartitam figurauit eius ecclesiam, toto scilicet qui quatuor partibus constat terrarum orbe diffusam, & omnibus eiusdem partibus æqualiter, id est concorditer distributam. Tunica uero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quæ charitatis uinculo continetur. Et reliqua. Beatus uero Cyrillus libro in Ioannem 12. cap. 32. aliud affert mysterium his uerbis, In quatuor partes uestimenta diuisa sunt, tunica solum indiuisa remansit. Id quod mysticæ rei signum fuit. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ, indumentum uerbi, id est carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulos enim partibiliter transiens unigenitus, & animam atq; corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atq; integre in omnibus est, cum unus ubiq; sit, nullo modo diuisus, sicut Paulus ait. Et mox, Quæ inconsutilis & desuper erat contexta, ut significaret absq; conuentu sexuum uirtute sancti spiritus desuper corpus domini contextum atq; confectum de sanguine uirginis fuisse. Addit his Cyrillus, Hæc cum nihil ueritati obstent, & conducere possint, studiosis non reijcienda sunt.

Allegoria uestium domini.

Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopæ, & Maria Magdalene. Cū uidisset ergo Iesus matrē ac discipulū astantē, quē diligebat, dicit matri suę, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Solus hæc Ioannes commemorat, nec sine magno fructu. Docet enim dominū omnia in orbe posthabuisse uoluntati patris & saluti nostræ. Iam reliquerat uestes adeoq; omnes facultates suas in manibus militum, nunc uero & matrem unice dilectam relinquit: quod non sine modico dolore factum esse, ex eo claret, quod nobis per omnia similis, excepto peccato, prius quoq; à discipulis, apud Lucā, auulsus refertur, quanto uerisimilius est non citra eximium dolorē iam quoq; à matre esse auulsum. Nihil tamen non sustinet & superat, quo nos redimat & perfectū nobis exemplū pietatis relinquat. Si quādo itaq; ꝓpter Christū patimur, & cura nos parentū atq; liberorū affligit, cogitemus quid hic fecerit & passus sit dominus, & quod in euangelio dixit, Qui amauerit patrem & matrem ultra me, non est me dignus: & qui amauerit filium aut filiam ultra me, nō est me dignus. Item, Quisquis non renūciarit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Accedebat & illud ad malorū dolorumq; cumulū, quod domino amicissimi coniunctissimiq; hoīes unà cum matre eius aderant, at ab dilectissimis maximeq; familiaribus per mortem disiungi non modice affligit hominis mentem. Aderat domini matertera Maria Cleopæ, nimirum filia, uxor Alphæi & Iacobi mater, de qua annotaui quædam in 12. cap. Matth. Aderat & Maria Magdalene, & dilectus dño discipulus Ioannes, unà cū nōnullis alijs pijs, qui dominū amabāt ex animo, & ex side comitati fuerant in locū caluariæ, exitumq; eius operiri uolebant. Audi uero quam matri

Matrem dominus Ioanni commendat.

in extremis agens pietatem præstiterit. Cõmendans enim ipsam discipulo Ioanni, Mulier, inquit, ecce filius tuus, capitis nimirum & oculorum nutu Ioannem designans. Mulierẽ autem non matrem mox ab initio colloquij prudenter appellauit, ne saucium alioqui pectus, telo transuerberaret acerbiore. Quod aũt Martionitæ hinc nescio quid colligunt, quasi Christus non agnouerit uirginẽ suam esse matrẽ, utpote ex cuius substantia acceperit nihil, suæ ignorantiæ & cæcitatis egregium specimen exhibent toti mundo. Mox enim & filij mentionem facit, adde & matris. Hoc autem est quod ad matrem dicit, Ne putes te esse desolatam, discipulus ille meus dilectissimus & integerrimus erit tibi posthac filij loco, is res tuas diligenter curabit, & in omnibus fidelis tutor & consultor tibi aderit. Mox autem & ad discipulum conuersus, Ecce, inquit, mater tua: id est commendo hanc tuæ fidei, quam non minore affectu & cura recipies quàm si mater tua esset. Subiungit Ioannes egregium suæ obedientiæ & fidei exemplum, in tertia persona, pro more suo, de seipso loquens, & dicens, Atq; eo tempore discipulus ille suscepit erga Iesu matrem affectum filij, per omnia curam illius agens. Nam εἰς τὰ ἴδια in sua, posuit pro eo quod est in suum ius, in suam curam, tanquam matrem propriam. Sic autem uirginem commendauit uirgini dominus, nec porrò ullam rationem matris habuit, sed uoluntatis modo sui patris. Id quod sancte imitabimur si post commendatos parentes & liberos, totam mentem in cœlestia subleuauerimus, semel omnibus rebus terrenis & perituris ualedicentes. D. Aurel. Augustin. Tract. in Ioannem 119. pulchre hunc locum ecclesiæ aptans, & quid ex ipso discamus copiosius tradens, Moralis, inquit, insinuatur locus. Facit enim dominus quod faciendum admonet, & exemplo suo suos ministros instruit præceptor bonus, ut à filijs pijs cura impendatur parentibus: tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiã cathedra fuerit magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus apostolus quod docebat, quando dicebat, Si quis suis & maxime domesticis non prouidet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuiq; domesticum, quàm parentes filijs aut parentibus filij? Huius itaq; saluberrimi præcepti ipse magister sanctorum de seipso constituebat exemplum, quando non ut famulæ deus quam creauerat & regebat, sed ut matri homo, de qua creatus fuerat, & quã relinquebat, alterum pro se quodãmodo filium prouidebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat. Ait enim euangelista, Ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Sed in quæ sua Ioannes matrẽ domini accepit? Non utiq; prædia, quæ nulla ꝓpria possidebat, sed officia quæ ꝓpria dispẽsatione exequenda curabat. Tantũ Augustin.

Pietas in parentes.

De Compassione diuæ uirginis Mariæ.

Hic uero, deus bone, quanta nugatũ plaustra inuexerunt spermologi uerius quàm sermologi Papistici? quantas excitarunt de Cõpassione beatæ & intemeratæ uirginis Mariæ tragœdias? Adeò autem inoleuit apud plerosq; compassionis illius existimatio, ut historiam passionis non plene uideatur expositisse, tametsi fide optima, omnia quæ de Christo domino scripserunt euangelistæ, enarrauerit, quisquis istorum quoq; non adiecerit de Compassione uirginis figmẽta. Nihil interim ex ijs accedit laudibus deiparæ uirgini, atq; utinam non plus decederet. Si enim uera sunt quæ isti referunt, more illarum mulierum eiulasse uidetur, quæ amisso unigenito, arbitrantur se prorsus desolatas, nihil porrò in toto hoc mundo habere quod unquã consolari possit. Indoluit quidẽ uirgo & dolore quidem acerbissimo, dum coràm cerneret unice charum illũ filium, tantis discruciari tormentis. Amarissimo enim dolore affligendã prædixerat Simeon ille iustus, qui prophetauerat,

Luc. 2.

Quin & tuam ipsius animam penetrabit gladius, doloris haud dubie acutissimus: cùm alioqui non legamus illã unquã ullo transuerberatã esse gladio. Atqui tanta

fuit

fuit in hoc corpusculo tenero, id est, in thalamo siue templo illo sacrosancto, unde carnem hauserat æternus dei filius, uirtutum gratia, ut omnia in ipsa & modestiora & magis decora fuerint ꝙ illi fingant. Qui enim uirginem reddiderat fœcundã, feceratq; matrem, ut nihilominus uirgo intemerata maneret, id est, absq; uiri congressu & partus dolore, uerum hominem generaret mundo, ĩjdem prædilectã & benedictam illam inter mulieres matrem suam consolari & confirmare potuit, ut mortem filij toti mundo salutarem æquiore & per omnia modestissimo ferret animo. Quorsum ergo pertinet prodigiosa quædam de illius ploratu & lamentatione apud plebem deprædicare, & ad miserationẽ propensa pectora ad largiss. prouocare lachrymas? Nam hic quorundam monachorũ hac in re unicus finis est. Proponatur potius ipsa dominicæ passionis historia pure, ita ut ab euãgelistis simpliciter est tradita, doceatur quis eius sit usus & fructus, quæ caussæ, & quomodo fide & patientia imitãda, gratijs quoq; et laudibus iugibus prosequẽda. Quod uero ipsam uirginẽ deiparam attinet, studeat quisq; eius exemplũ pulcherrimũ & sanctiss. ꝙ ppriſſime exprimere, ita ut in qbuslibet periculis ac discriminibus ea se fide, modestia & patientia confirmet, qua uidet illam sese confirmasse in ea miseria, quæ inter maximas in hoc sæculo iure uidetur & iudicatur, extrema. Sanctus Ambros. libro Comment. in Lucam 10. Maria, inquit, ut matrem Christi decebat, fugientibus apostolis, ante crucem stabat, & pijs spectabat oculis filij uulnera: quia expectabat non pignoris mortem, sed mũdi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionẽ, aula regalis putabat se & sua morte publico muneri aliquid addituram. Sed Iesus non egebat adiutore ad omniũ redemptionem, quia dixit, Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Suscepit quidem matris affectum, sed non quæsiuit hominis auxilium. Habemus igitur pietatis magistrum. Doceat lectio quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reuerentia filiorum: ut illæ se offerant in filiorũ periculis, illis amplius solicitudo materna, ꝙ suæ mortis mœstitia sit dolori, &c. *Psal. 88.*

Postea sciens Iesus quod omnia iam consummata essent, ut consummaretur scriptura, dicit, Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum. Illi uero impleuerunt spongiam aceto, & hyssopo impositam admouerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

Accelerat Ioannes ad consummationẽ sacrificij describendam, ad expiationem inquam & remissionem omnium peccatorum totius mũdi per mortem Christi factam. His ergo peractis, inquit, & matre commẽdata dilecto illi discipulo, cum Iesus sciret nihil superesse quod ad legitimam uictimã pertineret, ut hoc quoq; accederet quod prophetia prædixerat, Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potarunt me aceto, clamauit de cruce, Sitio. Solent autem qui hoc supplicij genere moriuntur, uehemẽter discruciari siti, uidelicet sanguine per uulnera corporis exhausto. Multum præterea possunt dolores ad commouendã sitim. Innatum enim calorem exagitantes, uel quod in profunditate humidum est, consumunt, & igneis ardoribus dolentis uiscera urunt. Vt autem cæteras passiones, sic hanc quoq; sponte perpessus est. Faciebat hoc nimirum ad declarandã humanæ naturæ supplicijq; non simulati ueritatem. Aderat aũt illic uas acido uino plenũ, quod sitiẽtibus porrigi solet, ob mortem accelerãdam. Milites igitur spongiam acido uino impletam, & impositã hyssopi calamo admouerunt ori eius. Græca enim sic habent, οἱ δὲ πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ σώματι, id est, Illi uero *Peragitur in cruce sacrificium.* *Sitit dominus.*

impleuerunt ſpongiã aceto, & hyſſopo ſuperponentes uel circumponẽtes, admouerunt ori eius. Per hyſſopum autem non intelliges herbam hortenſem, quę pedali duntaxat altitudine excreſcit, ut uiſum eſt Ruellio, ſed calamũ potius, fruticem uel arbuſculam. Frutex enim ſiue calamus ferendæ ſpongiæ & in altum porrigendæ accommodus eſt non humilis herba: ac uidetur Ioannes indiſcriminatim abuſus eſſe ea uoce pro quouis frutice. Nam Matthæus & Marcus aiunt ſpongiã arundini fuiſſe impoſitam, nimirum calamo. Porrò D. Chryſoſtomo & Auguſtino ferè aliud uiſum eſt. Ille enim Homelia in Ioannem 84. Milites nulla, ait, miſericordia moti, magis efferãtur & irrident, acetumq; in ſpongia porrigunt, ut bibat tanquam reus. Nam propter hoc hyſſopũ additur. Tribuunt enim huic phyſici uim purgandi, ut eſt apud Dioſcoridem lib. 3. cap. 27. unde & propheta cecinit, Aſperges me domine hyſſopo, & mundabor. Cæterum parum retulerit ſiue acetum in ſpongia calamo quodam porrectum, ſiue acetum unà cum hyſſopo herba propinatum domino intelligas. Certe in expiationibus legis adhibebatur hyſſopus: unde certum eſt eam domino non ſine myſterio & peculiari ordinatione dei eſſe adhibitam, uidelicet pendenti iam & ſeſe offerenti deo patri pro expiatione peccatorum totius mundi. Fructum & uſum, hoc eſt myſterium ſitis domini explanans ſanctus Athanaſius de Paſſione domini, Amaritudinem iræ, inquit, quæ per legis tranſgreſſionem acciderat, qua obſtrictos tenebat omnes diabolus, reddebat idem ille ſeruatori: at ille ſumens abſumpſit exhauſitq;, ut pro aceto quod miſcuerat diabolus, Chriſtus uino potaret nos ſapientiæ: pro felle daret nobis eloquia, dulciora ſuper mel & fauum: & pro eo quod ille noſtra guſtauerat, uiciſſim diceret nobis, Guſtate & uidete quod ſuauis eſt dominus. D. Cyrillus hæc addit, Diſcimus hinc non poſſe ſatiari aduerſariorum animos in perſequẽdis amicis Chriſti: ſed uſq; ad ultimum ſpiritum magnum undiq; tentationum commouent æſtum. Sed hi magni labores atq; perpetui, perpetuam etiam afferũt gloriam. Nam ſicut tribulatio in hac uita non ceſſauit, ſic in futura, quæ æterna eſt, gloria nunquam terminabitur. Lib. 12. capite 35. Simul atq; uero guſtaſſet acetum Ieſus, dixit, Cõſummatum eſt, ſignificans iam rite peractum ſacrificium, iuxta patris uoluntatem, & ſatisfactum pro peccatis pariter & omnibus quæ prædixerant implenda lex & prophetæ, ac mox inclinato capite reddidit ſpiritum. De ijs copioſe diſputaui in cap. 27. Matth. Beatus Cyrillus libro in Ioannem 12. cap. 36. eleganter ſimul & pie, Accidit, inquit, morientibus uigore carnis iam conſumpto, & anima quæ corpus retinet abeunte, inclinatio capitis. Quamobrem uerbis hoc modo abuſus euangeliſta eſt. Sic & tradidiſſe ſpiritum, à conſuetudine noſtra ſibi dictum eſt. Multi enim ſic extingui & mori dicuntur. Quãuis mihi uideatur ideo non ſimpliciter mortuum eſſe, ſed tradiſſe ſpiritum euangeliſta dixiſſe, quia in manus dei patris animã ſuam commendauit, ſicut dixit, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: quod nobis magnæ ſpei fundamentum atq; originem præbet. Credere nanq; debemus, cum à corporibus ſanctorum animę abierint, tanquam in manus chariſſimi patris bonitati diuinę commendari: nec, ut quidam infidelium crediderunt, in terris conuerſari quouſq; ſepulturæ honoribus affectæ ſint: nec ut peccatorũ animæ ad immenſi cruciatus locũ, id eſt ad inferos, deferri: itinere hoc nobis à Chriſto primum præparato, ſed in manus potius patris euolare. Tradidit enim animam ſuam manibus genitoris, ut ab illa & per illam facto initio, certam huius rei ſpem habeamus, firmiter credentes in manibus dei nos poſt mortem futuros, uitamq; multo meliorem, ac perpetue cũ Chriſto uicturos. Ideo enim Paulus deſiderauit reſolui, & eſſe cum Chriſto, Tantum ille.

Animæ fideliũ proxime à morte corporea recipiuntur in cœlos.

Iudæi

Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, ut non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.

Frangũtur crura latronibus.

Deſcribuntur porrò ab euangeliſta quæ mortem domini Ieſu conſequta ſunt, & ea maxime quæ fructum, uirtutem ac efficaciã eius declarant, quo potiſſimum pertinet lateris Ieſu apertio, ad quam peruentum eſt per confractionem oſſium latronum, quæ in præſenti paucis perſtringitur. In ea notatur peruerſa Iudæorum religio. Innoxium enim ac benemeritũ Ieſum, ſceleratis odijs impijſq; modis adegerunt ad crucẽ, nihil deterriti à tam immani facinore diei feſti religione, cæterum de tollendis è cruce corporibus ſuperſtitioſe iam laborabant, ſicuti & prætorium ingredi abhorrebant. Pilatum ergo adeunt, poſtulantes ut ipſius iuſſu crura frangerentur pendentibus, quo mors acceleraretur, deinde cadauera tollerentur è medio, ne conſpectu ſui, & diurni cruciatus horrore diem feſtũ funeſtarent. Vel certe reſpexerunt ad legem Deut. 21. iubentem ſuſpenſum in ligno deponere ad ueſperam atq; ſepelire. Superior tamen ſententia magis congruit hiſtorico, dicenti, Quoniam erat paraſceue, & imminebat iam ſabbatum magnum ſeu celebritas & feſtum ſolenne, nolebant remanere in crucibus corpora. Dixi autem ſuperius Paraſceue Græcis dictam diem ab apparatu ſacrorũ. Ac facile quidem impetrarũt à præſide quod poſtulauerãt. Annuente aũt ipſo milites utriuſq; latronis crura confregerunt & occiderũt. Oſſa enim corporis humani ſuſtentamẽta, fulcra, & ueluti columnæ ſunt, unde ad uitam incolumitatemq; hominis conſeruandã non parum iuuant, imò obeunt quædam & contegunt, maxime uitalia hominis membra ſiue uiſcera: contuſo autem luxatoq; cortice, neceſſe eſt ea quæ latent etiam affligi ac proteri, iccirco confractione crurum adeoq; contritione oſſium peremerunt milites præſidis latrones ſuſpẽſos. Noſter magiſtratus etiam hodie latronibus crura, brachia atq; ſpinam dorſi rota confringit.

Ad Ieſum autem cum ueniſſent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerũt eius crura, ſed unus militum lancea latus eius fodit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui uidit, teſtimonium perhibuit, & uerum eſt teſtimoniũ eius: & ille ſcit quod uera dicit, ut & uos credatis. Facta ſunt enim hæc, ut ſcriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et rurſus alia ſcriptura dicit, Videbunt in quem pupugerunt.

Fructus & utilitas ex morte domini.

His maxime exponitur quis fructus, quæ utilitas, ac qui theſauri nobis promanent ac depromãtur è morte domini Ieſu: demonſtratur item dominum Ieſum uere eſſe afflictũ & mortuum, ne quid nos perturbent hæreſes, dicẽtes Ieſum duntaxat putatiue eſſe paſſum. Cum confractis latronum oſſibus, inquit, peruentũ eſſet ad Ieſum, ac hunc exceſſiſſe & exanime corpus inclinato capite pendere uiderẽt, ſuperuacuum putarunt eius confringere crura. Nam in hoc alijs fregerant ut morerentur citius, ac de crucibus deponerentur: atqui mortuus iam erat dominus. Aſtabat tamen inter milites quidã, qui explorare uolens num uere mortuus ſit dominus, lancea perfodit latus eius. Atq; hinc ſe promunt clariſſima redemptionis myſteria, declarãtia quis nobis ex morte domini Ieſu exoriatur fructus. Protinus enim profluxit ex latere aperto ſanguis & aqua. Sanguis utiq; uerus & aqua uera, non phlegma, quod quadantenus aquam refert, ſed aqua uera. Sed quid in his

Aperitur domini latus, profluit ex eo ſanguis & aqua.

quæso latet mysterij? Sanguis expiationi & absolutioni consecratus est, ac typum habet redẽptionis. Paulus enim ad Hebræos 9. cap. Christus, inquit, pontifex æternorum bonorum, non per sanguinem hircorum & uitulorum, sed per propriũ sanguinem ingressus est semel in sancta æterna redemptione reperta. Si enim sanguis taurorum & hircorum sanctificat aspersus ad carnis sanctificationem, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum obtulit seipsum immaculatum deo, purgabit conscientiam à mortuarijs operibus ad seruiẽdum deo uiuenti? Et ob id noui testamenti mediator factus est, ut morte intercedente peccata quæ priore testamento purgari non poterant, purgarentur, & uocati promissionem acciperent æternæ hæreditatis. Testamentum enim in mortuis ratum est. Nam non ualet testamentum quandiu testator uiuit. Vnde nec prius siue uetus illud sine sanguine dedicatum fuit. Cum enim Moses præcepta omnia ex lege omni populo exposuisset, sumpto sanguine uitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina & hyssopo simul & ipsum librum & totum populum aspersit, dicens, Hic est sanguis testamenti, quod mandauit nobis deus. Insuper autem & tabernaculum & omnia uasa ministerij sanguine consimiliter aspergebat. Et omnia ferè secundum legem sanguine purificantur, & absq; sanguinis effusione nõ fit remissio. Oportuit ergo & res significatas sanguine purificari, & uictima quidẽ meliore q̃ illa. Ideo Christus semetipsum iam in cruce uictimã offerens deo patri pro nobis sanguinem fundit, de quo dixit in cœna, Hic est sanguis noui testamenti qui effunditur in remissionẽ peccatorũ. Proinde sanguine Iesu remissa sunt nobis peccata, & expiata illa, id est satisfactũ pro peccatis, intelligimusq; ex morte domini nobis manasse plenariam absolutionem, iustificationem & redemptionem, unica Christi hostia partam. Præterea in sanguine uita est hominis, & ex morte Christi promanat nobis, si credamus, fons uitæ. Iam & aquæ usus frequens erat in sacrificijs, purgationis ablutionisue symbolum: eadem potat, recreat, refrigeratq; : hoc ipsum præstat animæ fideli mors Iesu Christi. Plæraq; ergo legis, uictimarum uel sacrificiorum maxime mysteria per hæc paucula explicata sunt, significantia in uno nos Christo domino habere omnem plenitudinem & ueram sanctificationem iustificationemq;, quæ legalibus hactenus ceremonijs nemini potuit obtingere. Act. 15. Ac mirũ est aquam sanguini fuisse coniunctam, nimirum quod sanguis Christi non ita ut uitulorum & hircorum coinquinat. Verissima enim, purgatissima plenissimaq; est in sanguine Iesu omnium ablutio peccatorum mundi totius, sicuti & in Canonica sua idem Ioannes attestatur 1. & 2. cap. S. Bernardus illos nobis thesauros per Christũ apertos in passione uolens significare, rustica quidem, sed non impia usus est similitudine, Quasi saccum, ait, misericordia sua plenum, deus pater misit in mundum, saccum unde effusum est pretium nostrum. Christus enim hoc sacco cõciso in passione, pecuniam quæ latebat effudit in pretium redemptionis nostræ. Quibus uerbis alluisit nimirũ bonus pater ad illa S. Petri uerba, Non estis redempti auro & argento, aut ullis rebus caducis, sed pretioso sanguine, uelut agni immaculati & incõtaminati Christi. Idem in Cantica serm. 61. multo ciuilius & elegantius hoc tractans salubre mysterium, Veni ergo, inquit, columba mea in foramine petræ, in cauerna maceriæ. Ergo quidem fidenter quod ex me deest mihi usurpo ex uisceribus domini: quoniam misericordia affluunt, nec foramina per quæ effluunt desunt, Foderunt, inquit, manus meas & pedes meos, latusq; lancea perforauerunt. Et per has rimas licet mihi sugere mel de petra oleumq; de saxo durissimo, id est gustare & uidere q̃ suauis est dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebã. Quis enim cognouit sensum domini? At clauis reserans, clauus penetrans factus est mihi,

Omnia merita nostra in uisceribus misericordiæ dei.

hi, ut uideam uolũtatem domini. Quid ni? Videam per foramen. Clamat clauus, clamat uulnus, quod uere deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Patet arcanum cordis, per foramen lateris. Patet magnum illud pietatis mysterium. Patent uiscera misericordiæ quibus uisitauit nos oriens ex alto. Meritum proinde meum miseratio domini: nec plane meriti inops sum, quandiu nec ille miserationum. Ad hæc non pigebit etiam S. Augustin. enarrationem his è Tractat. 120. in Ioan. ascribere. Vigilanti uerbo euangelista, inquit, usus est, ut non diceret latus eius percussit aut uulnerauit aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo uitæ ostium panderetur, unde sacramenta ecclesiæ manauerũt, sine quibus ad uitam, quæ uera uita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lauacrum præstat & potum. Hoc prænunciabat quod Noe in latere arcæ ostium facere iussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere uiri dormientis, & appellata est uita mater q̃ uiuorum. Magnum quippe significauit bonum, ante magnũ præuaricationis malum. In habitu iacentis & dormientis hic secundus Adam, inclinato capite in cruce dormiuit, & unde ei formaretur coniunx, quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reuiuiscunt. Quid isto sanguine mundius? Quid uulnere isto salubrius? *Vulnus Christi ostium uitæ.*

Quoniã uero non absq̃ miraculo è morientis uulnere aqua profluxit, & in fonte hoc sanguinis & aquæ maxima salutis nostræ mysteria latent, iccirco magna cũ asseueratione, ne quis hic quicquam dubitaret, euangelista appendit, Præter naturam est ut è corpore uulnerato fluat aqua, magna præterea latent in eo mysteria, nec poterit de his citra salutis iacturam dubitari. Atqui ueriſſima sunt quę retuli. Qui uidit oculis suis, (de se loquitur in tertia persona more suo apostolus) hæc retulit: nec quicquam ex seipso cõfinxit, proinde ueriſſimum est eius testimonium: imò scit ille quod uera dicit. Quorum uerborũ anceps est sensus. Vel enim iurat, & Christum ipsum in testem uocat, ac dicit, Scit ipse dominus Iesus, è cuius latere sanguis & aqua profluxere, q̃ testis ille uera scripsit. Vel ipse testis sibi recte conscius est, q̃ nihil hic de suo affinxit, sed simpliciter quod factum est, & sicut factum est exposuit. Quis autẽ finis est huius grauissimæ obtestationis asseuerationisq̃? Subdit, Vt & uos credatis, uere uidelicet passum & mortuum esse dei filium, ac ex latere Iesu aquam profluxisse & sanguinem, ad plenariam emundationem & expiationem omnium peccatorũ totius mundi. Maledictus ergo quisquis aliud credendum docuerit. Quinimo quo plus roboris & certitudinis haberet expositio historica, & testificatio historici, affert è lege & prophetis clara testimonia, approbantia magno quodam pietatis mysterio Iesu ossa nõ fuisse confracta, sed lancea latus apertum. Alterum produxit è 12. cap. Exodi, ubi ritus describitur edendi agnum paschalem, qui typũ prętulit Christo, manifeste dicente Apostolo, Pascha nostrum immolatus est Christus. Vnde pie Paraphrastes, Inter cęteros, inquit, ritus quibus in Exodo Moses docet celebrandum esse phase, nominatim & illud præscripserat, ut agnus ille sic occideretur, ne quod os illius confringeretur. Hac nimirum nota declarabat Iesum esse uerum illud phase, cuius imaginẽ agnus ille Mosaicus gesserat. Huius enim sanguis credentes seruat à morte, huius mysticus esus nos ab Aegyptiaca seruitute, hoc est, à mũdi cupiditatibus & peccati tyrannide liberos trãsmittit in terram cœlestem. Alterum testimoniũ produxit è 12. cap. Zachariæ, ubi sic legis, Et effundam super domum Dauidis & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & benignitatis, ut aspiciant ad me, eum uidelicet quem transfixerunt, plangentq̃ super eo, ut solet super unice dilecto, &c. Eum prophetæ locum sic ex- *Confirmatur testimonio certo mysterium redemptionis nostræ.* *Vt credatis finis testificationis.*

Ipsa caro Christi crucifixa apparebit in iudicio.

posuit & aptauit Paraphrastes, Rursus per Zachariam spiritus ita loquitur, Videbunt in quem compunxerant. Nam olim cum eodem corpore uenturus, quo pependit in cruce, tametsi iam glorioso, tamen uestigiũ uulneris ostendet omnibus, & fontem frustra apertum incredulis exprobrabit, cuius profluxu sanari poterãt. Atq; hunc sensum uidetur S. Augustinus sequutus, qui ait, Ibi promissus est Christus in ea qua crucifixus est carne uẽturus. Nec uariat ab his uetustissimus ille scriptor Tertullianus, qui in fine libri de Carne Christi, Idem, inquit, ueniet de cœlis dominus, qui est passus, idem omnibus apparebit qui est resuscitatus. Et uidebunt & agnoscent qui eum confixerunt, utiq; ipsam carnẽ in quam sæuierunt: sine qua nec ipse esse poterit nec agnosci. Vt & illi erubescant qui affirmant carnem in cœlis uacuam sensu ut uaginam exempto Christo sedere: aut qui carnem & animam † tantundem, aut tantummodo animam, carnem uero non iam. Hæc ille. Videant ergo quo spiritu imbuti quidam hodie, magna cum audacia doceant Christũ in gloria, ad dexteram utiq; patris, iam non amplius esse creaturã, sed creaturam in ipso iam esse deificatã. Certè uetus ecclesia Christi proximaq; apostolorũ temporibus nec ita credidit, nec sic docuit, sed pro errore potius condemnauit. Credidit autem & docuit carnem nostram ueram etsi gloriosam in Christo sedere ad dexterã patris. De quo aliâs. Alijs autem uisum est prophetare diuinum uatem, fore ut perpensis rebus omnibus, Iudæi tandem per fidem agnituri sint quem crucifixerint, ipsum uidelicet dei filium Messiam, atq; ideo corde compunctos, ut est in Actis apostolorum cap. 2. acturos pœnitentiã. Vtcunq; uero res habeat, id longe certissimũ est, Zachariam prædixisse dominum fore transfigendum, qui alibi quoq;, nimirum 3. cap. Super lapidem unum, inquit, septem oculi: ecce ego aperio apertionem eius, dixit dominus exercituum, & delebo iniquitatem terræ, ipsam die uno. Lapis ille Christus est, nimirum reiectus ab ædificantibus, à domino autem positus in caput anguli: unde oculi septem, id est omnium oculi (septenarius enim numerus plenitudinis est) in ipsum sunt, ut unicum saluatorem, intẽti. Hunc lapidem clauis crucis (sicut ait Hierony.) & lãcea militis aperuit, ex eo effluxit sanguis & aqua. Morte enim Christi iniquitas terræ, id est, quicquid sub peccati censum uenit, omnia inquam scelera atq; peccata deleta sunt, ac die quidem uno, per unicum inquã sacerdotem Christum & unicam hostiam corporis Christi, Apostolo testante atq; dicente, Omnis quidem sacerdos assistit quotidie sacra peragens & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic uero una pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexteram dei, id quod superest expectans donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Hi inquam thesauri profluxerũt nobis è mortui domini latere, quos nemo satis dignis extulerit laudibus. Christo Iesu redemptori nostro sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Vide an Christus caro sit in gloria.

Fortè tantum.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph Arimathiensis, qui erat discipulus Iesu, sed occultus propter metum Iudæorũ, ut tolleret corpus Iesu, idq; permisit Pilatus. Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes ad libras ferè centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & obuinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in eo loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondũ quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quod in propinquo

esset

esset monumentum, posuerunt Iesum.

Diligenter describuntur personæ, qui sepelierũt Christum depositum à cruce, pingitur & modus quomodo ipsum sepelierunt, sed & locus notatur in quo sepelierunt. De his disputaui in Matth. unde peti possunt quæ ad huius loci explicationem pertinent, ne eadem subinde oporteat repetere. S. Augustinus putat non temere dictum ab apostolo, Sicut mos est Iudæis sepelire. Ita quippe, nisi fallor, inquit, admonuit in huiusmodi officijs quæ mortuis exhibẽtur, morem cuiusq; gentis esse seruandum: nimirum si nihil is impietatis & superstitionis habeat. Videntur autem morem hunc suum sic sepeliendi accepisse à patribus, qui ita uoluerunt fidem resurrectionis profiteri, ac quodã modo cõtestari: cui accedit quod corporibus mortuis suus quoq; honor debetur. Vbi tamen modestię meminisse oportet. Christus enim quemadmodũ omnẽ uitam humilẽ esse uoluit, ita sepulturã uoluit esse magnificã, nõ ut nos uel luxum doceret gentilitiũ, uel sepulchri curã anxie gerere, sed ut ueritatem cõprobaret scripturæ, quæ prædixerat sepulturam eius futuram gloriosam, & ut peractis ijs quæ pertinebant ad dispensationem humilitatis, iam ad resurrectionis gloriam quodammodo præluderet. Nobis satis fuerit ita condere corpora, ut ea recipienda sperentur, & ut cogitemus grauius peccare nos, si etiã post fata stultitiæ superbiæq; nostræ titulos erigamus relinquamusq;: & cum per mortem non licet amplius, tamen ferocire & superbire præsumamus. S. Cyrillus ludit in eo quod Ioannes dicit dominũ in nouum esse positum monumentum, ac ita nõ infeliciter exponit fructum sepulturæ Christi. Vnde uerba eius asscribere libuit, è lib. in Ioannem 12. cap. 42. Reputatus quidẽ in mortuis, inquit, secundum carnem, propter nos, qui uita naturaliter ac uere per seipsum est, ut omnem impleret iustitiam, quæ generi nostro conuenit, corpusq; suum morti & sepulturę sponte concessit. Monumentum autem in horto erat, inquit, & ipsum nouum, quæ res significat recursum ad paradysum morte Christi esse præparatũ. Præcursor enim ipse pro nobis ingressus est. Monumẽti autem nouitas nouum atq; inauditum de morte ad uitam reditum significat. Nam & ipsa mors in morte Christi innouata, ad somni conditionem mutata est. Viuimus enim deo, & ipsa corpora nostra reuictura sunt iuxta scripturas. Vnde mortui dormiẽtes iam ab omnibus & maximè à Paulo appellantur. Nam olim quidem etiam in eos qui non peccarunt in similitudinem præuaricationis Adæ (cuius imaginem induti, omnes maledictioni subijciebantur) mors apertissime regnabat: sed postquam secundus Adam effulsit, & morte carnis suæ humani generis uitã redemit, & imperio interitus destructo surrexit, reformati sumus nouæ cuidam morti, non sempiternæ, sed somno simillimæ subiecti, ad similitudinẽ scilicet Christi, qui hanc nobis uitam præparauit. Et mox in cap. 43. addit, Non solum nouum fuisse monumentum significauit, sed positum etiam in monumento Christi corpus exposuit, nec id quidem minimum prætermittens. Necesse est enim pro cognitione mysterij uere Christum fuisse mortuum confiteri. Propterea etiam Paulus fidei regulam tradens, dicit, Quia si dixeris in corde tuo dominus Iesus, & credideris in corde tuo, quia deus suscitauit eum ex mortuis, saluaberis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutẽ. Et alibi, Tradidi uobis in primis quod accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia surrexit tertia die secundũ scripturas. Necessario igitur hæc etiam minuta nobis euangelista explicat, quia necesse est credere mortuum & sepultum fuisse, ut postea uere possimus credere uinculis interitus ruptis, ad suam uitam redijsse. *Sepultura domini Iesu.*

Exhibui tibi Christiane Lector hoc libro IX. dominum Iesum saluatorem mundi, qui sua sponte tradidit sese pro nobis in mortem, & mortem quidem probrosissimam crucis. Hic initio commendauit & se & fideles suos fidei & curæ dei patris, hinc tradidit sese ministris pontificum uinciendum, uinctus productus est ad summum pontificem, ab hoc in cõsessu sacerdotũ sustinuit & examinari & indignissime à ministro percuti in faciem. A pontifice ductus est in prætorium ad Pilatum, qui cum de multis ipsum interrogasset, constantissime semel atq; iterum pronunciat innoxium. Sed cum importunis fatigaretur Iudæorum uociferationibus, permisit ipsum tandem eorum arbitrio. Educitur ergo ad supplicium à militibus præsidis, crucifigitur inter latrones: ubi mox dignam & plenam se deo patri pro peccatis totius mundi hostiam offerens moritur, postea transfigitur etiã mortuus militis cuiusdam lancea, profunditq; sanguinem & aquam, argumentum indubitatum salutis recuperatæ, nimirum quod ex ipsius morte emanet fidelibus fons uitæ, redemptionis & sanctificationis: postremo depositum à cruce corpus, optimi duo uiri sepeliunt. Hæc diligentius & copiosius recolligo, quod in his sit certa fidelium salus & spes. Pontifici & expiatori, hostiæ & redemptori Christo Iesu domino nostro, sit laus & gloria semper.

COMMENTARIORVM
IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM
LIBER X.

MAXIMA fide & diligentia hac euangelij ſui parte poſtrema enumerat Ioannes manifeſtiſſima gloriоſæ ex mortuis Ieſu Chriſti domini noſtri reſurrectionis teſtimonia & argumenta, quibus plene & plane demonſtrat ipſum uere uero ſuo & rediuiuo corpore reſurrexiſſe ex mortuis. De modo reſurrectionis & naturali ordine reuelationum non fuit admodum ſolicitus. Videbat enim id alios abunde ſatis proſequutos adumbraſſe. Ipſe ergo ſelectiſſima duntaxat conſignat: ac initio quidem oſtendit quomodo Mariæ Magdalenæ ſe exhibuerit rediuiuum. Nam & Marcus, Cum ſurrexiſſet, inquit, Ieſus mane, primo die ſabbati, apparuit primum Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Hæc uero quid uidiſſet protinus exponit apoſtolis: ex quibus duo ad ſepulchrum procurrentes, certis ſignis atq; indicijs deprehendunt, illam rem non uanam narrauiſſe. Ipſe uero dominus manifeſte manifeſtam eius reſurrectionem decem congregatis diſcipulis exhibere uolens, prodit in medium ipſorum, atq; manus & latus cicatricibus uulnerum inſignes palam oſtendit eis, approbans ita ueritatem ueræ ſuæ reſurrectionis. Mox miniſterium prædicãdæ ſalutis & redemptionis committit atq; iniungit apoſtolis, claues nimirum regni cœlorũ credens. Hæc cum agerentur, cæteris diſcipulis in unum congregatis, ſolus aberat Thomas, cui mox redeunti, geſtiẽtes gaudio diſcipuli, renunciant quod uidiſſent dominum. Ille ſuſpicatus ipſos phantaſmate aliquo ludificatos fuiſſe, negat ſe crediturum, niſi oculis proprijs ſpectet coràm corpus Ieſu, adeoq; & manibus palpans contrectet corporis ueritatem. Poſt dies igitur octo cum denuo in unum conueniſſent diſcipuli undecim omnes, adeſt iterum dominus Ieſus, ac manifeſtiſſime ſe & cernendum oculis & manibus palpandum exhibet Thomæ, qui rei euidentia ueritateq; conuictus, exclamat ſe iam pro domino & deo ſuo Chriſtum agnoſcere & adorare. Et hæc quidem euenerunt in ipſa Hieroſolymorum urbe, & circa ipſum domini ſepulchrum: quæ quamuis ſufficere poterant ad fidem reſurrectionis plenè confirmandam, adiecit tamen Ioannes inſigne quoddam argumentum, quo in Galilæa declarauit ſe ex mortuis reſurrexiſſe, ſumpto etiam cum diſcipulis prandio. Promiſerat enim dominus tam priuata ſua pollicitatione, quàm per angelorum promiſſa, fore ut ipſum in Galilæa uiderent. Cæterum ei reuelationi appendit Ioannes colloquium quod à prandio mox habitum eſt à domino cum Simone Petro, quem reſtituit miniſterio, prædicens ipſi fatum ſuum triſte. Ille admiratus quid Ioanni euenturũ eſſet, audit quemlibet ſuam ſpectare debere uocationem. Poſtremo proteſtatione facta, quod res domini Ieſu bona fide deſcripſerit Ioannes, claudit euangelicæ ueritatis hiſtoriam.

CAP. XX.

Vno uero die ſabbatorũ Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumẽtum, uidetq; lapidem ſublatum à monumento. Currit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis, Suſtulerunt dominum è monumento, & neſcimus ubi poſuerint eum.

Cõſenſus hiſtoriæ reſurrectionis domini.

Valde laborarunt tam ueteres q̃ noſtri ſæculi ſcripturarũ interpretes in concilianda reſurrectionis hiſtoria, à quibus, ſi qui copioſe ea cognoſcere cupiunt, repetere poſſunt. Nolui ego Lectorẽ laborioſa diſſertatione onerare. Eccleſia firmiter credit euangeliſtas nihil falſum, nihil diſſonũ ſibiue repugnãs ſcripſiſſe; ergo quicquid de conſonantia diſputatur, propter hoſtes potiſſimũ ueritatis (licet & amici ueritatis ex eo non mediocrem quoq; fructum percipiant) diſputatur, neq; uidentur operoſa diſputatione ſimpliciũ animi eſſe inuoluẽdi. Satis eſt ſi clare intelligãt Chriſtum dominum uere à mortuis reſurrexiſſe. De fructu reſurrectionis domini, tempore & modo plura diſſerui in Commentarijs ad Matth. Ioannes, Vno, inquit, die ſabbatorũ, pro eo quod eſt, primo die in hebdomada, qui nobis eſt dies dominicus, S. Auguſt. quoq; dicẽte, Eum iam diem dominicũ propter domini reſurrectionem mos Chriſtianus appellat. Dominico ergo die reſurrexit ſummo mane dñs, ac reſurrectionẽ ſuam paulatim per interualla ſuis aperuit. Primo enim Magdalenæ ad ſepulchrũ feſtinanti, hoc duntaxat innoteſcit q̃ corpus domini ſublatum eſt è ſepulchro, id eſt, q̃ non amplius iaceat in ſepulchro; at quo peruenerit

aut quid cum corpore gestum sit, nondum plene indicatur. Interim ea reuelatione offertur discipulis occasio diligentius ueritatem perueſtigandi. Ideo enim Magdalene quod intellexerat, Petro & Ioanni annunciat, ut hi rem omnem inueſtigarẽt diligentius. Quod & feciſſe illos, conſequentia teſtantur.

Exĩt ergo Petrus & ille alius diſcipulus, & uenerũt ad monumentũ. Currebãt autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcurrit citius Petro, uenitq́ prior ad monumentum. Et cum ſe inclinaſſet, uidit poſita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & uidit linteamina poſita & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille alius diſcipulus, qui uenerat prior ad monumentum, uiditq́ & credidit. Nondum enim nouerant ſcripturam, quod oportuiſſet eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergo rurſus diſcipuli ad ſemetipſos.

Signis indicatur domini reſurrectio.

Paulò ſignificantius aperitur nunc delectis duobus domini diſcipulis reſurrectio, idq́ per ſigna. Linteamina enim relicta aromatibusq́ oblita, quibus corpus domini fuerat inuolutum, ſudarium item quo contectum fuerat caput Ieſu, ſigna erãt reſurrectionis, adde & indicia quædam ex quibus quilibet colligeret, corpus non eſſe ſublatum à furibus (uerbis utor Paraphr.) qui totũ corpus ita ut erat obuolutũ potius abduxiſſent cum aromatibus, linteis & ſindone, ſi non ob pretium rerum, certè ob id quod non tantum habuiſſent otĩ ad detrahẽda corpori unguenta quouis uiſco tenacius inhærentia, & ſuo quæq́ loco digerenda. Et certè Matth. author eſt Iudæos diuulgaſſe fabulam, noctu uidelicet ueniſſe domini diſcipulos, atq́ ſuffuratos domini Ieſu corpus, aſportaſſe è monumento: ideo haud dubie omnes huius loci circumſtantias explicuit Ioannes diligentius operoſiusq́, ut impudens diſcuteretur cõfutareturq́ mendacium. In duobus diſcipulis relinquitur nobis ſedulitatis exemplum egregium. Procurrunt enim miro animi æſtu & deſiderio, & inueſtigant omnia non uulgari cura & ſtudio. Atq́ hic quoq́ alterum præuertit alter, rurſus excellit Petrus animi robore, qui prior in monumentũ ingreſſus, curioſior quoq́ Ioanne fuit in ueſtigando. Creuit & huius audacia nonnihil, Petri robore confirmata. Nam & ipſe monumentum ingreſſus, eadem reperit & uidet quę uiderat repereratq́ Petrus, nullum uidelicet uſquã eſſe corpus, ſed duntaxat corporis exuuias. Sequitur, Viditq́ & credidit. Quid obſecro credidit? Non utiq́ uere dominum reſurrexiſſe, ſed ſublatum nuſpiam apparere, quod prænunciarat Magdalene. Nam ſubiungit, Nondum enim plene intelligebant ſcripturam propheticam, quæ certò prædixerat futurum, ut Ieſus moreretur, ac tertio die reuiuiſceret. Notiſſimus eſt enim typus Ionæ citatus ab ipſo domino Matth. 12. Notiſſima ſunt & illa ſcripturæ teſtimonia quæ citarũt apoſtoli, Petrus Actorũ cap. 2. & Paulus Act. 13. Teſtantur hæc magnam eſſe carnis noſtræ imbecillitatem & fidem hauriri, gliſcere & confirmari per interualla & temporis progreſſum. Vnde modeſtius agere oportet cum infirmis in fide, nec deſperare protinus. Ac diſcipuli duo, inquit, redierunt ad ſemetipſos, id eſt unde uenerant, ad ædes nimirum ex quibus prodierant ſpectatum.

Nondum plene credũt apoſtoli.

Maria autem ſtabat ad monumentũ foris plorãs. Dum ergo fleret, inclinauit ſe in monumentum, & uidet duos angelos amictos albis, ſedentes,

tes, unum ad caput, & alterum ad pedes illic ubi posuerãt corpus Iesu. Dicunt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis, Sustulerunt dominum meum, nec scio ubi posuerunt eum.

Videtur Maria reuersis discipulis denuo prodijsse ad monumentum. Ardebat enim incredibili quodam amore desiderioq; domini, non aliud magis cupiens q̃ amissum (sicut putabat) domini corpus inuenire, & obsequijs uel officijs ꝓsequi. Merebatur autem studium mulieris ardentissimũ singularem aliquam domini reuelationem, quæ & euestigio exhibetur. Dum enim foris iuxta monumẽti ostium staret, nec aliud q̃ pro muliebri ingenio deniq; ex desiderio mirabili, fleret, facit angelorum præsentia in monumẽto, ut inclinato capite prospiceret in monumentum. Vidit ergo duos domini angelos læta & gloriosa specie locum eum asseruan tes, in quo positũ fuerat domini corpus. Voluit autem gloriosa illa angelorum uisione deus Mariam in huiusmodi inducere cogitationem, Asseruant ministri æterni dei locum ubi positum fuerat corpus filij sui, nimirum surrexit id uirtute cœlesti & diuina. Certè deus angelos suos ordinarat, ut testimoniũ ferrent resurrectioni filij ipsius. Cæterum cum illa animo esset prorsus cõsternato, ac ploraret perpetuò, angeli ultrò flentem compellantes, Mulier, inquiunt, quid est quod ploras? Atq; hic haud dubie addiderunt quædam significantes quod dominus resurrexerit à mortuis. Illa tamen prius animi sui uulnus angelis detegit, ac quid affligat cor eius exponens, unice corpus saluatoris expetit: relinquens utiq; insigne constantissimi amoris exemplum. Nec male collocauit fidelem illam suam diligentiã. Meruit enim angelorum uidere uisionem, ac ab ijs edoceri resurrectionis ueritatem, quam tamen dominus porrò multo exponit diligentius, seipsum coràm statuens atq; declarans quod surrexisset ex mortuis uere. Sequitur enim.

Ardor & sitis diũ Mariæ Magdalenæ.

Angeli testes resurrectionis Christi.

Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & uidet Iesum stantem, nec sciebat quod Iesus esset. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans q; hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi ubi posueris eum, & ego eum tollã. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister.

Exhibet se iam Mariæ dominus uero suo & rediuiuo corpore, sed dissimulat tamen ad tempus, nec protinus se ipsi exhibet, nisi per inuolucrum quoddam. Facit hoc ut & desiderium eius uehementius incendat, & fidem ipsius amore plenam, probans, toti mundo declaret: solitus hoc ipsum & alijs permultis facere. Quanq; ergo corpore suo uero quo resurrexerat ex mortuis, se Mariæ sisteret, hæc tamen non agnouit q; Iesus esset. Arbitrabatur autem q; hortulanus esset, ὁ κηπουρός cultor inquã & custos eius horti, in quo hæc agebantur circa uel prope monumentũ. Verum, Si uero, inquis, corpore resurrexit dñs, quî fit q; Maria notissimã illã faciem non agnouerit? Tenebãtur haud dubie oculi eius, sicut discipulorũ proficiscentiũ Emaum. Constat enim corporis clarificati ueritas, cui adempta est infirmitas non natura atq; substantia. S. Cyrillus lib. in Ioan. 12. cap. 47. Videt, inquit, Iesum, sed nõ cognoscit: aut quia diuina se potestate diuinus cognosci nõ permitteret, aut quia cum tenebræ adhuc essent, certius discernere nõ poterat. Iam & uocem magistri notã alioquí satis, nunc non agnoscit, nimirũ ob eandẽ dispensationẽ dñi. Iisdem aũt uerbis & blandissimis quidẽ, quibus angeli, ipsam appellans, Mulier, inquit, quem quæris? aut quid ita ploras? Illa animi uulnus detegens, dicit se corpus domini ardẽtissimo animi desiderio unice inquirere: rogat insuper mira simplicitate

Declarat Iesus Mariæ se resurrexisse.

& cãdore íntegerrímo, ut reſtituat uel indicet corpus domíni mortuum, ſíquidem ípſe aſportarit, ac quía moleſtũ ín uicinía horti fuerit, alió amouerit. Animo enim uſq; adeo perplexa fuiſſe uidetur, ut uiſio angelorum nondum plene ſatisfecerit, ac mentem planè nubilam ſerenarit. Dominus ergo amore & candore mulieris delectatus, infirmitatisq; eius miſertus, & quía cernebat ípſam pertinací ſpe perſeuerare, animum ſimul & oculos eius aperiens uoce íam nota & familiarí compellat eam, Maria. Ad hanc uocem ſubito commota, & ſibí quodãmodo reſtituta, agnoſcit Ieſum, ac ſolito titulo præceptorem dilectiſſimum & colendiſſimum compellans exclamat, Rabboní, quod Syris, ſicut ípſe Ioannes ínterpretatur, ſonat magiſter: ſimulq; haud dubíe procidens uoluit & ungere & deoſcularí pedes Ieſu. Cæterum hunc ardentem mulieris amorem ſtudiumq; índefeſſum tam dilígenter & graphice pínxít Ioannes, ut omnes exemplum hoc ínſigne contenderemus exprimere ſancta imitatione. Docet hic quoq; euãgelíj locus, deum aperíre hominí bus ſua gratía animum & oculos, tum cum ípſí uiſum fuerit, íd eſt, iuſto & oppor tuno tempore. Pro illumínatione itaq; ſedulo orandus, & ín ſtudío pietatis pertína cí perſeuerandum eſt.

Dícit ei Ieſus, Noli me tangere. Nondum enim aſcendí ad patrem meum: ſed uade ad fratres meos, ac díc eis, Aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrum, & deum meum & deum ueſtrum.

Noli me tangere.

Sanctiſſima mulier feruoreq; amoris æſtuantiſſimo flagrãs cupit deoſcularí pedes domíni rediuiui, & pretioſum haud dubíe unguentũ ad hoc paratũ effundere ín corpus excitatum, nondũ íntelligens clarificatí corporis præſtantiam, quod ut terrenis obſequijs non índiget, ita ijſdem non afficitur. Dominus itaq; ad feſtínantem mulierem, Noli me tãgere, ínquit, ac cauſſam protinus addit, Nondum enim aſcendí ad patrem. De eo loco uaría & multa tradiderunt ſancti ínterpretes. Cyrillus ín Ioan. lib. 12. cap. 50. Non oportet, ínquit, íncircunciſos, ſed mundos duntaxat homines, ſpíritualiterq; circunciſos, ſanctiſſimum corpus domíni tangere. Spíritus putificat. Hunc quía nondum miſerat, ídeo Mariam à tactu prohibet, dicẽs, Nondum aſcendí ad patrem: íd eſt, nondũ pater per me ad uos ſpíritũ ſanctum míſit. Addit, In quibus ſpíritus ſanctus habitare creditur à tactu & cõmunione ſalutaris Chriſti corporis non prohíbentur. Iccirco & accedẽtibus ad benedictionem myſtícam, míniſtrí myſterij magna uoce clamant, Sancta ſanctis: ſolis ſanctificatís ſpíritu, tactum & ſanctificationem corporis Chriſtí congruere ſignificãtes. S. Auguſtinus agnoſcit ín his domíni uerbis, Noli me tangere, myſterium, ſed ferè dubí tat an íd feliciter explícarí poſſit. Senſum tamen quem profert paulò ínuolutíus Tractat in Ioan. 121. Fulgentius 2. ad Traſimundum regem libro copioliſſime proſequitur, ac putat dominum de tactu loquutum credulitatis, non corporis, niſi líbeat aſſerere euangeliſtas repugnãtia ſcripſiſſe. Matthæum enim díſerte índicare & Magdalenam & alías ad cõtactum corporis Ieſu admiſſas: tandem adíjcit, Non euangeliſtarum díſcrepat íntellectus, nec Chriſtus aut ínaniter ſe tangí nondum aſcendens ad patrẽ prohíbuit: aut íncaſſum ſibí pedes tenerí permiſit. In uno enim demonſtrauit ueritatem carnís, ín altero inſinuauit gloríam deitatis. Illic permiſit manum, hic amouit íntellectum, ut ín homíne Chriſto reſuſcitatæ carnís tangeretur ueritas, & ín eodẽ deo Chriſto paternæ díuinitatis crederetur æqualitas. Ideo igitur dicit, Noli me tangere, quía nondum aſcendí ad patrem meum. Quía María Magdalene nondum patrí æqualem credebat, quem uelut extinctũ fœminea pietate plangebat. Quíd eſt enim, Noli me tangere, nondum enim aſcendí ad patrem meum?

meum? nisi, Noli in me hoc tantũ credere quod putas: noli hoc in corde firmare quod æstimas. Quia quandiu in me illa tantum quæ sunt carnis attendis, æqualitatem meam cum patre non sentis. Et reuera nondum illis Christus ascendit ad patrem, qui patri filium non cõfitentur æqualem. Festinandũ itaq; est, ut unusquisq; perfectionem & ueritatem humanæ naturæ in deo filio credens, tanquam pedes Christi teneat, eiusdemq; filij de patre natam substantiam fateatur, ut illi Christus ad patrem per æqualitatem naturalis diuinitatis ascendat. Et reliqua. Et certe indubitatum est Christũ non simpliciter prohibuisse mulieri attactum, sed ne eo animo & proposito, quo erat, attingeret. Voluit ea corpori rediuiuo affundere unguentum nobile, atq; ea ratione curare corpus, demereri sibi dominum, & gratificari adamato. Ille uero, Noli me sic tangere, inquit: & mox addit, Nondum ascẽdi ad patrem, id est nondum recte gloriam meam agnoscis, quæ à te atq; aliis & per ascensionẽ in cœlos, & per missionem sancti spiritus rectius & uerius intelligetur. Proinde metalepsis est in uerbis dñi. Vbi aũt ascendero & misero spiritũ sanctum, tũc intelliges mihi nullis seruiendũ esse obsequijs corporalibus. Hunc sensum plenius & felicius explicans Paraphrastes, Iesus, inquit, sciens illã nihil adhuc magni de se sentire, quanquã synceriter & flagranter amaret, à contactu corporis prohibuit. Videbat enim Maria rediuiuũ, sed non in aliud reuixisse putabat, nisi ut more solito cõsuetudinem ageret cum amicis ex mortuo uiuus, ignara q̃ iam corpus gestaret immortale, maiore ueneratione tractãdum, quod nec impijs unquã exhibuit dominus, nec cuiuis attrectandum permisit, quo paulatim abduceret ab amore corporis, Noli, inquit, me cõtingere. Corpus idem est quod pependit in cruce, sed iam immortalitatis gloria condecoratum. Tuus aũt affectus adhuc carnem sapit, quia nondũ ascẽdi ad patrem meum: quod cum fecero, mittã uobis spiritũ consolatorem, qui uos perfectos reddet, meoq; spirituali consortio dignos. Satis sit interim tuo desiderio q̃ me conspexeris, q̃q; loquentem audieris, &c. Monui autem & 26. cap. Matth. ubi illud tractaui, Pauperes semper habetis uobiscũ, &c. & Ioan. 4. deum non delectari cultu corporali, sed magis spirituali: id quod hic quoq; repetijt. Proinde eleuata mente in cœlos, fide ac pietate colamus deum, qui rebus terrenis nec eget nec afficitur. Quin potius, inquit, abi ad fratres meos, nimirũ ad apostolos, & hoc illis annũcia, q̃ resurrexi ex mortuis: & in hoc reuixi, ut dies aliquot cum eis cõmoratus, terras relinquã, & ascendã & ad patrem & deum, cõmunem mihi uobiscũ. Videtur autem pauculis illis uerbis fructũ exposuisse resurrectionis suæ, nempe q̃ abolitis peccatis, hæredes per mortem & resurrectionem Christi uitæ æternę facti sumus. Ideo eĩm dominus apostolos appellat fratres, & in his quoq; omnes per doctrinam apostolorum in Christũ credentes, nimirum cohęredes. Appellat & deum & patrem suum, deum & patrem nostrũ. Per Christũ enim coniuncti sumus & reconciliati deo, ut is iam sit deus noster, copiæ cornu ac sufficiẽtia nostra, & sit pater noster, bene nobis uolens, clemens, misericors, & per omnia se nobis benignũ & beneficum præbens. Ad eum porrò ascendit, ut illuc quoq; nos ad se transferat in æternam uereq; beatam patriam. Annotauit autẽ S. Augustinus significanter dictum esse à domino, non, Ascendo ad patrem uestrũ, sed, Ascẽdo ad patrem meum, & patrem uestrũ. Aliter enim meũ, inquit, aliter uestrũ: natura meũ, gratia uestrũ: item deum meum, sub quo & ego homo sum: & deum uestrum, inter quos & ipsum mediator sum. Cõgruit cum his Cyrillus cap. 51. dicens, Cum deus simul & homo sit Christus, propter alterum sublimis, propter alterum humilis natura est. Non conturberis igitur cum dicentem audis, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: deum meum, & deum uestrum. Nam ut natura filius, patrem,

Verus dei cultus.

ut aũt uere homo, deum ſuum appellat. Vehementer autem & ualidiſſime id nos conſolatur & cõfirmat in omnibus tentationibus, q̃ audimus os ueritatis Chriſtũ diſerte pronunciare, patrem illum & deum æternũ domini noſtri Ieſu Chriſti; eſſe patrem & deum noſtrum, nos item fratres Chriſti, filios dei & hæredes uitæ æternæ. Is autem eſt reſurrectionis & aſcẽſionis domini Ieſu in cœlos fructus unicus: ea eſt utilitas eius incomparabilis.

Venit Maria Magdalene, annuncians diſcipulis quod uidiſſet dominum, & ea dixiſſet ſibi.

Exemplũ fidei & obedientiæ. Exemplum ſit Maria obedientiæ & fidei. Nam credit domino Ieſu reſurrectionem & gloriã ſuam annuncianti, omniaq̃ quæ in mandatis dedit ipſi dominus, detulit ad diſcipulos, facta iam apoſtola & præco reſurrectionis dominicæ. Teſtatur ea q̃ uiderit dominum, & quod audierit, imò quid audierit, de uſu & fructu reſurrectionis differentem, exponit, nihil utiq̃ ſibi reſeruans inuide, ſed fide optima omnibus communicans fratribus. Et hæc hactenus de demonſtratione reſurrectionis prima domini Ieſu, qua hic ſe Mariæ Magdalenæ exhibuit rediuiuum manifeſtiſſime, & obſcurius aliquanto Petro & Ioanni.

Cum ergo ueſpera eſſet die illo qui erat unus ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum ludæorũ, uenit Ieſus, ſtetitq̃ in medio, & dicit eis, Pax uobis. Et cũ hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, uiſo domino.

Decem apoſtolis ſtatuit ſe rediuiuum. Aliam producit hiſtoricus demonſtrationẽ ſiue probationem, eamq̃ longe manifeſtiſſimã & euidentiſſimã, q̃ dominus Ieſus uero ſuo corpore uere ex mortuis reſurrexerit. Exhibuit ſe hactenus uni duntaxat mulierculæ, & apud alios euãgeliſtas aliquot etiã Marijs alijs, deniq̃ Simoni Petro, inde duobus Emaum abeuntibus: nũc aũt pluribus ſimul ſe ſiſtit. Decẽ enim apoſtolis rediuiuũ corpus & uidendum præbet & tangendũ. Fuerant apoſtoli miſere per crucẽ domini diſperſi, ſicut prædixerat ex Zacharia futurũ ipſe dominus, dicẽs, Percutiã paſtorem, & diſpergentur oues gregis: nunc aũt ſumpta fiducia, denuo conueniunt in unũ, feliciora iam expectaturi. Proinde ſi diſpergat nos aliquando afflictionũ tempeſtas, redeamus iterũ ad cõmunionem. Non deerit nobis gratia dei. Metuũt quidẽ Iudæos diſcipuli, unde fores claudunt, quo tutius agere liceat, ſed non negliguntur aut reijciuntur propter eam infirmitatem à domino, qui modo ipſis omnẽ adempturus pauorem aduentat. Tempus aũt notatur diligenter quando hæc ſint facta, ad ueſperam uidelicet eius diei, qui unus, id eſt primus erat ſabbatorũ, nimirũ in hebdomada. Proinde ad ueſperã diei dominicæ hæc facta eſſe conſtat, eodẽ quo & reſurrexit, Mariæ ac reliquis, Petro & duobus Emaum abeũtibus rediuiuũ exhibuit corpus. Eodẽ ergo die uenit dñs corpore haud dubie uero, & eodẽ ſtetit ſiue cõſtitit, & in medio quidẽ diſcipulorũ ſtetit, quo eſſet conſpicuus omnibus. Præterea conſueto more ſalutat dilectos, dicens, Pax uobis. Mos enim is ſalutãdi erat Hebræis frequẽs, & manet etiã hodie in uſu eorũ, ut dicant, שלום לך. Intelligunt aũt per pacem integritatẽ & incolumitatẽ, quemadmodũ cum nos dicimus, Salus tibi. Vnde non eſt q̃ hic plura de pace cõmentemur. Mox uero ne ſui ipſum eſſe ſpectrũ ſuſpicarentur, aut aliud corpus q̃ quod in cruce pependerat, oſtẽdit eis latus ac manus ſuas, nimirũ fixuris clauorũ & lanceæ punctura ſiue cicatricibus inſignes. Apud Lucã enim hæc res ſignificantioribus uerbis ſic narratur, Stetit Ieſus in medio ſuorum, & dicit eis, Pax uobis. Expauefacti uero & cõterriti, exiſtimabãt ſe ſpiritum uidere.

uidere. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus uestris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa nō habet, sicut uidetis me habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. His obsecro quid poterat uel fingi uel cogitari manifestius? Quis ex hac oculari demonstratione & palpabili experientia non intelligat, sentiat, & indubitate deprehendat, dominū Iesum uero suo corpore resurrexisse ex mortuis, hoc est, corpus domini in quo resurrexit nō esse spiritum, non phantasma, non corpus aëreum aut imaginatiuū, sed uerum loco & reliquis circumscriptū dimēsionibus absq; infirmitate. Iubet enim dominus discipulos & oculis & manibus, id est uisu & tactu, sensibus ueritatem rei maxime deprehendentibus, explorare corporis sui ueritatem, de quo pronunciat, Videte manus meas & pedes meos, nimirū eos ipsos quos clauī pridie cruci affixos tenebāt. Nam subdit, Quia ego ipse sum. Quis obsecro? qui in cruce pependi: ego ipse inquam uerus homo, & non alius quidam pro me excitatus. Rursus ne id de aëreo corpore & non uero nostriq; per omnia simili, excepta infirmitate, interpretaremur, subiūgit, Cōtrectate me, & uidete. Et adhuc clarius, Spiritus carnem & ossa nō habet, sicut uidetis me habere: simul autem ostendit manus & pedes. En corpus domini carnem habet & ossa, ea utiq; quæ iacuerāt in sepulchro. Quia propheta quoq; dixit, Caro mea requiescit in spe, quoniam nō derelinques animā meam in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionem. Quem prophetæ locum apostolorū primarij Petrus & Paulus exposuerunt de resurrectione Christi: hic in Actis cap. 13. ille uero in cap. 2. Proinde resurrexit ex mortuis uera carne ueroq; suo corpore dominus Iesus, ac est & manet illud corpus & illa caro, corpus & caro etiam in gloria, in cœlis & ad dexteram patris. Grauiter ergo peccant in mysterium resurrectionis dominicæ, & in resurrectionem sanctorum siue corporum carnisue fidelium, qui hodie euacuant carnem domini regnantis in gloria, deq; deificatione Christi, nescio quæ subtilia ex suopte comminiscuntur ingenio. Scripsit contra Leptologorum istorum ineptias orthodoxa, erudita & laudatissima quædam opuscula clarissimus uir D. Ioachimus Vadianus integerrimæ Sangallensium reipub. Consul dignissimus, & de literis ecclesiaq; domini optime meritus: cui ego pro sanctissimis utilissimisq; laboribus suis, ad propugnandam doctrinæ orthodoxæ ueterisq; synceritatem susceptis, & in maximis alioqui negotiorum procellis feliciter absolutis, maximas ago gratias. Remitto autem ad ea pium Lectorem, ut ex ijs copiosiora huius disputationis petat & pleniora: neq; enim alius mox dederit meliora.

Verum domini corpus resurrexit.

D. Vadianus de ueritate corporis rediuiui.

Cæterū ueritatem corporis rediuiui illud in dubium uertere uidetur quod hic euangelista noster dominum manifeste dicit, ad discipulos ingressum esse per ianuam clausam. Nequit enim corpus uerū in ueritate & natura siue substantia sua permanens, inquiunt, per solidū penetrare corpus ianuæ: unde iam colligunt corpus illud Christi resuscitatum uel in spiritum uersum, uel non tale omnino corpus esse quale dicitur, infirmitatibus quidem exutum, sed nō natura ueri corporis spoliatum: id est fingunt Christum in gloria non iam esse creaturam, sed esse prorsus, ut uocant, deificatum. Vtuntur eodem hoc loco & scholastici & papistici trāssubstantiatores ferè omnes. Vtuntur eodem qui contendūt duo corpora posse in uno aliquo esse loco, aut etiam corpus Christi in infinitū extendunt, loco eximunt. Cæterum plane mirum est homines illos tam infirmo niti fundamento, sed & nonnullos ueterum nodum ferè (absit inuidia uerbo) quærere in scirpo. Ioānes enim commemorat dominum uenisse ad discipulos suos τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, id est foribus clausis, uel cum essent clausæ, sero inquam, & iam imminente nocte, quando so-

Christus clausis ingressus ianuis quomodo?

lent occludi fores, ut sit copiosior temporis notatio: quanquã & ob metum Iudæorum diligenter clausissent: non autem dicit uenisse Iesum διὰ θυρῶν κεκλεισμένων, id est per clausas ianuas. De suo ergo hanc difficultatem in descriptionem planam inferunt. Atqui obijciunt euangelistã manifeste clausæ meminisse ianuæ. Quid tum postea? An ideo de corporis ueritate dubitandũ est? An ideo nullo in loco corpus Christi est, quia clausæ referuntur ianuæ? Verum ingressus est interim dominus, inquiunt. Recte. Relatum est à Luca in Actis apostolorum, ꝙ angelo Petrum educente de carcere, non catenæ modo, sed ferae etiã & postes sponte patuerint: unde haud dubie intelligit & Christo domino patere potuisse, quæ discipulis clausa maxime & obserata uisa sunt. Seruierũt domino sancti angeli. Angelus autem domini, sicut iterũ relatum est à Luca in Actis apost. in uincula coniectis discipulis, & custodia militũ septis apparuit in nocte, aperuitq; ianuas carceris, & eduxit eos. At mox idem scriptor subiungit, Cum autẽ uenissent ministri, nec reperissent eos in carcere, reuersi nunciauerũt, dicentes, Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes foris stantes ante ianuas: cum aperuissemus autem, neminem intus reperimus. En ministris clausæ fuerunt fores carceris, & diligenter quidem clausæ, adde & uallatæ uigili custodia, eædem tamen apostolis ministerio angelorum fuerunt apertæ. Cur ergo hic superuacaneam disputationem mouemus quomodo clausis ianuis ingressus sit dominus? An nõ circa clarificatũ uerum tamen domini corpus euenire potuit, quod circa seruorũ suorum corpora nondum clarificata euenit? An ipse dominus ministerio angelorũ caruit? An sua propria destitutus est potentia? Qui corpore nondũ clarificato aquæ potuit inambulare ut solidæ terræ, idemq; Petro discipulo suo præstitit, ut interim ueritati corporũ nihil decesserit, idem iam clarificatus efficere potuit, ne ullæ ipsi ferae aut postes, etiam citra corporis exinanitionem obstare potuerint. Atq; ad eum modũ interpretarunt hunc locum omnes quotquot ego uidi ueteres interpretes. Quanq; enim & ipsi de eo disputẽt, & ualde se torqueant quomodo Iesus clausis ingressus sit ianuis, diligenter tamen & magna religione cauent, ne ita domini potentiã claritatemq; glorificationis euehãt, ut interim ueritati corporis resuscitati quicquam detrahant. Origenianis contendentibus Christũ dominũ à resurrectione non dissimulasse naturam corporis aërei & spiritalis, qui clausis ingressus sit ostijs, in hæc uerba respondet S. Hierony. ad Pammachiũ contra errores Ioannis Hierosolymitani. Porrò ꝙ clausis ingressus est ostijs, eiusdẽ uirtutis fuit, cuius & ex oculis euanescere. Lynceus (ut fabulæ ferũt) uidebat trans parietem, dominus clausis ostijs, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ & uultures transmarina cadauera sentiunt, saluator apostolos suos, nisi ostium aperuerit, nõ uidebit? Dic mihi acutissime disputator, Quid est maius tantã terræ magnitudinem appẽdere super nihilum, & super aquarum incerta librare, an deum transire per clausam portam, & creaturã cedere creatori? Quod maius est tribuis, quod minus est calumniaris. Petrus ambulat super aquas graui & solido corpore: mollis unda non cedit: paulum fides dubitat, & statim naturã suam corpus intelligit, ut sciamus super aquas non corpus ambulasse, sed fidẽ. Oro te, qui tantũ contra resurrectionem sentis, argumentaris an simpliciter mecũ loqueris? Credis uere dominũ resurrexisse in eodem quo mortuus, quo sepultus est corpore, an non credis? Si credis, cur ista proponis per quæ resurrectio denegatur? Si nõ credis, quid ita imperitorũ lactas animas, & resurrectionẽ casso nomine uentilas? Hæc Hierony. cõtra Origenistas scripsit: à quo nihil dissentiunt reliqui Latini sacrarũ scripturarũ interpretes. S. Cyrillus interpres Græcus, admodũ est solicitus, ne quis huius loci occasiõe de uera domini

Veritas resurrectionis astruitur.

mini resurrectione dubitet, ideoq; ualidissimis argumentis ueritatem resurrectionis corporum asserit. Verba eius non pigebit recensere, ut inde melius intelligatur resurrectionis ueritas, Clausis, inquit, foribus repente dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus est ad discipulos. Nullus igitur quærat quomodo clausis ianuis corpus domini penetrauerit, cum intelligat non de homine nudo, ut modo nos sumus, sed de omnipotente filio dei hæc ab euangelista cõscribi. Nam cum deus uerus sit, rerum naturæ non subiacet: quod in cæteris quoque miraculis patuit. Omnem enim mentem ac rationem excedunt quæ fecit. Qua enim ratione dices eum super maria quasi aridam ambulasse, cum aquarum natura corporibus nostris naturaliter non substernatur? Aut quomodo mille alia signa uerbo solum effecit? Scio quia supra omnem rationem humanã illa fuisse contendes: cum illis igitur etiam hoc numera: nec, ut quidam ex imperitia dicunt, credas non surrexisse cum corpore suo dominum, sed nudũ corpore omnino apparuisse. Quod si hanc operationem Christi percipere nequeas, cur non potius ingenij humani imbecillitatem accusas? cur non seruas silentio datam tibi à creatore mensuram, sed probis cogitationibus exclusis, sublime resurrectionis mysterium, in quo tota nostra spes sita est, paruipendis atq; calumniaris? Non ueniũt tibi in mentem uerba Pauli, Si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Porrò si Christus non surrexit, uana est fides uestra, & estis adhuc in peccatis uestris, ad hæc falsum aduersus deum perhibuimus testimonium, quia testati sumus quod Christum suscitauit, quem non suscitauit si mortui non resurgunt. Quid enim aliud resurgit quàm quod cecidit? Vel quid aliud suscitatur quàm quod in mortẽ incidit? Quomodo autem nos resurgere sperabimus, nisi proprium Christus templum suscitauerit, ac se primitias dormientium ac primogenitum ex mortuis pro nobis fecerit? Aut quomodo incorruptibile hoc incorruptibilitatem induet, si nunquam reuiuiscet? Caue ergo ne à recta digrediaris fide, sed potius quia foribus clausis ingressus est, deum esse natura crede, non alium quàm illum, qui ante passionem cum discipulis, ut homo conuersabatur. Iccirco enim latus denudauit, & manus clauis perforatas ostendit, ut illud corpus quod cruci fuit affixum surrexisse monstraret. Cur enim hæc ostendit si cum carne propria non surrexit? Aut cur cum corpore suo discipulis apparuit, nec ad ea quæ dicuntur ab impijs discipulorum animos traduxit? Nunc uero tantam curam habuit, ut suscitatio carnis suæ crederetur: quod quamuis tempus iam esset, in quo ineffabili gloria corpus suum apparere deberet, apparuit tamen per dispensationem quale prius, ne aliud corpus esse uideretur quàm quod de ligno pependit. Quod enim oculis hominum (gloria illius corporis, si explicare ipsam Christus uoluisset) cerni non poterat, facile intelliges si transfigurationis suæ non es oblitus, quando, ut scribit Matthæus, facies eius rutilauit ut fulgor, & uestes eius albæ ut nix apparuerunt: quæ Petrus, Iacobus & Ioannes uidere non ualentes, in terram ceciderunt. Ex dispensatione ergo dominus noster Iesus Christus non in debita corporis sui gloria, sed in prima figura cernebatur, ne aliud corpus quàm quod de uirgine assumpsit resurrexisse putares, quàm quod crucifixum & mortuum fuit. Mors enim in solam carnem habebat potestatẽ. Quomodo igitur mors uicta est, si mortuum corpus Christi non surrexit? Aut quomodo mortis imperium retrusum est, si id ipsum quod mortẽ cecidit non reuixit? Non enim in angelo, neq; in animo, nec in ipso dei uerbo, sed in eo quod mori & corrumpi potest, interitus dominatur. In eo ipso ergo resurrectionis quoq; uirtus intelligitur, & uis tyrannidis frangitur. Hæc omnia Cyrillus tradidit. Nihil ergo dubitemus de rediuiui corporis Christi ueritate, non enim aë-

reum est corpus, neq; deificatum, hoc est, in diuinam naturam conuersum, neq; loco exemptum, & per omnia diffusum, tametsi clausis ad discipulos ianuis referatur ingressum. Vel enim angeli fores ei aperuerunt: uel inuenit potentia eius modum ingrediundi non aduersum naturæ & substantiæ corporis sui ueri, ut non sit opus comminisci per miraculum duo corpora in eodem fuisse loco, aut corpus domini nullo circumscribi loco. Sed de his hæc hactenus.

Cum autem tam significanter se exhiberet suis rediuiuo suo corpore dominus Iesus, ut coram illum ipsum præsentem nedum audirẽt consueta ipsis loquentem uoce, sed & oculis cernerent proprijs, ineffabili exilierunt gaudio. Hoc prædixerat futurum dominus cum ante passionem in conuiuali illo sermone suo diceret, Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum. Neq; uero apostoli modo ex resurrectione domini gaudio perfusi sunt ingenti, quin potius ex eadem domini resurrectione securitatem hauriunt quicunq; tranquillam indipiscunt mentem. Ex ea enim intelligimus mortem plane confractam esse fidelibus, & reductam uitam, adeoq; & corpoream mortem uelut in somnum esse mutatam.

Dixit ergo eis iterum, Pax uobis, Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, flauit in eos, & dicit eis, Accipite spiritum sanctum. Quoruncunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quoruncunq; retinueritis, retenta sunt.

Dantur claues à Christo discipulis.

Sed in quem obsecro finem dicuntur hæc omnia? Aut quare hęc de morte & resurrectione domini tanta conscribuntur diligentia? Vt intelligamus peccatum toti mundo condonatum & reparatam esse uitam per Christum; qui nũc legatos deligit & ordinat, per quos salutare hoc negotium remissionis peccatorum & uitæ æternæ toti orbi innotescat. His denuo pacem imprecatur, ut norint deum præsentis gratia & auxilio ipsis perpetuo affuturum. Mox autem legationem ipsis commendans, & orbis magistros ecclesiæq; ministros decernens, Sicut me misit pater, inquit, ita & ego mitto uos. Non autẽ misit apostolos dominus ut semetipsos offerrent pro expiatione omnium peccatorum totius mundi, neq; ut per nomen ipsorum inuocetur pater, aut per ipsorum merita salui fiant omnes fines orbis: proinde synecdocha est in uerbis domini, quam pulchra scripturarum collatione explicans S. Cyrillus capite 55. Dixit dominus, inquit, Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Neq; enim qui sani sunt, medico egent, sed qui male habent. Item, De cœlo descendi, non ut faciam uoluntatem meam, sed eius qui misit me patris. Et rursus, Non misit deus filium suum in mundum ut condemnet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Quæ omnia paucissimis uerbis significauit, dicens sic eos mittere sicut ipse à patre missus sit: ut hinc intelligant uocandos esse peccatores ad pœnitentiam, curandos simul corpore atq; anima male habentes, & in dispensatione rerum, non suam sed eius qui misit uolũtatem faciundam, mundumq; prædicationibus & doctrina fidei saluandum. Itaq; in Marco dicit ad apostolos, Ite in mundum uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ, &c. Iam cum apostoli dicere poterant, Grauem certè imponis humeris nostris sarcinã. Veremur domine ne his laboribus non sufficiamus, & rei tantę uires nostræ impares sint, atq; concidamus tandẽ sub onere. Habet hic orbis suam potentiam, consuetudines à patribus acceptas, quas pro diuinis suspicit legibus, habet sacerdotes, flamines & philosophos, artibus, eruditione & eloquentia multaq; authoritate instructos, quibus tu nos inermes & imparatos, indoctos & balbutientes obijcis. Sequitur ergo protinus in historia, Hęc cum dixisset, flauit in eos, & dicit eis,

Accipite

Accipite ſpiritum ſanctum. Proinde ſicut in 14. 15. & 16. cap. apoſtolis ſpiritum ſanctum promiſit, qui docturus ſit omnia, & per cuius uirtutes apoſtoli totum mundum Chriſto ſubacturi ſint: ita eandem promiſſionem hic repetit. Quaſi dicat, Nolo uos eſſe ſolicitos quomodo uerbum euangelij per orbem terræ ſitis prædicaturi, omnibusq; perſuaſuri hominibus me eſſe mundi ſaluatorẽ, qui morte & reſurrectione mea mortem profligarim, peccata condonarim, & uitam reduxerim fidelibus: ipſe enim uobis adero per ſpiritum meum, per quem facile electis perſuadebitis, quo relicta ſuperſtitione, patrumq; conſuetudine praua, euangelium recipiant, atq; ad mortem uſq; ſequantur. Sed, Cur, ais, flauit dominus in diſcipulos? Vt non uerbis modo erudiret, ſed & ſymbolo quodam cõfirmaret, quo minus fluctuaret dubitaretq; de promiſſionis ueritate diſcipulorum animus. Ita enim & Ieremias non tantum uerbis pronunciauit urbem Hieroſolymorũ uaſtandam, & reliquias abducendas in captiuitatem, inſuper & hydriam proferẽs, minutatim confregit, & catenis in collum iniectis in publicam concionem cõcionaturus prodijt, his certò futurum ſignificans, imò & confirmans, quod uerbis prædicabat, & populus ægre alioqui credebat. Cæterum ſtultum eſt diſputare an hydria ſubſtantialiter fuerit urbs Hieroſolymorũ, & an catena Ieremiæ corporalis fuerit captiuitas Iudæorum, uel urbs ne & captiuitas urceo hydriæue atq; catenę fuerit incluſa aut alligata. Cur ergo curioſe diſputatur hodie, An flatus ille domini fuerit ſpiritus ſanctus? an in flatu ueluti incluſus diſcipulis datus fuerit ſpiritus ſanctus? Spiritus ſanctus deus eſt, & dona eius diuina ſunt ac ſpiritualia. Flatus autem hic domini animalis ſiue humanus erat anhelitus, indubitatum ſpiritus ſancti indicium, argumentum ſiue teſtimonium, diſcipulis uidelicet teſtificans, ſpiritum Chriſti, qui & patris ſpiritus eſt, certò affuturũ diſcipulis, ac per ipſos omnem mundi potentiam ſuperaturum. Ideo & Auguſtinus dixit Tractatu in Ioannem 121. Inſufflando ſignificauit ſpiritum ſanctum non patris ſolius eſſe ſpiritũ, ſed & ſuum. Atq; idem de Trinitate lib. 4. cap. 20. Neq;, inquit, flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore, ſubſtantia ſpiritus ſancti fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantum à patre, ſed & à filio procedere ſpiritum ſanctum. Et cætera. Repetit idem ferè & libro 15. capite 26. Beatus Cyrillus lib. in Ioan. 12. cap. 56. quærit quando ſpiritus ſancti gratiã apoſtoli conſecuti ſint, tunc ne quando congregatis ipſis, inſufflauit & dixit, Accipite ſpiritũ ſanctum: an poſtea in die pentecoſtes? Ac poſt multa, quæ copioſe affert ad diſſoluendã hanc quæſtionem, tandem, Multa, ait, etiam alia tempore ſuo generaliter ſe facturũ promittit dominus, quæ tamen ex parte antea etiã facit, ut credamus uere ipſum uniuerſaliter quoq; facturum. Prædixit omnes mortuos ſe ſuſcitaturum: quoniam uero rei magnitudo fidẽ excedebat, prẽuenit utiliter, anteq; generalis reſurrectionis tempus Lazarũ ſuſcitauit. Eodem arbitror modo cum ſe miſſurũ ad omnes ſpiritũ dixerit, ubi ad patrem aſcẽderit, primitias tamen pollicitationis, & quaſi arrhabonem nobis in diſcipulis dedit. Acceperunt ergo ſpiritũ ſanctum nunc quoq; cum dixit, Accipite ſpiritũ ſanctum: in die uero pentecoſtes expreſſiorẽ operationem gratiæ manifeſtationemq; habitantis in eis ſpiritus habuerũt. Sed & Auguſt. in ijs locis, quæ paulò ante ex lib. de Trinitate citauimus, aperte dicit bis datũ eſſe diſcipulis eundem ſpiritum: ac repetit idem Tractatu in Ioannem 74. Et certè non poteſt hic nodus felicius diſſecari, quàm ſi intelligamus apoſtolos nunc quidem quadantenus ſpiritum ſanctum accepiſſe, & plenius in die pentecoſtes: ac dominum in præſenti non tam ipſum ſpiritum ſanctum plene præſtare diſcipulis, quàm ijs certo ipſum polliceri, & pollicitationem in ſigno uel Chria ueluti confirmare,

Flauit dominus in diſcipulos, et ait, Accipite ſpiritum ſanctum.

quo alacriores sint ad capescendam docendi seu prædicandi prouinciam aut functionem. Quasi dicat, Tam certo accipietis spiritus sancti gratiam, uirtutemq; eius experiemini, quàm præsenter nunc meum illum sentitis halitum. Ita accipite positum uidetur pro accipietis, per enallagen: quanquã non negem interim apostolos quadantenus spiritũ accepisse sanctũ, de quo tamen dominus & in Actis 1. cap. pronunciãs, & idem hoc negotiũ tractans, dicit, Accipietis uirtutem posteaq; spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes nõ solum Hierosolymis, sed usq; ad extrema terræ. Congruunt cum his quæ & Lucæ 24. dicuntur à domino, Ecce ego mitto promissum patris mei super uos, ac testes eritis horũ. Quod autem suffraganei, ut uocant, episcopi, hanc domini Chriam imitãtes, quasi spiritum sanctum è gutture suo effundant in aurem sacrificulorũ, quos ordinãt, inepta imitatione peccant. Neq; enim ita fecit dominus, ut ipsi aliquando similiter facerent: hoc est, non eo consilio fecit sicut & alia multa, ut solennem ceremoniam institueret: neq; apostoli legũtur alicubi hæc uerba, Accipite spiritum sanctum, ulli ministrorum ecclesiæ in aurem demurmurasse. Manuum impositione usi sunt, non illa suffraganeorũ ceremonia. De ea uero alijs in locis copiosius disputatur.

Officium ministrorum uerbi.

Postquam uero designasset ordinassetq; legatos in orbem mittendos, & his indicasset spiritu consultore & auxiliatore tantum negotium aggressuros & perfecturos feliciter, quanquam semel dixisset se illos mittere quemadmodum ipse à patre missus esset, nunc tamen significãtius & expressius officium siue ministerium ipsorum describens, dicit, Quorũcunq; remiseritis peccata, &c. Neminem ex hoc salutis negotio excludit. Claues enim olim promissas nunc pręstãs, Quorũcunq;, inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis. Hoc est, Do uobis claues regni cœlorum, officium siue ministerium per prædicationem euangelij remittendi peccata, & aperiendi cœlum & uitam beatam, omnibus euangelio credentibus. Nam Lucæ 24. hæc eadem paulo pluribus & significantius sic ponũtur, Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas, & dixit eis, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prędicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Remiserũt itaq; hominibus peccata, cum per euangelij prædicationem docuerunt peccata credentibus remissa, & uitã donatam per mortem & resurrectionem, id est per nomen domini Iesu. Retinuerũt cum annunciarunt super infideles manere iram dei. Proinde ministerium uerbi siue prædicatio euangelij hic commissa est apostolis, sicut & Marci ultimo: porrò claues regni dei non sunt aliud nisi illud ipsum uerbi Christi ministerium. De Claribus dixi Matthæi 16. cap. Paucissimis ergo hic omnia perstringo. Equidem post partam demum toti mundo salutem, oportuit Claues regni dei apostolis dari: qui post ascensionem domini & acceptum promissum spiritũ sanctum, feliciter & magno cum fructu ijs usi sunt. Dominus Iesus præstet nobis, ut ijs multo cum ecclesiæ fructu utamur ad finem usq; sæculi. Amen. Hactenus autem disseruimus de instituto ministerio, per quod salus & uita per resurrectionẽ domini Iesu parata toti mundo, orbi nimirum uniuerso debuit annunciari. Iam redimus ad resurrectionis ueritatem, adhuc firmius & manifestius approbandam demonstrandamq;.

Thomas autẽ unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerũt ergo ei alij discipuli, Vidimus dominũ. Ille autem dixit eis, Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Thomas

Thomas omniũ eorum typum gerit, quorũ animis ridicula & absurda uidetur corporis siue carnis resurrectio. Quemadmodũ autem Petri lapsus singulari dei consilio & beneuolentia optime cessit ecclesiæ, utpote exemplũ è quo discat agnoscere infirmitatem humanam, & diuinæ gratiæ & miserationis excellẽtiam: ita dubitatio beati Thomæ multam nobis attulit utilitatem. Quicquid enim scrupulosus noster animus cogitare potest contra uerã corporis Christi resurrectionẽ, hoc in uniuersum euomit semel & large apostolus Thomas, dicens, Ludificati estis haud dubie phãtasmate aut spectro aliquo, ipse ergo non credã nisi corpus eius uidero, imò ne oculi fallantur fortassis, nisi etiã hisce meis manibus, conspecta in manibus eius clauorũ uestigia, adde & ipsum latus lancea militis conuulneratũ, cõtrectauero. Et Ioannes τύπον, quod alij uerterũt figurã, Eras. uestigiũ, appellauit uestigium uulneris ex clauis impressum. S. August. in Canonicam Ioannis uertit cicatrices. Vere ergo Cyrillus cap. 57. Discimus, ait, ex hac dubitatione Thomæ resurrectionis mysteriũ in hoc corpore nostro peragendũ, & in Christo primo iam peractum fuisse. Non enim apparitio quædã erat falsa, nec umbra ad humanã conficta figuram, ut nonnulli dicunt, nec spiritale quoddã corpus, id est tenue ac aëreum, & aliud præter carnem, ut multi spiritale corpus intelligi contendunt. Animaduertendum enim est, quia non simpliciter uidere dominũ Thomas cupit, sed clauorum signa quærit & fixuras, quæ in carne fuerant: sic enim se crediturum tandem asserit ꝙ Christus uere reuixerit. Reuixit autem secundũ carnem. Quod enim mortuum est, id reuixisse: & quod cecidit, id resurrexisse dicitur. Congruunt his & mire huc quadrant quæ beatus papa Leo in Sermone de Resurrect. domini his uerbis prodidit, Apostolorũ de resurrectione corporis Christi hæsitationẽ humana infirmitate nutantem, nequaq̃ permisisset ueritatis spiritus prædicatorũ suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida solicitudo & cunctatio curiosa nostræ fidei iecissent fundamenta. Nostris ergo perturbationibus, nostris periculis in apostolis consulebat: nos in illis contra calumnias impiorũ, & contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur: nos illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus. Gratias agamus diuinæ dispensationi & sanctorũ patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis. Nõ ergo hi dies, qui inter resurrectionem domini & ascensionẽ fluxerunt, otioso discursu transierunt, sed magna in eis confirmata sunt sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In his diræ mortis morsus aufertur: & nõ solum animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. Et quæ sequuntur. Porrò in decem domini discipulis commendatur nobis charitatis ingenium. Cupit enim illa cõmunicare cum fratribus, quod singulariter afficit atq; delectat.

Absurda uidetur carnis resurrectio.

Et post dies octo iterũ erant discipuli eius intus & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax uobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitũ tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credẽs.

Tempus iterum quo hæc gesta sunt, consuetudine & ueritate historica consignat. Facta sunt ista, ait, quæ sequuntur post dies octo. Diem octauũ interpretatur Cyrillus cap. 58. diem dominicũ. Nam una, inquit, sabbatorũ cæteris apparuit, id est die dominico. Die deinceps octauo, utrisq; connumeratis extremis, congregati simul apostoli, presente etiã Thoma iterũ uident dñm. Inde colligit ille, cœtus ecclesiasticos, in quibus Cœna dñi celebraf, iure die celebrari dominico: ac tũc quidẽ apparere dñm oĩbus etiã uisibiliter; nimirũ ꝙ sacramẽta ab August. ꝙq; appellãtur

Olim diebus dominicis celebrata Cœna domini.

uerba uisibilia: & quòd ille addit, participationē mysterij ueram quandā esse confessionē & cōmemorationē dominicę resurrectionis, ꝙ propter nos & ꝓ nobis dominus & mortuus sit & reuixerit, & propterea diuina fideles benedictiōe repleat. Eo ergo die ingressus Iesus τῶν θυρῶν κεκλεισμένων foribus siue ianuis clausis, solito more suos salutauit, spectantibusq; cæteris euidētissima & manifestissima demonstratione ueram ueri sui corporis resurrectionē approbans, ostendit. Peculiariter enim ad Thomā conuersus, & ei se familiariter & plene exhibens, Quādo, inquit, non satis est tibi Thoma audisse à tam multis qui me uiderant & audierant, (non enim ignorabat quid dixisset in priore conuentu, qui nihil ignorat) nisi propriis tuis sensibus, & uisui & tactui certa fiat fides, adsis modo. Simul autē exhibito corpore suo, addit, Iam infer huc digitum tuum in uulnera clauorum, & inspice oculis tuis propriis uera ferri uestigia: imò admoue manū tuam in latus meum, & contrecta lanceæ uulnus. His pariter finem adijcit omnium, Et posthac ne sis ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, infidelis, sed fidelis. Elegās enim est in uerbis prosonomasia. Hoc est, crede me uero meo ex mortuis resurrexisse corpore: crede & tuū corpus reuicturū, & omnium hominum corpora resurrectura. Pulchre autem quadrant hæc domini uerba, & sigillatim respondent uerbis Thomæ in superiore cœtu profusis. Dixerat, Nisi uidero in manibus eius uestigiū clauorum, & mittā digitum meum in uestigium clauorū. Dicit ergo dominus, Infer digitū tuum huc, & uide manus meas. Dixerat Thomas, Nisi mittā manū meum in latus eius, non credā. Dominus itaq; dicit, Et admoue manū tuam, & immitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed credens. His quid obsecro dici poterat apertius? aut quæ poterat fieri demonstratio ueræ resurrectionis euidentior? Videtur ueritas corporis, auditur, imò & tangitur, nihil omnino deest quod ad plenā demonstrationē pertinet: ac eius quidem corporis ueritas sentitur quod pepēdit in cruce. Hinc enim tam anxia uulnerum seu cicatricū mentio fit: & huc pertinent omnia ut credamus, dicēte domino, Noli porrò infidelis esse, sed fidelis. Id quod & nobis dictum esse putabimus. Nam his quoq; uult nobis dominus certā & suæ & nostræ resurrectionis fidem facere. Credamus ergo tam disertæ ueritati, nec petamus experimentū porrò, quod nobis in Thoma tam plene præstitū est. Quærit beatus Cyrillus, quomodo in corpore incorruptibili signa interitus cicatrices uulnerū apparuerint? Addit, An forsan claudi in alia quoq; uita claudicabunt? an lusci uno cum oculo resurgent? Quomodo ergo genus humanū penitus liberabitur à corruptione, si quæ interitū præcedunt aut consequuntur, nostris corporibus insita permanebunt? Ad quæ respondet, Scio sublimiora de hac quæstione à curiosioribus & peritis dici posse. Nos aūt dicimus, nullas corruptionis reliquias, nullum signū, nulla consequentia uel antecedentia post resurrectionē in hominibus futura: sed quod seminatū est in infirmitate, resurget in uirtute, ut ait Paulus: & quod in ignominia seminatū est, resurget in gloria. Quid autem est in uirtute atq; gloria resurgere, aliud, q̄ ꝙ omni infirmitate omniq; corruptionis dedecore procul depulso, ad syncerā incorruptibilitatem genus humanum sit rediturum? Verum quoniā ad certiorē id fidem Thomas flagitauit, necessario dñs noster Iesus Christus, ne ullā infidelitati causſam præberet, sic & ipsi & alijs apparet ut ipsis conducebat. Rursus ne quis dispēsationem hanc sic interpretaretur, quasi hic in terris ante ascensionē se uisibilem præbuerit & palpabilem, post ascensionē inuisibilis impalpabilis factus sit, prorsus in spiritum cōuersus. Pluribus per consequentia capitis 38. idem author ostendit Christū etiā in cœlis retinere ueri corporis naturā, imò audet dicere, Christū etiā cœlitibus figuras siue stigmata ostendisse suorū uulnerum. Vt hinc iterum illi, qui negāt Christum

Manifestißime suā resurrectionē Thomæ ostēdit dominus.

Quomodo signa interitus apparēāt in corpore incorruptibili.

in

in gloria creaturam esse iuxta assumptam naturam humanam, discant & longe late & discrepēt à uetere & orthodoxo dogmate ueritatis & ecclesię. Quid quod scriptores mediæ quoq; ætatis ueritatem apostolicā constanter profitentes, aperte claram glorificationem corporis Christi sic asseruerunt, ut ueritatem naturæ nō uocarint in dubium? Leo enim episcopus Romanus in Homelia quadam, Christi resurrectio, inquit, non fuit finis carnis eius, sed commutatio, nec consumpta est substantia uirtutis augmento. Qualitas transijt, natura non defecit. Gregorius item episcopus Romanus lib. Moral. 14. Non, ait, ut scripsit Eutychius, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, uentis aëreq; subtilius: sed erit subtile quidem per effectū spiritualis potentiæ, palpabile uero per ueritatem naturæ. Nihil ab his uariat Beda in Homelijs suis, & Comment. ad euangelium Lucæ, in quibus inter alia, Veluti si miles, inquit, aliquis fortissimus, iubente rege, pro totius gentis salute singulari certamine desudet, & multis quidem exceptis uulneribus, hostem tamen interficiat, eiusq; spolia diripiat, & uictoriā genti suæ reportet; sic profecto dominus ob signū perpetis uictoriæ, non quidem excepta pro nobis uulnera passionis, sed ipsorū cicatrices cœlo maluit inferre & abolere. Rursus autē & S. Leo episcopus his congruētia in Homelia de Resurrectione domini, scribens, Iugiter dominus, ait, dubitantium oculis, manentia manibus suis & pedibus crucis signa, & ut diligentius pertractetur inuitat, quoniā ad sananda infidelium cordium uulnera, clauorum & lanceæ erant seruata uestigia: ut non dubia fide, sed constātissima scientia teneretur eam naturam in patris sessuram throno, qua iacuerat in sepulchro. Per omne igitur hoc tempus (40. dierum antecedentium ascensionem proxime à resurrectione) hoc prouidentia dei curauit, hoc docuit, hoc suorum & oculis & cordibus insinuauit, ut dominus noster Iesus Christus agnosceretur uere suscitatus, qui uere & natus erat & passus & mortuus, &c. Nō indigne opinor feret Lector, si aliam adhuc quæstionem mire tamen huc quadrātem ascripsero ex 59. Cyrilli cap. Dicet quispiam, inquit, quamobrē per tam minuta rerum signa mens discipulorū ad fidem reducitur? nónne sufficisset eis ad cognoscendū Christum statura corporis & faciei lineamenta? Ambiguū hoc certè fuisset. Putare nanq; potuerunt spiritum quendā imaginem sibi saluatoris sumpsisse: ad quod & miraculosus per clausas fores ingressus facile inducebat: terrestre nanq; corpus latiorem secundum suam naturā uiam desiderat. Necessario ergo dominus noster Iesus Christus latus nudauit, & uulnera liuoresq; carnis ostendit, ut discipulos cōfirmaret. Quomodo enim uulnera inerunt ei, qui nullo modo corporeus est? Quare ne spiritus aut umbra quædam, & aerium corpus (quod nonnulli spiritale appellāt) sed illud ipsum qd cecidit surrexisse credat, corpori nostro conueniētia diligenter retinuit.

Christus residēs in cœlis carnem retinet in seipso ueram.

Plena demōstratio resurrectionis uerę carnis.

Respondit Thomas & dixit ei, Dominus meus & deus meus. Dicit ei Iesus, Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Thomas ubi uidisset & contrectasset, agnoscens & faciem & solitam domini uocem, iam plena concepta fide, procumbens exclamauit, Dominus meus & deus meus. Quæ quidem ueræ fidei & confessionis, ut breuissima, sic absolutissima formula est. Colligit enim Thomas ex uera corporis resuscitatione resurrectionéue, Iesum & dominū esse, id est redemptorē ac regem uniuersorum: & deum, id est uitam & conseruationē omnium creaturarū, nec deum & dominum duntaxat uniuersorum, sed suum quoq;. Non enim clamat, Dominus es & deus, sed, Dominus meus & deus meus. Vera enim fides credit deū ac dñm suū esse dñm & deū, id est

Confessio Christiana.

fidelis credit omnipotentẽ, ſumme ſapiẽtem & miſericordem deum ac dominum, ſibi bene uelle, oñiaq; bona ſua in credentiũ uſus ſponte erogare liberaliterq; profundere. Huiuſmodi ergo eſt confeſſio diui Thomæ, Confiteor te, ô domine Ieſu, dominũ & deum meũ eſſe, qui te pro peccatis meis tradideris in mortem, & redemeris me à cõdemnatione, reſurrexeris autem propter me ex mortuis, ut uita tua mea ſit, ipſeq; aliquando reſurgã per tuam potentiã. Nec Thomas ſolus ex reſurrectione domini Ieſu, ueram eius diuinitatẽ intellexit, ſed & Paulus apoſtolus & doctor gentiũ, ad Roma. de Chriſto loquens, Qui declaratus fuit filius dei, ait, ex eo q; reſurrexit ex mortuis. Referunt alij dominí uocabulũ ad humanitatẽ, dei autem ad diuinitatem. Et certè tangebat humanitatem Thomas, credebatq; diuinitatem Chriſti domini. S. Cyrillus annotauit utrunq; uocabulũ poni cum articulo ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου, ne quis noſtra uel angelorum ſimilitudine, ſed ſingulariter dominum ipſum & deum ipſiſſimum, dici exiſtimet. Multi enim & in cœlo & in terra dij & domini ſunt, ſicut & Paulus dixit: ſingulariter aũt Thomas ut dei ueri filiũ, ipſum dominũ & ipſum deum appellat. Quemadmodũ autem hic euangelij locus ex ijs non poſtremus eſt, qui Ieſu dño noſtro manifeſte tribuunt diuinitatẽ, ita ſingulariter & miſere laceratur per hæreticos à ſatana. Sunt enim qui id dictũ obijciant à diſcipulo rudi & affectibus perturbato. Verũ agnouit Ieſus quod tribuebatur ipſi à diſcipulo. Reprehendiſſet haud dubie confeſſionẽ eius, ſi falſò appellaſſet dominum ac deũ, præſertim cæteris audiẽtibus apoſtolis. Porrò totus orationis contextus eos ſatis redarguit atq; confutat, quibus uiſum eſt has uoces, Dominus meus & deus meus, admirantis eſſe exclamationẽ: quaſi quis noſtrũ dicat, Deus bone, quid hoc rei, quid noui & inſperati uideo? Nam tametſi admiraretur Thomas, libere tamen & ingenue his uerbis quod credebat profitebatur. Vnde mox ſequitur, Quia uidiſti me Thoma, credidiſti. At unde patuit illũ credidiſſe niſi ex fidei confeſſione? Confeſſio itaq; fidei eſt, quã facit & dicit, Dominus meus & deus meus. Appellatur quidẽ Ieſus ſaluator noſter in literis apoſtolicis frequẽtius dominus q; deus: idq; duplici ex cauſſa. Principio propter myſteriũ redemptionis. Ieſus enim dominus eſt electorũ, quos aſſeruit à potẽtia et dominatu ſatanę, peccati mortisq;, & fecit ſibi eos populũ acquiſitionis. Fit eñ eo uocabulo in ſacris alluſio ad dominos homines, eos inquã qui pecunia ſeruos ſibi emerunt, uel ex morte aut ingenti alioqui periculo liberatos ſibi in ipſos uendicarunt dominiũ. Reuera autem redemit nos ſibi Ieſus, & redemit quidẽ ab imperio ſatanæ & interitu, non auro & argento nos mercatus, ſed proprio ſanguine, unde proprijſſime dicitur dñs noſter. Deinde appellatur dominus propter diuinã potentiã atq; naturã, & q; omnia ipſi ſubiecta ſunt: ſicuti teſtãtur apoſtoli Petrus Act. 2. & Paulus Philip. 2. Ita uero dei atq; domini uocabula æquipollent, ut dominus idem ſit quod Iehouah, q̃d nomen deducitur à uita, totiesq; dicatur Ieſus deus Iehouah, quoties dominus. Siue autẽ Thomas Ieſum appellarit dominũ, id eſt redemptorẽ: & deum, id eſt uitã: ſiue dominum Iehouah, dominũ exercituũ: & ſuum quidem dominũ & deum, regem ſaturnũ ſeu copiæcornu, in idem recidit. Neq; enim hic opus curioſa de uocibus diſputatione, ſed ſimplici, ſyncera & fideli confeſſione, ut & ipſi diſcamus cõfiteri Ieſum Chriſtum eſſe uiuum & uerum æternumq; uiui & ueri æterniq; dei filiũ, redemptorem, dominum, uitam & reſurrectionem tum ſingulorũ noſtrũm, tum fidelium per totum terræ orbem omnium. Ne quis enim obijceret, Hæc dicta ſunt & ſcripta de apoſtolo Thoma, non uideo quid ad me pertineant: poſito canone dominus, ad omnes homines fideles hoc extendit negotium, ad hunc modum, Vidiſti quidem & contrectaſti me Thoma, ideo credidiſti, cæterum uo-

lui

Ieſus Chriſtus uerus deus.

Dominus quomodo dicatur Chriſtus.

Oſtenſio reſurrectionis & uite pertinet ad omnes.

lui in te totam erudire ecclesiam, cui me non potero in diem exhibere corporaliter tangendum, quo illa sentiat me ex mortuis uero corpore meo resurrexisse. Nunc itaq; beatos fore profiteor ingenue, qui cum non uiderint, audierint ac palparint redíuiuum meum corpus sicut tu, crediturí tamẽ sunt, ac crediturí quidem quod uerus deus et homo uere ex mortuis resurrexerim, ac fidelium animas in exitu ex corpore uiuas conseruare, eorũq; corpora in extrema die excitare possim, adeoq; & excitem ad uitam. Proinde uides iam exemplum siue institutionẽ Thomæ pertinere ad omnes, & omnibus nobis ab ipso domino felicitatẽ uitamq; beatam promitti qui credunt Iesum esse dei filium, uitã & resurrectionẽ credentiũ. Atq; huc pertinet illud apostoli, Hoc est uerbũ fidei quod prædicamus, nempe si confessus fueris ore tuo dominũ Iesum, & crediderís in corde tuo quod deus illum excitauit ex mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10. Porrò qui hæc domini uerba in defensionem rapiunt omniũ fabularum & inanium cogitationũ, credere simpliciter iubentes, quod nusquam uideatur nec uspiam uidetur, non intelligunt dominũ nõ loqui de qualibet re inuisibili, quam ipsi ex nostro confingimus ingenio, sed de sua modo carne, quæ sublata in cœlos à nobis iam nec uidetur, nec tangitur, interim tamẽ credi oportet de illa, & quod uere sit, & quod ex mortuis excitata resurgentiũ in cœlis maneat archetypus. Alioqui enim proponerẽ tibi Veras illas, id est nugacissimas Luciani narrationes: quod si tu de rebus illis monstrificis fidẽ tibi certam fieri posceres, obijcerẽ, Beati qui non uiderunt & crediderunt. At quis non uideat iniuriã fieri uerbo dei? Contineamus igitur nos intra præscriptos limites, credamusq; Christum dominũ ex mortuis exuscitatum uitam & resurrectionem esse omnium fidelium.

Non quælibet res inuisibiles credendæ.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus ille filius dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

Abrumpit his tandem narrationẽ historicam institutam de argumentis (quæ hic σημεῖα signa siue notas & indicia uocat) ueritatẽ rediuiui corporis approbantibus. Multis, inquit, alijs argumentis, signis, notis & demonstrationibus indicauit dominus Iesus ueritatem suæ resurrectionis diuinæq; uirtutis, idq; adeo manifeste & euidenter ut discipuli non intelligerent modo, sed cernerent etiam coràm, tangerentq; Iesum Christum rediuiuũ, crederentq; resurrexisse ex mortuis. At ea sigillatim non recensui in hoc opere meo euangelico, delecta modo & certa posui. Caussam pariter & scopum eorũ quæ hucusq; exposuit, subiungit & ait, Hæc autem scripta sunt, ut credatis, &c. Sufficiunt hæc paucula & euidẽtia ad persuadendum Lectoribus fidẽ resurrectiõis. Quorsum ergo pertinuit plura recensere? Atq; huc omnia pertinent quæ hactenus attulimus, ut credatis & salui fiatis. Hoc tamẽ postremũ paulò copiosius exponẽs. Scopus pariter omniũ & finis est ut credatis. Quid aũt credamus, subijcit, quod Iesus est Christus, ille filius dei: quod inquã Iesus est Messias, in lege & prophetis promissus, uerus deus & homo: qui morte peccatum expiauit, resurrectione uitam reduxit. His & fructum finemq; fidei appendit, Et ut credentes uitam habeatis. Nam & prophetæ & reliqui apostoli quoq; dixerunt iustũ fide sua uiuere. Fructus ergo fidei est uita æterna. Nec otiose his insuper additur, Per nomẽ eius, hoc est per meritũ & uirtutẽ Christi: sic enim excludit merita humana, cum omne nostrũ meritũ ostẽdat esse gratiã Christi. Quibus persuasum est his domini uerbis ianuã aperiri legibus humanis, quibus sarciant præ-

Non omnia signa resurrectionis Christi à Ioanne consignata.

ſides eccleſiarũ quod euangelio diminutũ eſſe uidetur, non intelligunt conſilium apoſtoli, ſuamq; fœdam produnt ignorantiam. Nõ enim uident apoſtolum agere de argumentis ueritatem reſuſcitati corporis approbantibus, non de ullis legibus condendis promulgandisue. De ſuo ergo non ex euangelio proferunt quod uelut baſim ſuæ ſtructuræ ponunt: unde neceſſe eſt ſtructuram ruinoſo fulcro impoſitam, conſiſtere non poſſe. De quo fortè plura dicemus in fine cap. 21.

CAP. XXI. Poſtea manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare Tyberiadis. Manifeſtauit autem ſic, Erant ſimul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alijq; ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simõ Petrus, Vado piſcatũ. Dicũt ei, Venimus & nos tecũ. Exierunt & aſcenderũt in nauim ſtatim, & illa nocte nihil ceperunt.

Caput 21. non eſt aſcititium, ſed Ioannis.

Viſum eſt quibuſdam caput hoc 21. non à Ioanne, ſed à neſcio quo alio adiectũ eſſe euãgelio, eò quod Ioannes in fine 20. clauſerit ſuam hiſtoriam. Verum hi nõ uident 20. cap. ea duntaxat argumenta recenſeri, quibus Hieroſolymis manifeſtata eſt domini reſurrectio: ſequenti uero 21. ea numerari quibus ueritatẽ ſuæ reſurrectionis in Galilæa approbauit. Clauſit ergo in fine 20. cap. narrationẽ eorũ ſignorum quæ Hieroſolymis facta fuerunt. Quia uero peculiariter promiſerat dominus abiturum ſe in Galilæam mox à reſurrectione, ac in ea ſe rediuiuum diſcipulis exhibiturum, Ioannes ne quid omitteret quod ad plenam uidebatur pertinere hiſtoriam, 21. cap. ceu coronide adiecta, contexit reuelationem reſurrectionis factam in Galilæa. Nec tamen ſingula hic quoq; ſigna cõmemorat: fuiſſet enim id laboris immenſi & non perinde frugiferi & neceſſarij. Ex compluribus ergo unum delegit, idq; & manifeſtum & euidens, quod diligenter depingit, ut ex ipſo cætera omnia æſtimemus. Huic præfigit ſtatum, oſtendens quò pertineat & quis ſit eius finis, ut comprobet atq; demonſtret Ieſum Chriſtum uere ex mortuis reſurrexiſſe. Locus item conſignatur in quo facta eſt manifeſtatio, urbs Tyberias: de qua dixi in 4. cap. Matth. Numerantur etiam teſtes in quorum conſpectu & præſentia ueritas reſurrectionis domini manifeſtatur: & numerãtur quidẽ uiri ſeptem, pietate & probitate præſtantes, nimirum quo plus fidei inueniat & narratio hiſtorica, & quæ per ipſam reuelatur reſurrectionis ueritas. Sed & modus reuelationis copioſiſſime & uiuaciſſime depingitur. Præmittitur autem occaſio per quam ad manifeſtationem eſt peruentum. Abit enim piſcatum Petrus, & trahit ſecum reliquam diſcipulorum turbam. At in eo quod unà piſcatum prodeunt, cõmendatur nobis omnibus labor, damnatur otium. Quod uero nihil ceperunt, docet omnẽ operam hominis inanem eſſe, niſi hominis conatum deus bene fortunet. Qui delectantur allegoria, inueniũt eam apud S. Cyrillum & S. Auguſt. Mihi perpetuò magis probatur ſimplex uerbi dei ſenſus: interim tamen allegorias non contemno. Habent enim & ipſæ ſuum uſum & fructum.

In Galilæa quoque ſe ſuis rediuiuum exhibet Chriſtus.

Mane autem iam facto ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerunt diſcipuli quod Ieſus eſſet. Dicit eis Ieſus, Pueri, num quid opſonij habetis? Reſponderunt ei, Non. At ille dicit eis, Mittite in dextram nauigij partem rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piſcium.

Non ſtatim cognoſcũt dominum diſcipuli.

Iam incipit ſeſe ſuis dominus manifeſtare, quamuis id ſenſim faciat, & ab inítio paulò obſcurius. Venit quidẽ Ieſus & ſtetit in littore, corpore ſuo conſpicuus, uerum

uerum ſui eum non cognouerunt. Cauſſa tacetur ab euangeliſta. Fortaſſis impediebant uel tenebræ uel loci diſtantia, aut certè tenebantur ipſorũ oculi, ut eorum qui à Hieroſolymis Emaum proficiſcebantur. A littore uero amiciſſime ipſos compellans, Pueri, inquit, num quid habetis opſonij? Opſoniũ uertit interpres, quod Græce eſt προσφάγιον, quod mox appellat ὀψάριον, dictũ nimirũ inde quod addatur pani, ueluti caro, piſces, & ſi quid aliud huius generis eſt: poſitum hic uidetur pro ipſis piſcibus. Cœlius Rhodiginus, Opſophagos, ait, Xenophon uel apud eũ Socrates dici putat, qui modico utantur pane, opſonio autem multo. Lib. 9. cap. 13. Piſcatores uero putantes alium quempiam eſſe qui ueniſſet ad lacum mercaturus piſces, reſponderũt ſe habere nihil. Tum Ieſus ut paulatim declararet quis eſſet, Iacite, inquit, rete in dextrũ nauigij latus, & capietis piſces. Paruerunt illi iubenti, & tantam piſciũ copiam ceperunt ut onuſtum rete ægre poſſet ad ſcapham trahi. Hoc miraculo uoluit ſenſim illabi in ipſorum pectora & plenius innoteſcere: eodem præterea conſolari & animare diſcipulos ad capeſcendũ acriter uerbi miniſterium, quod appellauit aliàs regni cœlorum claues. Sic enim futurũ promiſit, ut reti euangelico implicitus totus orbis per eorum miniſterium ad conſortium uitæ ſit attrahendus.

Dicit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus Petro, Dñs eſt. Simon ergo Petrus cũ audiſſet quod dominus eſſet, tunica ſuccinxit ſe: erat enim nudus: & miſit ſe in mare. Alij aũt diſcipuli nauigiolo uenerũt: non enim longe aberant à terra, ſed circiter cubitis ducentis, trahentes rete piſcium.

Reliquis circa rete & piſcium copiã occupatis, ſolus Ioannes miraculo admonitus animum conuertit ad dominum miraculi authorẽ. Ex miraculo enim colligens quis ſit, qui rete in lacum iacere iuſſerat, Petrũ prorſus intentum piſcibus impellens, Dominus haud dubie is eſt, inquit, qui tanti operis beneficij q̃ author eſt. Petrus ubi intellexit, cum ex admonitione Ioannis tum ex ipſa re propius perpenſa (nam in initio uocationis ſimile quiddã euenerat, quod deſcribitur Luc. 5. cap.) eſſe dominũ qui ſtabat in littore, oblitus & retis & piſciũ, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, pallio ſiue penula aut toga ſe ſuccinxit. Videtur enim tunica ueſtis eſſe interior. Ependytes uero dicta, quod ſuperne induatur. Itaq; nudus erat Petrus, id eſt, nullo indutus pallio, ſed infima modo ueſte tectus, quo ad laborem, ut fit, eſſet expeditior. Impatiens certe moræ coniecit ſe in lacum, ac nõ ſine ſingulari fauore domini primus peruenit ad ipſum: cæteri uero nauigio conſequuti ſunt. Nec enim longe aberant à littore, ſed cubitis plus minus ducentis, ſimul trahẽtes rete piſcibus onuſtum. In Petro conij̃ciente ſe in lacum, & natando fortaſſis contendente ad dominum, (niſi placeat illum miraculo quodam delatum eſſe ad dominum, undis ipſius corpus, terræ in morem, geſtantibus, ſicuti olim factũ legimus, quò certe illud pertinet quod toga ſeſe accinxit) proponitur nobis ardoris ingentis & fidei feruentiſſimæ exemplum. Conij̃cit ſe in abyſſum atq; fluctuum procellas, ut optato fruatur domino. Per eandem fidem uicerunt & ſancti martyres laminas candentes, crates igneos, flammas & ſæua perſecutorum incendia. Fluctuarat nonnihil Petri animus per infirmitatem dum abnegaret dominum, nũc autem ſibi ueluti reſtitutus per gratiam dei, omnibus in mundo etiam præſtantiſſimis rebus unũ præfert dominum. Adeo uerum eſt quod dixerat dominus, Orauí pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu cõuerſus aliquando confirma fratres tuos. Euincit enim præſens Petri ardor fidem eius non modo non extinctam eſſe, ſed ſeipſa longe factam ardentiorem. Nemo ergo poſthac deſperet propter lapſum aliquẽ humanũ: imò quò ce-

Ex miraculo cognoſcitur dominus.

Petrus ardentis fidei typus.

cidit fœdius hoc feruentius exurgere contendat. Ad amplificationẽ fidei in Petro pertinet & cõsignatio distãtiæ loci. Siue enim natando siue inambulãdo aquæ, superauerit distantiã inter cimbã piscatoriã & dominũ in littore intercedentẽ, cubitos certè superauit circiter ducentos: & quod audacter cœperat, constanter absoluit.

Vt ergo descenderũt in terram, uiderũt prunas positas, & piscẽ superpositũ & panẽ. Dicit eis Iesus, Afferte de piscibus quos prendidistis nũc. Ascendit Simon Petrus & traxit rete in terrã, plenũ magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tot essent, non est scissum rete.

Prandium instruit suis dominus.

Instruxit suis mirabiliter splendidum in littore conuiuiũ, non alio cõsilio nisi ut doceret nunquã quicquam rerum necessariarũ & ad uictũ pertinentiũ suis defuturum ministris, modo ipsi non segniter sed strenue laborent. Quæris, scio, quis prunas apposuerit uiuas, quis piscem instrauerit, aut panẽ ad littus attulerit? Stulta est quæstio. Nam quis dedit toti Iudaicæ genti panẽ & cothurnices in deserto? Imò quis dedit panes & pisces aliquot uirorum milibus itidem in deserto, quorũ conuiuiũ aliquot reliquit cophinos fragmentis onustos? Aut quis dedit pisci staterem in os? De quo legis Matth. 17. cap. Declarauit ergo hic quoq; uirtutẽ suã dominus, ex qua intelligerent discipuli quis sit. Illud autẽ prudenter præcipit dominus ut de suis piscibus quos iam in lacu prendiderant afferrent. Nam & suspicionem ita eluit, ne forte phantasma tam cibus appositus quàm cibo uescens, uideretur. Afferte enim, inquit, de piscibus quos prendidistis nunc: & occasionẽ præbet cognoscendi plenius miraculũ ingenti copia captorũ piscium. Petrus enim reuersus in nauim (quam uiso domino unà cum piscibus reliquerãt, & omnes citissimo cursu ad dominum ceu unicum thesaurũ contenderant) rete pertraxit in terram, adiutus nimirum & aliorum opera, ac reperit reti implicitos pisces magnos 153. minores enim in censum nunc non ueniunt. Auxit miraculũ hoc quoq;, quod cum esset tanta piscium multitudo eorumq; ingentium, rete tamen non fuisset scissum onere. Dominus enim qui benedicit hominibus, simul efficit ut & firma & diuturna sint instrumenta quibus opus perficitur. Proinde plurima in hac manifestatione concurrunt miracula. Est itaq; singularis & longe præstantissima, quia multis beneficijs referta diuinaq; uirtute insignis.

Dicit eis Iesus, Venite, prandete. Et nemo discipulorũ audebat interrogare eum, dicẽs, Tu quis es? cum scirent quod dominus esset. Venit itaq; Iesus & accipit panem & dat eis, & piscem similiter. Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.

Christus rediuiuus edit uere.

Hæc est catastrophe huius nõ fabulæ sed historiæ, in qua omniũ euidentissime ueritatem rediuiui corporis demonstrat. Nam inuitat ad edendũ discipulos suos, & ipse cibum propositum edit. Quanquã enim hoc postremũ non exprimatur diserte, colligitur tamen ex circũstantijs, ut nõ cõmemorem quod Lucas in 24. cap. ipsum apertissime dicat edisse de asso pisce & fauo mellis. Sed & Paraphrastes, Iam uero, inquit, ut certius etiam daret specimẽ, se uerũ esse hominẽ, non phantasma qui ueritatem sui corporis, oculis uisus, auribus auditus, & manibus cõtrectatus approbarat, cibum etiam cum illis capere uoluit. Deniq; tam familiariter cum ipsis cõuersatus est dominus, ut nemini eorũ porrò necesse esset (τόλμα enim audebat, posuit pro necesse erat, aut opus habebat: ueluti cum dicimus, Es bedarff keines fragens, tam scilicet plana & aperta erant omnia) interrogare & dicere, Tu quis es obsecro? Sequitur enim, Cum scirent quod dominus esset. Hoc enim approbabãt

sensus

sensus omnes. Hactenus ergo satisfactũ est discipulorũ desiderio. Fruebãtur enim domini consortio, uidebant eum, audiebant, atq; cõtractabant, neq; iam quicquã porrò de uera eius resurrectione dubitabant. Rediens tamen narratione clarius nunc explicat quod duobus uerbis paulò ante designificarat dũtaxat, dicens, Venite, prandete. Nunc enim copiosius id enarrans, Venit itaq; Iesus, ait, & accipit pro more panem, ac distribuit cum gratiarũactione, similiter & piscẽ. Genus posuit pro speciebus. Sic autẽ cõmonuit ac significauit omnia dona etiã corporalia nos percipere de liberali & munifica manu domini, ac ideo uictũ hominibus dari à deo ut illo ad necessitatem utantur cum gratiarumactione, 1. Timoth. 4. Atq; ad hunc modum pransum est à discipulis cum domino, uaria haud dubie, non tamen aliena aut alia ab his quæ hactenus audiuimus, differente de sua resurrectione & regno dei. Hanc autem resurrectionis suæ claram demonstrationem breui clausula concludens, Hac iam tertia uice, inquit, siue tertium, manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis. Intelligit autem tertiam in Galilæa reuelationem. Alias enim non recensuit: omnium euidentissimam exposuit. Alij referũt ad 20. cap. ut prima manifestatio ea fuerit qua se exhibuit decem discipulis, secunda qua Thomę, tertia iam qua apparuit his discipulis septẽ. Augustin. retulit ad dies.

De Cibo autẽ à corpore clarificato uere sumpto, nõ inepte disputans Beda in Homelia quadam, Dominus ne quid, inquit, in eorum mente resideret ambigui, sumptis etiã epulis comedit coram eis, ut si uisibus oculorum, si suorũ tactibus nõ crederent digitorum, uel alimentorum carnalium perceptione carnẽ esse quæ apparuit cognoscerent. Qua in re fratres cauenda est hæresis Cerinthianorũ, ne quis uidelicet pueriliter delirans uel mediatoris dei & domini nostri corpus excitatũ à mortuis sustentaculo eguisse ciborũ, uel nostra post resurrectionem corpora in uita & conuersatione spiritali escis reficienda carnalibus, ubi diuinæ contemplatio claritatis esurire & sitire sicut & cæterorum penuriam pati bonorũ nullatenus sinit. Vnde ardentissimus uitæ illius amator de sua certus deuotione deo spe lætabundus loquitur, Ego autẽ cum iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua. Simpliciter itaq; & pie sentiendũ est resuscitatũ à morte & immortale iam factum corpus dominicum, nullam quidem necessitatẽ, attamẽ facultatem habuisse uescendi: ideoq; ubi opportunitas probandæ substantiæ naturalis exigebat cibis refici, uidemus esse refectum: qui nimirũ cibi nullum sanguini adiumentum, ut mortalium corporibus solent, illi præbuerint, sed quomodo in ignem missa aqua, ita mox comesti spiritali eius sint uirtute absumpti. Et reliqua. Hæc autem de resurrectione domini hucusq; pro officio Commentatoris disputauimus, de qua & in Matth. dedimus prolixiora. *Clarificatum domini corpus edit, & quare?*

Cũ ergo prandissent dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis diligis me plus quàm hi? Dicit ei, Etiam domine: tu scis quod amem te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei rursus iterũ, Simon Ioannis diligis me? Ait illi, Etiã domine: tu scis quod amẽ te. Dicit ei, Pasce oues meas. Dicit ei tertio, Simon Ioannis amas me? Indoluit Petrus quod dixisset sibi tertio, Amas me: dixitq; ei, Domine, tu omnia nosti, tu scis quod amẽ te. Dicit ei Iesus, Pasce oues meas.

Posteaquã satis firmis & perspicacibus argumentis ueram suam discipulis demonstrarat approbaratq; resurrectionẽ, ac nunc accingeretur itineri, abiturus ad cœlos, uoluit etiã apostolos suos in eo confirmare officio ad quod delegerat. Præ- *Restituitur officio Petrus.*

terea ut in 6. cap. à cibo corporis transijt ad cibũ animæ, docens cibũ appetendũ, & æternum, & qui reddat immortales: ita hic occasionem accipiens à piscatione, inhortatur suos ad spiritualem piscationẽ, qua plurimos deo per rete euangelij homines attrahant. Mutat tamen allusionẽ. Transit enim à re piscaria ad pecuariam, iubens illos gregẽ pascere domini. Præcipue uero cõuertitur totus sermo ad S. Petrum. Nec caret id caussa legitima. Petrus enim eo potissimũ nomine cõsolandus adde & officio nominiq; apostolico restituendus erat, quod reliquis fœdius ac tertium abnegasset dominũ. Ergo ne uideretur ab apostolico cõsortio & munere semotus per abnegationẽ ternam, terna confessione amoris atq; studij recipitur, & in dignitatẽ & munus apostolicũ iterum coaptatur. Subinde enim repetens dominus dicit, Pasce oues meas. Sequutus est hunc sensum & Cyrill. qui lib. in Ioan. 12. cap. 64. Quoniã cũ alijs, inquit, apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur: ut terna negatio æquali confessionis numero cõpensetur: ita quod uerbis cõmissum fuit, uerbis curetur, & ne ꝓpter negationẽ, quę humana infirmitate accidit, dignitas apostolatus labefactata crederetur, etc. Nihil interim peccat qui hęc domini uerba oĩbus ex æquo apostolis imò pastoribus, quod Augustinus fecit, adaptat. Dominus enim duobus uerbis totũ pastorale officiũ cõprehendit ac circumscripsit. Amare enim & Pascere præcepit, quibus quid & à pastoribus requiratur significauit. Præit amor, & is quidem non uulgaris, sed ardentissimus. Ideo enim tertiũ rogat an amet Petrus? & addit πλέιον τούτων, id est plus his. Quod alij referunt ad discipulos, sed eo sensu, Diligis me plus quàm hos discipulos meos, fratres & socios tuos? Verum simplicior sensus esse uidetur, si intelligas rogatum Petrum num cæteris dominũ diligat ardentius? Quæstio inde fortassis orta est, quod relictis cæteris suis sodalibus in scapha, ipse sese cõiecit in lacũ, moræ uidelicet remigationis impatiens, ac annitens ut primus amplecteretur in littore stantẽ dominum. Cyrillus, Quoniam, ait, maiorẽ clementiã saluatoris peccati remissione consequutus est, iure ab eo maior repetit dilectio. Cui enim plus remittitur, plus amare debet, ut ipse alibi dicit. Vtcunq; uero id habeat, certũ est à pastoribus requiri amorẽ flagrantissimũ. Non enim rogabat dominus ueluti ignarus quid uel in Petri uel ullius alterius hominis pectore lateret, sed penitus infixũ uoluit animis suorum, summa erga Iesum charitate opus esse ijs, qui gregis dominici curã suscipiũt. Amet ergo pastor fidelis, ac amet deum quidẽ in primis, deinde res diuinas, iustitiam, integritatẽ & innocentiã, beneficentiã: hæc ꝓmoueat studio indefesso & zelo prudenti ac ardentissimo. Amet & gregẽ Christi domini, pro quo is mori sustinuit. Amorẽ declaret studio erga gregẽ, oret pro eo, sufferat infirmitates eius, non dedignetur ullos eius gratia labores subire, in primis autẽ pascat. Est aũt metapho ra in uerbo pascendi, allegoria in ipsa re. Ecclesia enim est grex, pastores sunt doctores ecclesiæ: pabulũ est uerbum dei. Pascit ergo oues qui doctrina ueritatis reficit, consolatur, erigit, increpat, adhortatur, monet, docet. De hac allegoria sæpe aliàs dictũ est, præcipue Ioan. 10. & 1. Pet. 5. Discũt ex his ecclesiarũ præsides quid ab ordinandis requirant dum examinantur, amorẽ non uulgarẽ, & facultatẽ pascendi præstantẽ. Nulla enim ex eorũ ministerio expectanda est utilitas, qui licet linguarũ periti, adeo & Ciceroniani & Aristoteliciss imi uideantur, Christũ tamẽ & gregem non amant uerbiq; Christi imperiti sunt. Illud autẽ singularẽ habet emphasim quod non dicit, Pasce oues tuas, sed, Pasce oues meas. Christus enim suo nos redemit sanguine, & nos suum fecit peculiũ: sicuti apostoli testantur, Paulus Act. 20. & Corinth. 7. Petrus autẽ 1. Pet. 1. 2. & 5. cap. Ministri ergo sunt pastores gregis

Pastorale officium amare & pascere.

Examen ministrorum uerbi dei.

gregis dominici, nõ domini. Quod enim Pontifex Rom. hinc sibi primatum uendicat in ecclesias, aliàs satis confutatũ est, præcipue aũt 13. cap. 2. lib. de Functione episcoporũ. Nec pigebit in hos meos referre Cõmentarios, quod in hunc locũ dedit doctissimus ille Eras. Rot. in eruditissimis illis suis in Nouũ Testam. Annotat. dicens, Illud obiter est admonendũ, qui ex hoc loco gloriãtur sibi cõmissum gregẽ domini, eos primũ oportere meminisse à Petro ter exactũ amorẽ erga Christum, neq; quẽlibet amorẽ, sed ardentiorẽ cæteris: deinde ter item cõmissam illi curã gregis. Illud nimirũ significatũ est, nõ esse idoneũ sacerdotio, nisi qui neglectis omnibus nihil amet nisi Christũ, hoc est ueritatẽ, innocentiã, pietatẽ. Ad hæc nihil huic antiquius esse debere, q̃ incolumitatẽ gregis sibi crediti. Proinde quæso quid frontis est illis quibusdã, qui prophanis, imò sceleratis principum obsequijs, qui pecunijs huc penetrant, qui sacerdotiũ nihil aliud q̃ quæstum ac tyrannidẽ esse putãt? Nec meminerunt q̃ attente quibusq; legibus Christus suas oues Petro cõmiserit. Nec cõmiserit deuorandas, sed pascendas: pascendas exemplo piæ uitæ: pascẽdas euangelicæ doctrinæ pabulo, siue lac desiderabunt, siue solidũ cibum: pascendas etiã opum subsidio, si res ita poposcerit. Idem pie & docte in Paraph. explicans, id quod Petrus tertiò rogatus an amet dominũ, subtristior factus, dixerit, Domine tu omnia nosti: tu scis quod amẽ te, atq; ideo audierit tertiò, Pasce oues meas. Toties, inquit, iterata domini percontatio scrupulũ ac mœrorẽ iniecit Petro. Quanquam enim sibi conscius esset quod uehementer dominũ amaret, tamẽ post tam magnifica p̃missa ter abnegatus dominus, faciebat, ut ipse sibi quoq; diffideret. Euenerat enim in Petro ut lapsus esset saluti, qui modestiã docuisset ac dedocuisset sui fiduciam: qua nulla pestis capitalior euangelicæ pietati. Respondit igitur syncere quidem, sed timide ac modeste, iam tota fiducia translata in eum, cui soli oportet fidere, Domine, cur hoc toties interrogas, cum nihil te fugiat? Scis ipse quod amẽ te. Tum Iesus, Pasce igitur oues meas, & in has declara quanti me facias. Boni pastoris exemplũ ex me sumes. Ego pro meis ouibus uitã meam impendi: tu quoq; usq; ad uitæ capitisq; iacturã fidum ages pastorẽ ouium mearum. Meæ sunt, quas meo sanguine redemi: nunc rediturus ad patrẽ tibi pascendas cõmitto. Pastorem igitur ages, non dominũ: & pasces ut serues, nõ mactabis aut deglubes ut perdas. Si ego tibi ter charus sum, erunt tibi charæ quas habeo charissimas. Hæc dominus Iesus uoluit tanta diligentia inculcata discipulorũ suorũ animis, quod nõ ignoraret exorituros, qui nõ amore Iesu, sed sui cõmodi gratia curam populi Christiani susciperent, uel arriperẽt potius: qui pro pastoribus agerent tyrannos & prædones. Hæc ille. Cæterum in illis nullã opinor esse differentiã, mysterium nullum, quod bis dixit βόσκε, id est pasce seu ale, semel ποίμαινε, rege ut pastor regit gregem: item quod bis dixit πρόβατα, oues, semel ἀρνία agnos: rursus quod aliàs ait ἀγαπᾷς, aliàs φιλεῖς. In idem enim recidit siue amas siue diligis uertas.

Nõ omnes sunt pastores qui pastores uideri uolunt.

Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te & ambulabas quò uolebas: quum autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non uis. Hoc autem dixit significans qua morte glorificaturus esset deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me.

Receperat Petrũ in apostolorũ chorũ, restituerat nomini & officio peccatorẽ, præscripserat quid faceret, id est quod eius esset officiũ, amare & pascere, recensẽt porrò imò uaticinatur quẽ sit finẽ officij & uitæ sortiturus, ac quid oẽs euangelij doctores fidelesq; pastores ex fide & munere suo à mũdo hoc expectent, afflictiones grauissimas, tandẽ & p̃brosissimam mortẽ. Id uero p̃ponit ænigmate quodã,

Quid passurus S. Petrus propter ministeriũ & confessionẽ domini.

dicens ad Petrum, Cum esses iunior, ipse tibi cingulum præcingebas, & quò lubebat ambulabas liber, ubi uero cõsenueris, nõ tuo arbitratu uiues, sed extendes manus tuas ad alterius iussum, duceriscp quò nolis. Addit Ioannes quod ænigma explicet, Hoc uerborũ inuolucro significabat Iesus quo mortis genere Petrus deum esset glorificaturus. Dum enim iunior esset ꝓ suo arbitratu uiuebat priuatus, ascitus aũt in numerũ apostolicum iam publica, ut uocãt, persona, ueritatis præco factus est. Quis uero nescit obsequio amicos, ueritate odium parari? Proinde nemo Petrũ priusquã factus esset præco ueritatis, apostolus uidelicet Christi, odiebat. Licebat ipsi ꝓ suo uiuere arbitratu. Id quod dominus illo loquutionis genere significauit, Cingebas te & ambulabas quò uolebas. Nã & nos de ijs qui prorsus liberi ac sui iuris neminicp uel officio uel ullo uinculo obstricti sunt, dicimus, Weñ er sich gürt so gadt er wol/yederman vngsumpt/wohin er wil. Cæterũ ubi Petrus factus esset seruus Iesu Christi, & prædicator euangelicæ ueritatis, toti mũdo se iam ꝓ officio cogebatur opponere & reclamare. Totus enim mundus in malo constitutus est: at euangeliũ toti mundo prædicat iustitiã, ergo accusat reges, principes, summos simul & infimos. Inde uero grauia illa omniũ ordinũ in orbe odia contra præcones ueritatis existunt. Certe S. Petrus cõstanti & diuturna prædicatione euangelij omniũ in se odia impiorum cõsciuit, Neronis in primis: cuius ultimo anno, sicut author est Euseb. in Chronicis & Eccles. historia, et post ipsum Orosius lib. 7. cap. 7. Romæ unà cũ Paulo occisus est. Supplicij modũ descripsit Hieron. in uiris suis illustribus siue ecclesiasticis scriptoribus dicens, A Nerone Petrus affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terrã uerso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignũ, ut sic crucifigeretur sicut dñs suus. Atcp ea in re uidetur Hieron. Egesippũ sequutus, qui ualde uicinus temporibus apostolorũ, paria de exitu Petri narrat lib. de Excidio Hierosolymorũ 3. cap. 2. Ideo uero in præsenti dicit dominus, Extendes manus tuas, & alius cinget te. Extẽdes inquã ad uincula & ad crucem. Nã persequutor cinget te, ꝓpterea quod Christo & ueritati eius cõnexus es. Significanter aũt dixit, Cum senueris. Si enim supputauerimus annos quos in ministerio uerbi exegit Petrus, inueniemus plus minus 36. Tiberij eñ 18. anno Christus crucifixus est. At præfuit Tiberius annos circiter 23. Successit Caius & imperauit annis ꝓpe 4. Post Caiũ regnauit Claudius ꝑ annos 13. & amplius. Postremo insequutus est Nero, qui circa initiũ 14. anni occidit apostolos. Fuit is annus à nato domino, authore Euseb. in Chronicis 70. Quod si annos hos imperatorũ oñes in certã summã redigas, inuenies plus minus 36. quibus si addas adhuc 36. ac imaginaueris Petrũ totidẽ esse natũ, cum hęc ipsi dicerentur à dño, colliges annos 72. Quod autẽ euenit S. Petro hoc ipsum expectent oẽs fideles uerbi dei ministri. Hęc enim tã seuera D. Petro has potissimũ ob caussas prędixisse uidetur. Principio ne uel ipse, uel alij ipsum sequentes eodẽcp ministerio seruientes Christo, opes sibi, honores, & uoluptates pollicerẽtur ex officio, sed uerbera potius, cruces & tormẽta. Deinde ut oẽs se mature parent ad pugnã, fortes sint, patientes et seduli, cõtendentes ex hoc procelloso mari malorũ ad portũ tranquillũ ueræ felicitatis. Illud uero cõsolatur infirmitatẽ nostrã non uulgariter quod Petrus audit, Et ducet quò non uis. Manet ergo horror mortis, & tædiũ in periculis, in pectoribus quocp fidelibus sanctorũ: qui cũ strenue laborent ne uincantur ab imbecillitate cõgenita, sed eam superent spiritus uirtute, non reijciuntur ꝓpter suam illã infirmitatẽ à dño. Vnde iam optimã spem cõcipiunt sancti, fore ut et ipsis nocere non possit ingenita nobis infirmitas, qua oẽs nobis bene q̃ male esse cupimus. At audendum est interim aliquid ꝓ Christo seruatore, patiendũ & laborandũ strenue propter ueritatẽ & confessionẽ eius, qui se pro nobis obtulit in probrosissimã mortem crucis. Consolatur

Petrus suffixus in crucem Romæ occiditur.

Metuunt tormenta & sancti.

atq confirmat nos & illud quod Ioannes diserte dicit, Significans qua morte glori ficaturus esset deum. Videtur enim extremũ illud supplicíũ quod sumitur à confessoribus Christi, planè probrosum & ignominia plenũ esse: at ueritas huiusmodi mortes illustres & supplicia uocat gloriosa, quippe qua sancti dei martyres deum glorificant, ac ipsi uicissim ab æterna illa gloria glorificantur. Porrò illa loquutus ad Petrũ dominus adiecit & illud, Sequere me, simul aũt & ambulare incipiẽs. Mox enim dicitur Petrus discipulũ illum Iesu dilectũ uidisse sequentẽ, Interim uero semetipsum proponit Petro exemplũ, quod respiciat & imitetur. Plurimũ eñ exempla ualent in re qualibet, & ad omnẽ partẽ atq euentum. Cæterũ nõ est perfectius exemplũ Christi exemplo. Sequitur Christũ, nõ qui pedibus præeuntẽ modo sequitur, sed qui imitabilem & flexilẽ, imò obsequentẽ in oĩbus animum Christo prębet: qui oĩa dicta & facta sua ad dicta & facta Christi cõponit. Hic uerus est pastorũ archetypus: in hoc inueniunt, uident & discunt quod ad absolutionẽ sui pertinet ministerij. Summa est in eo charitas & dei patris & gregis sibi cõmissi: ardens & prudens est in eo zelus, doctrinã docet syncerã, blandã & acrem: moribus sanctis & uitæ exemplo est purgatissimo: iustissimãq præstat in discriminibus qui busuis fortitudinẽ patientiãq per oĩa longanimẽ. Ad hunc pastorũ principẽ conuertant se oẽs in ecclesia pastores. Hic enim est lux mũdi, qui hunc sequitur nõ ambulat in tenebris, sed habet lumẽ uitæ. Sic autẽ cõclusit præsens de ministerio uerbi, Petro ac reliquis cõmisso, colloquiũ. In sequela enim Christi sunt fontes ueræ pietatis, adeoq tota cõprehenditur in ipsa pietas hominis Christiani cuiusuis.

Sancti mortẽ sua deum glorificant.

Pastoribus proponitur Christus imitandus.

Cõuersus Petrus uidet illũ discipulũ quem diligebat Iesus sequentẽ, & qui recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Dñe, quis est ille qui tradit te? Hunc ergo cũ uidisset Petrus, dicit Iesu, Dñe, hic aũt quid? Dicit ei Iesus, Si eum uelim manere donec ueniã, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo inter fratres, quod discipulus ille nõ moreretur. Et nõ dixerat ei Iesus, Non moritur: sed, Si eum uelim manere donec ueniã, quid ad te?

Quanq Petrus esset restitutus, & in functiõe apostolica cõfirmatus, retinet tamen in seipso humani ingenij reliquias, imbecillitatẽ ex corruptione illa peccati. Dum enim uocãtem dominum Iesum recta sequi, nec ad quenquã aliũ respicere debuisset, ille cõuersus retrorsum, uidet Ioannẽ sequentẽ, cũq non ignoraret hũc dño semper chariorẽ fuisse cæteris, uehementer miratur quem ipse sit uitæ exitũ fortiturus. Neq enim uulgaria dñi insignis studij & dilectionis argumẽta erga Ioannem extabant. Appellabatur enim uulgo dilectus Iesu discipulus. Recubuerat in cœna illa ultima super pectus saluatoris: ac liberrime in eadem cœna de proditore quisnam esset percontari ausus fuerat. Suspicabatur fortassis Ioannem lenius in senecta fore tractandum, aut certè paria perpessurũ, unde Petrus colligebat & se non uulgariter dilĩgi à domino. Non enim arbitror inuidia cruciatũ hæc dixisse. Rogat enim dominũ de Ioanne. Prædixisti quid propter tui nominis confessionẽ sim ꝑpessurus, iam etiã prædiceres cuperẽ & quid de Ioanne illo tuo dilecto discipulo decreueris, an hunc mortis meæ, imò tuæ, comitem sim habiturus? Præfert Petrus hac in re exemplum siue typũ hominis uocati quidẽ à deo & abunde instructi in omni pietate, aliena tamẽ curantis & nõ strenue sua obeuntis munia, aut certè amplius ab aliorum exẽplo, q̃ uiua Christi uocatione pendẽtis, adde & curiosis quæstiõibus implicati. Neq paucos hodie inuenias, qbus nõ est obscura euangelij doctrina, ijdẽ tamẽ obijciũt, cum ea sit Christi doctrina, mirũ esse cur

Vocati nostrã uocationẽ negligimus, alienã respicimus.

ei nõ adhęreant plures. Plures abſq; dubio eſſe in orbe hoïes deo dilectos, quos niſi euangelio quoq; ſubijciat, dubiũ ferè eſſe, euangeliũ ne ſit quod prædicatur, an quoddã hominũ figmentũ. Sunt ergo non pauci qui dicũt ſe nõ prius adhæſuros euangelio, q̃ omnes per orbẽ hoïes id paribus recipiant uotis. Ea ſcilicet eſt humani ingenij calamitas. Nec mirũ id cum & calamitatis noſtræ non exiguæ in Petro iam nunc reſtituto reliquiæ appareant. Cæterũ curioſam & inutilẽ Petri quæſtionem repellens dominus, Quod ſi uellẽ, inquit, illum nõ mori, ſed ita manere uiuũ, donec redeã in iudiciũ, hocq; ſaluti eius cõduceret, quid id tua referret? Nolo uel te uel quenquã aliũ curioſius conſilia dei ſcrutari, aut aliorũ uocationes excutere. Meus eſt Ioannes, & meo arbitratu, de illo quod optimũ erit, ſtatuã. Tuũ ergo fuerit non ad aliena exempla, ſed tuã reſpicere uocationẽ. Quod itaq; iam dixi, id nũc repeto, Tu me ſequere. Id ſingulis nobis dictũ putabimus. Si te uocauit deus per euangeliũ, ſequere uocantẽ: nec eſt quod hic tibi aliorũ exempla putes ſpectanda, Chriſtũ intuere, Chriſtum ſequere: nihil ſollicitus de aliorũ fatis. Stant illi & cadũt ſuo iudici deo. Patiuntur alij alijs atrociora: accedunt alij alijs ad euangelicã fidẽ tardius. Hæc & ſimilia neminẽ in curſu euangelij uel impedire uel intercipere debent. Nemo enim qui manũ ſuã admouit aratro, ac reſpicit, dignus erit regno dei. Quid noſtra obſecro retulerit quid de ſingulis hoïbus ſtatuerit deus? Nobis reuelata eſt ueritas: intelligimus quid à nobis poſtulet dominus, ea per fidẽ & charitatem, ipſius numine & auxilio inuocato, præſtare curemus. Hęc diligentia ꝓbatur deo. Parum autẽ aut nihil ab hac noſtra expoſitione diſſidet Cyrill. qui cap. 66. Cũ Petrus domino dilectũ, inquit, reſpexiſſet, ſtatim interrogauit quis uitæ illi terminus immineret. Sed quoniã curioſa magis q̃ utilis rerũ alienarũ inquiſitio eſt, reſpondet quidẽ, ſed ita ut rogantis animũ abducat ad alia: nec mortis expertẽ futurum Ioannẽ dicit, ſed, Si eum uolo manere donec uenio, quid ad te? Id eſt, audiſti Petre, quæ ad te pertinent, cur aliena quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris? Nam ſi etiã uellem minime iſtum mori, quid tu inde emolumenti, aut quid conſolationis conſequereris? Prudens ergo non erit curioſus ſi quid paſſurus ſit, an alij quoq; eadem quę ipſe ſubituri ſint an non: cum aliorũ calamitate pericula ſua non mitigentur. Quamuis cõmuniter hoïbus inſitum eſſe uideatur, ut optent ſi quid periculi ſubituri ſint, non eſſe ſolos, ſed cæteros etiã, aut uidere ſimilia pati aut ſaltem audire perpeſſos fuiſſe, uel omnino idem paſſuros. Hæc Cyrill.

Quàm procliue errare hominibus.

Sequitur, Exijt ergo ſermo inter fratres: quod perinde eſt atq; ſi dixiſſet, Permanauit rumor ad Chriſtianos, quod diſcipulus ille Ieſu dilectus nõ eſſet moriturus, ſed permanſurus in uita donec rediret dominus in iudicium. Vnde diſcimus quàm procliue ſit errare hominibus. Si enim primitiuæ eccleſiæ homines tam leui occaſione impulſi impegerũt, quid nos poſt tot ſæcula & tam amplis occaſionibus oblatis nõ metueremus? Oboritur error ex multis quidẽ cauſſis, ſed ex his potiſſimum duabus, Vel ex affectu noſtro ſiniſtre deo æterno numini attributo. Vel ex

Quomodo exoriantur errores.

modica uerbi dei detorſione. Ex affectu ſiniſtre atributo Ieſu ſic colligebant, Diligit Ioannẽ Ieſus, ergo nõ morietur Ioannes. Quos enim humanus diligit affectus, ijs imprecatur immortalitatẽ. Ad detorſionẽ uerbi Chriſti illud ꝓtinebat quod abſolute ꝓnunciabant Ioannẽ ſic manſurũ donec rediret Chriſtus: at hic cum conditione non abſolute loquens dixerat, Si uelim eũ manere donec ueniã, quid ad te? Ad hæc ſi multa quę inter Chriſtianos pro certis habentur dogmatis conferas, deprehendes ex ijſdem cauſſis errores eſſe. Interceſſionem diuorum non pauci ſic approbant. Minus eccidero cauſſa ſi plures boni & grati iudici homines me commendent: nõ ergo repellet me ſupremus iudex ſi pro mea ſalute interueniant com

plures

plures diui. Huiusmodi collectione humanus affingitur deo affectus. Detorquent scripturas monachi, cum pro sua fictitia paupertate proferũt illud ex euangelio, Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Possem huius generis infinita proferre exempla, sed ex his prudens Lector reliqua eiusdẽ generis æstimabit. Docẽt autẽ ista ne nostræ fidamus sapientiæ nimiũ, ne perfunctorie tractemus scripturas, sed diligenter expendamus & conferamus, imò cũ timore dei & frequentibus precibus agamus hic omnia, scientes nobis errorẽ & tenebras esse agnatas, desursum autem infundi uerã illuminationẽ. Hinc porrò intelligimus fabulas esse, quas nonnulli ferunt per ecclesias, Ioannẽ uiuum & corporaliter in paradysum esse sublatum ad Enoch & Heliam, quorũ stipatus satellitio, ante extremum diem uenturus sit ad debellandũ Antichristũ. Tolerabiliora his annotauit ex Isidoro & nescio quibus alijs scriptoribus Beluacẽ. de Ioanne Euang. cap. 23. quaquã & ea ipsa fabulis non sint dissimilia. Euangelio consona sunt quæ his uerbis uetustissimus Polycrates apud Euseb. lib. Eccle. hist. 3. cap. 31. prodidit, Et Ioannes ille, qui supra pectus domini recũbebat, qui fuit sacerdos dei, pontificale πέταλον gestans, & martyr & doctor optimus, apud Ephesum dormiuit. Nemini autẽ ignotũ est ueteres dormiendi uerbo usos fuisse ꝓ morien- di. Martyrẽ porrò ideo Ioannẽ appellasse uidetur Polycrates, quod testis Iesu fuit fidelis, & quod pro nomine Christi multa passus est, licet per tormenta ꝓsequutorum non clauserit uitã. Tertullianus enim lib. de Præscript. hæret. de ueteri loquẽs Romana ecclesia, Felix, ait, ecclesia, cui totã doctrinã apostoli cum sanguine suo ꝓfuderunt: ubi Petrus passioni dñicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. *Ioan. Euang. martyr.*

Porrò fides eximia apostoli in eo apparet, quod summa diligentia prauã de se opinionẽ conceptã dissoluit & abolet, dicens, Iesus nõ dixerat discipulũ illum non moriturũ, sed Petri curiositatẽ retundens, negauit ad ipsum pertinere, si uellet eũ manere usq; ad aduentũ suum. Ita & Baptista Ioannes diligenter eximit discipulorum animis prauam de se opinionẽ conceptã, qua arbitrabantur Ioannẽ esse Messiam. Dicit enim, Ipsi uos testes estis quod dixerim, Nõ sum ego Christus, sed missus sum ante illũ. Hoc prẽterea curarunt oẽs sancti ne ulla in fidelibus praua de ipsis opinio cõcepta inhæreret. Extat manifestũ exemplũ in hoc eodẽ Ioanne nostro & Petro Act. 4. in Paulo item & Barnaba Act. 14. Huc pertinet illud August. ex ultimo cap. lib. de Religione. Hoc, inquit, ipsos optimos angelos & excellentissima dei ministeria uelle credamus, ut unũ cum ipsis colamus deum, cuius contemplatione beati sunt. Recte enim scribitur hominẽ ab angelo ꝓhibitum ne se adoraret, sed unũ deũ sub quo ei esset & ille cõseruus. Qui aũt nos inuitant ut sibi seruiamus & tanquam deos colamus, similes sunt superbis hominibus, &c. Proinde nõ ferunt ullæ sanctæ dei creaturæ ut ipsis amplius tribuamus quàm acceperunt à deo, cui omnia bona ferunt accepta. *Eximia sanctorum fides.*

Hic est discipulus ille, qui testimoniũ præbet de his, & scripsit hæc. Et scimus quod uerum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos qui scriberentur libros.

Coronis est & appendix diuinæ huius historiæ, qua opus feliciter claudit: ac initio ueluti nomen suum prodit, dicens, Hic est discipulus ille, qui testimonium præbet de his, & scripsit hæc. In quibus uerbis maxima est obseruanda & imitan- *Scriptor huius euangelij.*

da modestia. Nihil enim nedũ arrogantius, sed ne audacius quidem dicit aut scribit de semetipso. Discipulum sese appellat non doctorem, qui tamen omnes in orbe doctores longo post se interuallo reliquit. Erubescant ergo gloriæ inanis uoragines, quibus nulli satisfaciunt tituli, quamuis splendidi & amplifici. Ioannes Baptista appellabat se uocem clamantem in deserto. Petrus & Paulus totius mundi lumina nominant se seruos & ministros Iesu Christi. Sed & testem se uocat Ioannes. Quia dominus dixerat, Vos testes eritis horum. Testis nihil de suo dicit, sed duntaxat ea quæ uel uidit uel audiuit fideliter narrat. Proinde quod audierat à domino & uiderat facientem patientemq; simpliciter & uere uti dicta & facta erant exposuit. Eadem fide & simplicitate uti debent qui apostolorum imitatores ecclesiarum ministri & euangelij prædicatores uideri uolunt: sufficiant his quoq; tituli quibus apostolũ Ioannem uidemus usum ac Paulũ, qui dixit, Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum dei. Deinde magna grauiq; contestatione seu protestatione asserit se hic bona usum fide, ac puram tradidisse ueritatem. Et scimus, inquit, quod uerum est testimonium eius. Quæ si referas ad Ioannem consonat cum illo quod in epistola sua dixit, Quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ cõtrectauerunt, annunciamus uobis. Significat enim doctrinã apostolicã & certam esse & cõpertissimã: quemadmodum & S. Petrus dixit, Non arte cõpositas fabulas sequuti, notã uobis fecimus domini nostri Iesu mysteriũ, sed qui oculis nostris illius aspeximus maiestatem. Porrò si referas ad ecclesiam cœtũq; fideliũ, iam causſæ cõfidens & omnes in testes aduocans, tale quidpiam dicere uidetur, Nihil aũt solicitus sum de ueritate historiæ, norunt enim omnes qui dominũ & uiderũt & audierũt, hæc ita & gessisse & dixisse quæ ipsum egisse docuisseq; dixi, sicut hactenus exposui. Hæc enim est fidei & religionis nostræ certitudo quod causſæ confidit, sciens neminẽ bonũ, neminẽ sapientẽ, neminem ueracẽ & rei peritũ, aliud uel sentire uel tradere posse. Ita Moses quoq; in auribus totius populi legit quos conscripserat libros, ueluti testem aduocans uniuersam ecclesiã. Hac uero ratione & eo modo testimonium fert euangelio & scripturæ ecclesia, non quæuis, sed primitiua, quæ de rebus scriptis uere testari potuit, utpote quæ & uidit & audiuit, quæ testatur. Deinceps uero ualere debet scripti eius authoritas: maxime cũ uideamus authentica esse instrumenta quæ ordine conscripta, & legitimis testimonijs cõfirmata sigillisq; sunt roborata. Ne itaq; uocemus in dubium euangeliorũ & scripturæ authoritatẽ, iusta ratione legitimeq; confirmatã: neq; putemus fidem eius à præsentium hominũ testimonijs receptione aut abdicatione pendere. Satis enim cõfirmata est eius fides & authoritas, tametsi reclamet & sese nunc opponat totus orbis. Postremo profitetur se non descripsisse sigillatim singula domini Iesu facta, nimirũ ne uerba quoq; singula, sed ea duntaxat quæ sufficiebãt ecclesiæ, quæ ex pauculis illis reliqua quoq; infinita illa potest æstimare. Cyrillus hunc locum ultimo cap. lib. 12. explanans, scribit, Magna, inquit, multitudo signorum domini & immensus numerus est, sed hæc quæ retulimus sufficiunt ad plenissimam fidem attente legentibus faciendam. Nec accusandus sum, ait, si omnia non conscripsi. Nam si considerentur singula, nullo penitus prætermisso, orbis multitudinem librorum non caperet. Hyperbolice autem dicimus sermonis huius uirtutem proferri. Non igitur omnia quæ dominus fecit conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores quàm ad dogmata putarunt sufficere, ut recta fide & operibus ac uirtute rutilantes, ad regnũ cœlorũ pueniamus, in domino nostro Iesu Christo. Hactenus Cyrilli uerba recensui. Cõgruit hæc expositio cum eo quod in fine cap. 20. ab ipso ꝓditũ est apostolo,

Protestatio Ioannis.

Testimonium ecclesiæ.

Ioannes non scripsit singula domini facta.

Non

Non omnia quidem signa resurrectionis domini ueræ esse descripta, hæc tamen quæ descripta sunt facere satis ad persuadendam fidem in dominũ Iesum, ut per ipsum uitam & æternam consequamur felicitatem. Quis enim non uideat plenum & perfectum esse doctrinæ genus, quod ad eum finẽ perducit, ad quem instítutum est? Institutа est autem euangelica historia ad tradendam rationem consequendi uitam æternam, ad quam fide in Christũ peruenitur, quam pleníssime informat: unde consequens est perfectíssimũ esse genus doctrinæ euangelium: tametsi non uerbotim siue per singula tradita sint dicta & facta Christi. Nam quæ sufficiunt ad informandam plenam fidem Christianam, pleníssime sunt in pauculis ístis tradita. Nihil ergo efficient qui huius loci præsidio arbitrantur sibi ius datum quidlibet statuendi. Non omnia, inquiunt, scripta sunt ab apostolis, ergo relictus est patribus & episcopis ius & locus scribendi & decernendi. Atqui si absolute dicant ab apostolis non omnia esse scripta, non imus inficias. Nullus enim apostolorum uel Romanam uel Græcorum conscripsit historiam: nullus ullam unquam liberalium artium attigit: Sed quid tum postea? Sciuimus illud iamdudum. Si ergo dicant non omnia scripta quæ ad perfectam doctrinam ueræ fidei, pietatis ac religionis pertinent, omnibus modis reclamamus. Si obiiciunt, Ioannẽ dixisse, Sunt & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, &c. Respondemus his uerbis non probari quod assumptum est. Tametsi enim multa & per singula quidem non sint scripta, inde tamen non consequitur omnia quæ ad salutẽ nostram pertinent non esse scripta. Id quod plenius ostendi 14. cap. in lib. nostro de Authoritate scripturæ. Imò adeo non dicit Ioannes omnia non esse scripta, ut potius asserat ea quæ ad fidem faciendã salutẽq; consequendã pertinent plene hisce pauculis suis esse tradita: sicut modo per interpretationẽ uerborum apostoli indicauimus. Præterea ut maxime demus non omnia esse scripta quæ ad perfectionẽ salutis nostræ ptinent, inde tamẽ nõ sequitur protinus relictum esse nescio quibus patribus sarciendũ, quod deesse uidetur scripturæ apostolicæ. Ac quis obsecro hominũ id putet se pensare posse ꝙd defuisse uidetur fidei & diligentiæ apostolicæ? Augustio ra nos de fidelissimis Christi seruis ministrisq; ecclesiæ diligentissimis domini apostolis credimus & sentimus, qui eorum doctrinæ absolutissimæ utiq; immori cupimus. Non nego facultatẽ datam esse apostolorũ sectatoribus tradendi dogmata ecclesiæ, sed ea quæ acceperunt ab apostolis, imò & scribendi quoq;, sed enarrandi interpretandiue, ac etiam copiosius exponendi id quod isti scriptis alioqui breuioribus tradiderunt priores, ac ueluti notis consignarunt. Sic enim ueteris ecclesiæ doctores multa nobis egregia & utilia dederunt scripta. Nullibi autem legis ministris factam esse potestatem ullam dogmata noua & leges nouas condendi: imò uero certissimum est nouis dogmatis, legibus, aut decretis, non ex apostolico spiritu scripturaũe, sed humana inuentione depromptis, non opus esse ecclesiæ ullis: neq; efficient unquam apud pios logodedali illi, ut hominũ uanissimas nugas recipiant pro traditionibus apostolorum. Scribant ergo & ædant ingentia uolumina quibus libet & uacat de eo composita quod non omnia tradiderint scripserintũe apostoli, sed permulta reliquerint successoribus & scribenda & tradenda ecclesiæ. Iam enim manifestum est institutum istorum hominum tendere recta in derogationem fidei & diligentiæ apostolicæ, & ad ornamẽtum & cõfirmationem nugarum inanium Papisticarum: quas quo diligentius ornare perrexerint, hoc ingratiores apostolis minusq; in deum pij deprehendentur. Quin omissis & neglectis planè suauibus nugatoribus istis, suis compendijs suæq; cõsulentibus gloriæ, conuertamus animos nostros ad absolutissima apostolorum Christi testimo-

Omnia quæ nõ stræ salutis sunt plene scripturis tradita.

nia,dogmata ac ſcripta,omni fiducia in illum collocata, quem iſti toti eccleſiæ ſcriptis ſuis unice commendarunt, Ieſum Chriſtum, per quem nobis pater cœleſtis omnes dedit ſapientiæ, iuſtitiæ, plenitudinisq; uitæ & ſalutis theſauros fide uera percipiendos: cui gloria, laus & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

EXHIBVI tibi denuo, Lector pie, ſeruatorem tuum dominum Ieſum Chriſtum, uerum illum & naturalem dei filium, à patre æterna & inenarrabili natiuitate genitum, patri conſubſtantialem & coæqualem in omnibus: in fine autẽ temporum, iuxta propheticorum fidem oraculorum, incarnatum pro nobis, paſſum, uere mortuum, & ex mortuis reſuſcitatum, factumq; rerum omniũ regem & dominum. Hic cum ſit deſignatus nobisq; datus à deo patre plenitudo oĩs gratiæ & ueritatis, agnus ille dei qui tollit peccatum mundi, ſcala ac ianua cœli, ſerpens exaltatus, qui uenenum reddit innoxium, aqua ſitientes reficiens, filius patri nos reconcilians, panis uitæ, ſaturitas ac delicię animæ, lux ac oculus mundi, liberator filiorum dei, illuminans omnes noſtras tenebras, paſtor ouium & oſtium, reſurrectio & uita, granum frumenti renaſcens, uictor principis huius mũdi, exemplum uitæ, uia, ueritas, & uita, uitis uera & frugifera, denicq; redemptio, ſalus, ſatisfactio & iuſtitia omnium fidelium in toto orbe, per omnes ætates & omnia ſæcula, inuocemus patrem noſtrum per dilectiſſimi huius filij ſui, domini noſtri Ieſu nomen, ut euangelio hactenus docti inſtructiq; cognoſcamus uere eum qui uerus eſt, & credamus in eum qui nobis à patre datus, & in quo uno & ſolo ſalus eſt, credentesq; ſentiamus hic uiuentem in nobis deum, ac in futuro ſæculo fruamur æterno & beatiſſimo eius conſortio, Amen Amen.